Ad Usum Religiosum Fris
Gregorij Hoch Scriptum.

E. IV. 99.

ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. F. JOSEPH-MARIÆ PERRIMEZZI

EX ORDINE MINIMORUM

S. FRANCISCI DE PAULA

S. CONGREGATIONIS INDICIS IN URBE CONSULTORIS,
S. Romanæ, & universalis Inquisitionis Qualificatoris, SS. Domini nostri Prælati Domestici, & Pontificio Solio Episcopi Assistentis, Sanctæ Oppidensis Ecclesiæ Episcopi;

IN SACRAM DE DEO SCIENTIAM

DISSERTATIONES SELECTÆ
HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ

PARS TERTIA,

AD EMINENTISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM

PRINCIPEM

NERIUM-MARIAM CORSINI,

S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM AMPLISSIMUM,
Et SS. Domini Nostri CLEMENTIS XII. Nepotem.



NEAPOLI MDCCXXXIII.
Ex Typographia Januarii Mutio, Hæredis Michaëlis Aloysii.
Superiorum Permissu.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD EMINENTISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM

PRINCIPEM

NERIUM-MARIAM CORSINI,

S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM AMPLISSIMUM;

Et SS. Domini Noſtri CLEMENTIS XII.
Nepotem.

AUCTOR

QUOD Gentem tuam, longe lateque nobiliſſimam, priſca virtutum, ut ſcientiarum, corona effulgentem, in imperii faſtigio hilari oculo videamus; ac univerſo terrarum Orbi, ut juſtiſſime, ita & modeſtiſſime, jura dantem, ſubmiſſo poplite veneremur; id ſuperni Numinis judicio factum credimus, ut in hac temporum, rerunque, calamitate Italia noſtra ſtrenuum habeat ſuæ pacis vindicem, & Jesu

Digitized by Google

Christi Ecclesia fortissimum atque integerrimum sacri sui principatus assertorem. At quod Te habeamus, EMINENTISSIME NERI, inter apostolici senatus Patres, supremo Principi intimius assidentem, ut, tanquam illius manus dextera, sacri reiminis habenas modereris; id sub Dei optimi maximi auspicio, Sanctissimi Patrui tui justitia factum reputandum omnino est; ut inter Principis Administros ea exequaris, quæ Pontificis famam elevent, pontificatus jura sustineant, & Reipublicæ bonum adæquare omni ex parte videantur.

Igitur præ omnibus acceptum referre debemus bonorum omnium largitori, quod in Patruo tuo Principum exemplar habuerimus: Et postmodum quod in Te nacti simus Ministrorum atque Nepotum fidelitatis, justitiæ, moderationis, prudentiæ, atque demum humanitatis exemplum, æque veridicum ac luculentum. Et sane, quum inter illa versemur tempora, quibus luctuosas Principum ac Ministrorum varietates profusis lacrimis deploramus; Dei omnino consilio evenit, ut unus idenque Pontifex ostenderet, & qua justitia coercenda sit illorum immoderatio, si aliquando ad populi perniciem enascatur; & quo judicio promovenda aliorum æquitas, ut ad populi salutem clavum imperii moderentur.

Profecto nemo nostrum miratus est in exaltatione tua, AMPLISSIME PRINCEPS, dum Te vidit illico evectum ad ea pertractanda, quæ primitus fortassis intime non agnoveras, & illis præfectum, quibus subesse, ad honorem usque, Mortales cæteri, gloriantur. Nemo novum ac insuetum suspexit, Te unico temporis intervallo ad sanguinis gloriam, in consanguineo Principe usquequaque exstendendam, ministerii tui adjutorio, promotum; & ad regiminis gravitatem sublevandam, in Patrui senis solatium,

oppor-

Digitized by Google

opportune adſcitum ; & , quod pluris eſt ; electum non ex Gente regnandi imperita ; non ex hominibus, quos non meritum, ſed favor, gratos redderet; non ex miniſterio, quod non fidelitas, juſtitia, bonum publicum, ſed privati affectus, humanæ cupiditates, & indomiti motus animi, commendarent.

Summus humanarum divinarunque rerum arbiter in terra, etſi Tibi ſanguine junctus, Judex tamen, iſque juſtiſſimus, elegit Te dignum, non dignum eligendo fecit; elegit Te factum, non faciendo creavit; & quidem factum ad illa peragenda, ad quæ ex munere eligebaris; & factum denique a diutina illa tua in rebus agendis probata ab omnibus exſperientia; a peritia illa in ſcientiis, ſive divinis, ſive humanis, qua communi doctorum hominum calculo commendabaris; ab illa demum vivendi probitate, quam in Te exſtollebant omnes, quando privatum hominem agebas, & modo quotquot Te Principem ſuſpiciunt, ſatis admirari non deſinunt. Immo hoc inſuper in præſentiarum in Te ſummis laudibus proſequuntur, quod & ſi ſedeas ad Sacri profanique principatus gubernacula, eadem tamen in vultu modeſtia, eadem in corde humilitas, & ſola in manibus major eſt beneficentia, ac liberalitas. Quibus omnibus, ut commendabilem apud cunctos recti Æſtimatores reddis Patrui, & Creatoris tui, juſtitiam, qua Te principatus Adminiſtrum Deputavit; ita, & nobis omnibus virtutes tuas, quibus commiſſum munus ſupra invidiam exerces, admirabiles plane facies, ac prope paritèr adorabiles.

Urbs autem tantum abeſt, ut de dominatione tua indignari aut poſſit, aut velit, quod eam potius exaltet, ac uſque ad ævum exſtendere, ſi poſſet, communi voto contendat. Immo summis laudibus celebrans familiæ modeſtiam, domus decorem, patriæ

Digitized by Google

triæ moderationem, quicunque Romanus, nec ægre-ferre videtur principatum in patria, qui ab exſterno brachio ſuſtineatur, nec Principis invidet Adminiſtris, aut vitæ prolationem, aut exſtenſionem muneris, aut gloriæ demum additamenta. Et ſano quidem jure; quum videat, Patruo tuo regnante, communia reddi gentium omnium hominibus, quæ propria non ſunt regionis alicujus, aut nationis, aut patriæ; nec ad præmium conſequendum ex nativitatis ſolo meritum fieri, ſed potius ex virtute, quam ſoli labores parant, & quæ nullo habito ad originem, ad incolatum, ad ſanguinem, reſpectu, perſonam conſequitur, & coronat.

Revera omnes, qui Catholicum nomen profitentur in Urbe Sancta, & Catholicis omnibus communi, cives ſe eſſe, gloriantur. Hinc exſtraneum ducunt, quod peculiaris regionis homines, vel unius tantùm ordinis, aut non ex ſingularum regionum plagis, aut non ex univerſorum ſtatuum ordinibus, qui ſublimioribus meritis non commendantur, ad altiora eleventur munera, ac miniſteria. Quod quidem inconveniens in hoc præſenti Eccleſiæ ſtatu, nemo eſt, qui deploret. Sat enim putatur, ſolo merito redimiri, ut quiſque ſibi debito præmio coronetur. Nec Candidatorum inquiſitio fieri unquam videtur, aut in hac, aut in illa tantùm, vel gente, vel provincia, vel ordine; ſed in omnibus, quia regnaturus omnibus eligi debet ex omnibus.

Fatemur quidem CARDINALIS EMINENTISSIME, hæc omnia æquiſſimam Patrui tui mentem meditari, ac imperare; at quod Tu hæc eadem, ad Patrui judicium, exſequaris, nemo eſt, qui ambigat, nemo qui inficietur. Hæc eſt admirabilis plane conſenſio inter Principem, & Supremum ſui Solii Adminiſtrum; per quam regna felicitate perennant,

& po-

Digitized by Google

& populi tranquillitate firmantur; & qua bona cuncta, quæ sub imperio experimur, unum atque idem esse judicamus, ad Principem, & ad Ministrum, reportare. Unde fit, ut Principis, & Ministri una sit mens, unum cor, anima una; unitate tamen non illa, qua Principis voluntas Ministri dispositioni subjicitur, sed qua Ministri exequutio a Principis ordinatione non difformatur.

Et quod majoris est ponderis hoc est, quod omnes uno ore fatemur; Sanguine scilicet Conjunctos non ideo repellendos a regiminis consortio, nec ideo ad illud advocandos, quia sanguine sunt conjuncti. Probitas nanque morum, rerum agendarum dexteritas, literarum peritia, si quemvis alium commendabilem reddunt, ut ad regni participationem a Principe advocetur; quare in Principis Propinquis eadem, si non majora, meritorum decora, non facient, ut iidem ad illius adjutorium possint jure optimo advocari? Quod quum in Te perspexisset SANCTISSIMUS CLEMENS; non extra ordinem duxit, Te Principatus Administrum, & Principis Adjutorem, declarare. Hoc autem adeo a Te fideliter, adeo feliciter, adimpleri, Probi omnes sibimetipsis gratulantur; ut nesciant, quod prius summis laudibus extollant, vel Patrui mentem, quæ elegit, vel Nepotis animum, qui impar Eligentis menti, ac desiderio, non invenitur.

Plura possemus in Tui commendationem scribere, si non epistolam; sed librum, edere instituissemus. At quæ non scribimus; nec Legentes latent; nec aliis quibuscunque non patent; quum ubique gentium virtutes tuæ linguis omnium celebrentur, ut vere pares, & honori, quo fulges, & oneri, quod sustines. Immo linguæ illæ, vel pennæ, quæ nemini ex Regnantibus parcunt, de Te tamen, de Patruo

Digitized by Google

truo tuo, ac de tota Gente tua, sic magnifice, & veraciter, loquuntur, vel scribunt, ut majora nos, ipsi nequeamus dicere, & scribere nesciamus; Nos, qui e longinquo stamus, si solatio destituimur videndi ea, ac simul suspiciendi, quæ operaris ad Ecclesiæ bonum, ad Aulæ exemplum, ad Bonorum omnium votum; audimus tamen, & quæ de iisdem dicuntur, & quæ scribuntur, & quæ linguis, ac calamis fere omnibus, decantantur; quo profecto fiet, ut quis non possit nobis assentationis vitium opponere, ne a communi omnium voce mendacii ipse potius accusetur, ac convincatur.

Inter autem tot, tantaque animi tui decora, quum in Te maxime fulgeant humanitas, atque benignitas, ex hoc facile agnosces, nos non solùm voluisse celebrare illa, quæ Te apud omnes laudabilem reddunt, verum quoque his aliquod qualecunque tenuitatis nostræ munusculum offerre, quod simul sit observantiæ erga Te nostræ argumentum, & beneficentiæ paritèr tuæ erga nos ipsos excitamentum. Hoc autem aliud esse ne credas, quam exiguum laborum nostrorum specimen, quod ad religionis defensionem, ad Ecclesiæ tutamen, & ad Theologicæ doctrinæ ubetiorem, clariorenque explanationem, publici juris facere instituimus. Quod si consilium nostrum Tibi arridebit, & officium bene acceptum habebis, nobis illico subcrescent vires, quibus majora pro munere, & pro debito simul, meditemur, & exequamur. Digneris ergo, EMINENTISSIME PRINCEPS, quod a Te enixis precibus rogamus, officium nostrum benignè accipere; & nobis quoque facultatem impartiri, ut sicut in hac libri fronte sub protectione tua esse profitemur, ita & in omnibus, & ubique, gloriemur, esse simul, & dici.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO SIGNORE

GEnnaro Muzio, pubblico Padrone di ſtampa in queſta fedeliſſima Città, ſupplicando eſpoſe a V.Em. come deſidera ſtampare il ſecondo Tomo *Della Teologia Scolaſtica di Monſignor Giuſeppe-Maria Perrimezzi Veſcovo di Oppido*. In tanto la ſupplica a volerla rimettere alla ſolita reviſione, che l'averà a grazia ut Deus.

Rev. D.Thomas Faenza Prælector S.Thologiæ in Seminario Archiepiſcopali, & Examinator Synodalis, revideat, & referat, Neap. 4. Junii 1730.

D. ANTONIUS CASTELL. VIC. GEN.

D. Petr. Marc. Gyptius Can. Dep.

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE

UT Em. T. juſſionibus pro debito meo obſequerer legi librum cui titulus: *In Sacram de Deo Scientiam Diſſertationes Selectæ Hiſtoricæ, Dogmaticæ, Scolaſticæ, Pars Secunda*, ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino Fr. Joſeph Maria Perrimezzi, Ord. Minim. S. Franciſci de Paula, Epiſcopo Sanctæ Oppidenſis Eccleſiæ, non ſine magna ſapientiæ atque eruditionis laude conſcriptum; in quo omnia ad Chriſtianæ Fidei normam ſunt exactiſſima, ſed & illum non mediocri eruditione refertum ornatumque ſuſpexi; itaut communi omnium bono elucubratum, ad univerſorum inſtitutionem typis edendum cenſeam; niſi tum aliter Em. T. viſum fuerit. Neap. ex ædib. Seminarii Archiep. Kal. Sept. anno Domino MDCCXXX.

Em. Tuæ

Humillimus, & Obſequentiſſimus Servus

Thomas Faenza.

Attenta ſupradicta relatione, Imprimatur. Neap. 30. Septembris 1730.

D.ANTONIUS CASTELL. VIC. GEN.

D. Petr. Marc. Gyptius Can. Dep.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE

GEnnaro Muzio, pubblico Padrone di ſtampa in queſta fedeliſſima Città, ſupplicando eſpone a V. Ecc. come deſidera ſtampare il ſecondo Tomo *Della Teologia Scholaſtica di Monſignor Giuſeppe-Maria Perrimezzi Veſcovo di Oppido*. In tanto la ſupplica a volerla commettere alla ſolita reviſione, che l'averà a gratia ut Deus.

Rev. Doctor D.Cajetanus Mari videat, & in ſcriptis referat.

MAZZACCARA REG. PISACANE REG. THOMAS REG.
VENTURA REG. CASTELLI REG. PEYRI REG.
Spectabilis Regens Miro abſens. Illuſtris Dux Lauriæ non interfuit.

Proviſum per S.Excellentiam Neap. die 26. Apr. 1730.

Petrillus.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS

TE jubente partem alteram legi Selectarum in Dei Scientiam Diſſertationum, qua pluribus jam probatus veræ ſapientiæ monumentis Illuſtriſſimus, ac Reverendiſsimus Fr Joſeph Maria Perrimezzi Epiſcopus Oppidenſis de iis potiſsimum eruditiſsime diſputat, quæ Deum nobis exhibent in ſe ipſo perſonis Trinum, & in præcipuis Omnipotentiæ ſuæ operibus, Angelo nimirùm, & Homine, apprimè mirabilem. Ubi autem Deo reddit, quæ ſunt Dei; Cæſari minimè detrahit, quæ ſunt Cæſaris: undè typis mandari poſſe cenſeo. Neap. D. A. 6. Sept. 1730.

Exc. Tuæ

Humillimus, & Obſequentiſſimus famulus

Cajetanus Mari.

Attenta ſupradicta relatione, imprimatur, & in publicatione ſervetur Reg. Pragm.

MAZZACCARA REG. PISACANE REG. THOMAS REG.
VENTURA REG. CASTELLI REG. PEYRI REG.
Spectabilis Regens Miro abſens. Illuſtris Dux Lauriæ non interfuit.

Proviſum per S. Excellentiam Neap. die 12. Sept. 1730.

Petrillus.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO SIGNORE

GEnnaro Muzio, pubblico Padrone di ſtampa in queſta fedeliſſima Città, ſupplicando eſpoſe a V. Em. come deſidera ſtampare il terzo Tomo *Della Teologia Scolaſtica di Monſignor Giuſeppe-Maria Perrimezzi Veſcovo di Oppido*. In tanto la ſupplica a volerla rimettere alla ſolita reviſione, che l'averà a grazia ut Deus.

Adm. Rev. Padri F. Joannes Auguſtinus Britto Ordinis Eremit. S. Auguſtini S. Theologiæ Regenti revideat, & referat, Neap. 6. Junii 1732.

D. ANTONIUS CASTELL. VIC. GEN.
D. Petr. Marc. Gyptius Can. Dep.

EMINENTISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE

LEgi diligenter & conſtanter evolvi juſſu Eminentiæ tuæ tertium volumen diſſertationum in Sacram de Deo Scientiam, &c. Authore Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Joſepho Maria Perrimezzi Epiſcopo Oppidenſi viro aliàs celeberrimo, & de republica litteraria longe meritiſsimo. Nihil in eo reperi ſacris litteris, Eccleſiæ conſuetudini, aut bonis moribus diſſonum; Quin immo opus moribus utile; eruditione elegans, & cum magna laude diffuſum offendi, atquè adeò digniſsimum judico quod in lucem emittatur.

Neapoli ex Conventu S. Joannis ad Carbonariam Ordinis Erem. S. Aug. die 18. menſis Julii 1733.

Em. Tuæ

Humillimus, devotiſſimus, & obſequentiſſimus Servus
F. Joannes Auguſtinus Britto.

Attenta ſupradicta relatione, Imprimatur. Neap. 18. Julii 1733.

D. ANTONIUS CASTELL. VIC. GEN.
D. Petr. Marc. Gyptius Can. Dep.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE

GEnnaro Muzio, pubblico Padrone di ſtampa in queſta fedeliſſima Città, ſupplicando eſpone a V. Ecc. come deſidera ſtampare il terzo Tomo *Della Teologia Scholaſtica di Monſignor Giuſeppe-Maria Perrimezzi Veſcovo di Oppido*. In tanto la ſupplica a volerla commettere alla ſolita reviſione, che l'averà a gratia ut Deus.

Rev. Doctor D. Caetanus Mari videat, & in ſcriptis referat.

ULLOA REG. PISACANE REG. THOMAS REG.
VENTURA REG. CASTELLI REG. PEYRI REG.
PATERNO' REG.

Proviſum per S. Excellentiam Neap. die 26. Apr. 1732.
Petrillus.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS

QUod meæ fidei cenſendum credidit E. T. Volumen Tertium Sclectarum in Dei Scientiam Diſſertationum, ut argumentum verſat reliquorum omnium in re theologica difficillimum; Sic Authoris ſui, Illuſtriſsimi nimirùm, ac Reverendiſsimi Fr. Joſephi Mariæ Perrimezzi Epiſcopi Oppidenſis commendat maximè ſolertiam, mentiſque aciem præclariſsimam: ſummâ enim dexteritate, quæ ſibi enucleanda propoſuit, ſcholaſticis licèt nimiùm implexa quæſtionibus, & hæreſum periculis obſepta, expendit, & expedit; quin ulla ex parte Regia jura lædat: undè typis mandari poſſe judico. Neap. D. A. 6. Jun. 1733.

Exc. Tuæ

Humillimus, & Obſequentiſſimus famulus
Cajetanus Mari.

Attenta ſupradicta relatione, imprimatur, & in publicatione ſervetur Reg. Pragm.

ULLOA REG. PISACANE REG. THOMAS REG.
VENTURA REG. CASTELLI REG. PEYRI REG.
PATERNO' REG.

Proviſum per S. Excellentiam Neap. die 9. Junii 1733.
Petrillus.

Digitized by Google

LEGENTIBUS

PROLOQUIUM.

STIMULUM acuit Nobis benignitàs illa, quam in vobis experti ſumus in Voluminibus, quæ antecedenter de Sacra de Deo Scientia edidimus, ut hæc ulteriora Volumina vulgaremus. Si enim Vos illa accepta habere, immo & probata quoque laudare, quod veſtra benignitas fuit, dignati haud fuiſſetis, nos profecto animum non habuiſſemus, quæ ſubſequuntur, componendi, ac publicandi. Fatemur quidem, laudes veſtras eſſe comitatis, qua vos ornati eſtis, non meriti, quo Nos omnino deſtituimur, argumentum: at negari haud quaquam poteſt, quod illæ, etſi eas non mereamur, animum nihilominus ſemper excitant, ac roborant ad operandum. Unde fit, ut laudatus, ſive pro merito, ſive ſupra meritum, magis ſemper confortetur in dies, ut majora cogitet, & exequatur.

Et quanvis non in ſingulis dignationem hanc experti fuerimus, non per hoc tamen animo deſtituti ſumus; quia experimento comperimus, minora eſſe illa, quæ in Nobis pauci quidam non probaverunt, iis, quæ Vos ipſi commendare diguati eſtis. Quod quidem notum hoc in loco facere volumus, ut & illis opportuna occurramus reſponſione, & vos in præconcepto conſilio, quantum in Nobis eſt, confirmemus. Dixerunt quidam, Nos in Voluminibus noſtris nova non ſcribere, quæ alii fortaſſis ante Nos non exaraverint: Immo Nos ab aliis potius emendicare, quæ aſſerimus, quæ probamus, quæ reſpondemus; Unde conſultius ſibi putant, eadem apud alios Auctores, a quibus Nos hæc exſcripſimus, perluſtrare. Tædet quoque illos prolixa verba legere, quæ ex aliorum voluminibus recitamus; quum poſſint meliori jure apud proprios fontes illa eadem invenire. Et denique conqucruntur de hoc altero onere, quod illis imponimus, legendi, ſcilicet, de re theologica folia noſtra; quum tot, tantaque ſuperſint, ab aliis ſcripta, & evulgata, eloquentiori quidem phraſe, candidiori ſtylo, & argumentis inſuper ſubtilioribus, atque luculentioribus exarata.

At, quod primum reſpicit, nunquam Nos in animo habuimus nova ſcribere, ſed nove. Tot enim, tantaque volumina in re, de qua agimus, ſcripta ſunt, ut nihil novum ſcribere ſuperſit; unde fit, ut nemo ſanæ mentis homo velit unquam vel ad ſylvam ligna, vel ad mare aquas deportare. Certe, ſi rem ſcholaſticam inſpiciamus, omnes pene Bibliothecæ, illæ præſertim, quæ in Sacris Clauſtris comprehen-

Digitized by Google

duntur, Scholasticæ Theologiæ Voluminibus redundant; adeo ut Religiosi homines, qui in illis degunt, se libros habere non putent, si majori saltem ex parte Theologorum de Schola Opera non retineant. Dogmaticam vero, & Historiam, non multis ab hinc annis adeo Itali nostri, & post hos Galli etiam, Germani, Hispani, & siqui alii sunt, qui catholico nomine gloriantur, tractare consuevcrunt, ut eo modo sit ad præsens illarum cognitio exstensa, ac dilatata, quo primitus erat ad unum, aut alterum restricta, & limitata.

Nova igitur in re theologica scribere nunquam animus fuit Nobis. Et hoc, vel ex eo magis, quod periculo non vacat nova in iis publicare, quæ propius ad fidem accedunt. Quum enim in grave discrimen sit ingredi in rebus fidei novitates amare; nec pariter tutum reputandum est in rebus theologicis, quæ fidem consequuntur, novitates ostentare. Hinc multas videmus ab Ecclesia propositiones proscribi in re theologica, quia novitatem redolent; multas a Doctoribus censura notari, quia ab antiquis doctrinis discedunt; multas denique suspectas Legentibus haberi, quia vetustiorum Theologorum calculo non firmantur. Cavendum ergo maxime in rebus theologicis novitatem sectari, ne periculum subeamus, aut errandi, aut aliis occasionem præbendi, quod errent.

Verum etsi nova non scribamus, scribimus tamen nove; hoc est, illa literis mandamus, quæ alii ante Nos scripserunt; at diversa ab illis scribimus, aut methodo, aut ordine, aut explicandi, probandi, & respondendi, modo. Certe quidem plerique possunt eadem scribere; at unus præ alio scribet clariori methodo, convenientiori ordine, vi demum in probando, & in respondendo, efficaciori, ac robustiori. Eædem erunt quæstiones, eædem quoque Conclusiones, & fortassis eædem quoque rationes; sed modus has exponendi in uno erit fortior, in altero infirmior; in illo invenietur clarior explicatio, in hoc obscurior; in uno res legetur perstricta, & in compendium redacta, in alio per-exstensa, & ad satietatem explanata. Quod si hoc erit, quis huic vitio vertet, quod nova non scribat, quum scribat nove?

Haud Nos tanti facimus nostra, ut dicamus, in illorum numero nos esse, qui clariori methodo scribunt, congruentiori ordine, & vi efficaciori ad probandum, & ad respondendum robustiori. De hoc Vos, qui legitis, & sine præconcepta opinione legitis, & præjudiciis non præoccupati legitis, Judices volumus. At respondemus potius aliis, qui nobis videntur opponere illorum judicium, qui de re quacunque judicium ferre nesciunt, nisi eam despiciant, aut contemnant. Fatemur quidem, utplurimum aliorum rationibus nos uti ad conclusiones nostras probandas, aliorum quoque responsiones adhibere, ut objectionibus occurramus. At hoc eo consilio factum est, ut sive rationes, sive responsiones, eo magis Legentibus probentur, quo eas viderint a præcedentibus

Digitized by Google

bus Theologis, quorum laus est in Schola, & in Ecclesia, adhibitas, atque usurpatas. Authoritatem proinde Nobis mens fuit, aliorum nominibus, sive in probando, sive in respondendo, lucubrationibus nostris conciliare; ut hæ, & interna, quam continent, argumentatione, & exsterna, quam ostendunt, authoritate, reddantur omnibus probatiores.

Quod si aliquando aliorum verba exscribimus, sive illorum, quos Adversarios respicimus, sive illorum, quos testes, ac patronos quoque advocamus; hoc pariter consulto factum est, ut scilicet illa eo fidelius referantur, quo expressis, & propriis verbis exponuntur. Norunt enim omnes, quod quandoque in aliorum placitis evarrandis finguntur hostes, ut commodius possimus eos confodere. Et hoc adeo verum est, ut non semel eveniat, in aliorum libris discordantias invenire, quia illorum mentem, quorum referunt opiniones, assequi vel nequiverunt, vel nescierunt, vel noluerunt. Ut igitur Nos ab hac suspicione reddamur immunes, voluimus illorum verba ad integrum recitare, quorum sententias, vel refellimus, vel propugnamus.

Nec Nos, nec alios latet, pleroſque Scriptores aliorum doctrinis uti, at illorum nomina non exprimere. Hoc profecto piaculum judicamus, quia est in occulto furari, invito Domino, cujus nomen tacetur. At inviti esse non possunt illi, quorum doctrinæ laudantur, & Authorum nomina non reticentur. Quisque veri deprehensor, & justi æstimator, facillime agnoscet, an nos alicujus verba exscripserimus, vel alterius doctrinam nostram facere tentaverimus, illius nomine non recitato. Igitur, quod Nobis ad laudem judicandum est, quia aliorum doctrinam, aliorum verba, non eripimus, nec etiam producimus, ut eadem nostra facere pertentemus; quod quidem esset, si eorundem nomina taceremus, Vos Legentes obnixe rogamus, ne hoc ipsum Nobis vitio tribuatis.

Nec antiquis tantum Authoribus contenti fuimus, itaut recentiores non adduceremus; nec de recentioribus adeo Nos sollicitos ostendimus, ut de antiquis non curaremus. Novos, & Veteres proferimus in re Scholastica, in re dogmatica, in re historica, Scriptores; ut in veteribus Legentes habeant antiquitatis præsidium, & in recentibus novitatis possint quoque gaudere subsidio. Et hæc profecto illa novitas est, quæ sententiis detrimentum non affert, ita ut eas in discrimen adducat; est enim solummodo de novis inventis, quæ uno, eodemque tempore comparari non poterant, & singulorum Legentium oculis eodem prorsus intuitu exponi. Igitur hæc novitas non est de novis opinionibus, a qua Nos longius ire diximus; sed de novis modis, quibus veterum sententiæ exponuntur, probantur, ac defenduntur, quam paulo ante diximus Nos prosequi, & amplecti.

Digitized by Google

Denique, ut finem huic proloquio faciamus, & ne vos diutius detineamus, Lectores humaniſſimi, *rogamus vos, ut Diſſertationes haſce, in hoc tertio volumine contentas, & quæ de Deo-homine, Chriſto, pertractant, ſeu de Verbi Dei Incarnatione, illo benignitatis affectu ſuſcipiatis, quo alias in antecedentibus Voluminibus editas, ſuſcipere dignati eſtis. Sic enim profecto fiet, quod propediem habebitis volumen alterum, hoc eſt quartum, in quo cuncta, quæ de Myſteriis Chriſti Domini, & Beatiſſimæ Matris ejus, diſſeruntur, brevi methodo comprehendimus. Et ſi Deus votis noſtris propitius aderit, ut nobis vitam, & ſalutem, quæ neceſſaria ad ſcribendum eſt, dignetur impartiri, ulteriora pariter vobis offeremus, in quibus cætera continebuntur, quæ rem theologicam reſpiciunt, ſive pertractatam in ſchola, ſive in hiſtoria, & in dogmate, contra fidei Adverſarios propugnatam. Vivite incolumes, vivite felices; quod a Deo vobis omnibus enixis precibus deprecamur.*

IN-

Digitized by Google

INDEX DISSERTATIONUM.

Dissertatio CLXI.

De possibilitate mysterii Incarnationis contra Gentiles; de ejusdem cognoscibilitate inter Scholasticos: ubi de Incarnationis voce, an antiquitus inventa, an rite posterioribus temporibus usurpata? 1

Dissertatio CLXII.

De Convenientia Incarnationis; an conveniens fuerit tum respectu naturæ divinæ, tum humanæ? Num convenientius fuerit assumi naturam humanam, quam angelicam, vel aliam? Et an fuerit quoque convenientius assumi a Filio, quam a Patre, & Spiritu Sancto? 8

Dissertatio CLXIII.

De necessitate Incarnationis; an fuerit necessaria necessitate absoluta? an necessitate conditionata? Et qua? an necessitate reparationis peccati per condignam satisfactionem? Et unde proveniat in pura creatura incapacitas ad satisfaciendum de condigno? 15

Dissertatio CLXIV.

De existentia Incarnationis contra Judæos; ubi probatur, venisse Messiam in lege promissum; Messiam hunc esse Dominum Jesum Christum Nazarenum; in eoque completas fuisse prophetias, quæ de Messia in veteri lege præcesserunt. 25

Dissertatio CLXV.

De caussa meritoria Incarnationis. An veteris Legis Patriarchæ, an B. Maria Virgo, an Humanitas Christi Domini, Incarnationem meruerint? 45

Dissertatio CLXVI.

De Caussa finali Incarnationis; Quæ fuerit caussa finalis Incarnationis peractæ? An si homo redemptione non indiguisset, ex intentione Dei futura fuisset ob alios fines Incarnatio? Et an de facto fuerit facta potius propter originale, quam propter actuale peccatum? 57

Dissertatio CLXVII.

De Persona Humanitatem assumente. An sola Filii Persona humanitatem assumpserit? An assumpserit eam aliquo modo natura Filii? Et an tres Personæ divinæ, aut simul, aut divisim, potuerint eandem humanitatem assumere; vel una Persona plures naturas? Hæreses afferuntur, ac profligantur; Scholasticorum sententiæ examinantur, ac una præ cæteris eligitur. 71

Dissertatio CLXVIII.

De Natura assumpta a Verbo. Quænam fuerit de facto assumpta? Et quænam fuisset assumptibilis? An natura assumpta habeat propriam subsistentiam? An habeat propriam existentiam? Hæreses referuntur, & refutantur; Probabiliores in Scholastica opiniones amplectuntur, ac propugnantur. 79

Dissertatio CLXIX.

De Unione inter Verbum assumens, & Humanitatem assumptam. Quænam sit hujusce Unionis essentia? An sit naturalis, essentialis, substantialis? An sit perpetua, & indissolubilis; unica, & indivisibilis, ac omnium unionum maxima? 93

Dissertatio CLXX.

De Hæresibus contra hypostaticam Unionem; & præcipue de illa Nestorii. Quænam fuerint illius primordia, incrementa, & progressus? Quæ Concilia celebrata? Qui fautores principa-

Digitized by Google

INDEX DISSERTATIONUM:

cipalieres, & qui impugnatores acerrimi? 102

Dissertatio CLXXI.

De Unione substantiali Verbi cum humana Natura, Scripturarum oraculis, summorum Pontificum definitionibus, Conciliorum decretis, Patrum auctoritatibus, ac Rationum suppetiis, contra Nestorium asserta, ac firmata. 111

Dissertatio CLXXII.

De Hæresi Eutychiana, substantiali Verbi cum Humanitate unioni contraria. Quæ ejus origo, qui progressus, qui finis? Quæ Concilia pro ejus extinctione coacta? A quibus defensa, a quibus impugnata? 119

Dissertatio CLXXIII.

De Eutychiana Hæresi confutanda, sacris Literis, Apostolicis definitionibus, Conciliaribus decretis, Patrum, sive Græcorum, sive Latinorum, traditione, ac theologicis etiam Ratiociniis. 128

Dissertatio CLXXIV.

De Symbolo, quod dicitur S. Athanasii; an ad confodiendam utranque Nestorii, & Eutychetis, hæresim aptum? Quemnam habeat Auctorem? Et quonam tempore in lucem venerit? 136

Dissertatio CLXXV.

De Communicatione Idiomatum in Christo; an sit admittenda? In quo consistat? de regulis in ipsa observandis; & de propositionibus secundum ipsam regulandis; & an Christus dici possit Persona composita? 146

Dissertatio CLXXVI.

De Hæresi Ubiquetariorum, seu Ubiquistarum, ex mala intelligentia Communicationis Idiomatum exorta. Qui fuerint primi amplectentes illam, & qui modo amplectantur? Et de Auctoritatibus, ac Rationibus, quibus est profliganda. 158

Dissertatio CLXXVII.

De Divinitate Christi contra Gentiles, contra Mahumetanos, contra Judæos, contra Heterodoxos, auctoritatibus, & rationibus, propugnata. 163

Dissertatio CLXXVIII.

De veritate Corporis Christi; an scilicet fuerit verum, vel phantasticum? an terrenum, vel cæleste? an corruptibile, vel incorruptibile? Ac de ejusdem integritate quoad partes, & præcipue quoad sanguinem. 182

Dissertatio CLXXIX.

De sanctitate corporis, quod Verbum assumpsit; an fuerit ex Virgine conceptum? An in Virginis utero, vel corde? Et quas partes in ejus efformatione habuerit Spiritus Sanctus, quas Virgo Deipara? De ejusdem corporis pulchritudine, & naturalibus defectibus, si quos habuit. 198

Dissertatio CLXXX.

De Anima Christi. An Verbum hominis animam assumpserit? An eam assumpserit mente præditam? An Anima Christi in ara Crucis morte ab ejus corpore separata ad Inferos descenderit? Et ad quid? 213

Dissertatio CLXXXI.

De voluntate Christi, in quo positus fuerit error Monothelitarum contra Christi voluntatem, & operationem? Quis fuerit Monothelitarum auctor? Qui fautores? Qui impugnatores? & de ejusdem hæresis impugnatione. 225

Dissertatio CLXXXII.

De Defectibus Animæ, quos Verbum assumpsit. An in Christo fuerint passiones? An Ignorantia? An Peccatum? Hæreses referuntur, & profligantur. Scholasticorum opiniones examinantur, & conciliantur. 243

Dissertatio CLXXXIII.

De Impeccabilitate Christi. An Christus fuerit impeccabilis? Ex quo provenerit ejus impeccabilitas? An in eo fuerit, vel in actu primo, vel in actu secundo, fomes peccati? 256

Dissertatio CLXXXIV.

De Sanctitate Christi. An fuerit in Christo Sanctitas? Quotuplex? Et qualis? Et an Humanitas Christi fuerit sanctificata formaliter, vel radi-

Digitized by Google

radicaliter? Et an a verbo, an vero a Divinitate? 263

Dissertatio CLXXXV.

De Merito Christi. An Christus meruerit? Quando mereri inceperit? Per quas actiones meruerit? Quid, & Quibus, meruerit? Et an Meritum ejus fuerit infinitum? 269

Dissertatio CLXXXVI.

De Gratia Christi. An fuerit in ipso, præter gratiam unionis, gratia habitualis? Quæ, qualis, & quanta fuerit? An gratia actualis? An gratiæ gratis datæ? An habitus virtutum, & Spiritus Sancti dona? 289

Dissertatio CLXXXVII.

De Scientia Christi. An in Christo fuerit Scientia? Quotuplex? Et Qualis? Et quando inceperit in ipso esse? 299

Dissertatio CLXXXVIII.

De Filiatione, & Subjectione Christi. De Felice, & Elipando, eorundemque erroribus. An Christus fuerit Dei Servus? An Filius Dei adoptivus? An Filius Dei naturalis? 391.

Dissertatio CLXXXIX.

De Prædestinatione Christi. An Christus vere fuerit prædestinatus? An fuerit prædestinatus ut homo? Ad quem terminum fuerit denique prædestinatus? Et an sit causa, & quæ prædestinationis nostræ? 312

Dissertatio CXC.

De Dignitate Capitis in Christo. An sit Caput Hominum, & Angelorum? Quorum Hominum? An ut Deus, vel ut Homo? 319

Dissertatio CXCI.

De regia Christi dignitate, ac de judiciaria ejus potestate. An vere fuerit Rex, & quodnam ejus regnum? An vere erit Judex, & quodnam ejus judicium? Regis, & Judicis potestas an ipsi conveniat ut Deus, an ut homo est? 329

Dissertatio CXCII.

De Christi Sacerdotio, & Pontificatu. An vere, & proprie sit, ac dici debeat Sacerdos? An prout homo, an prout Verbum? An secundum Ordinem Aaron, an vero Melchisedech; & ejus Sacerdotium an sit perpetuum? Denique de tempore inaugurationis, & de effectibus sacerdotii Christi. 339

Dissertatio CXCIII.

De Oratione Christi. An Christus vere Patrem oraverit? An ut Deus, vel ut homo? An pro nobis tantum, vel etiam pro seipso? An oratione solum interpretativa, verum quoque expressiva? Et utrum omnis illius oratio fuerit exaudita? 349

Dissertatio CXCIV.

De Christo Redemptore. Utrum Christus verus fuerit hominum Redemptor? An oportuerit redimi humanum Genus per Christi mortem? An æqualiter pro omnibus hominibus mortuus fuerit? Et quam satisfactionem Deo Patri pro illis dederit? 357

Dissertatio CXCV.

De Christo Mediatore. An Christus revera sit Mediator inter Deum, & hominem? An sit Mediator pro ut homo, an vero pro ut Deus? Et quam mediationem Christus inter Deum, & hominem exerceat? 372

Dissertatio CXCVI.

De Fide in Christum Mediatorem. An fuerit quovis tempore necessaria necessitate medii? Quæ fides, implicita, an explicita? An explicita post Evangelii prædicationem sit necessitate medii necessaria? 381

Dissertatio CXCVII.

De Potentia Christi faciendi miracula. An illam habuerit etiam secundum humanitatem? An fuerit principalis, vel instrumentalis? An physica, vel moralis? Quando incæperit Christus facere miracula? Et an ejus miracula fuerint evidentia, & necessaria? 389

Dissertatio CXCVIII.

De cultu, & adoratione Christi. An huic homini, Christo, cultus & adoratio debeatur? Et qualis? An ejus humanitas in abstracto considerata, coli debeat absoluta adoratione Latriæ? An coli possit alia adoratione, quam Latriæ? 397.

Dis-

Digitized by Google

INDEX DISSERTATIONUM:

Dissertatio CXCIX.

De Maria, Deipara, cultu, & veneratione: An religioso ac sacro cultu sit adoranda? Qua adoratione colenda? An ob gestationem Christi in utero sit etiam latria cultu adoranda? 405

Dissertatio CC.

De Culto Sanctorum. Utrum Sancti sint adorandi? Qua adoratione? An pertineat ad adorationem ipsorum festa instituere, Ecclesias dedicare, Vota emittere, in eorum honorem? 412

IN

Digitized by Google

IN SACRAM DE DEO SCIENTIAM

DISSERTATIONES SELECTÆ HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ.

PARS TERTIA.

DISSERTATIO CLXI.

De possibilitate mysterii Incarnationis contra Gentiles; de ejusdem cognoscibilitate inter Scholasticos: ubi de Incarnationis voce, an antiquitus inventa, an rite posterioribus temporibus usurpata?

POSTREMAM Dissertationis Partem cogit nos primo loco suscipere examinandam, quod in omni re vocis ipsius ratio primitus est exponenda; deinde vero, quæ sub illa voce, res continetur, & manifestatur. Sicque, quum Incarnationis vox illa sit, quæ totam rei, de qua agimus, significationem complectitur, illam ducimus hìc ante alia exponere, ac declarare. Quod ut recte præstemus, congruum quoque putamus, adducere alias voces, per quas res eadem antiquioribus temporis ab illius ævi Scriptoribus est explicata. Græci Patres his vocibus usi sunt: οἰκονομία, συγκατάβασις, πρόληψις, ἀνάληψις, σάρκωσις, ἀνανθρώπησις, ἐνσωμάτωσις, φανέρωσις, ἐπιφάνεια, ἐπίβασις εἰς σῶμα, παρουσία, ἐπιδημία, σὰρξ σαρκὸς ἐνδύμησις θεοπάθεια, λόγωσις, θέωσις, ἕνωσις, κρᾶσις, ἀνάκρασις, μίξις, σύνοδος, ἐνδύσασθαι τὴν σάρκα. Latini vero Patres his aliis nominibus, quæ Græcorum vocibus respondent, rem explicarunt: *susceptio, assumptio, incarnatio, inhumanatio, incorporatio, fœderatio, commixtio, conventio, conversio, œconomia, attemperatio*. Quas omnes brevi calamo sic cum Petavio explicamus.

Vox οἰκονομία adhibita fuit ab Athanasio or. 3., a Tertulliano lib. cont. Praxeam, a Clemente Alexandrino lib. 5. stromatum, & ab aliis. Est autem œconomia, ut ait Petavius, provida quædam rei alicujus administratio, ac gestio, ex occulto consilio profecta, quod ad utilitatem, & commodum spectat eorum, quibus ea re consulitur. Christus autem pati voluit per suos inimicos, ignorantes quid agerent, & hoc ipse ordinavit, ac perfecit. Hanc vocem etiam ex Latinis plerique usurparunt, & præcipue Tertullianus, ut diximus, & Hieronymus in epist. 65. ad Pammachium, ubi scribit: *Apollinarem di-*

midiatam Christi introduxisse œconomiam; hoc est, subdit Petavius, incarnationem, vel assumptam naturam. Inde vox συγκατάβασις significat demissionem sui, ac de jure suo decessionem; & est, quando ille, qui eminet, ad imbecilliorem se accommodat; ut ait Athanasius lib. de incarnat. *Ut enim Dei virtus, Verbum ipsum, ac Dominus omnium, ad humanam se imbecillitatem demittens, apparuit in terra.* Voces περίληψις, & ἀνάληψις, derivantur a λαμβάνω, hoc est sumptio, vel acceptio; quatenus nimirum natura humana assumpta est, vel accepta a divino Verbo. Vox σάρκωσις idem latine significat, ac incarnatio. Vox ἐνανθρώπησις significat inhumationem. Alia ἐνσωμάτωσις importat incorporationem. Aliæ græcæ voces latine explicantur, ut dictum est nuper.

Sufficit quidem nobis, ut incarnationis vocem ostendamus fuisse quidem ab antiquis Patribus, tum græcis, tum latinis usurpatam. Hoc enim vocabulo, ut testatur Petavius, usus est Irenæus lib. 3. c. 21., quem citat Theodoretus in dial. 1., Hippolytus in opusc. 1. contr. Beronem, & Synodus Nicæna in fidei formula. Eandem adhibuit Justinus in apolog. 2. & posterioribus temporibus, a Cyrillo eam suscipiens, adhibuit quoque Damascenus lib. 3. c. 11. Et hi quidem sunt omnes græci Patres. Ex Latinis vero incarnationis voce usi sunt Augustinus lib. 10. de civ. Dei c. 29., Hieronymus in c. 1. Marci, aliique passim. Et S. Thomas in secundo scripto super III. sent. ar. 1. incarnationem definivit: *Est divinæ personæ ad humanam naturam unio.*

Non debet autem vox hæc incarnatio ita intelligi, ut ipsam intelligebant vel Ariani, vel Apollinaristæ. Ariani volebant, quod significaret carnem, sine anima; Apollinaristæ, quod importaret carnem, sine mente. Etenim per incarnationem, ut Catholici dicebant, importatur totus homo, corpus scilicet, & anima cum omnibus potentiis suis. Et per synechdochen usurpata est, quemadmodum etiam Scriptura Genes. 6. usurpat, dicens, quod *omnis caro corruperat viam suam*. Cur autem sumpta fuerit denominatio potius a carne, quam ab anima, quæ est nobilior hominis pars, duplicem rationem Theologi assignant; prima est, quia Apostolus I. ad Timoth. 3. dixit, Verbum divinum manifestatum fuisse in carne; & Leo magnus ser. 2. de nativ. scripsit: *Invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris*. Nimirum, quia caro est visibilis, anima invisibilis; & ideo a carne visibili, non ab anima invisibili, desumpta est denominatio. Secunda ratio est, quia, quum ignobilior anima sit caro, a carne denominatio sumitur, ut ostendatur Verbi divini depressio, & humiliatio in incarnatione.

Posterioribus vero temporibus, non inventa, quum, ut diximus, antiquissimis etiam temporibus fuerit incarnationis vox usurpata, sed tantum in usu posita quare fuerit, relictis aliis vocibus, quæ a Græcis præsertim adhibebantur, ea fuit ratio; quia in aliis vocibus antiquiores Hæretici præsidium inveniisse ad errores suos propugnandos gloriabantur; & ideo aptius judicarunt Patres ab iisdem se abstinere, & illam in usu ponere, quæ ab illorum errorum suspicione magis elongabatur.

Addebatur ulterius, quod de incarnatione, plusquam de aliis prænarratis vocibus, in sacris libris, & in sanctis Patribus, frequentior est mentio. Etenim legimus Joan. 1. *Verbum caro factum est*; quod perpendens Augustinus lib. 13. de Trinit. c. 19. scribit: *Cum lego Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, in Verbo intelligo verum Dei filium, in carne agnosco verum hominis filium, & utrumque simul in una persona Dei-hominis ineffabilis gratiæ largitate conjunctum*. Hoc etiam pluribus in locis expressit Apostolus, & præcipue I. ad Timoth. 3., quod nuper innuimus; *magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne*; & ad Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suæ preces, & supplicationes offerens, exauditus est pro sua reverentia*.

Sileant ergo illi male feriati homines, quibus incarnationis vox displicet, vel quia nova, vel quia non bene latina. Etsi enim detur, quod nomen sit novum, quis tamen inficias ibit, novitati mysterii vocabuli novitatem convenire? Certe ait Cicero lib. 1. academic. quæst. licitum esse novis rebus nova nomina imponere. At negamus omnino, nomen esse novum; ut ex dictis usquemodo redditur manifestum. Si tamen vox hæc latina placuit antiquioribus Patribus, qui nicænum symbolum latinum reddiderunt, cur non placebit aliis, qui longius a latini sermonis puritate distant? Originem duxit ab illis Joannis I. verbis: *Et Verbum caro factum est*; ut diximus. Si enim Verbum factum est caro, est incarnatum; quia sicut ab humo derivatur humatum, ita a carne incarnatum. Hæc satis sint dicta pro vocabuli proprietate, convenientia, & antiquitate; immo etiam

lati-

Digitized by Google

latinitate, tuenda; modo ad alias Dissertationis partes accedimus.

Pro Incarnationis possibilitate, quæ est altera dissertationis pars, observamus, non idem importari per ipsam, ac per ejusdem existentiam significatur. Possibilitas enim dicit non repugnantiam mysterii; existentia vero ejusdem actualitatem. Contra possibilitatem pugnant Gentiles, contra existentiam Judæi. Illi contendunt, incarnationem esse impossibilem; isti vero propugnant, non esse peractam. Contra secundos in sequentibus agemus; hìc agimus tantum contra primos.

Dicimus ergo I. incarnationem esse possibilem.

I. Probatur. Id omne, quod contradictionem non dicit, nec in Deo imperfectionem importat, non est divinæ potentiæ denegandum; sed incarnationis opus nec contradictionem involvit, nec in Deo imperfectionem arguit: ergo non est divinæ omnipotentiæ denegandum. Major propositio tum ex se ipsa patet, quia, ut docet S. Thomas in III. dist. 1. q. 1. ar. 1. plus Deus potest facere, quam homo dicere; & ut pariter docet S. Bonaventura, plus potest facere Deus, quam humana mens concipere; tum quoque, quia, ut dixit Angelus Gabriel ad Virginem Luc. 1. *non erit impossibile apud Deum omne Verbum*. Minor ex argumentorum solutione constabit. Consequentia bene infertur.

II. Probatur. Non solum est possibilis, sed etiam facilis est unio illorum, quæ inter se similitudinem habent; sed homo creatus est ad imaginem, & similitudinem Dei; Genes. 1. ergo humana natura unibilis est aliquo modo divinæ in persona. Hoc autem dicitur ratione partium, quæ conjunguntur; quia Deo omnia sunt facilia; attamen quando res minus a se distant, dicitur facilior conjunctio, & unio.

III. Probatur. Non implicat apud Deum, quod plura suppositа identificentur in una individua natura: ergo nec repugnabit, quod plures naturæ uniantur in uno supposito. Antecedens fides catholica docet de sancta Trinitate, quam quoque suo loco diximus non repugnare, & esse possibilem. Consequentia ex eadem ratione sequitur. Atqui illud primum non reperitur, nisi in natura divina, & in personis divinis: ergo hoc alterum non habetur, nisi in natura, & persona divina humanam naturam assumente.

IV. Probatur. Anima rationalis unitur corpori, & hominem constituit: ergo possibile est, quod natura divina humanæ uniatur, & constituat hominem Deum. Argumenti vis in eo consistit, quod anima licet sit spiritus, a natura corporis longe distans, & omni formali extensione careat, quæ corpori est intrinseca, unitur tamen corpori unione perfectissima, & cum illo conjuncta unum, & eundem hominem constituit: ergo pariter quanvis natura divina longissime distet ab humana, & ab hac diversissima, poterit tamen cum hac uniri, & unum eundemque hominem Deum constituere. Hoc argumento passim Patres utuntur.

Arguunt I. Verbum divinum, si esset unitum cum carne humana, esset illius pars; non pars perfectibilis: ergo pars perfectiva: ergo esset forma illius compositi; sed hoc implicat: ergo &c. II. Si possibilis fuit incarnatio, Verbum divinum fuit unibile naturæ humanæ: ergo unitum est per potentiam passivam ad humanitatem: hoc autem repugnat: ergo &c. Probatur prima consequentia. Uniri est pati: ergo posse uniri est potentia passiva. III. Verbum unitum cum humanitate facit unum per se: ergo debet habere rationem partis componentis; sed implicat habere rationem partis componentis: ergo &c. IV. Personalitas Verbi suppleret rationem personalitatis humanæ; sed personalitas humana facit veram compositionem: ergo pariter Verbi personalitas; atqui Deo non convenit: ergo &c. V. Deus est actus omnino purissimus: ergo omnem excludit potentialitatem; sed si potuisset uniri naturæ humanæ habuisset potentialitatem ad hanc unionem: ergo non fuisset actus purissimus. VI. Omnis mutatio repugnat Deo, qui omnimode est immutabilis; sed si uniretur humanitati mutaretur: ergo uniri Deum humanitati repugnat Deo. Probatur minor; quia ex non unito fieret unitus, ex non homine fieret homo, &c. VII. Infinite inter se distant natura divina, & humana: ergo non sunt inter se unibiles. Probatur consequentia. Quæ enim infinite distant mutuam dicunt exclusionem: ergo non sunt inter se unibilia. VIII. Finitum, & infinitum nec etiam uniri possunt in ratione terminantis, & terminati: ergo nullo modo Verbum divinum, & humana natura potuerunt inter se uniri. Probatur antecedens. Contraria nec etiam in ratione terminantis, & terminati, possunt inter se uniri; sed finitum, & infinitum magis inter se distant, quam contraria: ergo nec etiam in ratione ter-

Digitized by Google

minantis, & terminati possunt uniri. IX. Natura humana quando unitur Verbo mutatur: ergo pariter Verbum, quando unitur naturæ humanæ. X. Nequit Deus verificare contradictoria; sed si Deus fieret homo verificarentur contradictoria: ergo &c. Probatur minor. Divina natura in illo casu esset finita, & infinita; creatrix, & creata; mortalis, & immortalis. XI. Non potest Deus supplere effectum causæ formalis: ergo neque potest supplere effectum subsistentiæ creatæ, & humanæ. XII. Natura divina, & humana sunt duo entia in actu; sed ex duobus entibus in actu non potest fieri unum per se, at unum potius per accidens: ergo si natura divina esset humanæ unita, unitum ex illis esset potius unum per accidens, quam unum per se.

Respondemus ad I. Utique Verbum divinum esse partem illius compositi, at non esse formam; quia unitur humanitati non per modum compositionis formalis, sed per modum personæ divinæ terminantis, ac supplentis vices personæ creatæ. Quando unum per se fit per compositionem, & informationem, utique non potest fieri, nisi ex partibus, quarum una sit potentia, & altera actus. Non vero quando fit per terminationem dependentiæ unius ad alterum; quia tunc tantum sufficit, ut una pars terminet alteram, & non requiritur ut informet; & ut altera pars ab alia terminetur, & non ut informetur.

Ad II. distinguitur probatio consequentiæ: Uniri subjective est pati, conceditur; uniri terminative est pati, negatur. Utique natura divina dicitur unibilis, sed tantum grammaticaliter, & non passiva unibilitate, nisi extrinseca; natura vero humana est unibilis intrinseca unibilitate, quia vere per unionem perficitur; non autem perficitur natura divina, sed perficit, terminando quidem, non informando.

Ad III. dicitur, implicare quidem, quod Verbum divinum habeat rationem partis componentis, quæ sit vel perfectibilis, vel perfectiva; non vero implicare, quod habeat rationem partis componentis, quæ sit tantum terminativa. Et quod hæc ratio non obstet unitati per se, in sequentibus solutionibus patebit.

Ad IV. distinguitur major: Personalitas Verbi suppleret vicem seu rationem personalitatis humanæ, in quantum est terminus ultimus, qui efficit, ne humana natura habeat ulteriorem communicationem, conceditur; in quantum sit actus, qui naturam humanam afficiat, & per modum formæ perficiat, negatur. Primum quidem est de ratione personalitatis ut sic, & in quantum personalitas est; alterum vero convenit quidem personalitatibus, & formis. Et quia Verbum divinum supplet tantum vicem, & rationem personalitatis, non vero formæ; hinc est, quod sufficit, ut de eo verificetur primum, absque eo quod alterius verificatio requiratur.

Ad V. Obstat rationi actus puri, quod uniatur per modum potentiæ, & actus, seu per modum materiæ, & formæ; non vero obstat, quod uniatur per modum termini infiniti, qui alicujus creati termini vices suppleat. Nec arguitur in ipso potentia, quia non est ut perficiatur ab altero, nec ut perficiat, sed tantum ut terminet.

Ad VI. Mutatio est tantum intrinseca naturæ humanæ, quæ recipit Verbi personam, cui unitur substantialiter, & per quam omnimoda illius communicatio terminatur; extrinseca vero est Verbo, quia Verbum per illam nullam recipit in se formam, per quam intrinsece de novo afficiatur. Unde facienda est hæc distinctio, ut vere dicatur inducta mutatio; quando accipitur nova natura, qui acquirit illam, vel acquirit tanquam recipiens, vel acquirit tanquam se tribuens, & communicans illi. Si acquirit tanquam recipiens, mutatur; & sic mutatur natura humana: si acquirit tanquam se tribuens, & communicans illi, non mutatur; & sic non mutatur Verbum divinum. Si enim mutaretur per hoc præcise, mutaretur etiam Deus, quando aliquid crearet; non autem mutaretur, quia creaturæ illi se communicat tantum, & per hoc respectu illius, termini rationem acquirit.

Ad VII. Non requiritur ad unionem proportio entitatis ad entitatem, sed sufficit proportio habitudinis, qualis est inter causam, & effectum; objectum, & potentiam; terminans, & terminatum. Quanvis igitur inter Deum, & humanam naturam non sit proportio entitatis, est tamen proportio terminationis; quia humana natura terminat fœcunditatem, & causalitatem divinam, per quam producitur; & Deus in ratione objecti terminat intellectum, & voluntatem humanæ naturæ, a quibus percipitur. Hæc autem terminativa proportio sufficit ad unionem, quatenus Verbum, quia est persona infinita, habet hoc ipso virtutem terminandi omnem communicationem naturæ personabilis, quæ ab ipso dependet, tanquam a causa. Denique falsum omni-

no

Digitized by Google

no est, quod quæ infinite inter se distant, mutuam dicant exclusionem, si exclusionis nomine oppositio intelligatur.

Ad VIII. Contraria non per hoc sunt inter se invicem incompossibilia, quia sunt diversa, sed quia sunt opposita; unde incompossibilitas contrariorum dumtaxat provenit ex eorum repugnantia naturali. Et hoc patet, quia magis inter se distant album, & quantum, quam album, & nigrum; quia album, & quantum spectant ad diversa prædicamenta; album vero, & nigrum ad unum, & idem prædicamentum. Et nihilominus album, & quantum, quæ magis distant, uniuntur; non uniuntur tamen album, & nigrum, quæ minus distant; quia quanvis minus distent, naturalem nihilominus habent inter se repugnantiam. At natura divina, & humana hanc repugnantiam non habent respectu ejusdem suppositi; & ideo licet inter se magis distent, ratione distantiæ infinitæ, quam contraria, possunt tamen invicem in eodem supposito subsistere, quod non possunt contraria.

Ad IX. Hæc est differentia inter naturam divinam, & humanam, per quam, dum uniuntur, hæc mutatur, illa vero non mutatur; quia Verbum divinum unitur naturæ humanæ terminando illius dependentiam in ratione personæ; natura vero humana unitur Verbo recipiendo personam Verbi tanquam sui intrinsecum complementum: & ideo natura humana mutatur, Verbum vero divinum non mutatur. Et revera natura humana perficitur per terminationem Verbi gerentis vices personalitatis creatæ; non autem perficitur Verbum per hanc ipsam terminationem; quia & cum hac, & sine hac Verbum est semper infinitæ perfectionis, quam omnem habet a sua divina natura.

Ad X. Contradictoria tunc verificarentur, quando essent de eodem secundum idem, non vero quando essent de eodem secundum diversa. In Christo non verificantur, quia non est mortalis, & immortalis secundum idem, sed secundum diversa; scilicet mortalis ut homo, immortalis ut Deus; finitus ut homo, infinitus ut Deus; creatura ut homo, creator ut Deus.

Ad XI. In illorum sententia, qui ponunt subsistentiam in aliquo positivo physico, & volunt, ut sit modus aliquis substantialis afficiens ipsam individualem naturam, subsistentia duo dicit; unum scilicet, quod afficiat per modum formæ, & hunc effectum nequit Deus supplere: alterum, quod terminet naturam ultimate, & terminando sic illam subsistentem denominet; & hunc effectum supplet Deus per suam subsistentiam; non quidem ut tribuat connaturalem subsistentiam, sed subsistentiam æquivalentem, & longe naturali digniorem. In sententia vero Scotistarum, qui constituunt subsistentiam in negativo, & in sententia P. Magnani, qui ponit subsistentiam in positivo non physico, sed morali, argumentum non habet locum.

Ad XII. negatur, quod natura humana in Christo sit perfecta, & completa in ratione personæ, quanvis sit talis in ratione naturæ. Caret enim propria personalitate; & ratione hujus carentiæ dici non potest ens in actu. Unde bene potest per divinam personalitatem subsistere, & cum illa unum per se efficere.

Pro ultima denique Dissertationis parte, in qua nimirum quæritur de cognoscibilitate mysterii incarnationis inter Scholasticos, plura debemus observare, antequam ad illam determinandam perveniamus. Et primo quidem observamus, incarnationis possibilitatem, de qua loquuti fuimus usquemodo, revelatione seclusa, non posse positive demonstrari contra Gentiles, posse autem negative. Ratio primi dicti est; quia possibilitas incarnationis, secluſa revelatione, non potest demonstrari à priori, quum incarnatio non habeat in rebus naturalibus causam; nec potest a posteriori, quia in rebus naturalibus nullus est effectus possibilitatis incarnationis, quum sit ordinis omnino superioris, atque diversi. Ratio secundi dicti est; quia potest, secluſa revelatione, demonstrari, incarnationem non esse impossibilem; quum repugnantiæ, quas Ethnici obtrudunt, non sint veræ repugnantiæ, ut vidimus in adductorum argumentorum solutionibus. Secundo observamus, incarnationem esse possibilem esse certum certitudine supernaturali fidei. Quod omnes Catholici fatentur, & omnes Theologi defendunt. Et ex eo patet, quia quum incarnationis existentia sit de fide, de fide etiam est incarnationis possibilitas; revelatio enim existentiæ alicujus est etiam revelatio possibilitatis ipsius. Non autem est certum, incarnationem esse possibilem certitudine, seu evidentia naturali positiva, bene tamen negativa; quod nuper etiam diximus. Et hoc non solum est contra Gentiles, ut diximus, verum quoque con-

Digitized by Google

contra quosdam Hæreticos, qui dixerunt, lumine naturali apparere evidenter incarnationem esse impossibilem. Observamus tertio, secluſa revelatione mentem creatam suspicari non posse incarnationis possibilitatem; quanvis suppoſita revelatione possit exemplis, & conjecturis reddere verisimilem eandem possibilitatem. Quia tamen hoc respicit cognoscibilitatem incarnationis; ideo

Dicimus II. Præciſa revelatione possibilitatem incarnationis non esse cognoscibilem; esse vero aliquo modo cognoscibilem illa suppoſita.

I. Probatur prima Conclusionis pars ex Scripturis. Apostolus ad Epheſ. 3. incarnationis mysterium dicit *investigabiles divitias Christi, & sacramentum absconditum a seculis in Deo*. Et 1. ad Cor. 2. nominat *sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*. Quæ concordant cum testimoniis Prophetarum, scilicet Isai. 8. ubi Christus dicitur *Deus absconditus*; & Isai. 35. ubi habetur: *Generationem ejus quis enarrabit?*

II. Probatur ex Patribus. Ambrosius in c. 2. epist. 2. ad Cor. *Abscondita est ergo Dei sapientia, dum non in verbis, sed in virtute est: non humana ratione possibilis, sed Spiritus efficacia credibilis*. Et lib. 1. de fide c. 3. *Mihi quidem impossibile est generationis scire secretum: mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed & Angelorum.... Non sola admirabilis ex Patre generatio Christi; admirabilis etiam ejus generatio ex Virgine*. Auctor libri de divinis nominibus, qui Dionysio Arcopagitæ tribuitur, c. 2. *Jesu in carne apparitio & ineffabilis est sermone, & omni ignota intelligentiæ: ipsi quoque antiquissimo Angelorum primati non satis perspecta*. Cyrillus Alexandrinus lib. de incarnatione Unigeniti c. 7. asserit, adunationem Verbi cum carne esse omni humana cognitione superiorem. Augustinus ep. 3. ad Volusianum: *Hic si ratio quæritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quos nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis*.

III. Probatur Rationibus. I. Incarnationis possibilitas est supernaturalis & quoad substantiam, & quoad modum: ergo non est a creata mente naturaliter, & sine revelatione cognoscibilis. Consequentia sequitur; quia nullam habet proportionem creata mens cum re supernaturali & quoad substantiam, & quoad modum. Antecedens probatur. Incarnatio est unio finiti cum infinito, & importat unionis personalis modum; sed hæc sunt supernaturalia, quia naturæ viribus fieri non possunt: ergo &c. II. Nequit mens creata evidenter cognoscere quanta sit potentia obedientialis naturæ rationalis, & ad quæ possit se extendere; nequit pariter evidenter deprehendere quanta sit divinæ potentiæ latitudo, & quot, qualesve effectus possit producere; sed hæc omnia necesse est ut cognoscat, ut possit cognoscere evidenter secluſa revelatione incarnationis mysterium: ergo &c. III. Nullum est medium in rebus creatis, quo possit cognoscere creatus intellectus præciſa revelatione incarnationis possibilitatem: ergo illam nequit evidenter, & certo sine revelatione cognoscere. Probatur antecedens. Mysterium hoc pendet omnino a summa liberalitate, ac libertate Dei: ergo nullum est medium, quo possit cognosci in rebus creatis. Probatur consequentia. Ex quo pendet omnino a liberalitate, ac libertate Dei, nullam habere potest cum naturalibus causis, & creatis effectibus connexionem: ergo &c. IV. Si fuisset possibilitas incarnationis naturaliter cognoscibilis, a mundi exordio usque ad Verbum incarnatum fuisset saltem aliquis homo in mundo, qui eam sine revelatione cognovisset; atqui nullus fuit in mundo, qui eam sic cognoverit: ergo revera ita cognoscibilis non est.

Secunda Conclusionis pars probatur etiam I. Suppoſita revelatione nos salvamus repugnantias, quas contra incarnationis possibilitatem nobis Ethnici opponunt; solvimus argumenta, quibus eam impetere nituntur; afferimus conjecturas, quibus possibilem, vel credibilem reddamus; proponimus exempla, quibus illius difficultatem si non tollimus, saltem minuimus, & extenuamus; sed hoc totum sufficit, ut sit aliquo modo possibilitas incarnationis cognoscibilis revelatione suppoſita: ergo &c. II. Tria opponunt Adversarii, ut incarnationem impossibilem probent; primum, quod non sit possibile, ut duæ naturæ per unicum suppositum terminentur; alterum, quod non sit possibile, ut duæ naturæ infinite inter se distantes, secum uniantur; tertium, quod non sit possibile, ut per communicationem idiomatum ea, quæ conveniunt Deo, tribuantur homini, & ea, quæ conveniunt homini, tribuantur Deo; sed horum, suppoſita revelatione, habemus exempla in divinis, & in creatis, quibus illa

cre-

Digitized by Google

credibilia inveniamus: ergo &c. Probatur minor. Pro primo habemus exemplum in SS. Trinitatis mysterio, in quo una natura reperitur in tribus personis ab se invicem realiter distinctis; unde si non repugnat, ut una natura sit in tribus personis, neque repugnabit, ut duæ naturæ sint in una persona. Pro altero habemus exemplum in homine, in quo anima, quæ est omnino spiritualis, unitur cum corpore materiali, & cum eo hominem constituit; Unde potest summa Dei potentia ea, quæ inter se multum distant, unire, & facere unum ex illis. Pro tertio habemus exemplum pariter in homine, in quo est communicatio idiomatum suo modo inter corpus, & animam; unde homo dicitur mortalis, quum sit tantum ratione corporis, & non animæ; dicitur etiam, quod sit rationalis, quum sit solum ratione animæ, & non corporis: ergo &c.

Obstant I. Angeli comprehenderunt naturam humanam præcisa qualibet revelatione; sed non potuerunt illam comprehendere, nisi cognoverint omnes modos, quibus illa erat terminabilis: ergo cognoverunt quoque illam ut terminabilem a persona divina; sed hoc est cognoscere naturaliter, & sine revelatione, possibilitatem incarnationis: ergo &c. II. Angeli sine revelatione cognoscunt quæ non repugnant; ex probatis a nobis incarnationis possibilitas non repugnat: ergo Angeli eam agnoverunt. III. Angeli cognoscunt naturaliter omnipotentiam Dei: ergo cognoscunt omnes effectus ipsius possibiles, qui contradictionem non dicunt; sed inter hos est incarnationis possibilitas: ergo &c. IV. Angeli naturaliter cognoscunt naturam humanam posse esse sine propria subsistentia; cognoscunt non posse esse sine aliqua subsistentia: ergo cognoscunt posse esse cum aliena subsistentia; sed aliena subsistentia non potest esse nisi divina: ergo &c. V. Mens creata non cognoscit evidenter, incarnationem esse impossibilem: ergo potest cognoscere, eam esse possibilem. Consequentia sequitur, quia inter impossibile, & possibile, non datur medium. VI. Sine revelatione solvimus argumenta, quæ fiunt contra incarnationis possibilitatem: ergo sine revelatione cognoscimus, incarnationem esse possibilem. VII. Res, quæ est evidenter credibilis, potest attingi a mente creata sine revelatione; sed incarnationis possibilitas est evidenter credibilis: ergo &c. VIII. Angeli naturaliter cognoscunt possibilitatem resurrectionis hominis; sed hæc est etiam supernaturalis: ergo pariter cognoscent possibilitatem incarnationis, quamvis hæc sit supernaturalis. IX. Dæmones cognoverunt mysterium incarnationis, quia cognoverunt Christum esse Hominem-Deum; sed non cognoverunt per revelationem: ergo naturaliter cognoverunt. Probatur major. Matth. 8. dicebant Dæmones Christo: *Quid nobis, & tibi, Jesu Filii Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos.* Et Luc. 4. *Exibant autem Dæmonia a multis clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei.* X. Sybillæ, & præcipue Cumana, incarnationis mysterium propalarunt: ergo cognoverunt; non cognoverunt per revelationem: ergo naturaliter cognoverunt. XI. Oracula Gentilium manifestarunt etiam incarnationem; ut contigit Romæ in Apolline Delphico; aliisque in locis; sed Oracula illa non loquebantur, nisi per Dæmones, seu Dæmones loquebantur per illa: ergo &c. XII. Infideles aliquot pariter notitiam habuerunt aliquam de Verbo Dei incarnando; quod testantur Theodoretus lib. de græc. affect. Eugubinus de perenni philosophia c. 3., Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothecæ Sacræ verb. *Sybilla*; S. Augustinus lib. 18. de civ. Dei c. 23.

Respondemus ad I. Angelos comprehendere omnes modos naturales, quibus potest subsistere natura humana, non vero modos supernaturales. Ratio est duplex; prima, quia illud tantum sufficit ad comprehensionem naturæ humanæ; secunda, quia aliter cognoscerent, & comprehenderent omnem virtutem obedientalem naturæ humanæ: ergo pariter comprehenderent divinam omnipotentiam, quod non est dicendum.

Ad II. dicitur per instantiam, quod si Angelus posset cognoscere omnia, quæ non repugnant: ergo posset cognoscere omnia possibilia: ergo comprehenderet divinam omnipotentiam. Dicitur autem directe, quod si propositio sit admittenda, restringi debeat ad ea, quæ sunt ordinis naturalis, & non debet ullo modo extendi ad ea, quæ sunt ordinis supernaturalis.

Ad III. Angelus cognoscit naturaliter, omnipotentiam Dei, sed non comprehendit. Insuper eam cognoscit indeterminate, & confuse, non vero determinate, & distincte; scilicet, quamvis Angelus cognoscat in communi, divinam omnipotentiam posse facere omnia, quæ non repu-

Digitized by Google

repugnant, non cognoscit tamen in particulari, quæ sint illa, quæ non repugnant; aliter divinam omnipotentiam comprehenderet.

Ad IV. primo negatur, quod Angeli possint naturaliter cognoscere, naturam humanam posse esse sine propria subsistentia; quia hæc est intrinseca illi, quum non sit ad hanc indifferens. Secundo, dato quod possint illud cognoscere, non possunt tamen cognoscere, quod subsistat subsistentia divina, propter infinitam distantiam, quæ inter utramque intercedit.

Ad V. dicitur, quod licet non sit medium inter possibile, & impossibile, est tamen inter judicare illud possibile, & judicare illud impossibile; & hoc medium est suspensio, & negatio actus.

Ad VI. solvimus argumenta, quæ fiunt contra incarnationis possibilitatem suppositâ revelatione, non autem illa secluſa. Nos autem loquimur de incarnationis cognoscibilitate sine revelatione, non vero cum illa.

Ad VII. negatur paritas, & disparitas est in hoc, quod evidentia credibilitatis accipitur ex circumstantiis, quæ sunt extrinsecæ mysterio, possibilitas vero sumitur ex causis intrinsecis. Circumstantiæ extrinsecæ, quum non sint supernaturales nos non latent; causæ vero intrinsecæ, quia sunt supernaturales, nos omnino latent.

Ad VIII. negatur major; & ratio est, quia hominis resurrectio licet non sit supernaturalis quoad substantiam, sicuti est incarnatio, est tamen supernaturalis quoad modum, quum sit ordinis superioris. Et quia etiam pendent a libera Dei voluntate, & non sit naturalis causa, per quam fieri possit; hinc est, quod non potest ab Angelo naturaliter certo cognosci.

Ad IX. dicitur, quod Dæmones non sciebant illud per revelationem, quæ fuerit iisdem immediate facta; cognoscebant autem, quia revelatum fuerat aliis, Prophetis nimirum, & revelatio Prophetis facta in Scripturis continebatur, quæ ipsos non latebant.

Ad X. Hieronymus lib. 7. contr. Jovinianum putavit, Sybillas prophetiæ dono fuisse a Deo donatas. Ait enim: *Quarum insignis fuit virginitas, & virginitatis præmium divinatio.* Quod etiam asserit Lactantius lib. 1. c. 6.

Ad XI. Dæmones loquebantur per oracula, & incarnationem propalabant, vel quia illam legerant in Scripturis; vel quia iisdem fuerat ante lapsum revelata, ut plerique asserunt; vel denique quia etiam post lapsum fuit iisdem hoc mysterium intimatum per verba illa Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius*; ut non pauci explicant.

Ad XII. Incarnationis notitiam potuerunt Ethnici comparare, vel per traditionem ab Adamo, & a Noemo ductam; vel per conversationem, quam cum Hebræis habebant, quando Hebræi per multas Gentilium regiones pervagabant.

DISSERTATIO CLXII.

De Convenientia Incarnationis; an conveniens fuerit tum respectu naturæ divinæ, tum humanæ? Num convenientius fuerit assumi naturam humanam, quam angelicam, vel aliam? Et an fuerit quoque convenientius assumi a Filio, quam a Patre, & Spiritu Sancto?

QUOD dicimus esse conveniens, dupliciter a Theologis accipitur; negative scilicet, & positive. Conveniens negative idem est ac non inconveniens; vel quod in idem recidit, ac non repugnans, non impossibile &c.; vel ut alii explicant, conveniens ex parte divinæ voluntatis, & ab extrinseco. Et hoc probatum remanet ex præcedenti Dissertatione; incarnationem scilicet fuisse convenientem, quatenus non fuit inconveniens, non repugnans, non impossibilis. Conveniens positive præter non inconvenien-

Digitized by Google

nientiam, & non repugnantiam, dicit decentiam quamdam peculiarem, per quam importatur specialis honestas, & dignitas laudis; ut ex Arriaga dicit Cacheranus. Hoc quoque alii explicant per hoc, quod sit conveniens ab intrinseco, & ex natura rei; ut idem Cacheranus habet ex Valentia, Gabriele a S. Vincentio, aliisque. In hoc secundo sensu loquimur, quando incarnationis convenientiam investigamus, de eaque differimus.

Contra hanc incarnationis convenientiam fuisse aliquos Hæreticos, præfatus Cacheranus asserit, quos sine nomine profert, eosque dicit in Chalcedonensi Concilio fuisse damnatos; asserit etiam P. Feraud, memorans multos Hæreticos, existimantes possibilitatem incarnationis in actum redactam, non esse Deo convenientem. Hi quidem concedebant, incarnationem fuisse possibilem, negabant vero fuisse Deo convenientem; dicentes, fuisse potius Deo inconvenientem, & indignam, quia per eam divina majestas vilem se reddidit propter unionem cum carne. Et quia ulterius asserebant, fuisse nec convenientem positive, & fuisse possibilem, hoc ipso convincuntur, repugnantia inter se docuisse; quia si est possibilis, non est inconveniens negative; & si non est conveniens negative, neque est possibilis. Adducitur quoque Tertullianus lib. de carne Christi, quasi contra hos Hæreticos scripserit, quando dixit: *Apud sapientiam secularem citius creditur Juppiter taurus, quam Christus factus homo.* His nostrorum temporum Sociniani possunt etiam jure merito adnumerari; uti vere a Theologis adnumerantur. Attamen omnium Theologorum, immo omnium Catholicorum, contraria est consensio, quam uti veritatem ad fidem spectantem amplectuntur; cum qua

Dicimus I. Verbi incarnationem fuisse Deo maxime convenientem.

I. Probatur ex Scripturis. Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*; atqui maxime convenit Deo diligere mundum: ergo & Filium suum unigenitum dare. Ad Ephes. 2. *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati) & conresuscitavit, & consedere fecit in Cœlestibus in Christo Jesu; ut ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu.* Ad Roman. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Ad Titum 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri Dei.* Quibus verbis Apostolus ostendit, fuisse in incarnatione principaliora Dei attributa manifestata; hanc autem divinorum attributorum manifestationem quis dicet Deo inconvenientem? Insuper Habacuc 3. dicitur incarnatio *opus Dei; Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.* Et Jerem. 31. omnipotentia Dei in incarnatione commendatur: *Novum creavit Dominus super terram, mulier circumdabit virum.* Quæ omnia, & similia, maxime ostendunt, incarnationem fuisse Deo convenientem.

II. Probatur, ex Patribus. Augustinus lib. *Cur, quando, & quomodo Deus &c.* c. 6. quem citat Frassen: *Deus ab homine juste exegerat, quatenus qui per peccatum offenderat, per justitiam satisfaceret. Ad hoc autem diversitas naturarum, & personæ unitas in Christo valuit, & humano generi necessaria fuit, ut quod non posset humanitas, divina faceret natura, & si quid minime conveniret naturæ humanæ, exhiberet: & non alius atque alius, sed idem ipse esset, qui ex utroque perfectus existens, per humanam solveret quod ipse debebat, & per divinam posset quod expediebat.* Nyssenus orat. catech. c. 24. *Ad id autem, quod abjectum descensus, est quædam insignis, & redundans copia potestatis.* S. Leo magnus ser. 1. de nativ. *Salva utriusque proprietate substantiæ, & in unam coeunte personam, suscipitur a virtute infirmitas, a majestate humilitas, ab æternitate mortalitas; ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei, & hominum mediator, & mori ex uno, & resurgere posset ex alio.* Gregorius magnus hom. 17. in Evangel. *Super occasum Dominus ascendit, quia unde in passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit; super occasum videlicet ascendit; quia mortem, quam pertulit, resurgendo calcavit.* Bernardus ser. 3. in vigilia Natalis Domini: *Tria opera, tres mixturas, fecit omnipotens illa majestas in assumptione nostræ carnis; ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Conjuncta quippe sunt ad invicem Deus, & homo, Mater, & Virgo, fides, & cor humanum .... Voluit infirmiora nostra abundantiore gloria sublimare, & contraxit se majestas, ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro conjungeret; ut in persona una unirentur Deus & limus, majestas,*

Digitized by Google

jestas, & infirmitas, tanta vilitas, & sublimitas tanta; nihil enim Deo sublimius, nihil vilius limo; & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, ut quicquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur; quicquid limus pertulit, Deus in ipso pertulisse dicatur, tam ineffabili, quam incomprehensibili sacramento. Chrysostomus hom. 63. in Joan. *Nam & quod homo factus sit, & servi formam acceperit, quod humiliter & loqueretur, & de se dici permiserit, indignum est Deo: indignum sane, si quis consideret majestatem; dignum rursus si quis ineffabilem ejus humanitatis divitias contempletur.* Paulinus ep. 2. *Nemo nisi artifex operis sui potens est, & figulo tantum in argillam suam jus est. Ita Dominus omnium, qui omnes fecerat, dignatus est ad nostra descendere, nosque suscipere in corpore suo, ut reficeret eadem arte, vel potestate, qua fecerat.*

III. Probatur Rationibus I. Incarnatio contulit ad manifestandas Dei perfectiones: ergo congruit Deo. Probatur antecedens. Ex Patribus, quos laudavimus, per incarnationem manifestatæ sunt charitas, bonitas, benignitas, misericordia, sapientia, omnipotentia Dei: ergo contulit &c. II. Deus est summum bonum; ergo convenit ei communicatio; sed nulla excogitari potest aut major, aut præstantior Dei communicatio ad extra, quam illa, quæ fit per incarnationem: ergo convenit ei incarnatio. III. Convenit illi, qui alterum amat, opem ferre ei, qui amatur: ergo conveniebat Deo opem ferre homini, quem amaverat; sed homini in extrema necessitate posito Deus non poterat condigne succurrere, quam per incarnationem: ergo fuit conveniens Deo incarnatio. IV. Non dedecet amantem, etsi in majestate sit positus, majestatem inclinare, ut cum amata persona colloqui familiariter possit, & cum ea intime uniri; sed hoc totum factum est per incarnationem: ergo incarnatio non fuit indecens Deo. Probatur minor. Per incarnationem assumpsit Deus formam servi, ut servus elevaretur in excellentiam Filii; Deus seipsum exinanivit &c.

Obstant I. Sociniani. Quanvis Deo conveniat liberalitas, non convenit tamen prodigalitas; sed in incarnatione elucet potius prodigalitas, quam liberalitas: ergo incarnatio non convenit Deo. Probatur minor. Pro homine vili ac indigno, quia peccator, & inimicus, fundere vitam & sanguinem, non liberalitas, sed prodigalitas est: ergo &c. II. Licet Deo conveniat amor, non potest convenire amor inordinatus; sed amor, qui in incarnatione ostenditur, est inordinatus; ergo non est conveniens Deo. Probatur minor. Amor inordinatus est, quando ab ipso amante non incipit; sed in incarnatione non incepit ab ipso amante, immo ipsum amato postposuit: ergo &c. III. Mors non decet Deum; sed incarnatio includit mortem: ergo incarnatio Deum non decet. IV. Non conveniunt Deo naturæ creatæ infirmitates, sive corporis, sive animi; sed hæ in incarnatione importantur: ergo incarnatio non fuit conveniens Deo. V. Injuria fit Deo creata imagine illum exprimendo: ergo multo major injuria ei irrogatur humanam effigiem eidem tribuendo; sed hoc fit in incarnatione: ergo &c. VI. Major fuisset Dei misericordia, si homini culpam condonasset, quam exigendo rigorosam satisfactionem, & hanc per seipsum præstando: ergo tantum abest, ut a misericordia commenderetur incarnatio, quod potius major misericordia fuisset, si non fuisset incarnatio. VII. Per incarnationem punitur innocens, ut salvetur impius; sed hoc non convenit justitiæ divinæ: ergo nec convenit incarnatio. VIII. Per incarnationem morti offertur vita pretiosissima, qualis est vita Christi, ut servetur vita vilissima, qualis est illa hominis prævaricantis; sed hoc maxime dedecet summam Dei æquitatem: ergo dedecet etiam incarnatio.

Respondemus ad I. prodigalitatem esse, quando quis donat sine modo, sine tempore, & sine fine; hoc autem in incarnatione non verificatur. Esse pariter, quando totum donatur, & nihil donanti remanet; quod nec pariter in incarnatione habetur. Demum summi Principes, quando donant, non respiciunt quid alios deceat accipere, sed quid illos donare; ut magnus Alexander respondit petenti dotem pro filia paupere, & cui ille civitatem largitus est.

Ad II. Amor si purus est, non respicit amantem, sed amatum; & si amantem respicit, amor est potius concupiscentiæ, quam amicitiæ; ac proinde indignus est Deo. Ulterius amor nunquam dicit sufficit; & eo perfectior est, quo amantem amato postponit. Non sunt autem amoris creaturarum regulæ proportionatæ ad divinum amorem commensurandum.

Ad III. Christus non est mortuus ut Deus, sed

Digitized by Google

sed ut homo. Mortuus est autem etiam ut homo, ut mortem vinceret per resurrectionem, quæ quidem fuit illi glorioſior, quam fuerit mors ignominioſa. Et quia per mortem hominem redemit, per hoc pariter mors ut fuit homini proficua, ita fuit etiam Deo-homini commendabilis.

Ad IV. Ut Chriſtus eſſet verus homo, infirmitates humanas omnes, præter peccatum, ſuſcipere debebat. In hoc vero omnipotentia eluxit, ut ipſa omnipotentia fieret infirmitas. Sublevare dejectum abſque ſublevantis dejectione poterat etiam alius extra Deum; ſed ſublevare cum dejectione illius, qui dejici non poterat, hoc ſolius Dei debuit eſſe opus.

Ad V. Ideo eſt Deo injuria eum exprimere ſub creata imagine, quia creditur Deus creata, & corporea imagine præditus, ut eum Gentiles credebant. Sed quod Deus humanam naturam aſſumat, & cum humana effigie appareat, abſque eo quod divinam naturam amittat, non eſt Deo indignum; nec per conſequens qui credunt, Deum hoc effeciſſe, Deo injuriam faciunt.

Ad VI. Condonare culpam peccanti eſt opus ſolius miſericordiæ, ſed ſatisfacere pro alterius culpa in propria perſona eſt opus miſericordiæ ſimul, & juſtitiæ: Unde commendabilius hoc eſt altero. Seleucus, qui filio deliquenti utrumque oculum eruere debebat; nec pepercit, ut Pater, nec punivit ut Judex. Unum voluit ipſe amittere, alterum fecit ut amitteret filius; ſicque Judicis partes egit, & egit etiam partes Patris; miſericordiæ ſimul, & juſtitiæ opus explevit. Et ſi hoc in homine commendatur, cur non commendabitur in Deo?

Ad VII. Injuſtum eſt ſane punire innocentem, ut ſalvetur impius, ſi id fiat per modum punitionis, & vindictæ; ſecus vero ſi fiat per modum reparationis, & ſatisfactionis. Certe quando agitur de punitione delicti ille puniri debet, qui deliquit; at quando agitur de ſatisfactione, non eſt injuſtum, ut unus pro altero pœnam ferat. Adhuc in humanis tribunalibus multa de his exempla invenimus; quum ſcilicet quis pro altero carceres, tryremes, etiam in corpore pœnas ſuſtinet.

Ad VIII. Chriſtus, ut diximus, non ſuſtinuit mortem, ut a morte abſorberetur, ſed ut mortem ſuperaret, ac de illa per reſurrectionem, & immortalitatem, triumpharet. Inſuper humana ſalus non fuit finis, ſed effectus mortis Chriſti; alium enim habuit finem Chriſtus mortem ſuſtinendo, gloriam ſcilicet Dei, qui glorificandus erat per mortem ſuam, & per hominis ſalutem. Tandem & Chriſti vita, & vita hominis, ſi ordinabantur ad Dei gloriam, utique Dei gloria excellentior eſt & vita hominis, & vita Chriſti.

Dicimus II. Verbi incarnationem fuiſſe quoque convenientem humanæ naturæ.

I. Probatur ex Scripturis. 1. Joan. 3. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli*; convenientiſſimum autem fuit humanæ naturæ diſſolvere opera Diaboli, hoc eſt peccata. Ad Coloſſ. 1. *Eruit nos de poteſtate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem in remiſſionem peccatorum*, Quæ S. Auguſtinus lib. 13. de Trinit. c. 15. explicat de poteſtate Diaboli depreſſa, & de libertate noſtra a vinculis ejus, quibus ipſe ligatus occubuit: *In hac redemptione tanquam pretium pro nobis datus eſt ſanguis Chriſti; quo accepto Diabolus non eſt ditatus, ſed ligatus, ut nos ab ejus nexibus ſolveremur.* Pſal. 83. *Miſericordiam, & veritatem diligit Deus*; & Pſal. 24. *Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt*. Quæ verba P. Magnanus Philoſ. ſacr. c. 21. de Deo-Homine Chriſto prop. 3. explicat de incarnatione, in qua miſericordiæ, & juſtitiæ partes expletæ ſunt; unde homini convenientior facta eſt redemptio.

II. Probatur ex Patribus. Tertullianus lib. de reſurrect. carni c. 8. *Caro ſalutis cardo; caro enim abluitur, ut anima emaculetur; caro ſignatur, ut anima illuminetur; caro manus impoſitione adumbratur, ut anima conſecretur; caro corpore, & ſanguine Domini veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur.* Ubi carnis nomine humanam naturam intelligit. Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanctor. c. 15. *Ipſa eſt illa ineffabiliter facta hominis a Deo Verbo ſuſceptio ſingularis, ut Filius Dei, & Hominis ſit ſimul. Filius hominis propter ſuſceptum hominem; & Filius Dei propter ſuſcipientem Unigenitum Deum veraciter, & proprie diceretur, ne non trinitas, ſed quaternitas crederetur. Prædeſtinata eſt iſta naturæ humanæ tanta, & tam celſa, & ſumma ſubjectio, ut quo attolleretur altius non haberet, ſicut pro nobis ipſa Divinitas quouſque ſe deponeret humilius non habuit, quam ſuſcepta natura hominis cum infirmitate carnis uſque ad mortem crucis.* Leo magnus ſer. 1. de Nativit. *Agnoſce Chriſtiane dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire.* Athanaſius

Digitized by Google

orat. 2. *Neque enim rerum conditarum natura digna erat, aut idonea ad id negotium; cum & Angeli prævaricati essent, & homines inobedientes fuissent. Ideo opus erat ipso Deo. Verbum autem est Deus, ut eas, qui sub maledictione erant, assereret. Si igitur ex non entibus extitisset, Christus esse non potuisset, utpote unus e vulgo rerum, ac participator cum cæteris futurus.*

III. Probatur Rationibus. I. Incarnatio est magnum bonum naturæ humanæ: ergo est illi conveniens. Probatur antecedens. Magnum bonum est naturæ humanæ vera, & substantialis unio cum persona Verbi Divini: ergo &c. II. Multa bona collata sunt hominibus per incarnationem: ergo incarnatio convenit naturæ humanæ. Probatur antecedens. Collata sunt hominibus quæcunque illis necessaria erant tum ad corporis, tum ad animæ salutem per incarnationem: ego multa bona &c. Antecedens sic illustratur a S. Bernardo ser. 3. de circumcisione: *Totus mihi datus, totus in meos usus expensus est:* Et ser. 14. de passione: *Quid quæris, quod in illo non invenias? Si ægrotus es, medicus est; Si exul es, dux est; si impugnaris, pugil est; si sitis, potus; si alges, vestimentum est; si tristaris gaudium est; si obtenebraris, lux est; si orphanus es, Pater est.* Et ser. 3. de Virginibus: *Omnia nobis Christus est, & omnia nobis donavit.* III. Convenientius est homini, ut redimeretur per justitiam, & per perfectam justitiam, quam alio modo; sed homo redimi non poterat per perfectam justitiam, quam per incarnationem Verbi divini: ergo &c. Probatur minor. In incarnatione Verbi divini fuit ratio merendi ex parte hominis, fuit ratio infinite merendi ex parte Dei: ergo &c. IV. Convenientius fuit homini redimi per naturam humanam assumptam, quam per aliam naturam assumptam; sic enim dabat ipsa natura humana ex se ipsa quod Deo debebat, non ex alia natura; & justitia suum habebat locum; & dabat ex Deo, qui ipsi tribuebat, ut daret; & pariter suum locum habebat misericordia. Unde Hugo a S. Victore in dialog. de Sacram. leg. nat. & script. ait: *Dedit Deus homini, quo justitia placaretur, dedit gratis quod homo ex debito redderet: Dedit ergo hominem homini quem homo pro homine Deo redderet, qui ut digna recompensatio fieret, priori non solum æqualis, sed & major esset.*

Objiciunt I. Convenientius fuisset humanæ naturæ reparationi, si Deus dedisset illi medium, quo omnes homines salvarentur; sed per incarnationem non omnes homines salvantur: ergo illud aliud fuisset medium incarnatione convenientius humanæ naturæ. II. Convenientior fuisset homini redemptio, si Deus illi omnino culpam relaxasset; sed per incarnationem non omnino culpam relaxavit; quia voluit pro ea satisfactionem, & quidem condignam: ergo fuisset alius modus redimendi hominem incarnatione convenientior. III. Non est alicui conveniens quod non est suum proprium, sed alienum; sed natura humana in incarnatione non subsistit per propriam, at alienam subsistentiam: ergo incarnatio non est illi conveniens. IV. Etsi ponatur in natura assumpta potentia obedientialis, hæc tamen non est illi naturalis: ergo incarnatio, quæ huic potentiæ innitur, non est illi conveniens. V. Incarnatio Verbi non fuit conveniens toti universo: ergo nec pariter naturæ humanæ. VI. In incarnatione natura humana commisit Deicidium Christum occidendo; sed majus est decus, quod per Deicidium contraxit, honore, quem traxit per ejus a Verbo assumptionem: ergo magis indecora, quam decora, fuit naturæ humanæ divini Verbi incarnatio: ergo potius indecens, quam decens.

Respondemus ad I. Deum incarnationis remedium pro unoquoque homine præstitisse; unde si aliqui homines non salvantur, defectus ex parte ipsorum est, non ex parte Dei. Cæterum si omnes homines salvi fuissent, justitia Dei non appareret, sed sola misericordia. Unde Deus voluit misericordiam ostendere in Electis, in Reprobis justitiam exercere. Ita Augustinus ep. 105. *Si utrique liberarentur, lateret quid peccato per justitiam debeatur: si nemo, quid gratia largiretur?*

Ad II. Magis honori debitoris cedit debitum solvere, quam illud habere a Creditore suo condonatum. Igitur magis honorificum fuit humanæ naturæ per incarnationem solvere debitum a se ipsa contractum, quam per aliud medium habere ipsum sibi a Deo relaxatum. Unde verificatur, *quod misericordia & veritas obviaverunt sibi; justitia & pax osculatæ sunt.*

Ad III. Subsistentia divina eminenter continet subsistentiam creatam; unde per subsistentiam Verbi divini, ut ait P. Feraud, satiatur primo, & per se potentia obedientialis naturæ assumptæ, & deinde

satia-

Digitized by Google

satiatur potentia naturalis ad propriam subsistentiam.

Ad IV. eodem modo respondet idem P. Feraud in tract. de incarnat. q. 4. ar. 2. Et si dicatur, quod natura humana appetit propriam subsistentiam, dupliciter etiam respondet; dicendo nimirum, quod appetit naturaliter, non vero obedientialiter; & negando absolute assumptum, quia divina subsistentia facit nobiliori modo quod faceret subsistentia humana creata.

Ad V. ait Frassen, incarnationem fuisse convenientem toti universo; & probat, quia omnes creaturæ aliquid sublimitatis acquisierunt per assumptionem naturæ humanæ a Verbo factam. Unde ait Apostolus ad Ephes. 1. quod Æternus Pater *Proposuit in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso.*

Ad VI. Deicidium fuit paucorum hominum, non omnium; nec per illos paucos transfusum adeo fuit, ut totam humanitatem afficeret. Non fuit ergo facinus humanitatis, sed alicujus hominis, qui sufficiens non erat, ut illud totius humanitatis facinus redderet. At beneficium, quod per Christi mortem accipimus, fuit omnibus, & singulis hominibus commune, etiam illis, qui indignum facinus perpetrarunt: Unde majus absque dubio decus est naturæ humanæ per incarnationem.

Dicimus III. Convenientius fuisse assumere, & reparare naturam humanam, quam angelicam; convenientius etiam assumere naturam humanam ex Adami propagine, quam aliunde formatam.

Prima Conclusionis pars probatur I. Convenientius est quod Deus operatur; sed Deus in incarnatione hoc operatus est, ut assumeret naturam humanam, non angelicam, vel aliam: ergo hoc convenientius fuit. Minor docetur ab Apostolo ad Hebr. 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*. II. Ob Angelorum malorum obstinationem non erat eis profutura incarnatio: ergo magis conveniens fuit, ut fieret pro hominibus, quam pro Angelis. III. Gravius fuit peccatum Angelorum hominum peccato: ergo convenientius fuit, ut Deus repararet hominem perditum, quam Angelum. Antecedens probatur, tum ex majori excellentia Angelorum, tum ex majori ipsorum cognitione, tum & intimiori ad Deum propinquitate; quæ omnia gravius ipsorum peccatum reddunt. IV. Major etiam erat in natura humana, quam in angelica, reparationis indigentia; quia peccatum Angelorum suos tantum auctores affecerat; at peccatum hominum unum habuit auctorem, & omnes posteros ejus affecit.

Secunda Conclusionis pars probatur I. Satisfactio provenire debet vel ab eo, qui peccavit, vel ab aliquo, qui originem ab eo trahat: ergo satisfactio pro Adæ peccato convenientius provenire debebat, si non ab Adamo ipso, saltem ab aliquo, qui ex ejus origine esset. II. In Adami formatione voluit Deus, ut Adamus esset unum, & solum caput omnium hominum: ergo pariter convenientius voluit hoc ipsum in Adami reparatione. Antecedens patet; quia non creavit alios homines, sed solum Adamum, ut esset caput omnium hominum. Consequentia sequitur; quia si Verbum carnem humanam aliunde, & non ex Adamo sumpsisset, fuisset aliud caput hominum præter Adamum, & quidem physice, & non tantum moraliter; uti est modo. III. His Anselmi verbis lib. 2. Cur Deus homo c. 8. probatur: *Quatuor modis potest Deus facere hominem; videlicet, aut de viro, & de femina, sicut assiduus usus demonstrat: aut nec de viro, nec de femina, sicut creavit Adam: aut de viro sine femina, sicut fecit Evam: aut de femina sine viro. Ut igitur hunc quoque modum probaret suæ subjacere potestati, & ad hoc ipsum opus dilatum esse, nihil convenientius quam ut de femina sine viro assumat illum hominem, quem quærimus.*

Opponunt I. Natura angelica habet majorem affinitatem cum Deo, quam humana: ergo convenientius fuisset illam, quam hanc assumere. II. Natura angelica est dignior humana: ergo magis unibilis cum Deo. III. Si Angelorum peccatum fuit gravius: ergo major fuisset Dei misericordia, si pro illo per assumptionem angelicæ naturæ Verbum satisfeciisset. IV. magis apparuisset Christus a peccato alienus, ac remotus, si carnem aliunde, quam ex Adami propagine sumpsisset; quia illa Adami semper erat vitiata. V. Poterat Deus Adæ individuum assumere, & sic ille idem, qui peccaverat, satisfeciisset.

Respondemus ad I. quod sub ratione substantiæ majorem habet similitudinem Angelus cum Deo, quam homo; quia Angelus est adæquate spiritualis, non sic homo, qui constat etiam ex corpore; sub ratione vero personæ majorem habet homo, quam

An-

Digitized by Google

Angelus; quia Angelus non procedit ab alio Angelo, sicut homo ab alio homine producitur. Persona autem Verbi producitur a Patre; unde sub hac ratione magis assimilatur Verbo homo, quam Angelus. Et quia Persona Verbi debebat immediate assumere naturam; ideo convenientius assumpsit humanam, quam angelicam.

Ad II. dicimus cum S. Bonaventura, quod etsi natura angelica sit dignior humana, Verbum tamen convenientius judicavit assumere humanam; & ut confunderet magis superbiam malorum Angelorum, qui voluerunt similes esse Deo; & ut sublimatio in gloria non naturæ, sed gratiæ tribueretur.

Ad III. dicitur, quod major erat miseria hominum, quam Angelorum, ex eo, quod Angeli non omnes erant perditi, homines vero omnes in Adamo peccaverant. Accedit, quod malis Angelis obstabat ipsorum obduratio, quæ non obstabat hominibus.

Ad IV. Caro Christi non fuit in similitudinem carnis peccati ratione culpæ, fuit tamen ratione pœnæ. Unde fuit omnino a culpa immunis, quanvis omnem culpæ pœnam, quæ sine peccato erat, sustinuerit. Sicque conveniens fuit sumere carnem ex propagine Adæ, omnino innocentem, & nulli peccato subditam, ut conveniens Deo erat; & sub illa vere pati ut homo verus, & ex Adamo natus, ut sicut per hominem mors intraverat in mundum, ita per hominem ab illo natum, seu ex ejus propagine natum, intraret & gratia.

Ad V. Caro Adæ non debebat a Verbo assumi, quia ipsa caro Adæ peccatrix erat, & proinde indigna, ut Verbo divino uniretur. Adam autem per seipsum satisfacere non poterat, quia utpote finitus, & limitatus, condignam non valebat pro peccato suo, in ratione offensæ infinito, satisfactionem exhibere.

Dicimus IV. Convenientius fuisse, incarnari Filium, quam Patrem, & Spiritum Sanctum.

I. Probatur ex libro de ecclesiasticis dogmatibus c. 2., qui tribuitur Augustino, sed ejus auctor est Gennadius Massilienſis: *Non Pater carnem assumpsit, neque Spiritus Sanctus, sed Filius tantum, ut qui erat in divinitate Dei filius, fieret in homine hominis filius, ne filii nomen ad alterum transiret, qui non esset æterna filiatione filius. Dei ergo filius hominis factus est filius, natus secundum divinitatem naturæ ex Deo Dei filius, & secundum veritatem naturæ ex homine hominis filius; ut veritas geniti non adoptione, non appellatione, sed in utraque nativitate filii nomen nascendo haberet, ut esset verus Deus, & verus homo, unus filius.* II. Ex S. Anselmo lib. 2. cur Deus homo c. 9. *Si quælibet alia persona incarnaretur, essent duo Filii in S. Trinitate, scilicet filius Dei, qui & ante incarnationem filius est, & ille, qui per incarnationem esset filius Virginis; & sic esset in personis, quæ semper æquales esse debent, inæqualitas secundum dignitatem nativitatum: digniorem namque nativitatem habebit natus ex Deo, quam natus ex Virgine.* III. ex S. Bonaventura, hoc ipsum probante multis aliis congruentiis, apud Frassen videndis.

Arguunt I. Pater creavit hominem: ergo Pater debuisset hominem reparare. II. Persona incarnata adoptavit homines in filios; sed adoptare pertinet ad Patrem a ergo Pater incarnari debuisset. III. Incarnatio est maxima, & summa gratiarum: ergo spectabat ad Spiritum Sanctum, qui omnium gratiarum est fons. IV. Incarnatio fuit opus amoris Dei: ergo facienda erat a Spiritu Sancto, cui tribuitur amor.

Respondemus ad I. concedimus effective, negamus formaliter. Effective enim convenit incarnatio æque tribus divinis Personis; formaliter autem convenit soli Filio. Maxime tribuitur Patri effective, quia Pater misit filium suum in mundum; quia Pater filio suo non pepercit &c., formaliter Filio tantum, quia solus Filius humanam naturam terminavit.

Ad II. Adoptare authoritative, & principaliter spectat ad Patrem, secundum missionem vero spectat ad Filium. Quod explicat mirifice Apostolus ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem Filiorum reciperemus.* Pater igitur per Filium suum, quem misit in mundum, nos adoptavit.

Ad III. Incarnatio etiam effective tribuitur Spiritui Sancto, formaliter vero soli Filio. Tribuitur effective Spiritui Sancto ratione amoris, qui Spiritui Sancto appropriatur. Formaliter vero tribuitur soli Filio, quia solus Filius naturam humanam facit sua personalitate subsistentem.

Ad IV. eadem est responsio; quod quum incarnatio sit opus amoris, tribuitur effective Spiritui Sancto, cui appropriatur amor. Non requiritur autem, ut formaliter

Digitized by Google

ter quoque tribuatur; quia formaliter soli Filio tribuitur, qui naturam humanam terminavit.

Hæc, quæ diximus usque modo, de convenientia tantum intelligenda sunt, non vero de possibilitate; an scilicet potuisset Verbum aliam naturam, quam humanam assumere? An potuisset Pater, vel Spiritus Sanctus, incarnari? Alibi enim ad hæc tractanda est locus.

DISSERTATIO CLXIII.

De necessitate Incarnationis; an fuerit necessaria necessitate absoluta? an necessitate conditionata? Et qua? an necessitate reparationis peccati per condignam satisfactionem? Et unde proveniat in pura creatura incapacitas ad satisfaciendum de condigno?

DOssibilitas Incarnationis explicata est primo loco, secundo convenientia, tertio explicatur necessitas; possibilitas enim magis late patet, quam convenientia, & necessitas; convenientia minus late patet, quam possibilitas, & magis quam necessitas; necessitas denique minus late patet, quam possibilitas, & convenientia. Necessitas alia est absoluta, alia conditionata, seu ex suppositione. Illa pariter dividitur in physicam, & moralem, quarum significationes ex se patent. Necessitas conditionata pro re, de qua agimus, dividitur secundum varias suppositiones, quæ fieri possunt; quarum quinque enumerat Cacheranus; nimirum suppositionem creationis universi, elevationis hominum ad supernaturalem finem, peccati commissi, peccati reparandi, & peccati reparandi per condignam satisfactionem. His prænotatis

Dicimus I. Incarnationem non fuisse necessariam necessitate absoluta nec physica, nec morali.

In hac Conclusione habemus pro prima parte adversarium Raymundum Lullium, qui putavit, suppositia creatione universi, libere a Deo facta, incarnationem fuisse necessariam necessitate absoluta: Pro altera vero parte habemus pariter adversarios Granadum, Ruiz, aliosque paucos, qui ponunt in Deo necessitatem moralem ad illud, quod est optimum, seu melius ex parte objecti; & per consequens ad creationem mundi, quatenus hæc melior est non creatione; ad incarnationem, quia etiam hæc melior est non incarnatione. Lugus notat sententiam Lullii uti temerariam; Arriaga acriori censura afficit opinionem Granadi, & Ruiz, quam Lullii; quia saltem Lullius ponit creationem mundi liberam, quamvis ponat incarnationem necessariam; at illi utramque necessariam asserunt.

I. Probatur prima Conclusionis pars. Si Deus habuisset necessitatem absolutam physicam se incarnandi, ab æterno se incarnasset; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur major. Ab æterno fuit in Deo quicquid sibi necessarium est physice; aliter fuisset in eo defectus. II. Si Deus habuisset præfatam necessitatem, fuisset physice etiam necessitatus ad producendum aliquam creaturam; sed hoc pariter est falsum: ergo &c. Probatur minor. Deus est physice liber in omni opere ad extra: ergo falsum est, quod sit physice necessitatus ad productionem alicujus creaturæ. III. Ut necessitetur divina voluntas physice, debet ab objecto sibi adæquato necessitari; hoc autem est solum bonum simpliciter infinitum, & divina essentia, ut existit ad intra; ergo nunquam potest esse bonum creaturæ, quod sit ad extra; sed incarnatio est bonum creaturæ ad extra: ergo non est bonum simpliciter infinitum, quod sit adæquatum ad necessitandum divinam voluntatem.

II. Pro-

Digitized by Google

II. Probatur altera Conclusionis pars I. Divinæ Scripturæ, & SS. Patres, commendant Dei beneficentiam, misericordiam, & gratiam, in incarnatione; sed si Deus fuisset moraliter necessitatus ad illam, hæc attributa Dei commendari non deberent; ergo &c. Probatur minor. Ut vult Granadus, Deus adeo fuit ad incarnationem necessitatus moraliter, ut non fuisset Deus, nisi hoc opus fecisset; sed hoc est idem ac dicere, Deum tale opus fecisse ex amore potius sibi consulendi, quam nobis: ergo non fecisset ex beneficentia, ex misericordia, ex gratia. II. Hæc moralis Dei necessitas ad optimum, aut melius ex parte objecti, ab omnibus Theologis improbatur; quia Deus a nemine potest necessitari, nisi a seipso. III. Si Deus necessitaretur moraliter ad incarnationem, ideo esset, quia incarnatio non solum est quid melius quomodocunque, verum etiam est bonum infinitum, & per consequens habens vim infinitam ad alliciendam divinam voluntatem, quod est moraliter necessitare; sed hoc nil probat: ergo &c. Probatur minor. Bonum ad extra, etiam si sit infinitum, non est specificativum divinæ voluntatis, nec est objectum adæquatum inclinationi ipsius, nec est necessarium ejus perfectioni: ergo &c. Probatur consequentia. Bonum ad extra nullam proprie vim alliciendi divinam voluntatem in se habet: ergo bonum ad extra &c. Probatur antecedens. Divina voluntas, dum vult aliquid ad extra, movetur a propria perfectione, & a sua divina voluntate, non ab allicientia objecti extrinseci: ergo bonum ad extra, etiam si sit infinitum, non est specificativum divinæ voluntatis, nec est objectum adæquatum inclinationi ipsius, nec est necessarium ejus perfectioni.

Obstant I. Incarnatio etsi dicatur necessaria absolute physice, non per hoc necessitatem affert divinæ voluntati; sed hæc est ratio, qua impugnatur a nobis Adversariorum sententia: ergo infirma est. Probatur major. Incarnatio non est opus divinæ voluntatis, sed divinæ subsistentiæ; & est solummodo terminatio, non actio ad extra: ergo potest esse opus necessarium, absque eo quod divinæ voluntati necessitas inferatur. II. Subsistentia divina terminans non est in se formaliter libera: ergo est necessaria; sed incarnatio ab illa pendet: ergo pariter incarnatio non est formaliter libera, sed necessaria. III. Si bonum ad extra sit infinitum, etiam ad ipsum divina voluntas movetur inclinatione infinita; sed inclinatio infinita auferet indifferentiam, & inducit necessitatem saltem moralem: ergo incarnatio, quanvis sit bonum ad extra, quia tamen est bonum infinitum, est necessaria absolute saltem moraliter. Probatur minor. Quo major est inclinatio ad unum, eo minor est indifferentia ad alterum: ergo inclinatio infinita minuit infinite indifferentiam ad oppositum: ergo tollit moraliter. IV. Concilia, & Patres docent, Deum etiam in operibus ad extra velle semper quæ meliora sunt: Concilium Francofordiense habet: *Credamus, Deum omnia velle, quæ meliora sunt*. Augustinus lib. 1. contr. Adversarium Legis, & Prophetarum c. 14. *Usqueadeo desipiendum non est, ut bono videat, aliquid melius fieri debuisse, & Deum credat facere noluisse*.

Respondemus ad I. cum Cacherano, incarnationem ita significare formaliter unionem, seu terminationem, ut simul significet actionem unitivam, seu effectivam unionis, & terminationis: unde ita esse opus subsistentiæ & personæ, ut simul fit opus divinæ voluntatis, & Dei agentis; & sic semper dependere habet a libera Dei voluntate. Ulterius, incarnatio, etiam præcise sumpta ut est opus subsistentiæ, & terminatio, est Deo libera, & quia est actio Dei ad extra, & quia est habitudo ad aliquid creatum.

Ad II. idem Cacheranus dicit, quod non refert, quod subsistentia divina terminans non sit in se formaliter libera; quia ut dicatur ad extra libere terminare, sufficit, quod sit libera concomitanter; scilicet per identitatem cum principio formaliter libero, quod est voluntas.

Ad III. Incarnatio est bonum infinitum secundum quid, non vero infinitum simpliciter. A bono infinito secundum quid non necessitatur Deus, quanvis necessitetur a bono infinito simpliciter. Ratio horum est; & quia quodcunque infinitum extra Deum est infinitum secundum quid, non vero simpliciter; & incarnatio est bonum infinitum extra Deum: Et quia si Deus necessitaretur ad bonum infinitum secundum quid, necessitaretur quoque ad omne bonum etiam finitum; quod non est dicendum.

Ad IV. Patres Francofordienses intelligendi sunt, quod Deus semper eligat media, quæ sunt meliora comparative, non vero absolute: hoc est, eligat media, quæ magis conveniunt ad consequendum finem pro-

Digitized by Google

propoſitum. Hinc ſuppoſito decreto de homine reparando per condignam ſatisfactionem, elegit Deus incarnationem, utpote medium melius, & aptius ad ſatisfactionem illam explendam. Auguſtinus vero intelligendus eſt de eo, quod eſt melius, hoc eſt de opere, quod ſit vacuum malitia, & imprudentia, non vero aliter. Et ratio eſt, quia Auguſtinus eo in loco infectabatur Manichæos, qui ponebant Deum bonum, auctorem bonorum, & Deum malum, malorum auctorem. Ad confutandos autem Manichæos non erat opus Auguſtino, aſſerere, quod Deus velit ſemper quod eſt melius, etiam extrinſece, ſed ſufficiebat dicere, quod nullum opus, quod non ſit bonum poteſt a Deo produci, hoc eſt vacuum malitia, & imprudentia; licet permittat peccatum, quod eſt ſummum malum.

Dicimus II. Incarnationem non fuiſſe neceſſariam neceſſitate conditionata, nec ex ſuppoſitione creationis univerſi; nec ex ſuppoſitione peccati commiſſi; nec ex ſuppoſitione peccati reparandi.

Concluſio habet tres partes; quoad primam eſt contra Raymundum Lullium, contra quem communiter Theologi rationibus pugnant, atque etiam cenſuris. Pro ſecunda dicunt aliqui, quod ſit contra S. Anſelmum lib. 1. cur Deus homo c. 16. & 17. alii vero defendunt Anſelmum; eſt etiam contra Richardum a S. Victore, qui lib. de incarnatione Verbi c. 8. oppoſitum expreſſe docuit; & contra etiam aliquos paucos, qui olim aliter putarunt. At modo ſententia noſtra communis eſt inter Theologos, eam docentibus S. Thoma cum ſuis, Scoto cum ſuis, Magiſtro ſententiarum, aliiſque tum antiquis, tum recentibus Scholaſticis. Pro tertia parte adeo eſt communis, & certa Concluſio, ut ejus oppoſita a Theologis temeritatis notetur, a Suario dicatur periculoſa in fide, a Lugo proxime ad errorem, & a quibuſdam pronuncietur error in fide; ut etiam aſſerit Hugo a S. Victore.

I. Concluſionis pars. Probatur I. Scripturæ docent, Deum fuiſſe liberum ad humanam carnem ſuſcipiendam, adhuc ſuppoſito peccato: ergo quod humanam carnem ſuſceperit non fuit ex neceſſitate, ſed ex libera voluntate Dei. Probatur antecedens. Scripturæ tribuunt incarnationem amori Dei; ſed hic amor fuit liber in Deo: ergo &c. Probatur major. Joan. 3. habetur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*: ergo incarnatio tribuitur amori Dei erga mundum, vel homines. II. Patres unanimiter aſſerunt fuiſſe in Dei libertate homines perditos deſerere, ut apoſtatas Angelos deſeruit, ac illos reparare, ut hos non reparavit: ergo nulla fuit neceſſitas incarnationis ex ſuppoſitione creationis univerſi. III. Nulla eſt connexio inter decretum creationis mundi, & decretum incarnationis in Deo: ergo non fuit neceſſaria incarnatio ex ſuppoſitione creationis mundi: Probatur antecedens. Nulla eſt connexio inter ordinem naturalem, & ordinem ſupernaturalem; ſed creatio mundi eſt ordinis naturalis, incarnatio vero eſt ordinis ſupernaturalis: ergo nulla eſt connexio inter decretum creationis mundi, & decretum incarnationis in Deo. IV. Si ex ſuppoſitione creationis univerſi fuiſſet neceſſaria incarnatio, vel talis neceſſitas fuiſſet ut mundus crearetur, vel ut mundus conſervaretur; atqui nullo ex capite fuit: ergo ex ſuppoſitione illa neceſſaria incarnatio non fuit. Probatur minor. Non ut mundus crearetur; quia creatio mundi præceſſit incarnationem, & hæc fuit illa poſterior: non ut conſervaretur: quia conſervatio non amplius dicit, quam continuatam productionem: ergo ſtat intra fines naturalis ordinis, atque adeo ad ſupernaturalem ordinem, in quo eſt incarnatio, non pertingit.

II. Concluſionis pars probatur I. Si ex ſuppoſitione peccati originalis commiſſi fuiſſet neceſſaria incarnatio, vel neceſſitas fuiſſet, ut non relinqueretur, & non duraret in natura humana peccatum, vel fuiſſet, ut auferretur, & repararetur; ſed neutro ex capite fuit: ergo non fuit. Probatur minor. Liber erat Deus ut relinqueret, vel non relinqueret, ut repararet, vel non repararet, peccatum in hominibus, quemadmodum fuit in hominibus: ergo neutro ex capite neceſſitas illa fuit: ergo non fuit. II. Nullum reſultat in Deo inconveniens, ſi peccatum æque committatur, ac non reparetur: ergo nulla eſt in eo neceſſitas incarnandi ex ſuppoſitione peccati commiſſi. Probatur antecedens. Sapient. 12. habetur: *Quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti? Non enim eſt alius Deus, quam tu.* III. Sicut modo Deus non liberat omnes homines efficaciter a peccato, ita potuit nullum liberare, & nullum remedium pro illis dare: ergo non fuit neceſſaria incarnatio,

Digitized by Google

etiam ex suppositione peccati originalis prævisi. IV. Deus, utpote supremus dominus creaturarum, supremam habuit potestatem, dominativam, & judiciariam; cujus ratione poterat creaturas, vel liberare, vel punire, & erga illas exercere, vel misericordiam, vel justitiam: ergo nulla tenebatur necessitate, ut humanam carnem sumeret, etiam supposito peccato commisso.

III. Conclusionis pars probatur I. ex Scripturis. Ad Roman. 5. *Commendat autem Deus charitatem suam in nobis; quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Et ibidem: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Ad Ephes. 2. *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati.* Ad Titum 3. *Cum autem benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* II. ex Patribus. Athanasius ser. 3. cont. Arianos post medium: *Poterat sine ullo adventu Christi, solummodo loqui Deus, & solvere maledictionem; cæterum spectandum est isthic, quid hominibus sit utile, non quid situm sit in virtute Dei.* Nazianzenus orat. 2. in Pascha, dicens, Patrem æternum *accepisse redemptionis nostræ pretium*, subdit: *non quod eo opus habuerit, verum quia divina dispensatio ita ferebat.* Augustinus lib. 3. de Trinit. c. 10. *Ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent, sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem alium modum non fuisse, neque esse potuisse.* In Enchiridio c. 26. *Ut familiarius diligeretur ab homine in similitudinem hominis Deus apparuit.* De agone christiano c. 11. *Sunt autem stulti, qui dicunt; non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur ex femina, & a peccatoribus omnia illa pateretur: Quibus dicimus; poterat omnino; Sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret.* S. Leo ser. de nativ. Christi: *Verax namque misericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus Diaboli, non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ.* Gregorius magnus lib. 20. moral. c. 26. *Cum posset nobis etiam non moriendo succurrere, subvenire tamen moriendo voluit.* Et post aliqua: *An non in divinitatis suæ divitiis nobis invisibilis permanens, miris nos potuit virtutibus ditare? Sed ut ad internas divitias rediret homo, foras apparere dignatus est pauper Deus.* III. Deum infundere nobis dona gratiæ, & non incarnari, non dicit contradictionem; sed quodcunque contradictionem non dicit, fieri potest a Deo: ergo potuit Deus infundere nobis dona gratiæ, & non incarnari. Probatur major. Si contradictionem diceret, ideo esset, quia inter dona gratiæ esset satisfactio, & satisfactio haberi non potuisset sine incarnatione; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur minor. Satisfactio non est de essentia donorum gratiæ, & dona gratiæ non sunt de essentia satisfactionis Christi: ergo sine contradictione potuissent infundi dona gratiæ absque satisfactione Christi, adeoque absque incarnatione. IV. Non est necessaria connexio inter peccati reparationem, & incarnationem: ergo potuit Deus ponere illam sine hac: ergo non fuit necessaria incarnatio ex suppositione peccati reparandi. Probatur antecedens. Peccati reparatio positiva, & perfecta dicit remissionem culpæ, & infusionem gratiæ; sed hæc duo non habent necessariam connexionem cum incarnatione; ergo &c. Probatur minor. Potest Deus remittere culpam sine satisfactione, & potest etiam hanc, vel aliam satisfactionem exigere: ergo non ratione remissionis culpæ. Potest etiam infundere gratiam, quia gratia utpote donum pure creatum secundum se præcise non connectitur ex natura rei cum incarnatione.

Objiciunt I. Ad rationem universi secundum suam perfectionem, & complementum necessaria est incarnatio; quia aliter ei deesset gradus omnium perfectissimus, scilicet hypostaticæ unionis; atqui Deus debuit universum secundum suam omnem perfectionem producere: ergo necessaria fuit incarnatio ex suppositione creationis universi. II. Ideo non dicitur necessaria incarnatio, quia Deus fuit liber ad illam; sed hæc libertas salvari potest etiam posita necessitate conditionata, de qua loquimur; ergo &c. Probatur minor. Necessitas consequens ad suppositionem Deo liberam, non ledit libertatem Dei; quod probatur paritate; quia non repugnat Deo necessitas providendi media ad gloriam ex suppositione electionis efficacis ad ipsam: ergo pariter non repugnat Deo necessitas suscipiendi humanam carnem ex suppositione creationis mundi. III. Ex

An-

Digitized by Google

Anſelmo lib. Cur Deus homo c. 16. & 17. Debuit Deus liberare homines a peccato: ergo fuit neceſſaria incarnatio. Probatur ab Anſelmo major. Debuit Deus implere ſedes Angelorum, qui perierant; ſed non poterat eas implere per Angelos lapſos, quia erant inflexibiles ad pœnitentiam; neque per Angelos de novo creabiles, quia iſti fuiſſent prioribus imperfectiores, quatenus perſeveraſſent in gratia propter metum punitionis aliorum: ergo debuit eas implere per homines. IV. Incarnatio fuit neceſſaria ex ſuppoſitione elevationis hominum ad finem ſupernaturalem: ergo fuit neceſſaria ex ſuppoſitione peccati commiſſi, cum quo non poterat homo ad finem ſupernaturalem elevari. V. Paritas adducta de Angelis, qui non fuerunt reparati, non eſt ad rem; quia non omnes Angeli perierunt, unde ipſorum natura non fuit tota lapſa; non ſic vero homines, ut patet. Ulterius, quia Angeli erant inflexibiles, atque adeo converſionis incapaces; homines vero minime. VI. Suppoſito peccato ſi Deus humanam carnem non ſumpſiſſet, genus humanum vel fuiſſet ſalvum, vel deperditum; primum non convenit juſtitiæ Dei; alterum eſt incongruum Dei miſericordiæ: ergo, ne hæc dicantur, dicendum omnino eſt, incarnationem neceſſariam fuiſſe ex ſuppoſitione peccati commiſſi, & reparandi.

Reſpondemus ad I. cum P. Feraud, Deum voluiſſe quicquid ad univerſi perfectionem pertinet naturalem quidem, & proportionatam, non vero ſupernaturalem, & excedentem. Incarnatio autem pertinet ad ordinem univerſi ſupernaturalem, non naturalem. Et cum Cacherano dicimus, ut ſit Deus perfectiſſimus artifex, ſufficere, quod poſſit producere ſecundum omnes perfectiſſimos modos producendi, non vero requiri, ut de facto producat. Et maxime, quando perfectio illa non eſt naturaliter debita enti, quod ab eo productum eſt. Aliter debuiſſet etiam Deus neceſſario producere gratiam habitualem; quia etiam hæc dicit gradum perfectiſſimum in univerſo.

Ad II. quod argumentum valeret, ſi incarnatio eſſet quid ſpectans ad perfectionem, & complementum mundi in ordine naturali; in hoc enim ordine verificatur neceſſitas conſequens ad quicquid conſequitur ad mundi productionem. At quum ſit incarnatio in ordine ſupernaturali, & indebito mundo, non ſequitur, quod ex illius ſuppoſitione neceſſaria habeatur. Paritas adducta locum non habet; media enim ad gloriam, & gloria, ſunt in eodem ordine, non ſic vero productio mundi, & incarnatio.

Ad III. dicit etiam P. Feraud, quod Deus; quum ſit ſupremus Dominus Angelorum, & hominum, ad oſtenſionem ſuæ juſtitiæ, potuit Angelorum ſedes vacuas relinquere, & Angelos ipſos irreparatos deſerere. Subdit quoque, quod ſi voluiſſet Deus illas implere, & hos reparare, potuiſſet utrumque facere, vel per extrinſecam condonationem, & gratiæ infuſionem, vel per creationem aliorum Angelorum æque ſupernaturaliter perfectorum, vel per unionem Verbi divini cum natura angelica; & ita potuiſſet Angelos ad ſe reducere, vel illorum ruinas, & ſedes per alios reparare. Denique etiam admiſſo, quod reparari non potuerint, niſi per homines, hominum tamen reparatio aliter haberi poterat a Deo, quam per incarnationem; ſcilicet vel per imperfectam ſatisfactionem, quæ juſtitiam non lædat, quatenus licet Deus ſit Judex, eſt etiam Dominus ſupremus, qui poteſt ex mera miſericordia condonare; vel alio modo ſibi cognito, & benevifo.

Ad IV. negatur antecedens. Ratio eſt, quia elevatio hominum ad finem ſupernaturalem non habet cum incarnatione neceſſariam connexionem; quia elevatio hæc habetur formaliter per dona ſupernaturalia pure creata; ſcilicet per gratiæ, & virtutum infuſarum habitus; quæ quidem cum incarnatione neceſſariam connexionem non habent: Et hoc tum quia, hæc dona ſupernaturalia magis diſtant ab incarnatione, quam dona naturæ diſtent ab ipſis; tum etiam, quia admiſſa quoque elevatione, incarnatio eſt donum ipſi non debitum; ut per ſe patet.

Ad V. dicitur, quod ſuppoſita diſtinctione numerica Angelorum ejuſdem ſpeciei, potuerunt facile omnia individua illius naturæ perire; & ſic quum perierit illa angelica natura, potuit quoque perire humana. Quod vero Angeli ſint inflexibiles, & obſtinati, facit, ut Angeli non ſint capaces reparationis, homines vero ſint capaces. Hæc vero capacitas non neceſſitatem importat, ſed ſolummodo convenientiam; quam quidem utique Anſelmo, aliiſque cum ipſo ſentientibus, concedimus.

Ad VI. In neutro caſu ſequi aliquod inconveniens; ſiquidem in uno commendare-

Digitized by Google

tur quammaxime justitia Dei, in altero vero Dei misericordia.

Dicimus III. Ex suppositione redemptionis hominum per condignam, & perfectam satisfactionem, fuisse omnino necessariam incarnationem; non vero ex suppositione redemptionis imperfectæ.

Pro Conclusionis intelligentia præmittimus primo, quod satisfactio in genere est compensatio debiti, seu est operatio, per quam debitum compensatur. Multiplex est satisfactio, quia multiplex est debitum. Primo si debitum est in rebus, compensatio vocatur restitutio. Secundo si debitum est in actionibus, vocatur satisfactio. Peccatum continet actionem, in qua est injuria, & offensa Deo facta; hinc oritur debitum ad satisfaciendum Deo pro peccato. Hoc debitum duplex adsignatur, pœnæ scilicet, & culpæ. De debito pœnæ hìc non loquimur, quia connotat tantum pœnam temporalem; loquimur de debito culpæ, cum quo est annexum debitum pœnæ æternæ. Satisfactio pro debito culpæ duplex est; adæquata scilicet perfecta, & condigna, & inadæquata imperfecta, & non condigna, quæ etiam dici potest congrua. Prima est compensatio, quæ ex se adæquat injuriam illatam, & est actio, quæ reparat tantum honoris, & obsequii, quantum læsit actio peccaminosa. Secunda vero est compensatio, quæ ex se non adæquat, & proinde indiget favore extrinseco Dei læsi, ut injuria deleatur, & offensa remittatur; ut docet Cacheranus.

Præmittimus secundo ex eodem Cacherano, satisfactionem, & meritum, in pluribus differre, in pluribus convenire. Differunt primo, quia satisfactio supponit offensam, non sic meritum; secundo, quia satisfactio attenditur magis penes operis pœnalitatem, quam honestatem, meritum magis penes honestatem; tertio, quia satisfactio videtur tendere magis in bonum Dei, cui satisfit, quam in bonum proprium, meritum vero magis in bonum proprium, quam in bonum Dei. Conveniunt autem primo, qui requirunt easdem conditiones; unde sicut dividitur satisfactio in condignam, & congruam, ita etiam in condignum, & congruum dividitur meritum. Secundo, quia sicut in merito condigno apud Deum non requiritur quod sit ex justitia, dummodo sit ad perfectam æqualitatem; ita in condigna satisfactione sufficit etiam ut servetur materiæ æqualitas, quamvis justitiæ forma non intercedat. Tertio, quia sicut in merito congruo explicando a quibusdam conceditur illud in peccatore in ordine ad quodcumque bonum pure creatum, ita in congrua satisfactione hoc idem collocari posse censemus; unde putamus puræ creaturæ non esse negandam potentiam satisfaciendi imperfecte, & non condigne, pro peccato lethali; quod supponitur a Cacherano, & ab aliis Theologis probatum dicitur.

Præmittimus tertio, plures Scholasticos docere, puram creaturam habere capacitatem satisfacendi de condigno pro lethali peccato. Et sunt Alensis, Paludanus, Richardus, Aureolus, Scotus, Herincx, aliique antiqui, & Scotistæ passim. Ex his aliqui sustinent, contritionis actum habere ab intrinseco æqualem, aut forte majorem bonitatem, quam peccatum habeat malitiam: unde Aureolus tribuit contritioni vim satisfaciendi non solum de condigno, sed etiam ex justitia. Aliqui vero defendunt, contritionis actum hanc habere condignitatem dependenter a divina ordinatione; & ita sentit Herincx, apud laudatum Cacheranum. Alii Theologi ex adverso docent, nullam esse capacitatem in pura creatura ad satisfaciendum de condigno pro lethali peccato. Et sunt S. Thomas, Capreolus, Durandus, Ferrariensis, Joannes a S. Thoma, Gabriel a S. Vincentio, Gonetus, Suarez, Vasquez, Lugus, Arriaga, Esparza, Madernus, Cacheranus, & ex nostris P. Magnanus, P. Feraud, P. Palanco, P. Neri, aliique passim in Manuscriptis.

Præmittimus quarto ex P. Magnano, sensum quæstionis non esse, an creatura non assumpta ad hypostasim divinam, quæ venit nomine puræ creaturæ, possit Deo de condigno satisfacere suis propriis viribus, hoc est sine auxilio gratiæ divinæ; quia certum est, hoc fieri non posse. Neque sensum quæstionis esse, an possit Deo satisfacere de toto rigore justitiæ quælibet creatura, sive pura, sive assumpta; quia etiam certum est, hoc fieri non posse; quum hæc creatura vel non esset sui juris, & si esset suppositum divinum, non esset alterum a Deo: Hæc autem duo requiruntur ad satisfactionem de toto rigore justitiæ; scilicet, quod satisfaciens sit alter, & sit sui juris. Sed sensum quæstionis esse, ut ipse ait; an positis ponendis ex parte principii agendi, & merendi, fieri possit, ut pura creatura pro peccato lethali det condignam satisfactionem?

Sub-

Digitized by Google

Subditque, quoad hoc abſolutam eſſe propoſitionem negantem poſſe puram creaturam dare; & affirmantem, ſolam eſſe divinam dicto modo perſonam, quæ talem offerre, ac ſolvere queat ſatisfactionem. Hancque dicit eſſe Patrum ſententiam, quorum verba recitantur a Theologis paſſim.

I. Probatur prima Concluſionis pars ex Scripturis. I. Joann. 3.5. *Et ſcitis, quia ille apparuit, ut peccata noſtra tolleret, & peccatum in eo non eſt.* Ad quæ verba Auguſtinus in trac. 4. in Joann. Ep. docet: *In quo non eſt peccatum, ipſe venit auferre peccatum. Nam ſi eſſet & in illo peccatum, auferendum eſſet illi, non ipſe auferret.* Ad Rom. 3. docet Apoſtolus, omnes homines ad ſalutem comparandam eſſe *inutiles* ex pſal. 13., & deinde Chriſti ſatisfactionem commendat, tanquam unicum pro ſalute noſtra remedium, divinæ juſtitiæ offerendum, dicens: *Quem propoſuit Deum propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem juſtitiæ ejus in hoc tempore.*

II. Probatur ex Patribus; & quidem Patres quicunque docentes, non potuiſſe homines liberari, niſi per eum, qui ſimul eſſet Deus, hoc ipſo etiam ſententiam noſtram videntur docere. Suntque Iræneus lib. 3. c. 20. *Niſi homo conjunctus fuiſſet Deo noſtro, non potuiſſet particeps fieri incorruptibilitatis*; & hoc probat ex neceſsitate Mediatoris, per quem factum eſt, *ut & Deus aſſumeret hominem, & homo ſe daret Deo.* Affertur etiam S. Juſtinus in expoſitione fidei de vera, rectaque confeſſione, ubi aſſerit: *Filius qui & Deus eſſet, & homo Adæ peccatum delevit, & certa ut integerrima vita, quam egit, peccatum obliteraret &c. Hoc autem ipſo, quod Deus erat, id, quod diſſolutum, mortuumque erat, reſtitueret, & mortem funditus everteret.* Sed hoc Juſtini genuinum opus non eſt, ut Eruditi apud Bellarminum de Scriptor. Eccleſ. unanimiter fatentur. Athanaſius lib. de incarn. Verbi &c. *Cujus opera ad recuperandam iſtam gratiam requirebatur, niſi ſolius Verbi? Ejus etiam fuit id, quod corruptibile erat, iterum ad incorruptibilitatem reducere; & pro omnibus id, quod æquum rationique conſentaneum erat, Patri præſtare.* Et orat. 2. cont. Arianos poſt medium: *Si enim Dominus homo factus non fuiſſet, nunquam nos a peccatis vindicati ex mortuis reſurrexiſſemus.* Baſilius in pſal. 48. ad verba illa: *Non dabit Deo placationem ſuam* (homo) *& pretium redemptionis animæ ſuæ*; ſubdit: *Neque igitur fratrem quare in redemptionem, ſed eum, qui excedit naturam ſuam: neque hominem nudum, ſed hominem Deum Jeſum Chriſtum, qui etiam ſolus placationem dare poteſt pro omnibus nobis.* Ambroſius in pſal. 48. *Quando redempturus frater negatur, cum ipſe dixerit* (pſal. 11.) *narrabo nomen tuum fratribus meis? Sed non quaſi frater nobis, ſed quaſi homo Chriſtus Jeſus, in quo Deus erat, peccata dimiſit. Sic enim ſcriptum eſt* (2. Corinth. 5.) *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi. In illo Chriſto Jeſu, de quo ſolo dictum eſt: Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Auguſtinus Enchiridii c. 108. *Neminem gloriari debere in homine; nam neque per ipſum, liberaremur, unum Mediatorem Dei, & hominum, hominem Chriſtum Jeſum, niſi eſſet & Deus.* Et lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum c. 35. *Opus erat media juſtitia temporali, quæ eſſet de imis mixto & ſummis, atque ita ſe neque abrumpens a ſummis, & contemperans imis, ima redderet ſummis. Ideo Chriſtus mediator Dei & hominum dictus eſt.* Et ſer. 14. de tempore: *Tranſgreſſio illius primi hominis totum deceperat mundum, & nullum eſſet ſalutis remedium, niſi Chriſtus adveniret e cælo.* Et ſer. 8. de verb. Apoſtoli: *Non liberaretur genus humanum, niſi ſermo Dei dignaretur eſſe humanus.* Leo magnus ſer. 1. de paſſ. Dom. *Talibus vinculis tenebamur obſtricti, ut niſi per hanc opem non poſſemus abſolvi.* Et ſer. 8. de nativit. *In totius humani generis ſtrage communi unum ſolum fuit remedium ſub divinæ rationis occulto, quod poſſet ſubvenire poſtratis, ſi aliquis filiorum Adam originalis prævaricationis alienus atque innocens naſceretur, qui cæteris exemplo prodeſſet, & merito. Sed quia hoc naturalis generatio non ſinebat, nec poterat vitiatæ radicis ſine ſemine propago eſſe &c. Dominus David factus eſt filius David.* Et ſer. 1. de nativit. *Talis nativitas decuit Dei virtutem, & Dei ſapientiam Chriſtum, qua nobis & humilitate congrueret, & divinitate præcelleret. Niſi enim eſſet Deus, non adferret remedium; niſi eſſet homo verus, non præberet exemplum.* Vigilius lib. 5. cont. Eutychen: *Nam quia tranſgreſſione mandati inimici Dei extiteramus, & in contrarium animis diſcordantibus vergebamus, a ſupernis declinantes, & ad ima tendentes, neceſſe fuerat interventu miſerationis divinæ ſolutis inimicitiis, contraria in unum revocari, & ſupernis ima reſtitui: quod non aliter*

fieri

fieri potuit, nisi talis mediator existeret, qui de cœlestibus veniens, conniretur terrenis, retinens in se id, quod non erat. S.Fulgentius lib. de incarn. & grat. Christi, c. 4. *Nullatenus namque humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi unione Verbi Dei.* Honorius Augustodunensis lib.de prædest. & lib.arbitr. *Quod autem Filius Dei est incarnatus, seu pro homine immolatus; quantum ad ipsum, sola fuit voluntas; quantum ad hominem, summa necessitas. Nisi enim hic incarnaretur, ille nunquam salvaretur.*

III. Probatur Rationibus I. Nec solus Deus, nec pura creatura, possunt de condigno satisfacere pro lethali peccato: ergo solus potuit Deus-Homo; sed Deus per incarnationem factus est homo: ergo necessaria fuit incarnatio ex suppositione redemptionis hominum per condignam, & perfectam satisfactionem. Probatur antecedens. Deus secundum se est incapax merendi, & satisfaciendi: ergo non solus Deus. Insuper pura creatura non est æqualis dignitatis Deo offenso: ergo nec pura creatura. II. Ex P. Magnano ad condignam satisfactionem requiruntur hæc tria; restituere in specie ad æqualitatem violatum jus, quod est ad amorem super omnia; extinguere jus vindictæ suscipiendo totam pœnam debitam pro injuria, aut aliam illi exacte æquivalentem; & extinguere jus aversionis, quod non censetur formaliter extingui nec restitutione rei ablatæ, nec toleratione cujuscunque pœnæ; sed hæc tria a pura creatura præstari minime possunt, nec a solo Deo: ergo a Deo simul, & homine. Probatur minor. Primum non potest, quia non est æqualitas inter Deum, & creaturam; neque secundum, quia quæcunque pœna, quam subire potest pura creatura, est inæqualis injuriæ illatæ; neque tertium, quia nequit pura creatura restituere rem ablatam, ut patet: Neque potest hæc facere solus Deus, propter incapacitatem, quam habet merendi, & satisfaciendi; ut diximus. III. Ex eodem P. Magnano, quæcunque pura creatura, etsi cum quocunque auxilio supernaturali agendi gratiæ creatæ, non potest efficere perfectam, & condignam reconciliationem; hoc est non potest ex parte sui compensare injuriam illatam Deo: ergo nequit de condigno Deo satisfacere. Probatur antecedens. Injuria illata Deo est infinita: ergo nec cum gratia supernaturali, quæ est finita, potest a pura creatura, quæ etiam finita est, compensari. IV. Quæcunque creatura est incapax habendi, etiam de potentia absoluta, meritum condignum pro remissione peccati lethalis: ergo pariter est incapax exhibendi condignam satisfactionem. Consequentia sequitur; & antecedens probatur. Pura creatura non potest mereri nec sibi, nec alteri, primam gratiam, sed tantum augumentum gratiæ, de condigno: ergo &c. V. Satisfactio, quæ æquivaleat divinæ offensæ, habere debet quandam infinitatem ex objecto actus, per quod fieri debet; ex dignitate personæ, a qua fit satisfactio; ex conditione personæ, cui facienda est satisfactio; sed nulla pura creatura potest hanc satisfactionem exhibere: ergo &c. Minor patet, quia nulla pura creatura est infinita; major probatur. Offensa Deo illata est etiam ex triplici capite infinita; scilicet ex parte objecti, ex parte personæ offensæ, & ex parte hominis offendentis: ergo satisfactio, quæ debet correspondere offensæ, easdem debet habere infinitates. VI. Licet peccatum, ut a quibusdam affirmatur, habeat intrinsece malitiam finitam, tamen in ratione offensæ est infinitum, vel saltem est in supremo genere offensæ: ergo semper est incapax ad illud de condigno compensandum quæcunque pura creatura, quæ semper est finita, & ordinis inferioris.

Probatur modo secunda Conclusionis pars. Satisfactio imperfecta, & non condigna, sed congrua, non est necesse, ut sit ad æqualitatem, & potest suppleri per extrinsecum Dei auxilium; ut dictum est, & omnes fatentur: ergo admitti potest in pura creatura. Probatur consequentia. Rationes, propter quas diximus, potissimum non posse puram creaturam satisfacere de condigno, consistunt in negatione æqualitatis, & in insufficientia extrinseci supernaturalis Dei auxilii: ergo hæ rationes locum non habent in satisfactione imperfecta, & congrua, ut sit inter illas distinctio: ergo absque illis admitti potest hæc satisfactio.

Arguunt I. Auctoritates Patrum vel explicari possunt per suppositionem præsentis decreti, vel per condignitatem, quæ proveniat ex intrinseca, & personali dignitate operantis: ergo non efficaciter probant Conclusionem nostram. II. Sufficit gratia sanctificans, ut justus satisfaciat de condigno per sua opera pro pœna debita peccatis propriis: ergo etiam sufficit, ut satisfaciat de condigno pro peccatis alienis.

Digitized by Google

nis. Probatur conſequentia. Ideo poteſt juſtus de condigno ſatisfacere pro pœna, quia poteſt Deo offerre aliquid æquivalens pro pœna; ſed poteſt quoque offerre aliquid æquivalens pro culpa. Probatur minor. Tanta eſt bonitas actus charitatis, quanta eſt malitia peccati mortalis; quia malitia averſionis a Deo eſt menſurata per bonitatem converſionis: ergo &c. III. Si pura creatura non poteſt Deo ſatisfacere de condigno pro peccato lethali, quia eſt offenſa Dei, nec etiam poteſt de condigno ſatisfacere pro peccato veniali, quia hoc etiam eſt offenſa Dei; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Probatur minor. Actus charitatis magis Deo placet, quam peccatum veniale diſpliceat. IV. Malitia peccati mortalis eſt finita: ergo finita pariter eſt offenſa Dei. Conſequentia ſequitur; quia offenſa Dei eſt effectus malitiæ peccati: ergo non poteſt ſuperare ſuam cauſſam. Antecedens quoque ſupponitur, quia malitia peccati ex communi Theologorum ſententia eſt ſimpliciter finita, & ſolum eſt infinita ſecundum quid, ſcilicet ratione objecti, quatenus a Deo avertit, & ob inde meretur pœnam, quæ ſolum eſt infinita ſecundum durationem. Quod probatur paritate actus charitatis, qui in ſe finitus eſt ſimpliciter ratione ſuæ intrinſecæ bonitatis moralis; quamvis ſecundum quid, & ratione objecti, ſit infinitus, quatenus reſpicit Deum, & meretur vitam æternam, ſeu præmium, quod ſit infinitum ſecundum pariter durationem. V. Non ſemper offenſa creſcit ex dignitate perſonæ, cui infertur: ergo non deſumenda eſt ex ratione offenſæ incapacitas in pura creatura ad ſatisfaciendum pro peccato lethali. Probatur antecedens. Offenſa, quæ infertur Principi ab altero Principe, non creſcit ex dignitate perſonæ, cui infertur: ergo non ſemper offenſa creſcit ex dignitate perſonæ, cui infertur. VI. Si gravitas peccati lethalis deſumeretur ex ratione offenſæ Dei, omnia peccata lethalia eſſent æqualia; quia omnia peccata lethalia ſunt æqualiter offenſæ Dei; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. VII. Pura creatura poteſt Deo ſatisfare, ut ad nihil aliud teneatur: ergo poteſt ſatisfacere de condigno. Probatur antecedens. Poteſt ſatisfacere quantum poteſt; ſed qui ſatisfacit quantum poteſt ad nihil aliud tenetur: ergo &c. VIII. Poteſt Deus creare puram creaturam, quæ ſit infinita: ergo talis creatura eſſet ſufficiens ad ſatisfaciendum Deo pro peccato lethali, quod in ratione offenſæ ſupponitur infinitum.

Reſpondemus ad I. nullam eſſe neceſſitatem ad auctoritates Patrum limitandas, prout Adverſarii intendunt; tum quia Patres ſine reſtrictionibus illis loquuntur; tum etiam quia reſtrictiones illæ minime reſpondent ſenſui, in quo Patres ratiocinantur; ut illas ſerio conſideranti facili negocio innoteſcit.

Ad II. dicitur primo, quod quamvis antecendens ſit verum de pœna temporali, falſum eſt autem de pœna æterna. Dicitur ſecundo, quod conſequentia male infertur; & ratio eſt, quia licet, ut dicitur in minori propoſitione, quæ eſt probatio conſequentiæ, tanta ſit bonitas actus charitatis, quanta eſt malitia peccati mortalis, in ratione ſpecifica bonitatis, & malitiæ, quia ſimul Deum habent pro objecto; in ratione tamen injuriæ, & ſatisfactionis, eſt diverſa. Ad id, quod ſubditur, malitiam averſionis a Deo eſſe menſuratam per bonitatem converſionis, conceditur quoad bonitatem, & malitiam ſpecificam, ſive objectivam, negatur vero quoad injuriam, & ſatisfactionem. Igitur ſatisfactio pro pœna temporali importat ſolum ſolutionem pœnæ debitæ, ad quam non attenditur diſpoſitio debitoris, ſed æqualitas rei ad rem; & ob hoc poteſt unus ſatisfacere pro alio. At ad ſatisfactionem pro culpa attenditur interior ſubjectio offendentis ad offenſum, quæ fit per actum internum mutantem, quod nullus poteſt facere præter Deum; & attenditur quoque perſonæ ſatisfacientis infinita dignitas, quæ reſpondeat æquali ſatisfactioni Dei offenſi; ſic P. Feraud.

Ad III. dicimus, peccatum mortale, & veniale, convenire in eo, quod ab utroque lædatur perſona dignitatis infinitæ; at differre deinde in illo, quod in mortali ſit major averſio a Deo, & major converſio ad creaturam, quam in veniali; quia in mortali conſtituitur creatura ſimpliciter, & abſolute ultimus finis perſonæ peccantis; quod in veniali non accidit. Alii dicunt, quod veniale peccatum, quum non ſit gravis Dei offenſa, uti eſt mortale, non conſtituit Deo hominem injuſtum, nec dicit reatum pœnæ æternæ, ut dicit mortale, propter quod meretur annihilari a Deo. Alii reſpondent, actum charitatis objective magis placere Deo, quam peccatum veniale objective diſpliceat, non vero ſubjective, ſeu in ratione offenſæ, & ſatisfactionis. Ratio eſt,

Digitized by Google

est, quia ad satisfactionem de condigno requiritur æqualitas personarum; quod pariter docet P. Feraud.

Ad IV. respondet P. Magnanus, malitiam moralem, quæ est in peccato, posse considerari secundum quod est, in tali specie actus, deviatio a rectitudine talis in specie virtutis, convenientis homini ut rationali, ac debitæ, & rectæ rationis præscripto; & in hac consideratione est simpliciter in se finita; verum secundum quid, & negative dici potest infinita, quia privatio rectitudinis dictæ tanti momenti est, ut secundum prudentis judicium, nulla sit majoris, nec ulla ita dedeceat hominem. Posse insuper considerari, ut est violatio juris divini; & ita æstimanda est, ut æstimatur jus divinum. Et quia jus divinum esse, vigere, & obligare, est bonum non secundum quid, sed simpliciter infinitum; ideo malitia peccati lethalis, prout est violatio juris divini, & in ratione injuriæ, est pariter simpliciter infinita. Alia, quæ adduntur, solvuntur ex dictis.

Ad V. concedit Cacheranus assumptum de offensa universalissime sumpta, prout offensa esse potest sine contemptu; at negat de offensa sumpta minus universaliter, prout esse nequit sine contemptu; & quia sine contemptu esse nequit respectu Dei, ideo negat quodcunque infertur ex illo. Addit deinde rationem, cur offensa possit esse sine contemptu respectu creaturæ, non vero respectu Dei; aitque multiplicem hanc esse; & quia creatura potest in aliis bonis pati jacturam, non in honore, & fama, non sic autem Deus; & quia persona creata potest offendi in absentia ipsius, Deus autem semper offenditur in præsentia; & quia creatura potest offendi sine conceptu offendentis viliter de eo sentientis, non sic autem Deus.

Ad VI. dicimus cum eodem Cacherano, unum peccatum lethale posse esse gravius alio in ratione offensæ sumptæ quoad entitatem, aut intensionem, non vero sumptæ quoad ordinem. Rationem addit dicens, quod ordo offensæ in omnibus lethalibus desumitur a suprema Dei dignitate, quæ eadem est respectu omnium. At gravitas entitativa, vel intensiva, pendet a cognitione, ab affectu, & a voluntate peccantis, quæ quidem possunt esse majora, vel minora, & ideo peccata mortalia sunt inæqualia.

Ad VII. dicitur, quod satisfaciens quantum potest, etsi non teneatur ad aliquid faciendum, tenetur tamen ad aliquid patiendum; unde ex hac ratione argumentum non concludit. Nec concludit pariter ex hac altera, quia in residua portione, quam satisfacere non potest, vere non satisfacit, sed ei a creditore condonatur; unde dici non potest satisfactio, quæ solum est remissio.

Ad VIII. Admissa sententia illorum, qui putant, posse Deum creare puram creaturam infinitam, quod tamen quamplures Philosophi, & Theologi, mordicus negant; dicimus, illam puram creaturam non esse simpliciter infinitam, quale est peccatum in ratione Dei offensæ. Unde nulla esset proportio inter offensam Dei simpliciter infinitam, & in supremo ordine constituram, & inter puram creaturam secundum quid infinitam, & in inferiori ordine positam.

Denique pro postrema Dissertationis parte, non una est Theologorum opinio, circa rationem, ex qua incapacitas proveniat in pura creatura ad satisfaciendum Deo de condigno. Nobis animus haud est unam, aut alteram seligere, & cæteras refutare; sed potius omnes afferre cum Auctoribus suis, easque prout sunt probare magis, quam examinare, vel rejicere.

Primo Durandus asseruit, hominem non minus effici debitorem Deo ratione peccati commissi, quam ratione beneficii accepti; ac proinde quemadmodum pro beneficio accepto nihil potest reddere æquale, ita nec æquale potest reddere pro commisso peccato. Secundo Lugus, & Salas, docuerunt, quod si homines scirent, se posse Deum condigne placare, exponerentur periculo nimis frequenter peccandi, cui alias ex nimia ad peccandum proclivitate ex propria natura subjiciuntur. Tertio Vasquez vult, quod nostri actus contritionis, & dilectionis nunquam sint satisfactorii condigne, & totaliter pro debito peccati; & hoc ex eo, quod semper supponant condonatam aliquam partem debiti, quatenus supponunt collatum auxilium gratiæ actualis, quo, propter peccatum mortale, nos carere debebamus. Quarto Thomistæ desumunt incapacitatem, de qua loquimur, ex infinitate peccati. Quinto Esparza, Maderus, Arriaga, Suarez, Amicus, aliique, quibus Cacheranus subscribit, afferunt, puræ creaturæ incapacitatem ad exhibendam Deo condignam satisfactionem pro lethali peccato provenire potissimum ex eo, quod lethale peccatum sit in supremo

Digitized by Google

mo ordine offensæ; & rationem illius incapacitatis potissimam esse diversitatem, seu inæqualitatem generis, & ordinis inter offensam lethalem terminatam ad Deum, & satisfactionem quamcunque oblatam a pura creatura. Qui plura desiderat, citatos Auctores consulat.

DISSERTATIO CLXIV.

De existentia Incarnationis contra Judæos; ubi probatur, venisse Messiam in lege promissum; Messiam hunc esse Dominum Jesum Christum Nazarenum; in eoque completas fuisse prophetias, quæ de Messia in veteri lege præcesserunt.

CONTRA Incarnationis existentiam errarunt Judæi, errarunt Hæretici; at Judæi errarunt circa substantiam, Hæretici autem circa modum; hoc est Judæi errarunt negando absolute divinam Incarnationem fuisse factam; quia adhuc Messiam expectant, quem legunt in lege promissum; inficiantur autem hunc fuisse Christum Dominum; atque de eo verificatas fuisse prophetias, quæ habentur in Scripturis, omnino negant. Hæretici vero confitentur Christum Dominum fuisse Messiam, in lege promissum, & de eo verificatas prophetias affirmant; sed multos congerunt errores, vel circa naturam, aut divinam, aut humanam, vel circa Personam, vel circa alia, quæ sunt in Christo; itaut mysterium, quod confitentur, erroribus suis potius obnubilent, quam explanent, & in majori numero sint fabulæ, quibus illud devenustant, quam veritates, quibus deberent exponere, ac propugnare. Hac in præsenti Dissertatione agimus de Judæis, in sequentibus acturi de Hæreticis sigillatim; & contra Judæos provinciam sumimus probandi, Messiam, in lege promissum, jam venisse; Hunc fuisse Dominum Jesum Christum Nazarenum; & in eo Prophetarum oracula, quæ in lege veteri de Messia leguntur, completa omnino fuisse.

Messias vox est hebraica, formata a voce משיח *Masciach*, cujus radix est vox משח *Masciach*, quæ latine reddita idem sonat ac *Unxit*: Unde postmodum vox eadem græce, redditur *Christus*, & latine *Unctus*. Græce derivatur a verbo χριω, *chrio*, quod idem est ac *ungo*; tertia hujus verbi persona in præterito passivo est κεχριστα, *Kechristæ*; a qua, si auferatur augmentum syllabicum, derivatur immediate *Christòs*. Hoc idem nomen tributum legimus in Scripturis Regibus, ac Sacerdotibus; quia & Reges, & Sacerdotes, unguntur. Unde Isai. 45. 1. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro*; ubi Septuaginta legunt Christo meo, & textus hebraicus dicit, למשיחו, *Limscichò*; hoc est Uncto ejus, scilicet Domini. Et Psalm. 104. 15. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*; in quo Septuaginta habent: χριστους μου, *Christus mu*; & textus hebraicus משיחי, *Mescichài*, Messias meos, seu, quod idem est, Christos meos. Verum proprie, & absolute dicuntur nomina hæc de secunda Trinitatis persona, quæ humanitatem assumpsit, & Deus-Homo est; Hic profecto Messias cum Judæis, Christus cum Græcis, Unctus cum Latinis, a nobis omnibus communi vocabulo nominatur.

Hujus autem Messiæ, Christi, Uncti, characteres, & munia, recte describuntur, ac enumerantur a Tertulliano in lib. adversus Judæos c. 6. verbis hisce: *Et quidem*

Digitized by Google

in primis quærendum, an expectetur nova Legis lator, & novi testamenti hæres, & novorum sacrificiorum Sacerdos, & novæ circumcisionis Purgator, & æterni Sabbati cultor; qui legem veterem compescat, & novum testamentum statuat, nova sacrificia offerat, & cæremonias antiquas reprimat, & circumcisionem antiquam cum solo sibi sabbato compescat, & novum regnum, quod non corrumpatur, adnuntiet. Messiam hunc veniſſe fatentur omnes, qui chriſtiano nomine gloriantur, ſive catholici ſint, ſive acatholici; hoc enim eſt præcipuum chriſtianæ religionis caput, quo ſublato, tota religio tollitur. Quod patet evidenter in pluribus novi teſtamenti locis; & præcipue Joan. 4. Mulier Samaritana dicebat: *Scio, quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus*; & Chriſtus ei reſpondit: *Ego ſum, qui loquor tecum*. Et Matth. 16. Petrus dixit Chriſto: *Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi*: & Chriſtus eidem: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt*. Et Joann. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Igitur non cum Hæreticis eſt hæc controverſia, ſed cum Judæis tantum, & eadem eſt ex veteris teſtamenti oraculis dirimenda.

In veteri autem teſtamento multæ ſunt promiſſiones de Meſſia venturo; quorum quædam ſunt ſimpliciter factæ, abſque temporis deſignatione, vel determinatione; aliæ vero ſunt cum certa temporis deſignatione, & determinatione. Has omnes hac in Diſſertatione afferemus, & a Judæorum cavillationibus vindicabimus; ut poſſimus, ſi Deus aderit, & Judæorum obſtinationem frangere, & eorundem cæcitatem illuminare. Unde

Dicimus I. Ex Jacobi morientis vaticinio Gen. 49. ſatis aperte colligi, Meſſiam, divinitus repromiſſum, jam adveniſſe.

Probatur I. Textus verba fideliter afferendo: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, aſcendiſti; requieſcens accubiſti ut leo, & quaſi leæna: quis ſuſcitabit eum? Non auferetur ſceptrum de juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, o fili mi, aſinam ſuam. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uva pallium ſuum. Pulchriores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Atqui hæc verba in Verſionibus omnibus leguntur, ut vere probent contra Judæos Meſſiam, in lege repromiſſum, jam adveniſſe: ergo &c. Probatur minor. Textus Hebræus hanc exhibet ad literam verſionem: *Non recedet Sceptrum a Juda, & Legislator de inter pedes ejus, uſque quo veniat Silob; & erit ei obedientia populorum*. Quod vero per vocem *Siloh* ſignificetur Meſſias, unanimis eſt mens Chaldæorum Paraphraſtarum; hoc eſt Thargum Onkeloſi, Hieroſolymitanum, & Jonathanis. Thargum Onkeloſi habet: *Non auferetur habens principatum a domo Judæ; neque Scriba a filiis filiorum ejus, donec veniat Meſſias, cujus eſt regnum, & ei obedient populi*. Thalmud Babylonicum tract. Sanhedrin c. 11. ait: *Quodnam nomen Meſſiæ? Qui de domo R. Schilæ dixerunt, Siloh nomen ejus, quia dicitur: donec veniat Siloh.* Ita etiam Bereſith Rabba, & Ketanna, R. David Kimchi, R. Abraham Aben Ezra, R. Salomon Jarchi, & R. Joſeph in Ikkarim, ſive fundamentis fidei.

II. Probatur. Præfata Jacobi vaticinii verba Septuaginta Interpretes, aliique, ita intelligunt, ut per ipſa oſtendant, Meſſiam, in lege promiſſum, jam adveniſſe: ergo &c. Probatur antecedens. Septuaginta Verſio hæc habet: *Non deficiet Princeps ex Juda, & Dux de femoribus ejus, donec veniant quæ repoſita ſunt ei. Et ipſe eſt expectatio Gentium.* Explicat Euſebius lib. 8. demonſtr. evangel. c. 1. intelligi, donec impleantur Dei promiſſiones, quibus futurum promiſit, *ut in Abrahami, Iſaaci, & Jacobi ſemine benedicerentur omnes cognationes terræ. & Reges de lumbis Jacob egrederentur*. Pariter Interpretes Syrus, & Arabs intelligunt vaticinium de regno Meſſiæ. Ait Syrus: *Non deficiet Sceptrum de Juda, & Expoſitor de inter pedes ejus, donec veniat is, cujus illud eſt, & ipſum expectabunt gentes.* Arabs inquit: *Non præteribit virga de Juda, & Legislator de ſub imperio ejus, donec veniat is, cujus ipſe eſt, & ad quem congregabuntur populi*. Inſuper Textus Samaritanus ſic redditur: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de vexillis ejus, donec veniat Pacificus, & ad ipſum congregabuntur populi.* Nomine autem Pacifici venire Meſsiam, conſtat Pſal. 61. Iſai. 9. Michææ 5. &c.

III. Probatur. Latina Verſio optime congruit cum hebraico textu, & Patres omnes latinam verſionem amplectuntur; ſed latina verſio evidenter oſtendit propheticum vaticinium eſſe de Meſſia, qui

jam

Digitized by Google

jam venit: ergo &c. Probatur antecedens pro prima parte: Ubi latina versio dicit: *qui mittendus est*; Textus hebraicus ait: *Siloh*; sed Siloh idem est ac mittendus, seu Missus: ergo &c. Probatur minor: Joann. 9. dicitur: *Vade, lava in natatoria Siloë (quod interpretatur Missus)*. Insuper, aliis in locis Messias dicitur venturus, quod idem est ac missus; sic Matth. 11. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Joan. 4. *Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus: Cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia*. Ad Hebr. 10. *Adhuc enim modicum; qui venturus est, veniet, & non tardabit*. Hoc autem ex Habacuc 2. desumptum legitur. Probatur etiam minor pro secunda parte; nam ita, ut diximus, interpretantur Origenes hom. 17. in Genes. Justinus in dialog. cum Tryphone, Eusebius Cesaraeens. demonstr. evangel. lib. 8. c. 1., & lib. 1. hist. eccles. c. 6. Athanasius lib. de incarnat. Verbi; Ambrosius lib. 3. in Evangel. Lucae, & in libello de benedictionibus Patriarcharum; Chrysostomus hom. 67. in Genes., Hieronymus in c. 1. Sophoniae; Augustinus lib. 16. de civ. Dei c. 41., & lib. 12. cont. Faustum c. 42., Cyrillus Alexandrinus lib. 8. cont. Julianum; Theodoretus q. 110. in Genesim, aliique passim.

Opponunt I. Judaei. Vox *Schevet*, quae a Latino Interprete legitur *Septrum*, seu Virga, non significat virgam dominationis, sed tribulationis, & tyrannicae oppressionis; unde fiat sensus: *Non recedent a Tribu Juda vexatio, & oppressio, quoad veniat Messias*; sed adhuc Judaei sunt sub oppressione, & vexatione: ergo nondum venit Messias. II. Etsi per vocem illam importetur sceptrum, significatur tamen, quod post adventum Messiae ita sceptrum illud Judaicae Tribui dabitur, ut ab ea numquam erit auferendum: ergo non significat Messiae adventum. III. Per verbum *Silob* significatur urbs *Silo*, in qua fuit arca Domini, & ubi Saul unctus est rex; unde hujusmodi sit sensus: *Non recedet principatus a tribu Juda, donec veniat Silo, hoc est donec in Silo Saul, in quem transferri debet Judae principatus, in regem ungatur*. IV. Per verba illa: *Qui mittendus est*: intelligitur Nabuchodonosor, rex Chaldeorum, quem misit Deus ut Judaeorum scelera puniret; ut afferunt Jeremias, & Ezechiel; *Tribus Juda potietur imperio, donec veniat. Nabuchodonosor rex*. V. Vaticinium, de quo loquimur numquam attulit Christus, numquam Apostoli in medium produxerunt, ut probarent, jam venisse in mundum Messiam, de quo fuerant loquuti Prophetae: ergo non cognoverunt, vaticinium illud ad Messiam pertinere.

Respondemus ad I. quod quae promittuntur in prophetia hac tribui Juda sunt omnia fausta, & prospera, non vero infesta, & adversa, ut per se patet; nequit ergo intelligi per verbum *Schevet* virga tribulationis, & oppressionis. Insuper, falsum omnino est, quod vexatio non recesserit a tribu Juda a Jacobi morte usque ad Messiae adventum; quia tribus Juda a Davide usque ad Sedeciam, per annos scilicet quingentos, dominium semper in Judaeorum populo exercuit; quod constat aperte ex libris Regum. Ulterius, intelligenda est illa virga, quae pertinet ad Ducem; sed haec est sceptrum: ergo &c. Denique, omnia Hebraeorum vocabularia, edita etiam ab ipsis Judaeis, pro Schevet referunt sceptrum; & affertur illud Davidis in psal. 44. *Virga directionis, virga regni tui*; per quod sceptrum absque controversia importatur.

Ad II. dicitur, quod si caetera verba, quae leguntur in vaticinio, tempus respiciunt futurum, cur sola haec arctantur a Judaeis, ut ad praeteritum retrahantur? Idem est loquendi modus de omnibus; igitur si caetera de futuro sunt intelligenda, haec pariter de futuro intelliguntur. Etiam, non sunt synonima adverbium *donec*, & adverbium *postquam*: perperam ergo Judaei ista confundunt; & ubi dicitur: *donec veniat, qui mittendus est*; absque ratione legunt: *Postquam venerit Messias, sceptrum a tribu Juda deinceps non auferetur*.

Ad III. Si vera esset haec altera Judaeorum explicatio, nullus esset vaticinii verborum sensus; hic enim sensus redderetur: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat urbs Silo*; qui sensus nullus est. Adhuc, Sceptrum non erat in tribu Juda, sed in tribu Levi, ante Saulis regnum; quia Heli, & Samuel, postremi Judices ante Saulem regem, erant ex tribu Levi, & ex tribu Ephraim. Insuper, Judaeorum regnum non transiit a tribu Juda ad Saulem, sed potius a Saule translatum est ad tribum Juda, de qua erat David, & a David pertransiit ad reges omnes, qui erant ex tribu Juda oriundi, usque ad Sedeciam regem. Ulterius, Saul non fuit creatus, nec unctus rex in Silo, sed in Masphat; ut ex I. Reg. 10. Denique nulla ratione

Digitized by Google

convenire possunt Sauli verba illa prophetiæ: *Et ipse erit expectatio gentium.*

Ad IV. Nec etiam Nabuchodonosori conveniunt præfata verba: & ipse erit expectatio gentium; non enim gentes eum expectabant, sed pertimescebant, ac formidabant. Pariter, Judæi ipsi fatentur, Nabuchodonosorem regem non fuisse Messiam, in lege promissum; solus autem Messias, in lege promissus, dicitur simpliciter, & absolute missus, vel mittendus: ergo verba illa non possunt de Nabuchodonosore intelligi.

Ad V. Nec Christus Dominus, nec ejus Apostoli, protulerunt omnia, & singula vaticinia Prophetarum, quæ Messiam respiciebant; sed solummodo illa in generali innuerunt, remittendo Judæos ad Moysem, & Prophetas, Unde Lucæ 16. dicebat Christus: *Habent Moysem, & Prophetas, audiant illos.* Insuper Joann. 5. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illa sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Et Joann. 5. *Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit.*

Dicimus II. Ex eodem Jacobi vaticinio constare, fuisse illud in Domino nostro Jesu Christo adimpletum.

I. Probatur ex Patribus, qui hoc ipsum apertissimis verbis asserunt, & probant. S. Augustinus lib. 12. cont. Faustum c. 42. hæc scribit: *Falsa sint ista, obscura sint ista, si non in Christo evidentissima luce claruerunt; si non eum laudant fratres ejus Apostoli, & omnes coheredes ejus, non suam gloriam quærentes, sed ipsius; si non sunt manus ejus super dorsa inimicorum ejus. Si non deprimuntur, atque curvantur ad terram, crescentibus Populis christianis, quicumque illi adhuc adversantur. Si non adoraverunt eum filii Jacob in reliquiis, quæ per electionem gratiæ salvæ facta sunt. Si non ipse catulus est leonis, quoniam nascendo parvulus factus est; Propter hoc additum, De germinatione filius meus. Causa quippe reddita est, quare catulus, in cujus laude alibi scriptum est, Catulus leonis fortior jumentis: hoc est, etiam parvulus fortior majoribus: Si non ascendit in Cruce recumbens, cum inclinato capite reddidit spiritum: Si non dormivit ut leo, quia & in ipsa morte non est victus, sed vicit, & ut catulus leonis: inde enim mortuus est unde & natus: Si non ille eum suscitavit a mortuis, quem nemo hominum vidit, nec videre potest. Eo enim quod dictum est, Quis suscitabit eum? satis expressa est tanquam ignoti significatio. Si defuit Princeps de Juda, & Dux de femoribus ejus, donec venirent opportuno tempore, quæ promissa tanquam reposita fuerant. Sunt enim litteræ certissimæ Historiæ ipsorum quoque Judæorum, quibus ostenditur, primum alienigenam Herodem Regem fuisse in Gente Judæorum, quo tempore natus Christus est. Ita non defuit Rex de semine Juda, donec venirent quæ reposita erant illi. Sed quia non solis Judæis fidelibus profuit, quod promissum est, vide quid sequatur.* Et ipse erit expectatio Gentium. *Ipse alligavit ad vineam pullum suum, id est, Populum suum, in cilicio prædicans, & clamans:* Agite pœnitentiam, appropinquavit enim Regnum Cœlorum. *Populum autem Gentium illi subditum cognoscimus pullo asinæ comparatum, in quo etiam sedit docens eum in Jerusalem, id est, in visionem pacis, docens, mansuetos suos suas. Si non lavit in vino stolam suam; ipsa est enim gloriosa Ecclesia, quam sibi exhibet non habentem maculam, aut rugam:* Cui dicitur etiam per Isaiam: Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, tanquam nivem dealbabo. *Unde nisi de dimissis peccatis? In quo ergo vino, nisi in illo, de quo dicitur:* Quod pro multis effundetur in remissionem peccatorum? *Ipse est enim botrus ille, qui pependit in ligno. Propterea & hic vide quid adjungat:* Et in sanguine uvæ amictum suum. *Jam vero fulgere oculos ejus a vino illa in corpore ejus membra cognoscunt, quibus donatum est sancta quadam ebrietate alienata mentis ab infra labentibus temporalibus, æternam lucem Sapientiæ contueri. Unde quiddam paulo ante commemoravimus, dicente Paulo:* Sive enim mente excessimus Deo. *Hi sunt fulgentes oculi a vino. Sed tamen quia sequitur:* Sive temperamus nobis: *Nec parvuli relinquuntur, adhuc lacte nutriendi, quia & hic sequitur:* Et dentes ejus candidiores lacte. *Quid ad hæc respondetis, insani? Nempe ista manifesta sunt; nempe omnes, non dico calumnias contradictionis, sed etiam nebulas dubitationis expellunt.* Augustino consentiunt Justinus Martir in Dialogo cum Tryphone, Origenes, Eusebius lib. 8. demonstr. evangelic., Chrysostomus hom. 67. in Genes., Ambrosius lib. de Benedictionibus Patriarcharum c. 4., Cyrillus Alexandrinus lib. 7. Glaphyrorum in Genesim, Theodoretus quæst. 110. in Genes.

II. Probatur ex convenientia, quam habet vati-

vaticinium secundum omnes sui partes cum persona Christi Domini. Et primo convenium Christo verba illa: *Juda, te laudabunt Fratres tui; manus tua in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te Filii Patris tui*. Enim Christiani, quos vocabat Fratres, laudant eum, adorant eum, & laudarunt, & adoraverunt; inimici autem ejus percutiuntur ab ipso, & percussi fuerunt, ut perhibent historiæ. Secundo verificantur hæc alia: *Catulus leonis Juda: ad prædam, Fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna; quis suscitabit eum?* Fuit enim in Christo regium genus, & fortitudo invincibilis; & ad prædam ascendit, quando e Dæmonum tyrannide humanum genus liberavit; insuper ostenditur in illiusmet Christi mors, & resurrectio. Tertio verificantur hæc pariter: *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; & ipse erit expectatio Gentium*. Et revera Principatus, & regnum Tribus Juda in Christi adventu finem habuit; quod sequentibus rationibus probatur. Promissio regni vel facta ad Tribum Juda tantum; ut volunt Origenes, Epiphanius, Cyrillus, Augustinus; vel ad totam Judaicam Gentem, in qua Tribus Juda excellebat; ut asserunt Justinus Martir, Eusebius Cæsareensis, Athanasius, Ambrosius; vel ad Senatum hebraicum ex septuaginta Viris compositum, quem Synedrium magnum, vel domum Judicii magni Hierosolymitani, vocabant; at semper hæc omnia in Christi adventu terminum habuerunt. Quod sic probatur. Herodes tenebat regnum in ortu Christi; sed Herodes erat alienigena, & tenebat illud a Romanis jure fiduciario: ergo regnum Juda, quocunque modo intelligatur, jam in adventu Christi defecerat: ergo illa omnia in Christi adventu terminum habuerunt. Quod Herodes fuerit alienigena, scilicet Idumæus, habetur ex Joseph Judæo lib. 14. Antiquit. Judaic. cap. 2. 27. & alt. Et lib. 1. de bello judaico c. 5., ex Eusebio lib. 1. hist. c. 6., Julio Africano, Epiphanio hæres. 20. Hieronymo, Ambrosio lib. de benedictionis Patriarcharum c. 4. Augustino lib. 18. de civ. Dei, Cyrillo Alexandrino lib. 7. Commentariorum in Genes. Insuper incepta in Herode regiæ potestatis abrogatio, & a Tribu Juda, & a tota Judaica Gente, in Titi excidio completa est. Tunc enim Synedrium magnum abductum est captivum Hierosolymis Babanam quadraginta annis ante excidium secundi Templi; ac deinde omnino sublatum legimus. Ac denique tota gens Hebræorum dispersa, sine regno, sine sacerdotio, facta est ubique gentium Opprobrium hominum, & fabula Populorum.

III. Probatur: Si vaticinii Jacobi verba non fuissent in Christo Domino adimpleta, ideo esset, vel quia Tribus Juda sceptrum omni tempore non tenuerit, vel quia non sola Tribus Juda tenuerit, vel quia etiam post Christi mortem tenuerit; sed hæc omnia verificationi vaticinii in persona Christi Domini non obstant: ergo vere verba vaticinii Jacob in Christo sunt adimpleta. Probatur minor. Sufficit ad verificandum, quod Tribus Juda sceptrum omni tempore tenuerit, si semel dicatur, & probetur, non eo sensu debuisse sceptrum permanere usque ad Messiæ adventum in Tribu Juda, quod semper fuerit actu penes Duces orios ex illa Tribu; sed satis fuisse, quod illa Tribus nunquam perdiderit jus, quod habebat ad sceptrum: vel quod idem est, quod nunquam perdiderit proprietatem dominii, & regni, quamvis non habuerit usum in actu; sed hoc negari non potest: ergo &c. Probatur minor. Promisit Deus terrenum regnum Viris, qui ex tribu Juda proventuri erant; at non habuerunt semper actu: ergo habuerunt habitu, & jure ad illud, seu habuerunt dominium proprietarium absque actuali usufructu, & usu. Probatur minor. A Moyse usque ad David sceptrum Hebræorum non fuit semper penes Viros ex Tribu Juda; postea apud neminem fuit, quamdiu Babylonica captivitas perduravit; deinde post successorem Zerobabelis usque ad Herodem fuit penes Asamonæos, qui erant ex Tribu Levi: ergo verum est, quod regnum non habuerunt semper actu Viri ex Tribu Juda. Habuerunt autem jus ad sceptrum, seu jus possidendi sceptrum; ut ait Huetius Demonstr. Evangel. prop. 9. f. 413.; sed jus ad sceptrum, seu jus possidendi sceptrum, ex eodem, simplicer appellatur sceptrum, regnum, & principatus: ergo semper remansit sceptrum in Tribu Juda quoad jus, quamvis aliquando non remanserit quoad juris exercitium. Post Christi vero adventum nec quoad jus, nec quoad exercitium, remansit; quia omnia Judæorum jura, privilegia, decora, misere deperdita remanserunt; ipsique Judæi tantum abest ut alicubi

cubi dominentur, quod potius in fere Principum omnium regnis tanquam vilia mancipia vivant, ac deserviant.

Objiciunt I. Qui fuerunt primi Hebræorum Duces, fuerunt Moyses, & Josue; primus ex Tribu Levi, secundus ex Tribu Ephraim; post hos fuerunt Judices quindecim usque ad Saulem; ex his duo tantum fuerunt ex Tribu Juda scilicet Othoniel, & Abesam. Saul postmodum fuit ex Tribu Beniamin; David ex Tribu Juda, & a Davide usque ad Babylonicam captivitatem, hoc est per annos quadringentos septuaginta tres, fuit semper sceptrum in tribu Juda. Advenit deinde Captivitas Babylonica, & nullus fuit inter Judæos, qui principatum haberet. Post Babylonicam captivitatem usque ad Herodem principati sunt Pontifices, qui erant ex Tribu Levi. His positis, nullo modo potest vaticinium Jacob verificari; qui non fuit principatus in Tribu Juda usque ad Christi adventum, quum fuerit per annos tantum quadringentos septuaginta tres ex mille, & quingentis annis, qui ab egressu ex Egypto usque ad Christum fluxerunt: ergo nullum est argumentum ex vaticinio illo desumptum. II. Si pro Juda intelligitur sola Tribus Juda, & si pro sceptro intelligitur jus ad sceptrum, ante David nullum jus fuit ad sceptrum in Tribu Juda, quod probatur; quia ante David nullus fuit ex Tribu Juda, qui sceptrum tenuerit; nullum autem datur jus, ubi nulla fuit possessio, nec proprietas: ergo non verificatum fuit vaticinium Jacob ante David. III. Nulla est differentia inter Judæos in captivitate Babylonis, & Judæos, qui fuerunt post excidium Titi; sed dicimus nos, post excidium Titi amisisse regnum: ergo etiam in Babylonica captivitate amiserunt; aut si tunc non amiserunt, quia habebant jus ad sceptrum, quanvis sceptri possessionem non haberent, nec pariter modo dici potest, quod amiserint, quia etiam dicere possunt, se habere jus ad sceptrum, quanvis possessione priventur. IV. In captivitate Babylonica sceptrum fuit penes Caldæos, & post illam fuit penes Assamonæos, qui post Zerobabelem usque ad Herodem eo potiti sunt. Hoc autem fuit vel ex successionis jure, vel ex lege electionis Populi, vel ex jure præscriptionis; quæ omnia, & singula sufficiunt ad inducendum jus simul cum possessione consolidatum; ut ajunt juris Periti. V. Si pro sceptro intelligitur jus ad sceptrum, tempore Herodis habebat sceptrum Tribus Juda, quia habebat jus ad sceptrum: ergo non debuit tempore illo venire Messias, ut venit. Probatur consequentia. Messias venire debebat quando completum erat vaticinium; hoc est quando amplius sceptrum non erant in Tribu Juda; sic enim præseferunt verba illa: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est*; sed Herodis tempore erat sceptrum in Tribu Juda, quia Tribus Juda habebat jus ad sceptrum: ergo tunc venire non debuit Messias. VI. Est in Asia, qui Judaicum Imperium tenet, quique dicitur Aechmalotarcha, oriundus semper e Tribu Juda, & quem Judæi Patriarcham aplant; & hic cum posteris suis regnum Judæorum habebit usque ad Messiam, quem venturum fabulantur: ergo sceptrum de Tribu Juda adhuc non est ablatum: ergo in Christo non completum est vaticinium. VII. Hebraice Sceptrum dicitur *Schevet*, ut dictum est; per quod verbum significatur virga, & quidem virga indignationis in manu Tyranni; quia Hebræa gens usque ad Messiæ adventum percutienda est virga furoris Dei; quod modo verificari perfidi Judæi lamentantur. VIII. Promissio facta a Deo Populo Judæorum de conservando regno in Tribu Juda non fuit absoluta, sed conditionata; si scilicet pietatem coluissent, & Dei legem servassent: ergo quod regnum non conserverur in Tribu illa, non est argumentum, quod Messias venerit, sed potius, quod Hebraica Gens pietatem non coluerit, & Dei legem non servaverit.

Respondemus ad I. Catholicos Doctores multipliciter proposito argumento occurrisse, ut orthodoxam assertionem tuerentur. Primo enim dixerunt aliqui, sceptrum fuisse semper in Tribu Juda, quia hæc erat numerosior, & florentior cæteris Tribubus; & hujus sententiæ fuit Eusebius lib. 8. de demonstr. evangel. Secundo asseruerunt alii cum Cyrillo Alexandrino lib. 8. in Julianum, Tribum Juda in Hebraico Populo dominium habuisse etiam post Babylonicam captivitatem, & ad Herodem usque. Tertio alii cum Lyrano, Tostato, Carthusiano, volunt, post Babylonicam captivitatem perseverasse regnum in Tribu Juda, quia Pontifices, in quibus erat summa potestas, licet essent ex parte Patrum ex Tribu Levi, erant tamen ex parte Marum ex Tribu Juda. Quarto plures docent cum Genebrardo

Digitized by Google

brardo in Chronologia, Machabæos, qui in Judæa post Babylonicam captivitatem principati sunt, ex utroque genere, materno scilicet, & paterno ex Tribu Juda fuisse. Quinto asserunt nonnulli cum Paulo Burgensi, Septuaginta Viros, qui componebant Sanhedrim, & ad quos spectabat Legem Moysis conservare, & secundum illam judicare, fuisse omnes ex Tribu Juda electos. Sexto plures post Pererium, aliosque dicunt, per Tribum Juda significari totam gentem Hebræorum, in qua principatus esse debebat usque ad Messiæ adventum. Et quamvis diceretur in vaticinio de Tribu Juda, id nihilominus dicebatur per congruam applicationem, quam Scholæ dicunt appropriationem. Tempus autem captivitatis Babylonicæ, asserunt, non esse considerandum, quia parvi momenti fuit respectu tot seculorum, quibus Hebræa gens regno potita est. Septimo alii cum Cardinali Cajetano docent, verificari vaticinium per hoc, quod Tribus Juda, quamvis aliquando perdiderit regnum, nunquam tamen amisit jus ad regnum; unde ante Messiæ adventum semper sperabat acquisituram se sceptri proprietatem, quamvis eam non haberet. Quam sententiam amplexatus est Huetius, Juenin, & nos quoque cum ipsis amplectimur.

Ad II. dicimus vaticinium Jacob tunc fuisse verificandum, seu a tempore illo, quo ipsum plene fuit impletum. Quomodo enim poterat conservari dominium in ea Tribu, ad quam adhuc non pervenerat? Ad Tribum Juda pervenit regia potestas, quando David electus fuit Rex; a tempore igitur illo debebat in eadem Tribu regia potestas permanere; & quidem permansit semper, si non quoad possessionem, & usum, saltem quoad jus, & proprietatem. Igitur ante David, quia regia potestas non inceperat a Tribu Juda exerceri, nullum in ea erat jus ad illam; post David vero fuit, quia Davidis tempore jam incepit Tribus Juda regiam potestatem exercere.

Ad III. Discrimen in eo esse, quod captivitatis illius tempore servabatur quidem Tribuum distinctio in scriniis publicis, & in aliis quoque regionum locis, erat proxima libertatis spes, adeoque retinebatur ad regnum jus. At modo, quum captivitas hæc perduret adhuc post decem, & fere septem secula, & nulla habeatur Tribuum vel differentia, vel discretio, vel memoria; nulla effulgeat spes regnum recuperandi; præscriptione quidem tot seculorum non solum deperditum est regnum, verum quoque jus omne ad regnum. Accedit Judæorum dispersio, qua fit ut nullam constituant communitatem; unde apud illos nec respublica, nec regnum, possit aliquando sperari.

Ad IV. dicitur, quod Chaldæi, dominium habuerunt quidem supra Judæos, at nullum habuerunt jus ad illud. Quum enim non ratione, & jure, sed vi, & armis dominarentur supra illos, nullum poterant jus acquirere, ut legitime dominationem exercerent. Non poterant potestatem, quam exercebant, successione honestare; quia nullam cum antecedentibus Regibus cognationem habebant; non electione, quia nunquam populus ad eos eligendos convenerat; non præscriptione, quia non fuerat illius latitudinis tempus, quo dominati sunt, ut ad inducendam præscriptionem in regnis sufficiens esset; ut Juris consulti fatentur. Immo si fuisset tempore legitimata præscriptio, nulla quoque fuisset, quia contra Dei ordinem constituta. Deus enim præceperat, ut usque ad Messiæ adventum penes solam Tribum Juda esset regia potestas. Si igitur de facto penes alios fuit, injuste, illegitime, & inaniter, fuit. Quod quidem in præsenti rerum statu dici omnino non potest; ut cuilibet est cognitum. Ad quod dicitur de Assamonæis respondent alii ex parte materna originem traxisse ex Tribu Juda.

Ad V. Particula *Donec* aliquando in Scripturis significat rem, quæ affirmatur, tunc desituram, quando advenit illa, quæ eidem particulæ subjicitur: Aliquando vero importat, quod circa illud tempus res terminabitur, quo adveniet illa, quæ ipsi subnectitur. Juxta priorem explicationem habetur illud Geneseos 3. 19. *In sudore vultus tui vescéris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es:* Item Job. 27. 5. *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* Posteriori autem modo legitur illud Geneseos 8. 7. de Corvo; *qui egrediebatur, & non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram*; non enim est sensus, donec siccarentur omnes aquæ, sed potius quum aquæ exsiccari incepissent, & prope essent ut exsiccatæ apparerent. Item Joannis 13. 38. dicitur Petro a Christo Domino: *Amen, amen dico tibi: Non cantabit Gallus, donec ter me neges.* Et tamen Gallus semel, & bis cantavit, antequam Petrus ter negasset. Igitur sen-

sensus est vaticinii, de quo loquimur; *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est*; quod circa tempus, quo auferri debet Sceptrum a Tribu Juda, Messias adveniet; non vero quod Messias non veniet, nisi ablato sceptro a Tribu Juda.

Ad VI. Somnia sunt illa, quæ objiciuntur, rudium, & imperitissimorum ex Judæis, qui sibi fingunt regna, & principatus extra orbis fines, ad quos qui majorem terræ partem peragrarunt, nunquam appulerunt. Cæterum doctiores inter illos hæc eadem nunquam sibi persuadent, quum ingenue fateantur adimpletum illud Oseæ 3. 4. *Dies multos sedebunt Filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim.* Et sunt R. Isaac Abrabaniel Comment. in Isai. R. David Kimchi in Osea, R. Bechai, R. David Ganz, R. Manasse, R. Isaac Akrich, aliique apud Natalem Alexandrum. Quod si producant Origenem ad Julium Africanum scribentem, Judæos aliquando in reos animadvertisse post Hierosolymitanum excidium, illosque dictos fuisse Æthnatarchas; dicimus, hoc illos effecisse, vel dissimulantibus, vel permittentibus Romanis, præcipue in Religionis caussis, quæ ut plurimum Judæis ipsis judicandæ remittebantur; ut dictum fuit illis a Pilato Joan. 18. 31 *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate.* Cæterum tantum abest ut Origenes Judæis faveat, quod potius lib. 4. Periarchon c. 1. Judæorum rejicit & arguit vanitatem. Ait enim de Christo: *Quid vero inde dicendum est, quod Prophetæ de ipso ante prædixerant, Non cessaturos Principes ex Juda, neque Duces de fœmoribus ejus, usquequo veniat ille, cui repositum est, Regnum scilicet, & usquequo veniat exspectatio Gentium? Manifestissime enim ex ipsa Historia apparet, ex his, quæ hodie pervidentur, quia ex temporibus Christi ultra Reges apud Judæos non extiterunt. Sed & illæ omnes ambitiones Judaicæ, in quibus se jactabant quamplurimi, & in quibus exultabant, vel de Templi decore, vel de Altaris insignibus, atque omnibus illis Sacerdotalibus Infulis, Indumentisque Pontificum, simul destructæ sunt. Completa est enim Prophetia, quæ dixerat:* Per dies multos sedebunt Filii Israel sine Rege; sine Principe, non erit Hostia, nec Altare, nec Sacerdotium, nec Responsa. *His ergo testimoniis utimur adversus eos, qui videntur asserere de his, quæ in Genesi ab Jacob dicta sunt, quod de Juda dicta sint, & dicunt permanere adhuc Principem ex genere Judæ, ipsum videlicet qui est Gentis eorum Princeps, quem nominant Patriarcham; nec deficere posse de semine ejus, qui permaneat usque ad adventum ejus Christi, quem sibi ipsi describunt. Sed si verum est quod ait Propheta:* Quia dies multos sedebunt Filii Israel sine Principe; nec erit Hostia, nec Altare, nec Sacerdotium; *& utique ex quo subversum est Templum, nec hostiæ offeruntur, nec Altare invenitur, nec Sacerdotium; constat, & certissimum est defeciisse Principes ex Juda, sicut scriptum est, & Ducem ex fœmoribus ejus, usquequo veniet Ille, cui repositum est. Constat ergo quia venit Ille, cui repositum est, in quo exspectatio Gentium est. Quod manifeste videtur impletum de multitudine eorum, qui per Christum Deo ex diversis Gentibus crediderunt.*

Ad VII. Verum est, quod verbum *Schevet* significet virgam, & virga importet dominationem; at falsum est, quod dicat semper dominationem violentam, atque tyrannicam. Dicit enim dominationem in genere, cum adjuncto postea significat dominationem sive justam, sive tyrannicam. Sic habetur Psal. 11. *Reges eos in virga ferrea.* Ad quid addere *ferrea*, per quam vocem violentia, & tyrannica dominatio significatur, si per solam virgam violentia, & tyrannica dominatio importaretur? Additur, quod per verba illa: *Et Dux de fœmore ejus:* non exprimuntur Reges, & dominatores exsteri, sed nationales, & contribules. Præterea, non fuerunt Tyranni reges omnes, quos habuerunt Judæi post Davidem; quia a Davide usque ad Sedeciam, hoc est per quinque fere secula, semper fuerunt Reges ex Tribu Juda.

Ad VIII. dicimus cum Natali Alexandro, quod si exceptio illa admittenda esset, nullum Prophetarum Vaticinium eludi non posset. Quæ vere sunt conditionatæ propheriæ expressam continent conditionem, vel in se ipsis, vel in aliis Scripturarum locis. Vaticinium Jacobæum, de quo loquimur, nec habet expressam conditionem in se ipso, nec in aliquo alio Scripturæ loco. Non quidem in se ipso, ut patet, quia illius verba absoluta sunt, & conditio illa imponitur pro arbitrio a Judæis, contra verborum sensum apertissimum. Nec pariter in aliquo alio Scripturæ loco; quum a Judæis hic alius Scripturæ locus nec usquemodo adductus fuerit, nec modo adducatur.

Dici-

Digitized by Google

Dicimus III. Ex Prophetia Danielis &c. recte quidem colligi, Messiam lege promissum, jam advenisse.

I. Probatur Textus verba recitando. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadvertere: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Hierusalem, usque ad Christum Ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Promissio in Danielis vaticinio facta nequit de altero intelligi, quam de Messia; ergo ex illo recte colligitur, Messiam venisse. Probatur antecedens. Promittitur ibi finis peccati, & eversio regni Illius; promittitur adductio justitiæ sempiternæ; promittitur impletio visionis, & prophetiæ; promittitur unctio Sancti Sanctorum; promittitur denique mors illius; sed hæc omnia nequeunt de altero intelligi, quam de Messia: ergo promissio in Danielis vaticinio facta nequit de altero intelligi, quam de Messia. Probatur minor. Primo de fine peccati, & eversione regni illius; etenim Isaiæ 61. dicitur in Messiæ persona: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino.* Item Zachar. 3. *Ecce enim adducam servum meum orientem... & auferam iniquitatem terræ illius in die una.* Secundo de adductione justitiæ sempiternæ; quia Messias dicitur justitia, Malachi. 4. *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ*; Jerem. 33. *In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam David germen justum: faciet judicium, & justitiam in terra.* Tertio de impletione visionis & prophetiæ; quia Messias fuit veritas adumbrata figuris; unde Christus Matth. 12. dixit: *Omnes enim Prophetæ, & lex; usque ad Joannem prophetaverunt.* Quarto de unctione Sancti Sanctorum; quia Messias solus in Scripturis dicitur Unctus; quum in Scripturis non legatur alter, cui hoc nomen fuerit impositum. Quinto demum de morte illius; quia Isaiæ 53. habetur: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum:* ergo illa omnia nequeunt de altero intelligi, quam de Messia.

II. Probatur: Hebdomades, de quibus loquitur Daniel, non sunt hebdomades dierum, sed annorum; sed hoc pacto conveniunt apertissime Messiæ adventui: ergo vaticinium illius probat, Messiam jam advenisse. Probatur major. Mors Christi, & templi destructio, ac Hierusalem, non advenerunt post, aut intra nonaginta supra quadringentos dies, qui emanarunt ab edicto, quo Persarum Reges concesserunt Judæis, ut ædificarent templum, quod Nabuchodonosor destruxerat; tot enim dies comprehendunt hebdomades illæ Danielis, si de diebus intelliguntur: ergo intelligendæ sunt hebdomades annorum; hoc est anni quadrigenti, & nonaginta, quia tot annos continent hebdomades illæ, si de annis eas accipimus. Probatur consequentia. Duplex est acceptio hebdomadis in Scripturis, dierum scilicet, & annorum; ut patet Levit. 23. 15. 16. ubi numerantur septem hebdomades dierum a Paschate ad Pentecostem; item Daniel. 10. 2. ubi Daniel dicit, se jejunasse tres hebdomades dierum anno tertio Regis Cyri. Hæc de diebus; de annis vero patet Levit. 25. ubi jubet Deus numerari septem hebdomades annorum, & celebrari annum quinquagesimum, qui Jubilæus dicitur: ergo si hebdomades illæ nequeunt de diebus intelligi, quia diebus illis nihil contigit de iis, quæ Gabriel Danieli dixerat, dicendum est, intelligendas esse de annis. Et quod hoc pacto intellectæ aptissime conveniant Messiæ adventui, ex eventu probatur; tot enim fluxerunt a tempore illo usque ad adventum Christi.

III. Probatur. Si semel demonstretur, quod elapsa sit hebdomada, in cujus medio, ex Danielis vaticinio, Messias erat venturus, probatur etiam Messiam in vaticinio prædictum advenisse; sed vere demonstratur elapsam esse hebdomadem illam: ergo Messias in vaticinio promissus jam advenit. Probatur minor. Hebdomada illa

illa tunc dici potest, quod sit elapsa, quando probabitur, quod revera evenerunt ea omnia, quæ ex prophetia erant futura post illam; sed ea omnia evenerunt: ergo vere dici potest, quod hebdomada illa sit elapsa. Probatur minor. Prophetia primo continebat excidium urbis, & templi post ultimæ hebdomadis exitum; quod vere contigit a septingentis fere annis post mille, quando scilicet a Vespasiano, & Tito vastata sunt. Secundo continebat sacrificiorum cessationem; quæ vere cessarunt; quum enim juxta Mosaycæ legis præscriptum sacrificia offerri non possent, nisi in templo, si templum ab illo tempore dirutum est, ab illo quoque tempore sacrificia cessarunt. Tertio continebat desolationem jam peractam perseveraturam usque ad consummationem, & finem; quod pariter verificatum est, nam nullum aliud templum ædificarunt Judæi, quanvis id multoties facere conati sint; unde pluries evenit, quod Hadrianus, & Constantinus id eis prohibuerint, & quando Apostata Julianus id eis permisit, immo præcepit, per terræ quassationem Deus impedivit.

Arguunt I. Judæi. Daniel in suo vaticinio loquitur non de Messia, sed vel de Sacerdotio, quod auferendum erat a Judæis post hebdomades completas; vel de templo, quod erat destruendum; vel de Agrippa juniore, quem R. Selomoh dicit fuisse a Romanis trucidatum: ergo male a nobis Danielis vaticinium ad Messiam applicatur. II. Incertum est apud Christianos Scriptores, sub quo Principe Persarum initium habuerint Hebdomades Danielis: ergo nihil ex illis certi desumi potest ad rem, quam intendimus, contra Judæos probandam. III. Incertum est quoque sub quo anno Principis illius, si statuatur hic Princeps, inceperint etiam hebdomades illæ: ergo nec etiam ex illis haberi potest sufficiens argumentum ad probandum intentum. IV. Incertum est denique apud Patres, quo tempore hebdomades illæ finem habuerint: ergo nec pariter ex hoc capite subministare poterunt argumentum ad finem, quem nobis proponimus. V. De literali sensu verborum propheriæ Danielis non æque constat apud Scriptores Catholicos: ergo nec etiam ex illis desumi potest ratio, quæ sit certa apud nos, pro re, quam omnes communiter propugnamus. VI. Abominatio desolationis, quæ legitur in prophetia, diversimode a Scriptoribus nostris explicatur: ergo semper in re, quam unanimiter contra Judæos deberemus defendere, inter nos dissentimus, & in incertum proinde laboramus.

Respondemus ad I. negando antecedens, quod omnino ex Rabinorum somniis conflatum est. Ratio est manifesta, quia illæ Rabinorum explicationes protrahunt Danielis hebdomades usque ad Hierosolymæ devastationem; nos autem mox ostendemus usque ad tempus illud proferri non posse. Addit Daniel Huetius demonstr. evangelic. pag. 450. col. 2., nec Sacerdotes, nec Reges, qui præfuerunt Judæis post solutam captivitatem, fuisse Christos, aut unctos; quia nec oleum unctionis, nec Spiritum Sanctum, habuerunt; sine quibus ipsimet Judæi fatentur, haberi non posse unctionem, quæ sit legitima, ac proinde quemquam non posse sibi Christi nomen assumere. Denique falsum est quod dicitur de Agrippa juniore, quia supponitur a Judæis, illum fuisse occisum in Hierosolymæ excidio per Titum facto. Hoc autem falsum esse ostendunt, & Historicorum assertio, qua dicitur Agrippam abfuisse Hierosolymis, quando urbs, & templum deleta fuerunt; & Josephi testimonium, quo perhibetur lib. 2. de bello Judaico c. 6. Agrippam aliquot annis vixisse post Hierosolymitanam cladem. Ex his patet apertissime, verba Danielis vaticinii nec ad sacerdotium, nec ad templum, nec ad Agrippam juniorem, referri posse, ut Judæis somniabant.

Ad II. Principes, qui fuerunt in Persia, post expugnationem Babylonis, & post victoriam de Chaldæis reportatam, fuerunt I. Cyrus, qui regnavit anno mundi 3468. II. Asuerus, seu Cambyses, Cyri filius major, ann. 3475. III. Oropastes magnus, seu Artaxerses, ann. 3482. IV. Darius, Histaspis filius, ann. 3483. V. Xerses, filius Atossæ, filiæ Cyri, ann. 3519. VI. Artaxerses Longimanus, Xersis filius, ann. 3531. VII. Xerses, filius Longimani, ann. 3579. VIII. Ochus, Longimani frater, dictus Darius Nothus, ann. 3581. IX. Artaxerses, Nothi filius major, dictus memoriosus, ann. 3600. X. Ochus, Memoriosi filius, ann. 3644. Inter hos Reges favorabiles fuerunt Judæis, ut ex sacris Bibliis constat, Cyrus 1. Esdræ 1. Darius 1. Esdræ 4. Artaxerses 1. Esdræ 7. & 11. Esdræ 2. At quia Scriptura non distinguit, quisnam fuerit Darius ille, an scilicet filius Histaspis, an

vero

Digitized by Google

vero Darius Nothus; & quia nec etiam declarat, quisnam fuerit Artaxerses ille, an nimirum Longimanus, an vero Memorioſus: Ideo inter Scriptores noſtros diſsidia orta ſunt, & adhuc vigent. Multæ ſunt ſententiæ, quas refert Natalis Alexander, nos ad duas reducimus, quas adducit Jueninus. Prima eſt Scaligeri aſſerentis, fuiſse Darium Nothum, & Artaxerſem Memorioſum; ac proinde ab his Danielis Hebdomades initium habere. Alia eſt aliorum volentium, fuiſse Darium, filium Hyſtaſpis, & Artaxerſem Longimanum. Hi autem nec conveniunt in Hebdomadum initio aſsignando; ſiquidem aliqui illud ducunt a Dario, Hyſtaſpis filio; alii vero ab Artaxerſe Longimano. Jueninus aſſerit, fuiſſe Darium non Nothum, ſed Hyſtaſpis filium, illum, qui Judæis permiſit Templi extructionem; quod quidem probat rationibus multis ex Chronologia deductis. Item dicit, Artaxerſem fuiſſe, non Memorioſum, ſed Longimanum; quod pariter probare nititur rationibus, & conjecturis; & ad illum Legentes remittimus. Cæterum varietas in modo explicandi res, rerum veritati non obſtat; quod in pluribus videmus, & Chronologiæ peritis novum non eſſe arbitramur.

Ad III. Aliqui docent, Hebdomades Danielis initium ducere a Cyri anno primo; alii a Darii Hyſtaſpidis anno ſecundo; alii ab Artaxerſis Longimani anno ſeptimo; alii ab Artaxerſis memorioſi anno vigeſimo; alii ab Artaxerſis Longimani anno vigeſimo; & hujus ultimæ opinionis ſunt Natalis Alexander, & Jueninus. Adducuntur etiam pro illa Huetius demonſtr. evangelic. prop. 9., Petavius lib. 12. de doctrina temporum c. 32., aliique multi; ad quos pariter Legentes remittimus. Subdimus quoque verba citati Juenini ſcribentis: „Quæſtio de „ tempore, quo cœperunt hebdomades, de „ quibus agitur, impertinens eſt ad quæ„ ſtionem, an Meſſias, de quo Propheta „ loquitur, reipſa venerit. Certum eſt „ enim ultimam elapſam eſſe; ac proinde „ certum eſt etiam veniſſe Meſſiam; quum „ Meſſias a Propheta prænuntietur futurus „ in medio ultimæ hebdomadis:„

Ad IV. dicimus cum Natali Alexandro, quod undecunque ſumatur initium illarum hebdomadum, neceſſe eſt plane, eas elapſas eſſe; quia jam conſtat, urbem eſſe dirutam, templum deſtructum, aliaque eveniſſe, quæ in vaticinio fuerunt prædicta: ergo jam hebdomades illæ elapſæ ſunt. Quod confirmat teſtimoniis Patrum, videlicet Nazianzeni orat. 4. Chryſoſtomi orat. 3. in Judæos, hom. 4. in Matth., hom. 41. in Acta Apoſtolorum, ſer. 2. in S. Babylam, Philoſtorgii hiſt. eccleſ. lib. 12. c. 9., Theodoreti lib. 3. hiſt. eccleſ. c. 20., Sozomeni lib. 5. c. 22., Ambroſii ep. 29. ad Theodoſium, Ammiani Marcellini lib. 23. &c.

Ad V. Senſus verborum propheriæ Danielis ſic exponitur a Patribus, & a Juenino refertur. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt*; ſcilicet redactæ ad certum tempus ex infinito, & incerto. *Super populum tuum*; hoc eſt, ut Hieroſolyma ædificetur, & in hebdomadum fine veniat Chriſtus, ut hominum peccata deleat per mortem ſuam. *Ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum*; quatenus a Chriſto darentur media, per quæ peccata, aut vitentur, aut ſolvantur. *Et adducatur juſtitia ſempiterna*; quia veniet vera ſanctitas, ac interna, quum antea fuerit tantum adumbrata. *Et impleatur viſio, & prophetia*; quia poſt Meſſiæ adventum Prophetæ non amplius ipſum venturum prænuntiabunt. *Et ungatur Sanctus Sanctorum*; ſcilicet Chriſtus, qui illa omnia præſtabit. *Ab exitu ſermonis*; nimirum ab Edicto, quo Perſarum Reges reædificationem Hieruſalem permittent, ſexagintanovem hebdomades fluent uſque ad Chriſtum Ducem, non naſcentem, ſed ſe manifeſtantem; hoc eſt uſque ad ſuum baptiſma, quod evenit anno primo hebdomadis ſeptuageſimæ. Hebdomades autem illæ ſic deſtribuuntur. Sunt primo hebdomades ſeptem & deinde ſexaginta duæ; annus primus hebdomadis primæ eſt annus vigeſimus Artaxerſis Longimani; annus ultimus hebdomadis ſeptimæ eſt annus decimus ſeptimus Darii Nothi: unde ab anno vigeſimo Longimani uſque ad annum decimum ſeptimum Nothi, fluxerunt anni quadraginta novem, qui faciunt hebdomades ſeptem. *Et rurſum ædificabitur platea, & muri, in anguſtia temporum*; quia urbs a Nabuchodonoſore deleta, reædificata fuit intra ſeptem priores hebdomades; quæ faciunt anguſtum tempus reſpectu aliarum hebdomadum ſexaginta duarum. *Et poſt hebdomades ſexaginta duas*; ſcilicet expletas, ac proinde intra hebdomadem ſeptuageſimam, *occidetur Chriſtus*; nimirum Meſſias lege promiſſus. *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt*; quia alienus habebitur ab

Digitized by Google

eo, & ad ipsum non pertinebit. *Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo*; per hæc verba narrantur calamitates Judæorum post Christi mortem, illatæ per Vespesianum, & Titum, ad quas hebdomadum numerus non spectat. *Et post finem belli desolatio*; scilicet Hierusalem vastitas post belli finem. *Confirmabit autem pactum hebdomada una*; hoc est Christus post hebdomadas sexaginta novem, in septuagesima hebdomade, & in ejus dimidio, hoc est anno tertio ipsius, publicabit novam legem, confirmabit novum fœdus, prædicatione, miraculis, & morte sua. *Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium*; quia tunc sacrificia judaica, etsi non cessaverint, fuerunt tamen abrogata; & cessavit eorum vis, ac præceptum, quando Christus in cruce dixit: *Consummatum est*; quod per veli templi conscissionem fuit figuratum. *Et erit in templo abominatio desolationis*; per hæc verba aliqui intelligunt Romanorum deprædationem; alii Judæorum, qui dicebantur Zelotæ, in templo, & urbe grassationem; alii Idolorum, & simulacrorum in templum introductionem; alii denique templi ruinas, cæremoniarum cessationem, sacri loci proculcationem, ac in posterum perpetuam vastitatem. *Et usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio*; nempe ad finem mundi adeo perseverabit desolatio illa, ut nunquam templum reædificetur amplius, & nunquam Deus Judæorum Rempublicam restituet. Quæ omnia a Juenino, & ab aliis, clarissimis Patrum, immo & Scripturarum, auctoritatibus confirmantur.

Ad VI. Desolatio, & abominatio desolationis in templo, etsi diversimode explicetur; non tamen a quolibet ex nostris, immo ex Judæis ipsis negatur. Omnes concedunt illa evenisse, quæ singuli abominationem diversimode dicunt. Varietas autem nominis, quando certa est res, nihil rei firmitati obest.

Dicimus IV. Ex eodem Danielis vaticinio constare, fuisse illud in Christo Domino Jesu consummatum.

I. Probatur. In illo adimpletum est Danielis vaticinium, qui est justitia sempiterna; Sanctus Sanctorum, a Deo unctus; per quem peccatum accepit finem, & delera fuit iniquitas; in quo visiones, & prophetiæ impletæ sunt; & qui mortuus est pro hominum salute; sed hæc omnia Jesu Christo conveniunt: ergo Danielis vaticinium in Christo Domino Jesu fuit pleniſſime consummatum. Probatur minor; I. Christus Jesus est justitia sempiterna; & Sanctus Sanctorum: Luc. 1. 35. *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei:* Act 2. 27. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem:* Act. 3. 14. *Vos autem Sanctum, & Justum negastis, & petistis virum homicidam dari vobis:* Ad Roman. 3. 26. *Ut sit ipse Justus, & justificans eum, qui ex fide est Jesu Christi.* II. Est a Deo unctus: Luc. 4. 17. *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me . . . Cœpit autem dicere ad illos; quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris:* Act. 4. 26. 27. *Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus.* III. Per Jesum peccata delentur, deletur iniquitas: Luc. 24. 45. *Oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes:* Act. 13. 38. 39. *Notum igitur sit vobis, Viri Fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in Lege Moysi justificari, in hoc omnis, qui credit, justificatur:* Ad Colossens. 2. 13. 14. *Et Vos, cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.* IV. In ipso Christo Jesu visiones, & prophetiæ impletæ sunt; & finis datus est eis: Matth. 11. 13. *Omnes enim Prophetæ, & Lex, usque ad Joannem prophetaverunt:* Ad Hebræos 1. 1. 2. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Matth. 5. *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* V. Jesus Christus mortuus est pro hominum salute: Psal. 21. *In pulverem mortis deduxisti me: Quoniam circumdederunt me canes multi: Concilium malignantium obsedit me: Foderunt manus meas, & pedes meos:* Isai. 53. 7. *Sicut Ovis ad occisionem ducetur:* Lucæ 24. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* & num. 27. *& incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.*

II. Probatur. In Christo Domino Jesu ve-

Digitized by Google

rificata sunt hæc alia; scilicet Pactum, quod confirmandum prædixit Daniel, novi, & æterni fœderis initi a Deo cum hominibus; defectio hostiæ, & sacrificii Legis judaicæ; Judæorum dispersio; Hierosolymitani templi excidium: ergo ex eodem Danielis vaticinio constat, fuisse illud in Christo Domino Jesu adimplecum. Probatur antecedens. I. Pactum novi, & æterni fœderis a Deo cum hominibus initi: Ad Hebræos 9. *Et ideo novi testamenti Mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat Testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, cum adhuc vivit qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est:* Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* II. Defectio hostiæ, & sacrificii Legis judaicæ. Ad Hebræos 10. *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos ejusdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere: Alioquin cessassent offerri: Ideo quod nullam haberent conscientiam peccati cultores semel mundati: Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens Mundum, dicit: Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: In capite libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superius dicens: Quia hostias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum Legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: Auferi primum, ut sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem Corporis Jesu Christi semel:* Joann. 19. 30. *Consummatum est . . . . Velum templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum.* III. Judæorum dispersio: Quia Dei Filium negaverant Judæi esse eorum Regem; Joann. 19. Matth. 26. *Regem vestrum crucifigam . . . Non habemus Regem, nisi Cæsarem:* ideo Oseæ 1. 9. *Quia vos non Populus meus, & ego non ero vester.* IV. Hierosolymitani templi excidium: Matth. 23. 38. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta:* Matth. 24. 1. *Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur . . . . Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto; qui legit intelligat: Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.* Lucæ 19. 41. *Ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.*

III. Probatur. Non solum ex novo testamento, & ex Christianis Scriptoribus constat, adimpleta esse in Christo Domino Jesu, quæ in Danielis vaticinio continentur, verum quoque ex ipsismet Judæis, & Gentilibus quoque Auctoribus: ergo vere ex Danielis vaticinio constat, fuisse illud in Christo Domino Jesu consummatum. Probatur antecedens. Excidium Hierosolymitanum completum fuisse non longe a Christi morte, constat ex historia Josephi Judæi de bello judaico lib. 7., & ex Joanne Xiphilino epitom. Dionys in Tito. Item laudatus Joseph Judæus in citato libro c. 3. in Hierosolymitano excidio agnoscit, & fatetur Dei vindicis manum intervenisse. Ait enim: *Deus profecto Deus ipse cum Romanis ignes lustrales ipsi (templo) injicit, & civitatem tot piaculis plenam exscindit. Et cap. 10. Templum invito Tito exuritur.* Et cap. 16. ipsemet Titus agnovit, & fassus est, Deo impellente urbem expugnasse, quamvis solida murorum altitudine, lapidum magnitudine, turrium fortitudine, undequaque septam, atque munitam: *Deo favente bellum gessimus, & Deus ab istis munitionibus Judæos detraxit: Nam quid manus hominum, machinæ possunt adversus has turres?*

Obstant Judæi I. Daniel non fuit Propheta, quia Angelus per somnium res futuras ei denuntiavit, & Angelum ad se loquentem non vidit, quod ad veram prophetiam requiritur. Sic Maimonides in lib. More Nevokim c. 45. II. Daniel non prophetico more vixit, sed more Satraparum, & Aulicorum; quia primus apud Regem inter Principes Babylonicos fuit, quandiu vixit: ergo nulla fides ipsi concedenda. Et proinde ejus librum Hebræi inter Prophetas non collocant, sed tantum inter hagiographa; quamvis Maimonides concedat ipsi Prophetæ nomen in larga, & laxiori significatione. III. Judæi contendunt, Danielis vaticinium non in Christo Jesu Domino adimpletum esse, sed vel in Cyro, vel in Jesu Josedec Sacer-

Digitized by Google

cerdote, vel in Zorobabele, vel in Agrippa juniore. IV. Aliqua in Danielis vaticinio contenta, & a Christo prædicta, non eodem prorsus modo a tribus Evangelistis enarrantur: ergo surgit saltem aliqua falsitatis suspicio.

Respondemus ad I. Christus Dominus verum Prophetam nominavit Danielem Matth. 24. 15., non quidem in laxiori, sed in strictiori significatione. Et S. Hieronymus præfat. in Daniel. hæc amplissime de Daniele scribit: *Nullum Prophetarum tam aperte dixisse de Christo. Non enim solum scribit eum esse venturum, quod est commune cum cæteris; sed etiam quo tempore venturus sit docet, & reges per ordinem digerit, & annos enumerat, ac manifeste signa prænunciat.* Talmudistæ quoque in lib. Megillah c. 1. Danielem inter Prophetas cum Jeremia, Aggæo, Zacharia, & Malachia recensent. Josephus Hebræus lib. 10. antiquit. judaic. c. ult. illum aliis Prophetis anteponit: Ait namque: *Non enim futura solum prædicere solebat, ut alii Prophetæ, sed & tempus, quo hæc ventura erant, determinabat. Cumque alii Prophetæ mala prænuntiarent, propterea que Regum, & Vulgi odia in se concitarent; bonorum prænuntius his erat Daniel.* Denique Maimonides ipse hæc de Daniele concludit: *Proinde etiam pertinet ad eos, qui loquuntur motu Spiritus Sancti: ad secundam nimirum prophetiæ speciem. Hinc in serie Scripturarum sacrarum nullam differentiam statuerunt inter Proverbia, Ecclesiasten, Danielem, Psalmos, Ruth, & Esther; quia omnes isti libri Spiritu Sancto dictante scripti sunt.*

Ad II. Quod Daniel in aula sit aliquando versatus, non est argumentum, ut Propheta in strictiori significato nequeat dici. Fuit etiam aliquando in aula Moyses, & tamen verus fuit Propheta. Ipse autem non solum Principibus fuit acceptus, verum quoque Populo charus. Dicitur enim Daniel. 13. 64. *Daniel autem factus est magnus in conspectu populi, a die illa, & deinceps.*

Ad III. Nemo ex illis recensitis est, cui conveniant signa a Daniele in suo vaticinio prædicta. Nemo ex illis fuit Sanctus Sanctorum, & justitia sempiterna; nemo Messias Nagid, hoc est Princeps, seu Dux, fuit; nemo nomine Christi appellatus invenitur. Et quanvis Cyrus Isai. 45. 1. Christus dicatur: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* Et Psal. 105. *Nolite tangere Christos meos:* Attamen dictus fuit Christus, quatenus debebat populum suum a captivitate liberare, & proinde Messiæ figuram gerere: unde fuit Cyrus Christus typicus, a quo veniens Isaias ad Christum verum dixit: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant Justum: Aperiatur terra, & germinet Salvatorem: Et justitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum.* At ipsimet Talmudistæ Isaiæ verba ad verum Messiam, non ad Cyrum, referunt. Etenim in Talmud, libro, qui dicitur *Megilla*, distinctione, quæ incipit *Megilla Nikrath*, habetur: *Quid est, quod scriptum est Isaiæ 45. 1. Hoc dixit Dominus Messiæ suo? Nunquid Cyrus Messias est? Sed Deus Sanctus & benedictus dicit Messiæ: Opponens ego te Cyro, quem fortificavi in dextera sua, ego dixi: ille ædificabit mihi domum.* Verba Psalmi: *Nolite tangere Christos meos:* R. Barachias in Midrasch interpretatur de Abraham, Isaac, & Jacob; qui uncti fuerunt oleo spiritali, scilicet spiritu prophetico: unde subjungitur: *Et in Prophetis meis nolite malignari.* Testatur Hieronymus, veteres Judæos Danielis vaticinium ad Messiam pertinere falsos olim sincere fuisse. Denique nec Cyrus, nec Jesus Jodesech, nec Zerobabel, nec Agrippa junior, occisi sunt post Hebdomades sexaginta duas ab edicto jam enarrato; nec temporibus eorum defecit hostia, destructum est templum, vastata Hierusalem. Præterea testimonium habemus luculentissimum R. Samuelis scribentis R. Isaac in epistola, quam refert Dionysius Carthusianus in Commentariis suis; in qua hæc leguntur: *Videtur, Domine mi, Danielis Prophetia, quæ scribitur nono capite, jam completa esse; ubi sic dicitur:* Post sexaginta duas Hebdomadas occidetur Christus, & veniet Populus cum Principe venturo, destruetque Civitatem, & Domum, & erit consummata destructio desolationis perpetuæ. *Et non est, Domine mi, dubium, quin destructio perpetuæ desolationis sit hæc captivitas, in qua jam sumus. Nam jam sunt mille anni, & aperte dicit Dominus per Prophetam, quod erit desolatio perpetua propter occisionem Christi, sicut est desolatio nostra post occisionem Christi. Non enim comminatus est desolationem perpetuam, nisi post occisionem Christi. Et si voluerimus dicere quod ante occisionem Christi fuerimus in desolatione: Respondent nobis Christiani, Quod ante illam mortem non fuit desolatio nisi septuaginta annis, & post hoc fuimus reducti in Terram promissionis, & fuimus apud Deum*

in

in gratia, & honore. Certe, Domine mi, non video evasionem. De facto enim probatur nobis, quod postquam a reædificatione Templi completæ fuerunt septuaginta Hebdomades annorum, tunc fuit Jesus occisus a Patribus nostris: & postea venit Dux, scilicet Titus; & Populus, scilicet Romani, & fecerunt nobis secundum Prophetiam istam. Hodie sunt mille anni, & nihilominus in ira Dei sumus; & tamen nos in ipso speramus, expectantes adhuc venturum Messiam, & reversuros nos in Terram Promissionis; & Civitatem, atque Templum instauraturos, futuroque in gratia, & honore apud Deum: Nec desolationem hanc fore perpetuam, sed temporalem. Heu, mi Domine, non est ista excusatio, & evasio consona; & vana videtur talis expectatio.

Ad IV. Hoc, quod objicitur, plane probat, prophetiam, de qua loquimur, non fuisse Evangelio affixam; quia si eam Evangelistæ finxissent, omnes eodem plane modo narrassent. Cæterum Marcus diserte de ea loquitur, Matthæus vero, & Lucas, succincte. Revera Christus bis fuit interrogatus, primo quando exivit de templo, deinde quando in monte olivarum, templum prospiciens, reperiebatur. Tunc & templi destructionem, & orbis consummationem prædixit; & quamvis utramque Discipuli eodem tempore eventuram crederent, hoc tamen eis Christus non distinxit; vel quia Prophetarum more loquebatur dissita quanvis, & longinqua, qui habent simul præsentia; vel quia nondum tempus erat Discipulos avertendi ab illa rerum, & eventuum confusione. Sic respondet ad objectionem Du-Hamel.

Dicimus V. Ex aliis Scripturarum vaticiniis constare, Messiam advenisse, & hunc esse Dominum Jesum Christum.

I. Probatur. Daniel. 2. hæc altera Danielis legitur Prophetia, quæ duas continet partes, quarum una est Nabuchodonosoris somnium, altera est ejusdem somnii explicatio. Prima pars contenta versibus 31. & seqq. hæc est: *Tu Rex videbas, & ecce quasi statua una grandis; statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus ejus erat terribilis. Hujus statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, porro venter, & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, pars autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter, ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullusque locus inventus est eis: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram.* Altera vero pars, in qua somnii explicatio continetur vers. 44. hæc est: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.* In his verbis quatuor designantur imperia, post quæ venturum dicitur quintum, quod est imperium, & regnum Christi. Imperium Caldæorum, quibus subjiciebantur Judæi, Ægyptii, Assyrii, & Moabitæ, significatur per caput aureum: *Tu es ergo caput aureum.* Imperium Persarum, cui subjecti erant Persæ, & Medi, importatur per pectus, & brachia argentea. Imperium Græcorum, seu Macedonum, innuitur per ventrem, & fœmora ex ære. Imperium Romanorum exprimitur per ferrum, quod in tibiis videbatur. Post quæ quatuor imperia Propheta prænuntiat regnum Christi; de quo dicit, quod Deus cœli suscitabit illud, quod in æternum non dissipabitur, quod alteri populo non tradetur, quod comminuet, & consumet universa regna, quod stabit denique in æternum; sed hæc omnia de Messia verificantur, & in Christo Jesu adimpleta sunt: ergo &c. Probatur minor. Nemo negabit, quatuor imperia, a Daniele prædicta, præteriisse jam, & amplius non esse; quod vero quintum regnum, quod prædicitur subsequuturum quatuor illa, sit regnum Christi; sic probatur. Non aliud regnum illis quatuor regnis succesit, quam regnum Christi; & de illo verificantur omnia, quæ in vaticinio narrantur: ergo regnum Christi est illud regnum quintum. Probatur antecedens. Non assignatur aliud regnum, de quo dicatur, quod subsequutum fuerit illa quatuor regna: ergo vere hoc est regnum Christi. Insuper, regnum Christi per omnes orbis plagas dilatatum est; ad omnes Terrarum gentes se extendit; nulla potuit Principum, ac Imperatorum potestate, & armis disperdi, ac vinci; in æternum stabit; nec ullo tempore dissipabitur: ergo vere non est aliud regnum, quod illis quatour regnis succesit, quam regnum Christi.

II. Probatur ex verificatione illorum, quæ in

in veteri testamento dicta sunt ventura, & quæ in novo narrantur jam advenisse. Messias promittitur in veteri testamento oriturus ex Abrahamo, Isaaco, Jacobo, ex Tribu Juda, ex Jesse, ex Davide; sed Jesus Nazarenus ex his omnibus progenitus est: ergo Jesus Nazarenus est verus Messias. Probatur major. De Abrahamo habetur Genes. 12. *In te benedicentur universæ cognationes terræ*; Gen. 15. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* De Isaaco Genes. 26. *Apparuitque ei Dominus, & ait: Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* De Jacobo Gen. 28. *Benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ Tribus terræ.* De Juda Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus est.* De Jesse Isai. 11. *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* De Davide Jerem. 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit*; aliisque pluribus in locis. Minor autem constat Matth. 1. ubi Christi Domini describitur genealogia; & probari insuper potest tabulis censoriis, quibus inscripti fuerunt Maria, & Joseph, Vir illius, sub Augusti imperio; & quarum meminit Tertullianus seculo secundo cadente, ad easdem provocans Hæreticos, qui carnis Christi veritatem negabant.

III. Probatur ex Balaami prophetia. Numeror. 24. 15. & seqq. *Dixit Balaam, filius Beor: dixit homo, cujus obturatus est oculus: dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, & visiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos. Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel: & percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.* Primo observamus, Judæos omnes pro comperto habuisse per hæc verba fuisse prænuntiatum Messiam; ut asserit Du-Hamel. Et proinde Ban-Cuzibas, qui fuit impostor notissimus, his verbis utebatur, ut se Messiam probaret; & Bar-Cocheba per hæc etiam verba dixit se ipsum filium stellæ. Secundo R. Maimonides priorem partem hujus prophetiæ fatetur convenire Christo, at alteram ad Davidem referet. Tertio Paraphrastes Chaldæus, Moyses Gerundensis, Chimchi, aliique Rabini, apud P. Benetelli, concorditer hoc vaticinium de Messia explicant. Quarto verba vaticinii Christo aperte conveniunt; etenim Christus Dominus Jesus frequenter in Scripturis dicitur stella, sol, ignis, lux &c. Virga significat regiam dignitatem, quæ Christo convenit; unde dicitur etiam sceptrum. Percussit Duces Moab, quia percussit Idolatras, qui per Moabitas, qui in Deorum cultu in Scripturis famosi dicuntur, figurantur; destruendo nimirum superstitiones, ac vanum ipsorum cultum. Insuper R. Achivà per stellam hanc Messiam intelligit: *Ego sum radix, & genus David, stella splendida, & matutina.* Christus est vere ex genere David. Et per virgam intelligi Messiam, profert etiam Aben Esdra, apud citatum P. Benetelli in Jonathæ sagittis sag. 1. c. 22. num. 117.

IV. Probatur ex aliis vaticiniis. Prophetæ prædixerunt, I. Messiam nasciturum ex Virgine, tempore quo pax summa esset in terris; in loco, qui dicitur Betlehem. II. Messiam futurum fuisse Sacerdotem, Prophetam, Legislatorem, miraculorum operatorem. III. Messiam recipiendum a Hierosolyma vectum asina, quam pullus comitaretur; tradendum a Discipulo, exagitandum a Judæis, cædendum, & conspuendum ab inimicis, & denique morte turpissima condemnandum; sed hæc omnia in Christo Jesu verificata sunt: ergo &c. Probatur major Scripturarum apertissimis testimoniis. Isai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Miche. 5. *Et tu Betlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: Ex te enim mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Isai. 11. *Et egredietur virga de radice Jesse... habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit.* Deuter. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Psal. 100. *Tu es Sacerdos in æternum.* Jerem. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum.* Isai. 42. *Ego Dominus dedi te in fœdus populi, in lucem gentium; ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum de domo carceris sedentes in tenebris.* Zachar. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator; ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Psal. 54. *Tu vero, homo unanimis, dux meus, & notus meus; qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Sap. 2. *morte turpissima condemnemus eum.* Minor probatur novi testamenti apertissimis identidem testimoniis, quæ quidem rejici non possunt, vel tanquam adulterina,

vel

Digitized by Google

vel ſuppoſititia, vel falſa; quod alias probatum ſupponimus.

V. Probatur. Geneſ. 3. 15. habemus: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus.* Nequeunt hæc verba intelligi de Heva, ſed de B. Virgine Maria Dei matre ſunt intelligenda; neque de Filio Hevæ poſſunt accipi, ſed de Mariæ Filio, Domino noſtro Jeſu Chriſto: ergo ex verbis iſtis probatur contra Hebræos, Meſſiam veniſſe, & hunc eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Probatur prima pars antecedentis. Non enim textus habet ſolum

אישה *Iſſa*, hoc eſt mulier, ſed

האישה *Haiſsà* cum ה He notificativa, & connotativa alterius particularis perſonæ, & electæ; ut inquit P. Benetelli: neque dicit *pono*, ſed *ponam*, quod verbum denotat actionem non præſentem, ſed futuram. Unde S. Hieronymus epiſt. ad Amiç. ſcribebat: *Ne ad Hevam hoc pertinere videretur, ſed ad illam utique mulierem, quæ Salvatorem parturiat, non quæ generet fratricidam.* Probatur modo ſecunda pars illius antecedentis. Dicitur enim, *Inter ſemen ſuum*; hoc eſt, ſemen mulieris; Hoc profecto denotat formationem Meſſiæ, qui ex ſolo mulieris ſemine, & non Viri, efformari debebat. Cæteri homines efformantur ex ſemine viri, & mulieris; at Meſſias ex ſolo ſemine mulieris formari debebat: unde dictum eſt: *inimicitias ponam inter ſemen tuum, & ſemen ſuum.* Vis argumenti hujus in hebraico idiomate clarius cognoſcitur; conſiſtit in pronomine fæmineo affixo, quod denotat id, quod loquimur; nequit autem illud ipſum exprimi in aliis linguis, latina ſcilicet, vel itala, vel altera; ut optime quoque obſervat P. Benetelli. Scripſit proinde Auguſtinus ſer. 10. de Nativ. Virg. *Talis eligitur Virgo, de toto ſcilicet mundo, quæ tantum haberet meritum, ut Dei Filium in ſemetipſam ſuſciperet, & poſt partum omnimode Virgo permaneret. Tanta eſt enim divina potentia, ut & Matrem reddat fœcundam, & Virginitatem ſervet illæſam.*

VI. Probatur. Geneſ. 3. 22. legitur: *Nunc ergo ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* In quibus notanda ſunt verba illa: *Nunc ergo ne forte mittat manum ſuam*: Ex quibus inferimus, quod ſi Deus nolebat *tunc* extendi manum, & ſumi de ligno vitæ: ergo volebat, quod fieret poſtea, alio ſcilicet tempore; tempore nimirum quo ſecundus Adam, Meſſias nimirum, conferre hominibus debebat immortalitatem. Et hoc quoque volunt innuiſſe Deum, quando dixit immediate antecedenter ad relata verba: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*; quæ leguntur etiam in Targo:

הוה יחידי בעלמא מינה הא אדם

Factus eſt unicus meus in æternitate mei ipſius ecce Adam. Unicus autem Dei, juxta doctrinam noſtram catholicam, non eſt niſi Filius, quem dicimus in Symbolo: *Sanctum unum verum, & unicum Filium.* Habemus igitur ex his verbis Adamum terrenum, & Adamum cœleſtem; unde ſcripſit Apoſtolus Paulus I. Cor. 15. 46. *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis.* Quod pariter confirmatur ex R. Abraham in Tzeror Amor ſect. Bereſcith, dicente:

סוד אדם הוא סוד משיח

Myſterium Adæ eſt myſterium Meſſiæ. Hoc pariter argumentum late proſequitur laudatus P. Benetelli; qui & citat S. Thomam 3. p. q. 31. ar. 1.

Arguunt Hebræi I. Multa ex adductis Scripturarum locis intelligi debent vel de Iſaia, vel de Davide: ergo male a nobis intelliguntur de Chriſto. II. de Meſſia dicitur pſal. 44. quod ſit *ſpecioſus forma præ filiis hominum*; & pſal. 12. *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*; atqui de Chriſto non verificantur; quia nec fuit externa forma pulcherrimus, nec terreno regno potitus eſt: ergo &c. III. Miracula quæ nos adducimus a Chriſto facta applicant vel magicis incantationibus, vel iis opponunt alia miracula, quæ iiſdem temporibus dicunt facta a Gentilibus & Idololatris vel per naturalem virtutem, vel per magiam. IV. Contra quintam probationem dicunt, verbum הוא *Hù ille*, quod in præſenti hebraico textu legitur, in antiquis quibuſdam Exemplaribus Vulgatæ noſtræ legi היא *Hì illa*; ipſi autem amplectuntur primam lectionem, adeoque probationem noſtram enervare credunt. V. opponunt tanquam impoſſibile, quod

a nobis afferitur in peracto Incarnationis mysterio, Messiæ scilicet Matrem fuisse Virginem. VI. Matth. 1. 18. dicitur: *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, &c.* ergo deinde convenerunt: ergo Mater ejus Maria non fuit Virgo. Hoc argumento utuntur contra nos Rabini, & præcipue David Chimchi. VII. Item Matth. 1. 25. habetur: *Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum*: ergo deinde cognovit eam; & post primogenitum peperit alios filios, qui fuerunt secundo, vel tertio geniti. Est argumentum pariter Rabinorum, ductum ex Evangelio. VIII. Matth. 12. 46. dicitur *Ecce Mater ejus, & Fratres stabant foris*: ergo ejusdem Matris plures erant filii, qui Christi Jesu fratres erant. Est etiam argumentum ex Evangelio a Rabinis desumptum. IX. Incarnationis mysterium vel peragendum erat initio mundi, quando commissum est peccatum ab Adamo, ut tunc esset medicina, quando fuit infirmitas; vel peragendum est in fine mundi, quando non erit amplius peccatum; ut tunc sit vita, quando amplius non erit mors: Si mundi initio: ergo Messias non fuit Christus, qui post tot secula a mundi exordio natus est: Si in fine mundi: ergo non fuit Christus, qui jam a seculis decem & septem, decimo octavo ineunte, natus est. X. Prophetarum dictis non est fidendum, quia ut plurimum Prophetæ vel loquebantur juxta morem nationis suæ, vel secundum vim proprii temperamenti, vel juxta educationis suæ tenorem: ergo nihil ex Prophetis colligere possumus pro Christi incarnatione jam peracta. XI. Negant Judæi fuisse illis a Christo allata beneficia, quæ Prophetæ prædixerant eisdem allaturum Messiam; siquidem eos a captivitate non liberavit, sed in captivitatem immisit; non elevavit, ut nationibus dominarentur, sed potius eos nationibus omnibus subjecit; non eos Hierosolymam revocavit, sed per totum ferme orbem disperfit: ergo Christus non fuit Judæorum Messias, sed potius ipsorum hostis, & vindex acerrimus. XII. Signa adventus Messiæ ita debebant esse clara, perspicua, & evidentia, ut a nemine potuissent negari; atqui ita non fuerunt; aliter enim non negaretur adventus ille a Judæis, a Gentilibus &c. ergo revera Messias non venit. Probatur major. Congruebat, ut tot prophetiis, quæ de adventu illo præcesserant, corresponderent testimonia manifestissima, quæ sunt signa clara, perspicua, & evidentia. Insuper, si secundi adventus signa sic clara erunt, ut a nemine negari possint, ita pariter debebant esse signa prioris adventus.

Respondemus ad I. quod utique Isaias, & David, aliique plures veteris testamenti Proceres, Messiam figuraruut, sed nemo ex illis Messias fuit, nisi tantum in umbra, & figura. Multa sunt, quæ de Christo verificantur, sed non de Isaia, & Davide, nec de aliis Prophetis. Non enim de illis verificatur manuum, & pedum perforatio, nec mors acerbissima. Et si unum, aut aliud de uno, aut altero verificatur, non adimpleta sunt cætera omnia, quæ de Christo adimpleta demonstravimus; ut ex probationibus liquet; & ex responsionibus luculentius constabit.

Ad II. In hoc præcipue situm esse Judæorum errorem, ut plura, quæ de Messia mystice debent intelligi, ad literam præpostere interpretentur; & plura, quæ ad literam sumi debent, mystice intelligant. Quæ opponuntur testimonia ex Psalmis non ad literam intelligenda sunt; siquidem Messias speciosus dicitur non corpore, sed animo; quanvis non desint, qui dicant, Christum etiam exteriori corporis forma pulcherrimum fuisse. Revera autem Christus nationes omnes sibi subjecit, quatenus ex nationibus omnibus fuerunt, qui ipsum confessi sunt, & fidem suam sunt amplexati.

Ad III. Miracula Christi iisdem documentis a Christianis probantur, quibus Moysis miracula probantur a Judæis. Hæc narrantur in testamento veteri, illa in novo; pro illis stat tot præscriptio seculorum, stat etiam pro nostris; pro illis fidem faciunt homines, coram quibus eadem Moyses patravit, eandem fidem faciunt pro nostris illi, qui ea spectarunt; & quemadmodum illa non clam, & in abscondito dicuntur facta, ita pariter & nostra. Ad magicam artem applicari non possunt, quum talia fuerint, ut in illis nullam habuerit partem sensuum illusio. Christus autem ita magicæ artis infensus fuit, ut Dæmones omni ex parte exagitaverit, ut passim ex Evangelio liquet; quod & pariter Discipuli ejus effecerunt. Fictitia sunt autem miracula illa omnia, quæ circa eadem tempora Gentilibus, & Idololatris tribuuntur. Siquidem miracula illa adscripta leguntur vel Vespa-

siano

Digitized by Google

siano Imperatori, vel Apollonio Tyanæo; sed Vespesiano per adulationem a Josepho Judæo, & ab Egyptiis, tributa fuerunt, Apollonio vero vel per Philostrati mendacium, vel per magicæ artis peritiam, sunt tribuenda. De Vespesiano patet, quia Tacitus lib. 4. c. 82. referens visionem cœco restitutam per Vespesiani inspuationem, & curationem hominis infirmi per Vespesianum calcantem illius manum; innuit Vespesianum illa primum irridere cœpisse, postea aspernari; & deinde concludit vocibus adulantium fuisse applicata. Unde concludit Tacitus: *Utrumque qui interfuerunt, nunc quoque memorant postquam nullo mendacio pretium.* Apollonio vero tribuit Philostratus in ejus vita; at Apollonius vixit tempore Diocletiani, Philostratus vero tempore Severi, scilicet post centum fere annos: ergo non fuit ex visu, sed ex auditu testis. Alia, quæ afferuntur ad Apollonii impostoras detegendas, apud Scriptores nostros legantur.

Ad IV. respondet P. Benetelli, quod quanvis non admittatur ut vera utraque scriptio, admittitur tamen ut vera utraque explicatio, & utraque est pro nobis, non contra nos. Si enim accipitur in genere masculino הוּא *Hu ille*, sensus est, quod semen Virginis, hoc est Filius ipsius, Messias nempe, serpenti conteret caput. Si vero in fœminino הִיא *Hi illa*, sensus est, quod Maria Virgo, Messiæ Mater, eidem serpenti caput conteret.

Ad V. idem P. Benetelli cum S. Cypriano, quem ipse credit auctorem esse libri, qui inter ejus Opera inscribitur, *Expositio Symboli*, quum potius ejus auctor sit Rufinus, ut apud Bellarminum; respondet *Quid mirum videtur*, sunt verba Expositionis Symboli, *si Virgo conceperit, cum Orientis avem, quam Phœnicem vocant, in tantum sine conjuge nasci vel renasci constet, ut semper & una sit, & semper sibi ipsa nascendo, vel renascendo succedat?* Alia deinde subdit ex S. Clemente, quæ pariter inter supposititia enumerantur. Postmodum explicans verba illa hebraica, quæ nobis opponuntur a Rabinis, dicit, verum esse, quod verbum נְקֵבָה *Nekebvà* significat mulierem, at non virginem; unde hoc non est ad rem, nec in eo nos facimus vim. At verbum עַלְמָה *Almà* significat simul adolescentulum, & virginem. Et quanvis hoc a Chimchì negetur; attamen fortissimis argumentis a Benetelli confutatur; ut apud ipsum diffuse Legentes invenient.

Ad VI. dicitur, morem fuisse apud Antiquos, sive Hebræos, sive Ethnicos etiam, ut virgines adolescentulæ ante nuptias contractas a paterna domo non discederent, quanvis tunc desponsatæ fuissent, ut cum viris suis in propriis horum domibus convenirent. Unde dicitur in l. 32. D. ad Municip. *Et quæ desponsata est, ante contractas nuptias non mutat domum*; quod observat Hugo Cardinalis in Matth. 1. 18., & refert P. Benetelli. Igitur B. Virgo cum esset desponsata in paterna domo manebat, & simul cum Josepho non conveniebat. Et hoc pacto convenire non accipitur per matrimonialem actionem, sed per solam cohabitationem. Quod si velimus eam intelligere per matrimonialem actionem, non deducitur, quod postea convenerint. S. Hieronymus, quem refert S. Thomas 3. p. q. 28. ar. 3. hæc scribit: *Hæc præpositia ante, licet sæpe consequentia indicet, tamen nonnumquam ea tantum, quæ prius cogitabantur, ostendit.* Unde verba illa, *antequam convenirent*, dicta sunt, *non quia postea convenerint, sed dum viderentur conventuri, prævenit conceptio per Spiritum Sanctum: ex quo factum est, ut ulterius non convenirent.* Igitur quomodocumque accipiatur *To* convenire, numquam fit ut B. Mariæ Virginis integritati opponatur; quod fusius SS. Patres, & nostri Expositores, ostendunt.

Ad VII. subdimus explicationem Chrysostomi, quam affert S. Thomas 3. p. q. 28. ar. 8. *Non cognovit eam, antequam pareret, cujus fuerit dignitatis; sed postquam peperit cognovit eam: quia per ipsius prolem speciosior, & dignior facta fuerat: quia quem totus mundus capere non poterat, in angusta cubicula uteri sui sola susceptit.* Dicitur etiam, quod verbum *donec* respondet hebraico verbo עַד *Ad*; & quum sit post particulam negativam *non*, non semper affirmat quod sequitur. Sic Deut. 34. 6. dicitur: *Et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem*; insuper II. Reg. 6. 23. habetur: *Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ*; pariter Job 27. 5. invenitur: *Absit*

sit a me, ut justos vos esse judicem; donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Potest ne dici, vel quod Job post mortem suam recesserit ab innocentia sua; vel quod Michol post mortem filios habuerit; vel quod post ter mille, & plusquam centum annos Moysis sepulcrum agnovesint Judæi? Sensus ergo verborum illorum est, quod S. Joseph B. Virginem Sponsam suam non cognovit nec antequam pareret, nec postquam peperit. Et hoc vel maxime quia S. Matthæus hebraico idiomate Evangelium suum scripsit; adeoque hebraica phrasi usus est.

Ad VIII. Primogenitus dicitur in Scripturis qui primo natus est, quanvis deinde alii non fuerint nati. Unde S. Thomas 3. p. q. 28. ar. 3. docet: *Mos divinarum Scripturarum est, ut primogenitum vocent, non solum eum, quem fratres sequuntur, sed eum, qui primus natus est. Alioquin si non est primogenitus, nisi quem sequuntur fratres, tandiu secundum legem Sacerdotibus primogenita non debentur, quandiu & alia non fuerint procreata. Quod patet esse falsum; cum intra unum mensem primogenita redimi mandarentur secundum legem.* Insuper in Scripturis quoque mos est, ut quicumque sanguine conjuncti vocentur Fratres. Sic Gen. 11. 27. Loth dicitur Abraham frater, & tamen ejus erat nepos. Gen. 14. 14. Sara dicitur Soror etiam Abraham, & nihilominus nepos erat, quia filia Aran, Abrahæ fratris. Qui igitur dicuntur Fratres Christi, ejus erant consanguinei; nimirum Jacobus minor, & Joseph justus, filii erant Mariæ Alphei, quæ B. Mariæ Virginis soror erat consobrina; insuper Simon, & Judas Thadæus, filii erant ejusdem, & Cleophæ, quem dicunt fuisse Josephi Sponsi Virginis fratrem. Idem dici potest de Jacobo majore, & Joanne ejus fratre, qui pariter erant Jesu Christi consanguinei: Unde hi omnes Fratres ejus dicti sunt. De hoc Scripturarum loquendi more scribunt unanimiter omnes nostri, ad quos Legentes remittimus, si plura cupiunt.

Ad IX. Hoc argumentum est Gentilium, & Judæorum; Gentilium dicentium, quod Christus debebat prioribus seculis nasci, ut ab initio homines a culpa liberaret: Judæorum volentium, in fine mundi debere nasci, ut tunc mundum a captivitate solvat. Contra primos dicimus, incarnationem non debuisse fieri prioribus mundi seculis; ratio est, quia conveniebat, ut homines prius disponerentur per oracula ad credendum mysterium, & præpararentur ad recipiendum Messiam qua decens erat reverentia. Unde Augustinus trac. 31. in Joan. scribebat: *Multi dicunt, quare non ante venit Christus? Quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderatore illo, per quem facta sunt tempora. Sciebat enim, quando venire deberet. Primo per multam seriem temporum & annorum prædicendus fuit; non enim aliquid parvum venturum fuit. Diu fuerat prædicendus, semper tenendus. Quanto major Judex veniebat, tanto præconum longior series præcedebat.* Insuper expediebat, ut homines in statu naturæ lapsæ experirentur naturæ suæ imbecillitatem, & legis insufficientiam: unde avidius peterent a venturo Messia remedium, & illud acceptum charius haberent. Unde Ethnicis dicentibus apud Augustinum ep. 49. ad Presbyterum, Deo gratias, q. 2. *Si Christus se salutis viam dicit, gratiam, & veritatem, in seque solo ponit animis sibi credentibus reditum, quid egerunt tot seculorum homines ante Christum? Quare Salvator qui dictus est, sese tot seculis subduxit?* ipsemet Augustinus eodem loco respondet: *Itaque ab exordio generis humani, quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, & secundum ejus præcepta pie, & juste vixerunt, quandolibet, & ubilibet fuerint, per eum procul dubio salvi facti sunt. Sicut enim nos in eum credimus, & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit; sic credebant in eum antiqui, & apud Patrem manentem, & in carne venturum.* Contra Judæos vero dicimus, incarnationem non debuisse usque ad mundi finem differri; & ratio est, quia per longissimum tempus homines forsitan desiissent remedium illud desiderare, & exposcere; tum etiam, quia, quum post legem veterem venire debuerat nova, hæc debebat in mundo longius perseverare, ut plures homines salvi facti fuissent. Et quanvis Gen. 49. Jacob dixerit, hoc futurum fuisse novissimis diebus: *Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt novissimis diebus*; & Isai. 2. hoc idem replicetur: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes:* Attamen per novissimos dies intelligitur ultima ætas mundi, quæ a Messia usque ad mundi finem fluit. Sex enim enumerantur ætates mundi; prima scilicet ab Adamo usque ad diluvium, secunda a diluvio

diluvio ad Abrahamum, tertia ab Abrahamo ad Davidem, quarta a Davide ad Babylonicam captivitatem, quinta a captivitate ad Christum, sexta a Christo ad finem usque seculorum. Denique illud tempus opportunius fuit pro Messiæ adventu, quo ejusdem adventus adimpleta fuerunt oracula; hæc autem adimpleta fuerunt tempore, quo Christus advenit; ut patet de Danielis hebdomadibus, de prophetia Jacobi, & de aliis, quæ in præcedentibus explicavimus.

Ad X. Si Prophetarum oracula ostendimus adimpleta, non est ut dicant Adversarii, Prophetas loquutos fuisse de Messiæ adventu pro libito, & non pro veritate. Quid autem Prophetæ de prædictionibus illis pro ipsis boni poterant inferre, ut sua mendacia pro oraculis venditarent? Certe ut oracula Prophetæ prædictiones illas agnoscebant, & non ut vaniloquia; quæ ut plurimum tribui possunt vel indoli, vel temperamento loquentium.

Ad XI. Si Israelitæ intelligant promissiones illas secundum carnem, non falsa sunt oracula, sed ipsimet falluntur. Attamen secundum spiritum debemus illas intelligere, & hoc pacto omnes inveniemus plenissime verificatas. Cæterum non pro bono tantum Judæorum, sed Gentilium quoque, prædictus est Messias a Prophetis; unde Isaias 11. dicebat: *Exurget regere gentes, & in eum Reges sperabunt.* Et insuper idem Isaias cult. *Ecce testem populis dedi eum, & ducem, & præceptorem gentibus.* Igitur tam Judæi, quam Gentiles in Messia receperunt Christum, qui utrosque a peccati captivitate liberavit, & viam aperuit, ut cœlum, usque tunc ipsis omnibus omnino clausum, ingrederentur.

Ad XII. Non est quod Messiæ oracula illustria non fuerint, sed quod Judæorum mentes sint excæcatæ, ut illa nolint intelligere, ut bene agant. Quæ enim illustriora expectant obstinati homines oraculis jam adimpletis in fœderis illorum, ac legis mutatione, in Gentium vocatione, in eventibus sole clarioribus, qui consequuti sunt Christi nativitatem, vitam, mortem, ac resurrectionem? Non sunt profecto clarissima oracula jam adimpleta etiam in excidio urbis, & templi, in confusione Tribuum, & familiarum, in stirpium perturbatione, & in totius nationis illorum dispersione? Si quæ autem adhuc sunt obscura, est ut fides etiam locum habeat; & ut nos per fidem ad regni æterni assequutionem meritum consequamur. Signa vero posterioris adventus non clariora sunt prioris signis; sed illa, quia non dum advenerunt, dissimulant pertinacissimi homines, ut liberius primum adventum, usquedum alter perficiatur, inficientur.

DISSERTATIO CLXV.

De caussa meritoria Incarnationis. An veteris Legis Patriarchæ, an B. Maria Virgo, an Humanitas Christi Domini, Incarnationem meruerint?

Controversia est mere scholastica, quanvis in aliquo sensu velint plures reduci posse ad fidei dogma. Antecedenter autem ad illius secundum omnes sui partes decisionem, prænotare oportet. I. Meritum vel esse condignum, vel congruum; primo debetur merces jure stricto, & rigoroso; & ita debetur, ut ei negari non possit sine injustitia; alteri vero ita conceditur præmium, ut possit absolute negari, & aliquando quoque actu negetur. Et in hoc sensu dicunt Theologi apud Jueninum, Justos de condigno mereri gratiæ sanctificantis augmentum, & vitam æternam; de congruo vero actualia auxilia, quibus indigent ad superandas tentationes, aliaque multa. II. Incarnationem posse dupliciter intelligi, secundum substantiam, & secundum circumstantias. Primo modo dicit hypostaticam unionem Verbi cum humana natura; altero modo dicit locum, tempus, parentes, quibus peracta est Incarnatio. III. Meritum de condigno ab intrinseco esse tale, non vero ex extrinseca pro-

Digitized by Google

promissione, vel ordinatione Dei; ut docet Cacheranus. IV. ex eodem, principium meriti non posse cadere sub meritum illius, cujus est principium, neque de absoluta Dei potentia. V. Meritum, ut suam exerceat causalitatem moralem, non opus esse ut sit actualiter existens, nec ei satis esse ut habeat existentiam pure intentionalem, aut dumtaxat conditionate futuram. VI. Quæstionem agitari de Humanitate Christi, vel etiam de Christo; tum quoque de qualibet creatura pura, præsertim vero de Sanctis Patribus, & justis hominibus, qui præcesserunt in lege naturæ, & scripta; & singillatim de B. Virgine Maria, Dei Genitrice. VII. Quod quanvis Humanitas Christi, aut ejus anima, potuerit existere, & subsistere in se ipsa prius tempore, quam assumeretur a Verbo; id tamen de facto non eveniisse; ita ut de facto anima, vel Humanitas Christi ante assumptionem nec habuerit existentiam, nec subsistentiam prioritate temporis; prioritate vero naturæ habuerit quidem existentiam, at non subsistentiam. Quod dicimus de facto Cacheranus asserit, esse certum, & fidei proximum; quod diximus de possibili, vult tantum tanquam certum haberi. VIII. Idem Cacheranus ex Philosophicis recolit, quod natura, priusquam operetur, debeat esse subsistens, ut sit completa substantialiter, & in ordine ad se; & hoc haberi per subsistentiam, antequam perficiatur in ordine ad aliud; quod est quando perficitur per operationem. Et quia hoc spectat ad connaturaliorem modum essendi, & operandi ex una parte; & ex alia quia subsistentia prærequiritur ad operandum, vel ut pura conditio, vel ut comprincipium efficiens; videtur, quod ejus efficientia possit suppleri per concursum Dei potentiorem: Unde sequitur, quod de potentia absoluta non repugnet, humanitatem, vel aliam creatam naturam, operari absque eo quod subsistat, & antequam subsistat. IX. Nomine operum Humanitatis intelliguntur ea quæ a natura humana, seu anima Christi, secundum se, & nondum unita Verbo, processerunt; si fuerunt hæc opera, aut esse potuerunt meritoria. Nomine vero operum Christi intelliguntur opera a natura humana jam Verbo unita, seu a Deo Homine, procedentia. Hæc autem opera Christi non dubitatur fuisse plurima, & plurimum meritoria; dubitatur autem, an fuerint, aut esse potuerint, meritoria Incarnationis. Hæc Cacheranus. X. Quia non est una Scholasticorum sententia circa hæc omnia, quæ in Dissertationis titulo comprehenduntur; ideo congruum ducimus primo exponere varias illorum opiniones, & deinde nostram Conclusionem aperire, atque firmare.

Primo igitur S. Thomas 3. p. q. 2. ar. 11., Magister sententiarum in 3. dist. 18., & cum eis Scholastici omnes, conveniunt dicentes, de facto in Humanitate, & anima Christi nullum opus præcessisse Incarnationem, aut tempore, aut natura, quod fuerit aliquo modo meritorium ejusdem Incarnationis. Vasquez testatur disp. 21. c. 1. n. 1. Nullum adhuc Catholicum Doctorem oppositum asseruisse. Quod nullum opus præcesserit tempore est de fide, vel fidei proximum; quia est fidei proximum, quod nec Christi Humanitas, nec anima, Incarnationem præcesserit tempore. Quod vero nullum opus præcesserit natura, idem Vasquez vult, esse in eodem gradu certitudinis; unde oppositum vocat errorem, & Amicus disp. 26. n. 107. temerarium censet. Secundo, de possibili, & de potentia Dei absoluta, quod in Humanitate, & anima Christi potuisset aliquod opus præcedere aut tempore, aut natura, Incarnationem quod esset ejusdem Incarnationis aliquo modo meritorium; apud Cacheranum est communis assertio Scholasticorum, saltem quoad præcedentiam temporis: Quoad vero præcedentiam solius naturæ, est assertum Cajetani, Lugi, Amici, Arriagæ, Maderni, Herincx, & recentiorum plurium; quod vero negant Joannes a S. Thoma, Gabriel a S. Vincentio, Gonetus, Suarez, Vasquez, Mastrius &c. Tertio asserunt Richardus, Marsilius, Gonetus, Joannes a S. Thoma, Gabriel a S. Vincentio, Vasquez, Lugus, Amicus, Arriaga, Mastrius, Cacheranus &c. nullum in Christo opus subsequens Incarnationem, fuisse, aut esse potuisse meritorium Incarnationis, & unionis hypostaticæ, quam subsequitur, quoad primum ejus esse: Quod tamen negant Suarius, Ruizius, Coninchus &c. Quarto, est communis assertio Theologorum, quod in pura creatura, nequidem de potentia Dei absoluta, dari possit ullum meritum Incarnationis condignum; congruum vero, etiam de communi testatur Vasquez, quanvis Lugus, & Arriaga, quosdam suppresso nomine innuant,

Digitized by Google

nuant, qui contrarium aſſeruerunt. Quinto, in antiquis Patribus nullum fuiſſe meritum congruum de facto Incarnationis quoad ſubſtantiam, affirmant Scotus, Marſilius, Vaſquez, Amicus, Lugus, Arriaga, Herincx, Madernus, & Scotiſtæ fere omnes; negant vero Suarius, Valentia, Joannes a S. Thoma, Gabriel a S. Vincentio, Gonetus, & reliqui Thomiſtæ. Inſuper in iiſdem fuiſſe de facto meritum congruum Incarnationis quoad aliquam circumſtantiam, & ſignanter quoad acceleracionem, ſeu circumſtantiam temporis; ex Cacherano Scholaſtici affirmant communiter contra Lugum, Lorcam, Gabrielem a S. Vincentio, alioſque nonnullos. Sexto, fuiſſe in B. Virgine Maria, Dei Genitrice, meritum congruum maternitatis quoad exequutionem, docent S. Thomas, Gonetus, Gabriel a S. Vincentio, Suarez, Vaſquez, Lugus, Amicus, Arriaga, Madernus, aliique plurimi; negant vero Lorca, aliique pauci. Non fuiſſe autem in eadem B. Virgine ullum maternitatis meritum merito prædicto majus; ſcilicet quoad intentionem, & electionem, de condigno, vel de digno, neque etiam de abſoluta Dei potentia; aſſerunt omnes præcitati poſt S. Thomam, contra Vaſquez, qui extendit meritum congruum maternitatis etiam ad ejus electionem, & intentionem, cui adhæret Amicus; contra Suarez, Arriagam, & Madernum, qui ponunt meritum condignum maternitatis dabile de potentia Dei abſoluta; contra Majorem, Gabrielem, Almaynum, Poncium, Cabreram, qui concedunt meritum condignum de facto; contra S. Bonaventuram, Richardum, Marſilium, qui propugnant meritum de digno. His præſuppoſitis

Dicimus I. De facto in Humanitate Chriſti nullum opus præceſſit, aut tempore, aut natura, Incarnationem, quod fuerit, aut de condigno, aut de congruo, Incarnationis meritorium; de poſſibili autem potuiſſet aut tempore, aut ſolum natura, præcedere Incarnationem opus aliquod, quod eſſet aliquo modo ejuſdem Incarnationis meritorium.

I. Pars I. Probatur. Antequam Humanitas Chriſti aut exiſteret, aut ſubſiſteret, nullum opus ab ea proceſſit; ſed ſi fuiſſet opus præcedens humanitatem Chriſti tempore, fuiſſet antequam ipſa exiſteret tempore; & ſi fuiſſet præcedens natura, fuiſſet antequam ipſa ſubſiſteret; ergo de facto in Humanite Chriſti nullum opus præceſſit, aut tempore, aut natura, Incarnationem, quod fuerit aut de condigno, aut de congruo, Incarnationis meritorium. Major patet; tùm quia nulla cauſſa phyſica operari poteſt, antequam exiſtat, quia exiſtentia actualis eſt ſaltem conditio neceſſaria ad phyſice agendum; tum etiam, quia ſecundum potentiam ordinariam quælibet natura ſubſtantialis debet ſubſiſtere antequam operetur, & præcipue operetur libere, & meritorie. Minor etiam conſtat, quia ſi humanitas non fuit exiſtens prius tempore, nec ſubſiſtens prius natura, quam fuerit facta Incarnatio, ſequeretur, quod opus præcedens tempore Incarnationem eſſet antequam exiſteret humanitas; & opus præcedens natura Incarnationem eſſet antequam humanitas ſubſiſteret; quæ omnia ſunt abſurda. Conſequentia autē ſequitur.

II. Probatur. Quod eſt meritorium eſt liberum; ſed quod eſt liberum procedit a potentia operante poſt omnia neceſſaria, quæ illi conveniunt: ergo poſt ſubſiſtentiam, quæ convenit naturæ, velut conditio ex parte principii neceſſaria ad operandum, vel ſaltem per neceſſariam, ut ajunt, emanationem, vel ut perfectio neceſſaria ipſius naturæ, qua hæc redditur ſui juris. Major eſt certa. Minor probatur. Neceſſaria ex genere ſuo ſunt priora liberis; quod patet etiam in illorum ſententia, qui diſtinguunt realiter potentias ab anima; aſſerunt enim prius præſupponi intellectivam, quam volitivam, potentiam in anima.

III. Probatur. Incarnatio ſumpta ſecundum ſubſtantiam de facto fuit ex pura gratia, miſericordia, & liberalitate Dei; & hoc non ſolum reſpectu omnium, qui ſunt extra Chriſtum, in quo ſenſu eſt de fide; verum quoque reſpectu Chriſti, & humanitatis ipſius; ergo de facto non fuit in Chriſto aliquod opus, precedens Incarnationem, quod fuerit aliquo modo meritorium ipſius. Conſequentia ſequitur; quia ſi fuiſſet hoc opus præcedens Incarnationem, & meritorium ipſius, Incarnatio non eſſet ex pura gratia, miſericordia, & liberalitate Dei; meritum enim, quodcunque, & qualecunque ſit, ſemper minuit liberalitatem, & gratiam, & ejuſdem impedit puritatem. Antecedens autem probant Scripturæ, & Patres. Pſal. 8. *Quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.*

Ad

Ad Hebr. 2. *Eum autem, qui modico, quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Augustinus ser. 9. in Matth. *Quantum autem pertinet ad ipsius hominis susceptionem, tota gratia, singularis gratia, perfecta gratia. Quid meruit homo ille, qui Christus est? Si tollas gratiam, & tantam gratiam.* Et in Enchiridio c. 36. *Quidnam natura humana in Homine Christo meruit, ut in unitatem Personæ unici filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas? Cujus boni propositi studium? Quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo, ut una fieret persona cum Deo?*

IV. Probatur, Humanitas Christi de facto considerata cum præcedentia naturæ, concipitur tantum cum finitis donis gratiæ, sibi a Deo creatore concessis; sed cum finitis donis nullo modo potuit Humanitas Christi unionem hypostaticam mereri: ergo de facto nullum opus præcessit saltem natura Incarnationem, quod fuerit ejusdem meritorium. Minor probatur. Unio hypostatica est infinita; dona illa in illo statu concipiuntur finita; sed nulla est proportio inter finitum, & infinitum: ergo humanitas Christi cum finitis illis donis nullo modo potuit unionem hypostaticam mereri.

V. Probatur. Conclusio nostra dicitur de fide determinata contra Photinum, Nestorium, Originem, & Ansbertum in c. 5. Apocal. ergo negari non potest. Probatur antecedens. Ansbertus asseruit in Christi humanitate meritum suæ unionis hypostaticæ. Origenes vero lib. 2. Periarchon c. 6. erravit asserens, animam Christi fuisse a mundi initio creatam, & postmodum post quædam millia annorum, ex merito dilectionis suæ erga Deum, fuisse hypostatice assumptam. Photinus, & Nestorius errarunt quoque dicentes, Christum purum hominem præcessisse, ac promeruisse unionem hominis cum Deo. Verum hi ultimi, ut observat Cacheranus, non dicendi sunt, quod erraverint, uti erravit Origines; quia isti non loquebantur de Humanitate Christi, sed de Christo, quem putabant purum hominem; nec etiam agnoverunt verum Incarnationis mysterium, nec substantialem unionem humanitatis cum Verbo. Unde non potuerunt tribuere humanitati ullum meritum Incarnationis, seu unionis hypostaticæ proprie acceptæ; ut apud Cacheranum quisque poterit observare.

II. Pars I. Probatur de præcedentia temporis. Humanitas Christi potuit de potentia absoluta præcedere tempore unionem hypostaticam: ergo potuit elicere aliquod opus supernaturale, quod esset aliquo modo meritorium Incarnationis, de potentia absoluta. Antecedens patet; quia, ut videbimus infra, potuisset a Verbo assumi humanitas antecedenter subsistens in propria persona. Si autem dicatur, quod in hac hypothesi humanitas operaretur tantum naturaliter, non vero supernaturaliter, & meritorie; contra sic prosequimur; in præmissa hypothesi non repugnaret humanitati comprincipium supernaturale alicujus gratiæ: ergo posset etiam operari supernaturaliter, & meritorie. Consequentia sequitur; quia ubi dantur opera naturalia dari possunt supernaturalia per hoc, quod possit advenire comprincipium supernaturale adjuvans potentiam ad operandum supernaturaliter, & meritorie.

II. Probatur de præcedentia naturæ. In illo priori naturæ potuit humanitas Christi operari supernaturaliter: ergo potuit operari meritorie. Probatur antecedens. In illo priori naturæ potuit habere omnia requisita ad operandum tum simpliciter, tum supernaturaliter: ergo potuit operari supernaturaliter. Probatur antecedens quoad primam partem. Si non potuit, ideo fuit, quia ei deficiebat subsistentia aut propria, aut aliena; sed hæc non est necessaria ad operandum simpliciter; ergo &c. Probatur minor. Ideo dicitur ab Adversariis, quod subsistentia est necessaria ad operandum simpliciter, quia supponunt subsistentiam præcedere existentiam; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur minor. Existentia præcedit subsistentiam, & per subsistentiam res completur. Et argumentum maxime procedit in sententia P. Magnani, explicantis subsistentiam non per aliquod positivum physicum, nec per aliquod negativum, sed per aliquod positivum morale; quod nunquam potest rei existenti deficere; unde in illo priori naturæ humanitas posset concipi subsistens hoc modo. Probatur etiam illud antecedens quoad secundam partem. Si deest in illo priori aliquod necessarium ad operandum supernaturaliter, est gratia tum habitualis, tum actualis; sed per potentiam absolutam poterat hæc non deesse: ergo nihil deficiebat ad operandum supernaturaliter. Probatur minor.

Ideo

Digitized by Google

Ideo de facto concipitur in illo ſtatu humanitati Chriſti deficiens gratia, quia de facto decrevit omnes gratias ad eam provenire per hypoſtaticam unionem; ſed de potentia abſoluta non repugnabat, a Deo conferri humanitati Chriſti aliquam gratiam independenter a gratia unionis, & quæ eſſet pura gratia Dei: ergo &c.

Opponunt I. Pſal. 33. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ.* Et Apocal. 5. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & honorem.* Quæ loca ſane probant, Chriſti humanitatem ex merito actuum ſupernaturalium accepiſſe unctionem divinitatis, per quam unio cum divina Perſona intelligitur. II. Auguſtinus in citatis locis excludit merita procedentia ex ſolo arbitrio, & ex viribus naturæ, vel quæ præceſſerint tempore Incarnationem; non vero merita procedentia ex viribus gratiæ, & quæ præceſſerint Incarnationem pro inſtanti naturæ. Unde explicans illud: *Quid eſt homo?* intelligendus eſt de homine ſecundum pura naturalia. III. In illo priori naturæ gratia, quæ de poſſibili conferretur humanitati Chriſti de potentia abſoluta ad operandum ſupernaturaliter, vel eſſet habitualis, vel actualis; ſed neutra dici poteſt: ergo &c. Probatur minor. Non habitualis; quia ſi hæc non conferretur ex intuitu unionis, conferretur ex affectu adoptionis; unde per ipſam eſſet Chriſtus filius adoptivus; ſed repugnat quammaxime, quod Chriſtus pro eodem temporis inſtanti ſit filius naturalis, & adoptivus: ergo &c. Non actualis; quia omne opus Chriſti, ſeu procedens ab humanitate Chriſti, eſt infinite dignum; gratia autem actualis, quæ non dependeret ab Incarnatione, non eſſet infinita: ergo inſufficiens ad quodcunque opus humanitatis Chriſti. IV. Nihil poteſt in Incarnatione præcedere ſubſiſtentiam: ergo nec gratia actualis, nec habitualis, nec operatio ulla, etiam de potentia abſoluta, poteſt in humanitate præcedere Incarnationem. Probatur antecedens. Quodcunque aliud in humanitate eſt extrinſecum, ſola ſubſiſtentia eſt intrinſeca; ſed nec etiam de potentia abſoluta poteſt extrinſecum in aliquo præcedere intrinſecum: ergo nec de potentia abſoluta poteſt quodcunque aliud in Incarnatione præcedere ſubſiſtentiam. V. Non poteſt meritum præcedere præmium tantum natura: ergo adhuc ſi in Incarnatione præcederet aliquod opus natura, non eſſet tamen meritum. Antecedens probant; quia repugnat ſimpliciter meritum beatitudinis præcedere beatitudinem natura tantum. VI. Opera concomitantia Incarnationem in Humanitate Chriſti non potuerunt mereri Incarnationem: ergo nec etiam opera præcedentia. Antecedens ſupponitur; conſequentia probatur; quia in utriſque eadem eſt ratio.

Reſpondemus ad I. cum Vaſquez, aliiſque, verba illa: *unxit te Deus*: non referri ad unctionem Divinitatis, nec ad hypoſtaticam unionem; ſed vel ad declarationem filii Dei in Jordane factam, vel ad gloriam reſurrectionis, & aſcenſionis, vel ad aliud præmium. Ulterius dici poteſt, per verbum, *propterea*, non denotari cauſſam meritoriam, ſed finalem. Alii dicunt, verba illa: *dignus eſt agnus*: vel non importare dignitatem meriti, ſed convenientis capacitatis; *vel accipere Divinitatem* referri ad Divinitatis manifeſtationem, non unionem. Hæc legimus apud Cacheranum, & Jueninum.

Ad II. quod etiam dato, quod Auguſtinus loquutus fuerit præcipue de meritis procedentibus ex ſolo arbitrio, aut præcedentibus tempore; poteſt tamen dici, quod etiam loquutus fuerit de omni prorſus merito, etiam procedente ex gratiæ auxilio, & tantum natura præcedente. Et ratio eſt, quia de facto omnis alia gratia, præter illam unionis, fuit in humanitate Chriſti dependens ab illa unionis: ergo nulla alia gratia potuit præcedere illam unionis, nec tempore, nec natura; adeoque nulla alia gratia potuit eſſe principium merendi ipſam unionem.

Ad III. dicitur, quod ad hoc ut gratia habitualis conferat filiationem adoptivam, requiritur carentia filiationis naturalis pro inſtanti temporis; unde non ſufficit carentia pro inſtanti naturæ, quæ proprie non eſt carentia, ſed potius præciſio illius. Hinc dicit Cacheranus, quod in illo priori daretur gratia habitualis non poſitive intuitu unionis, nec poſitive ex affectu adoptionis, ſed medio modo, & præciſive. Addicur, quod utraque filiatio, naturalis ſcilicet, & adoptiva, eſt proprietas Perſonæ; adeoque dari non poteſt in natura pro eo ſigno, in quo nondum perſonata intelligitur. Pro gratia vero actuali dicitur, quod de facto omne opus Chriſti eſt infinitum, quia eſt poſterius natura ad unionem; opus autem, quod

esset natura prius, non significaretur a gratia unionis; & posset concurrere ad merendum aliquo modo.

Ad IV. dicimus etiam cum Cacherano, quod ab intrinseco, & per se potest importare & identitatem, & naturalem solam connexionem. Quod convenit ab intrinseco, & per se per identitatem, nec etiam de potentia absoluta, potest subsequi quod convenit ab extrinseco. Quod vero convenit ab intrinseco, & per se per naturalem solam connexionem, per potentiam absolutam, potest subsequi quod ab extrinseco convenit. Et ratio est, quia quod est ab intrinseco, & per se per identitatem est metaphysice, & essentialiter tale; quod nullo modo potest a Deo mutari; quia Deus non potest mutare essentias, vel proprietates essentiales rerum; ut patet in risivitate respectu hominis. Quod vero est ab intrinseco, & per se per solam naturalem connexionem est physice, & connaturaliter tale; & hoc potest per potentiam absolutam a Deo mutari; ut patet in calore respectu ignis &c.

Ad V. dicitur, quod causa moralis, cujusmodi est meritum, non requirit majorem prioritatem, quam causa physica requirat; sed causæ physicæ sufficit prioritas naturæ: ergo etiam sufficit causæ morali. Meritum autem beatitudinis non potest præcedere natura tantum beatitudinem, & esse cum ea simul tempore, propter specialem rationem. Et hæc est, quia meritum, & præmium beatitudinis dicunt conditiones incompossibiles, quæ reperiri non possunt in eodem temporis instanti. Has autem conditiones non dicunt meritum, & Incarnatio.

Ad VI. dicimus, quod opera illa concomitantia aut præcedunt natura Incarnationem, ut fuerunt illa, de quibus loquuti fuimus; aut natura subsequuntur Incarnationem, ut fuerunt actus elicti a Christo in primo instanti Conceptionis. Illa prima potuerunt, ut dictum est de illis in secunda Conclusionis parte; illa posteriora non potuerunt, ut dicemus de subsequentibus in sequenti Conclusione. Cæterum omnia illa opera concomitantia, sive præcedentia, sive subsequentia, ordine naturæ, concomitantia sunt pro eodem temporis instanti, & ordine temporis.

Dicimus II. Nullum ex operibus Christi, subsequentibus Incarnationem fuisse, aut esse potuisse, meritorium Incarnationis, & unionis hypostaticæ, quam subsequuntur pro primo ejus esse.

I. Probatur pro eo, quod fuit de facto. Non esset Incarnatio ex pura gratia, si aliquod opus ipsius Christi, etiam subsequens Incarnationem, fuisset ipsius Incarnationis meritorium: ergo tale non fuit. Probatur antecedens. Ideo esse ex meritis subsequentibus gratiam non opponeretur gratiosæ omnino Incarnationi, quia non destrueret rationem gratiæ simpliciter; sed destrueret primitatem, & puritatem gratiæ; & hoc omnino requiritur ad gratiam Incarnationis: ergo non est Incarnatio ex pura gratia, si aliquod opus ipsius Christi, etiam subsequens Incarnationem, fuisset ipsius Incarnationis meritorium. Probatur minor. Primo in illa hypothesi esset gratia non prima, sed secunda; esset gratia pro gratia; ut docet Augustinus. Incarnatio autem de facto est in Christo pura gratia, & prima gratia: unde non potest esse ex meritis, quamvis hæc sint subsequentia.

II. Probatur pro eo, quod afferitur de possibili. Si aliquod opus Christi subsequens Incarnationem potuit esse meritorium Incarnationis quoad primum ejus esse, principium meriti potuisset cadere sub meritum, cujus est principium; sed hoc est impossibile: ergo &c. Minor supponitur certa. Major probatur. Opus, quod Incarnationem subsequitur est opus posterius primo esse Incarnationis, non solum tempore, & duratione, sed etiam natura, & causalitate in ratione meriti: ergo Incarnatio pro primo sui esse est principium meriti illius operis subsequentis: ergo si hoc opus esset meritorium Incarnationis, principium meriti potuisset cadere sub meritum illius operis, cujus est principium; sed hoc, ut dictum est, repugnat: ergo &c.

III. Probatur. Nequit effectus præcedere suam causam, etiam natura, non solum tempore: ergo nequeunt merita subsequentia Incarnationem, quæ sunt effectus ipsius Incarnationis, esse causa meritoria Incarnationis. Probatur major. Quicunque effectus est posterior sua causa etiam natura, aut saltem natura; merita autem subsequentia supponunt existentiam Incarnationis; adeoque sunt effectus ipsius; Unde non possunt esse meritoria Incarnationis. Quod magis patet, si observetur, quod merita illa subsequentia sunt post unionem, & per consequens ipsam unionem supponunt; ergo sunt posteriora saltem natura, ipsa unione.

Ar-

Digitized by Google

Arguunt I. Quanvis principium meriti non poſſit cadere ſub meritum, tamen hoc verificatur in eo ordine, in quo eſt principium, non vero in diverſo ordine; ſed in caſu noſtro eſt in diverſo, non in eodem, ordine: ergo &c. Probatur minor. Incarnatio eſt principium totius meriti Chriſti in ordine exequutionis: ergo non poteſt cadere ſub meritum conſideratum in exequutione; at ſi conſideretur in intentione, in diverſo ordine conſideratur: ergo in intentione poteſt cadere ſub meritum. II. Poteſt dari caſus, in quo principium meriti non detur ſimpliciter, & abſolute, ſed ſub conditione, & ſub ſpe meriti futuri; in quo caſu hujuſmodi meritum ad principium ſuum ſe haberet non tanquam meritum remunerandum, cui repugnat retributio prævia, ſed tanquam recompenſativum ſolutionis anticipatæ, quod non repugnat; ſed ſic eſſet in caſu noſtro: ergo non repugnaret. Probatur minor. Si Deus voluiſſet Incarnationem tanquam principium meriti in ſpe, & recompenſativi, non repugnaret, ipſam cadere ſub meritum, cujus eſſet principium; ſed hic eſt caſus a nobis efformatus: ergo ſic eſſet in caſu. III. Per opera ſubſequentia Chriſtus meruit SS. Patribus gratiam adoptionis: ergo per eadem potuit mereri ſibi gratiam Incarnationis. Antecedens eſt certum; quia omnis gratia Sanctorum originem habuit a meritis Chriſti; multi autem Sancti fuerunt, qui præceſſerunt Incarnationem Chriſti: ergo per merita ſubſequentia Incarnationem meruerunt gratiam adoptionis. Conſequentia autem ſequitur. IV. Chriſtus ſi prævifus fuiſſet futurus cum ſubſiſtentia vaga, & indeterminata, ex meritis ipſius prævifis futuris dependenter a Chriſto, potuiſſet Deus moveri ad tribuendam determinate ſubſiſtentiam Verbi; ſed hic eſt caſus, de quo loquimur: ergo de potentia abſoluta, in qua dari poteſt hypotheſis dicta, potuit Chriſtus per opera ſubſequentia mereri Incarnationem.

Reſpondemus ad I. negando potuiſſe eſſe hanc ordinis diverſitatem in caſu, de quo loquimur. Ratio eſt, quia quando divina voluntas eſt efficax, non datur ordo intentionis diverſus, & prior ordine exequutionis. Inſuper merita Chriſti antequam ſint futura in exequutione, non poſſunt a Deo prævideri in decreto intentivo efficaci tanquam futura ordine intentionis. Et quando etiam poſſent ſic prævideri, ſub hanc prævifionem poſſent ſolum cauſſare motionem intentionalem, & producere cauſalitatem finalem, non vero motionem moralem, & meritoriam cauſalitatem.

Ad II. dicitur, quod meritum illud recompenſativum, & in ſpe, nimis improprie dicitur meritum, quia revera meritum non eſt; & ratio eſt, quia habet magis rationem cauſæ finalis, quam meritoriæ; ut dictum eſt nuper de merito conſiderato præciſe in intentione.

Ad III. dicimus, gratiam Chriſti fuiſſe ſubſequutam tantum materialiter, & ſolo temporis ordine, gratiam collatam SS. Patribus; at vero ſubſequutam fuiſſe formaliter, & ordine cauſſalitatis gratiam unionis, & Incarnationis exequutionem. Ac proinde fuerunt poſt illam tanquam quid utcumque præcedens; fuerunt autem poſt hanc tanquam principium meriti. Et hæc ſunt, & alia etiam, diſparitatis capita.

Ad IV. Nos loquimur in præſenti de meritis, quæ ſubſequuta ſunt eam unionem, quæ de facto facta eſt in Chriſto; non eſt autem facta unio per ſubſiſtentiam indeterminatam, & vagam: igitur hypotheſis, quæ fit in argumento, ad rem noſtram non ſpectat. Inſuper, ſubſiſtentia illa indeterminata, & vaga facit hypotheſim impoſſibilem; quia dicit imperfectionem in Deo in actibus ſuis abſtrahere ab omni determinatione, & poſitive intendere, atque etiam ſtatuere indeterminationem. Denique illa merita conditionate futura non eſſent meriti capacia; quia Deus per illa non poſſet moveri moraliter, nec ad cauſſandum præmium ullo modo.

Dicimus III. Sanctos Patres nec de condigno, nec de congruo, meruiſſe Incarnationem quoad ſubſtantiam; quoad vero circumſtantiam temporis meruiſſe de congruo; nullatenus autem meruiſſe, quod Chriſtus ex eorum natione naſceretur. Tres habet partes Concluſio.

I. Probatur pro 1. parte. In pura creatura nec de potentia abſoluta dari poteſt meritum condignum Incarnationis: ergo SS. Patres non meruerunt illam de condigno. Probatur antecedens. In pura creatura nec de potentia abſoluta dari poteſt opus adæquans Incarnationem: ergo nec dari poteſt meritum condignum Incarnationis. In pura creatura nec de potentia abſoluta dari poteſt opus, quod ſuo valore morali compenſet offenſam lethalem, ſeu adæquet ſatisfactionem debitam pro tali offenſa; ſed Incarnatio excedit

Digitized by Google

hujusmodi compensationem, & adæquationem: ergo multo minus dari potest in pura creatura adæquans Incarnationem.

II. Probatur, Si fuisset in SS. Patribus de facto meritum congruum Incarnationis quoad substantiam, meriti principium cecidisset sub meritum congruum illius, cujus est principium; atqui hoc est impossibile: ergo &c. Probatur major. Incarnatio secundum substantiam fuit de facto principium cujuscumque meriti sive condigni, sive congrui in SS. Patribus: ergo non potuerunt per ipsum SS. Patres mereri Incarnationem, quin principium meriti cecidisset sub meritum congruum illius, cujus est principium.

III. Probatur. SS. Patres nullo modo meruerunt illud, quod ad quodcumque ipsorum meritum præsupponebatur; sed Incarnatio secundum substantiam, prout scilicet dicit hypostaticam unionem humanæ naturæ cum Verbo, præsupponebatur ad quodcumque meritum: ergo &c. Probatur minor. In statu naturæ lapsæ nullum est dabile meritum, nisi ex meritis Dei incarnati; quod fides docet: ergo Incarnatio secundum substantiam præsupponebatur ad quodcumque meritum. Insuper in ratione causæ prius est, Deum incarnari, quam hominem lapsum mereri: ergo Incarnatio præsupponebatur ad quodcumque meritum.

IV. Probatur pro II. parte. Meruerunt SS. Patres, quod non est principium meriti; sed circumstantia temporis in Incarnatione, seu ejus acceleratio, non est principium meriti: ergo potuerunt illam SS. Patres mereri. Probatur minor. Quia privilegium illud debetur tantum Incarnationi sumptæ secundum substantiam: unde Deus, ut ait Jueninus, ex intuitu futuræ Incarnationis, abstrahendo a tempore, quo erat determinate futura, potuit largiri auxilia ad illius acceleracionem de congruo promerendam necessaria.

V. Probatur pro III. parte ab eodem Jueninio, Quod præsupponi debebat meritò Patrum, illud Patres non meruerunt; sed quod Christus nasceretur ex natione Patrum præsupponi debebat merito ipsorum: ergo illud Patres non meruerunt. Major est certa; quia nequit effectus mereri suam causam. Minor probatur. Christus ut operans debuit præsupponi cuilibet merito Patrum, saltem in prævisione Dei; sed non potest præsupponi ut operans, nisi uti natus ex Patribus: ergo quod Christus nasceretur ex natione Patrum præsupponi debebat merito ipsorum. Major non potest negari; quia Christus non est principium meriti, nisi per opera, quibus nobis promeruit gratiam. Minor etiam constat; quia non potuit prævideri ut operans, nisi prius prævisus esset ut existens, secundum nostrum modum intelligendi; sed non potuit prævideri ut existens, nisi ut genitus, & natus ex hac Matre, ex illis Avis &c. ergo &c.

Obstant I. Merita hominis lapsi quamvis præsupponant Christi merita in intentione divina, non autem præsupponunt in exequutione: ergo Incarnatio quanvis prout a Deo prædefinita præsupponatur meritis hominum, non vero præsupponitur prout exequutioni mandata. II. SS. Patres existimarunt, potuisse se mereri Incarnationem secundum substantiam saltem de congruo: ergo de facto meruerunt. Consequentia sequitur; quia quum illud a Deo rogarent, Deus illud iisdem inspiravit; Deus autem nec fallere, nec falli potest. Antecedens probatur. SS. Patres enixis precibus Incarnationem petebant, verbis illis: *Mitte quem missurus es. Rorate Cœli desuper. & nubes pluant Justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Emitte Domine dominatorem terræ &c.* ergo putarunt, potuisse se mereri Incarnationem secundum substantiam saltem de congruo. III. Nostris rationibus probatur meritum congruum substantiæ Incarnationis nec de potentia absoluta esse potuisse in SS. Patribus; sed hoc dici rationabiliter non potest: ergo &c. IV. Quanvis principium meriti intrinsecum, & formale non possit cadere sub meritum, potest tamen principium meriti extrinsecum; sed in hac ratione Incarnatio, seu gratia unionis est principium meriti SS. Patrum: ergo poterat cadere sub meritum. Probatur minor; quia est quid extrinsecum illorum operibus, nec tribuens eis ullam formalem dignificationem. V. Per Incarnationis acceleracionem vel importatur mutatio divini decreti, vel exequutio Incarnationis divino decreto non conformis; utrumque autem Deo est inconveniens: ergo &c. VI. Ante merita SS. Patrum Deus prævidit tempus peragendæ Incarnationis: ergo illa non meruerunt acceleracionem Incarnationis. Probatur antecedens. Ante merita SS. Patrum Deus prævidit merita Christi: ergo prævidit tempus peragendæ Incarnationis.

Digitized by Google

nis. VII. De facto Deus prædefinivit ſubſtantiam, & exequutionem Incarnationis ante prævisionem meritorum SS. Patrum: ergo ante prævisionem eorumdem meritorum prædefinivit circumſtantiam temporis, quæ eſt inſeparabilis ab Incarnationis exequutione. VIII. Gen. 22. Deus promiſit Abrahamo Meſſiam naſciturum ex ſemine ipſius in præmium obedientiæ, quam oſtenderat in promptitudine ſacrificandi filium ſuum Iſaac. *Quia obediſti voci meæ, benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes.* In quibus obſervanda ſunt illa: *In ſemine tuo.* Quibus inhærens Apoſtolus ad Galat. 3. ſcripſit: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus: non dicit & ſeminibus quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.*

Reſpondemus ad I. dicendo cum Juenino, Incarnationem non eſſe principium meriti prout prædefinitam, ſed prout prævisam in exequutione peracta. Rationem ſubdit; quia Chriſtus non ideo meruit, quod Deus Pater decreverit illius futuritionem ab æterno, ſed quod revera, & actu vixerit inter homines, ſaltem in prævisione.

Ad II. dicitur, SS. Patres poſtulaſſe Incarnationem ſumptam ſecundum ſubſtantiam, poſtulatione improprie dicta, non vero proprie. Et ratio eſt, quia jam ſciebant, Incarnationem fuiſſe a Deo promiſſam, adeoque Deum illam abſque dubio impleturum. Preces autem ipſorum erant potius deſideria, ſeu ſigna deſiderii, quo Meſſiæ adventum ſuſpirabant.

Ad III. Meritum SS. Patrum vel conſideratur ut ſubſtans præſenti decreto, & dependens ab illa gratia, ex qua de facto proceſſit; vel conſideratur abſolute, & ut potens dependere a gratia diverſa, ſcilicet a gratia, quæ eſſet Dei, & non Chriſti. Argumentum procedit de merito SS. Patrum primo modo conſiderato, de quo nos non contendimus. At loquimur, quod ſit dabile ſecundo modo, quatenus vere fuit in SS. Patribus; quia ſcilicet potuit illis conferri gratia, quæ eſſet vel tota, vel in parte, gratia Dei; quanvis de facto habuerint ex vi præſentis decreti gratiam, quæ fuit tota gratia Chriſti.

Ad IV. Gratia unionis, ſeu Incarnatio, dum ab Adverſariis dicitur principium extrinſecum meriti in SS. Patribus, perimus; vel illius nomine intelligunt principium finale cum Joanne a S. Thoma, vel principium efficiens cum Gonero? Si primum; nequit principium finale eſſe principium morale, & meritorium; quia principium finale cauſat in intentione, & ut fit; principium vero morale, & meritorium cauſſat in exequutione, & quia eſt. Si ſecundum; incidunt in mutuam cauſſalitatem ejuſdem generis; quia faciunt Incarnationem eſſe principium efficiens morale gratiæ, & meritorum in SS. Patribus; & inſuper faciunt in iisdem gratiam, & merita eſſe principium efficiens morale Incarnationis.

Ad V. Nomine anticipationis temporis intelligimus hoc, quod Incarnatio, quæ poterat ex ſe differri diutius, & tardius exequutioni mandari, fuerit a Deo prædefinita eo tempore peragenda, quo peracta eſt; & hoc propter SS. Patrum merita. Unde acceleratio temporis in caſu non importat formalem temporis anticipationem, quæ in Deo diceret mutationem; ſed anticipationem virtualem, ſeu æquivalentem, quæ non dicit mutationem, & Deo non repugnat.

Ad VI. dici poteſt, & quod Deus prævideric de facto tempus Incarnationis independenter a meritis SS. Patrum ex parte actus, & quoad intentionem, non vero ex parte objecti, & quoad exequutionem; & quod Deus de facto prædefinivit idem tempus ante prævisa merita SS. Patrum, prævisa ſcilicet formaliter, & in ſe ipſis, non vero prævisa virtualiter, & æquivalenter. Argumentum habet vim contra dependentiam circumſtantiarum Incarnationis a meritis SS. Patrum ex parte actus, non ex parte objecti; & contra formalem, non virtualem, prævisionem eorumdem meritorum.

Ad VII. eadem eſt reſponſio ac data ad VI. argumentum; quia modus, quo Deus determinavit ſubſtantiam Incarnationis, fuit diverſus ab eo, quo determinavit ejuſdem circumſtantias; quia illam determinavit abſque omni meritorum motivo, non vero iſtas. Et hoc non quia Deus prius determinavit ſubſtantiam, & deinde circumſtantias; ſed quia determinando ſimul ſubſtantiam, & circumſtantias, decretum divinum prout fertur in ſubſtantiam, velit eam abſolute determinare gratioſe, & abſque reſpectu ad ulla merita; prout vero fertur ad circumſtantias, fertur ſimul in has, & in aliqua merita, & velit eas exequutioni mandandas ex meritis, non formaliter prævisis, & antea, ſed ſimul. Hæc autem ſimultanea prævisio meritorum dicitur prævisio virtualis, & æquivalens; quæ tranſit

in

in formalem ante exequutionem circumstantiarum; ac proinde sufficiens, ut circumstantiæ sub meritis illis cadant in exequutione, licet in intentione non cadant. Et hæc est responsio pariter Cacherani,

Ad VIII. Verum est, quod promissio Messiæ futuri jam ex Abrahamo facta fuit eidem in suæ obedientiæ remunerationem; at falsum est, quod promissio illa fuerit Messiæ nondum ex Abrahamo futuri. Abrahamus enim meruit, ut Deus promiserit Messiam venturum ex divino decreto ex illius stirpe; & hoc juramento firmaverit. Audiatur S. Thomas 1.2.q.98. ar. 4. in corp. *Nec etiam fuit propter meritum ipsius Abrahæ, ut talis promissio ei fieret, ut scilicet Christus ex ejus semine nasceretur; sed ex gratuita Dei electione, & vocatione. Unde dicitur Isai. 41. Quis suscitavit ab oriente Justum, vocavit enim, ut sequeretur se? Sic ergo patet, quod ex sola gratuita electione Patres promissionem acceperint.... Si autem rursus quæratur, quare hunc populum elegit, ut ex eo Christus nasceretur, & non alium, conveniet responsio Augustini, quam dicit super Joannem: Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare.*

Dicimus IV. In B. Virgine Maria fuisse meritum congruum Maternitatis quoad exequutionem; non fuisse vero quoad intentionem, & electionem, nec de condigno, nec de digno; & meritum de condigno neque per potentiam Dei absolutam potuisse esse. Plures habet partes Conclusio.

I. Pars probatur I. Auctoritatibus Ecclesiæ canentis: *Regina cœli lætare, quia quem meruisti portare*: Et SS. Patrum scribentium; scilicet Augustini lib. de nat. & grat. c.36. *Concipere meruit, & parere*: Hieronymi ep. 22. *Propone tibi Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur.* Bernardini Senensis ser. 51. *Virginem eo actu, quo consensit Angelo nuntianti, plus meruisse, quam omnes Angelos, & homines, omnibus suis actibus:* Aliorumque apud Vasquium, & Suarium.

II. Probatur. Plus meruit B. Virgo, quam omnes Angeli, & homines; sed sic non meruisset, si non fuisset in ea meritum congruum Maternitatis quoad exequutionem: ergo hoc meritum in ea fuit. Major est doctrina omnium Patrum antiquorum. Minor probatur. SS. Patres meruerunt incarnationem quoad circumstantias: ergo si B. Virgo non meruit quoad substantiam quoad exequutionem, non meruit plusquam SS. Patres. Probatur consequentia. Si meruit quoad circumstantias, æqualiter meruit: ergo ut meruerit plus, debuit mereri quoad substantiam; non quoad substantiam in intentione: ergo in exequutione.

III. Probatur pro II. parte. In B. Virgine nullum fuit prævisum meritum quoad intentionem ante maternitatem: ergo nullum fuit in ea meritum quoad intentionem, & electionem. Probatur antecedens. Omne meritum B. Virginis fuit propter electionem ipsius in Matrem: ergo post electionem. Probatur antecedens. Ideo B. Virgo prædestinata est ad excellens merendi principium, quia antecedenter prædestinata est ad maternitatem: ergo omne meritum B. Virginis fuit propter electionem ejus in Matrem,

IV. Probatur pro III. parte, ideſt de merito condigno. B. Virgo fuit pura creatura; sed nos probavimus, nullam puram creaturam nec habuisse, nec habere potuisse, etiam de potentia Dei absoluta, meritum condignum ad Incarnationem merendam: ergo hoc etiam de B. Virgine est asserendum. Immo nec pura creatura habuit meritum condignum ad circumstantias Incarnationis: ergo quanvis dicatur, Maternitatem esse circumstantiam, nec etiam ad eam habuit, aut habere potuit, meritum condignum.

V. Probatur fortius de potentia Dei absoluta. De potentia Dei absoluta non potest dari in B. Virgine meritum adæquans Dei maternitatem dignitate sua, & morali valore: ergo dari non potest meritum condignum maternitatis. Consequentia sequitur. Antecedens probatur. De potentia Dei absoluta non potest dari in B. Virgine opus, quod sit superius ordine gratiæ, & gloriæ, & quod spectet ad ordinem hypostaticum, uti spectat maternitas: ergo non potest dari meritum adæquans Dei maternitatem. Probatur antecedens. Propter maternitatem tribuitur B. Virgini dignitas quodammodo infinita a S. Thoma 1.p. q.15. ar.6. ad 4., & datur ei hyperdulia, scilicet cultus supra omnem cultum puræ creaturæ dabilem, pariter a S. Thoma 2. 2.q.103. ar.4. ad 2.

VI. Probatur de merito de digno. Nequit explicari meritum, quod sit medium inter congruum, & condignum; ergo hoc me-

Digitized by Google

meritum de digno vel inexplicabile eſt, vel cum condigno, aut cum congruo, coincidit. Antecedens probatur. S. Bonaventura, & Richardus ita meritum de digno explicant, ut videantur illud cum congruo confundere; & Marſilius ita exponit, ut appareat eſſe idem cum condigno: ergo nequit explicari meritum, quod non ſit nec congruum, nec condignum: ergo nequit explicari, quod ſit medium inter congruum, & condignum.

Objiciunt I. Apud SS. Patres adductos in I. probatione meritum accipitur improprie, & late, pro quacunque ſcilicet congruitate, & convenientia; quemadmodum etiam in oratione Eccleſiæ: ergo ex ipſis non deſumitur ſufficiens argumentum ad probandum intentum. II. S. Cyprianus lib. 3. ep. 8. docet, Infantes in ortu gemitibus ſuis Dei miſericordiam promereri; ſed hoc eſt idem ac implorare: ergo ſic etiam in adductis auctoritatibus debet meritum explicari. III. S. Thomas 3. p. q. 2. ar. 11. docet: *Ad tertium dicendum, quod B. Virgo dicitur meruiſſe portare Dominum omnium; non quia meruit ipſum incarnari; ſed quia meruit ex gratia ſibi data illum puritatis & ſanctitatis gradum, ut congrue poſſet eſſe Mater Dei*: ergo nec meritum congruum habuit. IV. SS. Patres, ideo de congruo poteſt dici, quod meruerint circumſtantias Incarnationis; quia illam deſiderarunt; ſed B. Virgo, utpote humillima, non deſideravit maternitatem: ergo nullo modo meruit maternitatem. V. Maternitas non eſt circumſtantia Incarnationis, ſed ſubſtantia: ergo nullo modo potuit eam mereri B. Virgo. Probatur antecedens. Maternitas importat conceptionem, & generationem Chriſti Domini; ſed hæc eſt ſubſtantia Incarnationis: ergo &c. VI. Opera Virginis fuerunt a Deo prævisa, & prædefinita, poſt maternitatem: ergo non potuerunt eſſe merita ad maternitatem. VII. Chriſtus meruit de condigno B. Virgini maternitatem: ergo non erat locus, ut B. Virgo eam ſibi de congruo mereretur. VIII. B. Virgo fuit digna Dei mater: ergo meruit de condigno maternitatem. Probatur antecedens ex Patribus; Ambroſio nimirum lib. 2. de Virginibus: *Quæ digna fuit, ex qua Filius Dei naſceretur*. Epiphanio hæreſ. 78. *Quomodo audent impetere impollutam Virginem, quæ digna facta eſt, habitaculum fieri Filii Dei?* Petro Damiano ſer. 2. de aſſumptione: *Quod ſuſceptione Dei ſingulariter judicata eſt digna*. Joanne Damaſceno lib. 4. c. 15: *Summo Deo dignum templum*. Et denique Eccleſia: *Ut dignum Filii tui habitaculum eſſici mereretur*. Et alibi: *Quæ ſola digna fuit portare Regem cœlorum, & Dominum*. IX. Maternitas ſpectat ad hypoſtaticam unionem per denominationem tantum extrinſecam: ergo ex ea deduci non poteſt major dignitas dignitate gratiæ, & ſanctitatis. Antecedens probatur ex Lucæ 11. *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti: Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Unde Auguſtinus tract. 10. in Joann. *B. Virgo felicior fuit concipiendo Chriſtum mente, quam ventre*, & lib. de S. Virginitate c. 3. *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Chriſti, quam concipiendo carnem Chriſti*. Et poſt pauca: *Sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde, quam carne geſtaſſet*.

Reſpondemus ad I. admittendo impropriam illam, & latam ſignificationem aliquando in verbis meriti, & merendi; at negando quod in caſu, de quo loquimur, ſic ſit accipienda; & hoc propter duplicem rationem. Prima eſt, quia minus faveret hujuſmodi ſignificato fidelium pietati erga B. Virginem; altera eſt, quia prærogativa meriti, & merendi in caſu, non tribuitur vel creaturæ irrationali, vel actioni moraliter non bonæ; quibus addi poteſt cereis, qua dicitur, nihil implicare, propter ſolutionem, quam damus omnibus arguentibus in contrarium.

Ad II. S. Cyprianus loquitur de actione moraliter non bona, qualis eſt fletus in creatura non adhuc rationis compote; unde non mirum, ſi expreſſio merendi in illa accipitur late, & improprie.

Ad III. S. Thomas evidenter negat condignitatem, non congruitatem meriti in B. Virgine ad maternitatem Dei; ut patet ex illius verbis: *ut congrue poſſet eſſe Mater Dei*. Dicitur etiam, S. Doctorem loqui in intentionis ordine, non vero in ordine executionis, de quo nos intendimus loqui.

Ad IV. Quod B. Virgo non poſtulaverit Maternitatem, eſt magis urgens ratio, quod eam aliquo modo meruerit. Non enim in poſtulationibus præciſe ſtat ratio merendi; immo magis quis meretur, quando meretur, & non poſtulat. Potuerunt etiam eſſe circumſtantiæ aliquæ, in quibus SS. Patres meruerunt Incarnationem

Digitized by Google

tionem quoad illas, & tamen ipsas non postularunt. Quis enim dicet, quod solum postulando mereremur?

Ad V. Utique maternitas importat fundamentaliter conceptionem, ac generationem Christi; at B. Virgo quo modo meruit maternitatem, meruit etiam conceptionem, ac generationem Christi. Falsum tamen est, quod per hoc B. Virgo meruerit substantiam Incarnationis; & hoc tum quia Incarnatio nec est terminus nec effectus generativæ actionis, quia hæc terminatur ad humanitatem, non ad unionem humanitatis cum Verbo, in qua unione consistit Incarnationis substantia; tum etiam quia Deipara de facto nullam exercet physicam causalitatem in Incarnationis substantiam, sed in humanitatem solam; unde ex hoc tantum inferri posset, quod B. Virgo meruerit talis humanitatis existentiam.

Ad VI. distinguitur consequens: Ergo non potuerunt esse merita ad maternitatem; quoad ejus electionem, & intentionem, conceditur; quoad ejus exequutionem, negatur consequentia. Potest pariter distingui antecedens: Opera Virginis fuerunt a Deo prævisa, & prædefinita post maternitatem, si talia opera sumantur ut prævisa, & prædefinita formaliter, & in se ipsis, conceditur; si sumantur ut prævisa, & prædefinita virtualiter, & æquivalenter, negatur antecedens. Utraque solutio ex dictis est manifesta.

Ad VII. dicitur primo per instantiam: Ergo nemo posset sibi mereri gratiam, aut gloriam, quia Christus Dominus utrumque nobis meruit de condigno. Directe autem dicimus, merita B. Virginis, sicut etiam nostra, subordinari meritis Christi, & illo modo se haberi in genere caussæ moralis, quemadmodum in genere caussæ physicæ se habent caussa prima, & secunda. Unde sicut in genere caussæ physicæ prima non impedit secundam, sic nec pariter in genere caussæ moralis.

Ad VIII. dicitur, quod dignitas in allatis auctoritatibus sumitur improprie, & late, non vero stricte, & proprie. Hoc est accipitur pro convenienti dispositione, cooperatione, aptitudine, quæ quamvis sint naturales, & innatæ, possunt etiam dignum denominare. Sic de Cruce canit Ecclesia: *Electa digno stipite tam sancta membra tangere*. At melius dicitur dignitas, si acquiratur per actus bonos; qualis extitit in B. Virgine; unde per ipsos dicta est digna mater &c.

Ad IX. dici potest, & quod denominatio extrinseca confert quoque, & plurimum confert in moralibus, ad æstimabilitatem, & valorem; & quod maternitas spectat ad unionem hypostaticam multo magis, quam per extrinsecam denominationem. Ratio hujus ultimi dicti est, quia maternitas consistit in actione generativa, quæ dicit complexum Virginis, & Christi Domini; unde intrinsece suo modo unionem hypostaticam includit. Ad auctoritates dicit Gonetus, per illas significari majorem felicitatem, seu beatitudinem, non majorem dignitatem, quam sit maternitas: Vel cum aliis titulo majoris perfectionis lucrativæ, & conferentis ad meritum; non titulo majoris perfectionis dignificativæ, & spectantis ad ordinem.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CLXVI.

De Cauſſa finali Incarnationis. Quæ fuerit cauſſa finalis Incarnationis peractæ? An ſi homo redemptione non indiguiſſet, ex intentione Dei futura fuiſſet ob alios fines Incarnatio? Et an de facto fuerit facta potius propter originale, quam propter actuale peccatum?

IN celeberrima Controverſia, quæ inter principaliores Theologiæ ſcholas exagitatur, quæque ad præſentem reducitur Diſſertationem, plura ſunt adnotanda, plura diſtinguenda, & plurima præmittenda, ut facilius ad deciſionem deveniatur. Primo autem adnotandum occurrit, nec nos, nec cæteros, hoc in loco loqui de poſſibili rerum ſtatu, ſed de actuali tantum; nimirum Controverſiæ ſenſum non eſſe, an potuiſſet eſſe Incarnatio ob alios fines, quam ob hominis a peccato redemptionem? Quis enim hoc negare audebit, quum nullam in ſe contineat contradictionem non dicunt, omnia Deo ſunt poſſibilia. Maxime quum plures aſſerunt, quod vi alterius decreti venturus fuiſſet; quod certe ſtatum præſentis Controverſiæ non attingit, in quo non de altero, ſed de eodem prorſus decreto, vi cujus ad præſens facta eſt Incarnatio, ſermo inſtituitur. Secundo, nec loqui de fine, propter quem actualiter facta eſt Incarnatio; quum apud omnes Catholicos in confeſſo ſit, ad præſens factam fuiſſe Incarnationem in remedium peccati; unde motivum peractæ Incarnationis peccati reparatio de facto fuit. An autem fuerit motivum principale, itaut eo ceſſante non fuiſſet facta Incarnatio vi præſentis decreti; hoc in controverſia eſt. Tertio, quod ultra peccati reparationem alia ſunt etiam motiva peractæ Incarnationis; ſcilicet divinarum perfectionum manifeſtatio, divinæ doctrinæ communicatio, veritatis teſtificatio, virtutum exemplum; quæ quidem a nemine negantur. Quæſtio tamen in eo conſiſtit, quod quanvis peccati reparatio fuerit de facto Incarnationis motiuum, an fuerit etiam principale; itaut eo ceſſante, ceſſaſſet quoque Incarnatio? Quarto, Incarnationem poſſe intelligi, & quoad ſubſtantiam, & quoad circumſtantias; inſuper & ſecundum intentionem, & ſecundum exequutionem. Incarnatio quoad ſubſtantiam dicit præciſe decretum ſubſtantiæ Incarnationis, nihil exprimens de modo; decretum vero quoad circumſtantias exprimit modum, & præcipue carnis vel paſſibilis, vel impaſſibilis, & immortalis. In ordine vero intentionis, & exequutionis, certum eſt, Incarnationem non fuiſſe decretam ut exequendam ante omnium creaturarum productionem, quum tempore fuerit exequuta; an autem fuerit a Deo intenta ante prævisionem omnium creaturarum, quanvis tempore poſteriori exequutioni mandanda, hoc eſt præcipue in quæſtione.

Diſtinguere etiam oportet varios ſcribendi modos, quibus hæc controverſia proponitur, ſed omnibus in idem coincidentibus. Alii ſic proponunt: An Deus eſſet homo, ſi non peccaſſet homo? Alii hoc pacto: An Verbum incarnatum fuiſſet, ſi Adam non peccaſſet? Alii ita: An peccatum fuerit unica occaſio, & peccati remedium unicum motivum Incarnationis? Alii hoc modo: An Chriſtus fuerit præordinatus, & volitus, ut ajunt, ante omnem creaturam? Nos autem cum P. Magnano ſic quæſtionis titulum expoſuimus: An ſi homo redemptione non indiguiſſet, futura ex intentione Dei primaria fuiſſet ob alios fines Incarnatio? Certum eſt, quod ſub verborum diverſitate eandem continent quæſtionis ſub-

Digitized by Google

stantiam; quam nihilominus sub expressis verbis proposuimus, quia aptior ad mentem nostram aperiendam visa nobis fuit. Distinguere pariter volumus discrepantes in hac scholastica controversia opiniones. Prima est Thomistarum docentium, Incarnationem ita fuisse decretam, & factam propter lapsus reparationem, ut lapsu non existente, nec Incarnatio extitisset. Hanc Thomistarum opinionem sequuntur Vasquez, Lugus, Jueninus, Girchen, & ex nostris P. Palanco, P. Feraud, aliique multi. Secunda est Scotistarum asserentium, Incarnationem fuisse primario a Deo decretam propter Dei gloriam; unde Adamo non peccante, adhuc Verbum fuisset incarnatum. Præter Scotistas hanc sententiam amplectuntur Alexander de Ales, Albertus magnus, Ambrosius Catharinus, Suarez, Lorca, Mendoza, & ex nostris P. Magnanus, aliique plurimi. Tertiam opinionem induxerunt alii, cujus meminit Henno; eaque docent, fuisse quidem decretam Incarnationem independenter a reparatione generis humani tanquam motivo, non vero independenter ab ipsa tanquam medio unico, & necessario, per quod erat exequutioni mandanda. De S. Thoma dicit Hennus, quod in 3. dist. 1. q. 1. a 3. utranque opinionem probabilem vocat, utriusque fundamenta perpendit, utriusque objectiones solvit; & suam sententiam amplectens, ait: *Assertioni illi magis assentiendum videtur*. Ubi notanda est S. Doctoris modestia, atque discretio. Et hoc quidem scripsit in Summa 3. p. q. 1. ar. 3. Unde Caregna, Societatis Theologus, in M. S. dixit, nullo jure firmissimum prædicari S. Thomam in negativa sententia; quam tamen communiorem Thomistarum fatetur.

Præmittere denique necesse est, divinæ voluntatis actum esse unicum, & simplicissimum, si spectetur secundum se, & realiter; si vero intelligatur secundum nostrum concipiendi modum, & virtualiter, esse multiplicem. Unde in illo actu unico, & simplicissimo secundum se, & realiter, distinguitur ordo prioris, & posterioris; sive hic ordo sit rationis, sive naturæ; & hoc ita intelligendum est, ut scilicet actus ille, qui in sua entitate est simplicissimus, & est etiam infinitus, correspondeat pluribus actibus, quos nos successive eliceremus in re aliqua decernenda, vel producenda. Unde ille ordo prioritatis, & posterioritatis, qui in actibus divinis ponitur, & distinguitur, refundatur tantum in objecta secundaria, circa quæ voluntas, & intellectus divinus versantur, non vero in ipsam entitatem actus, qui secundum se est simplicissimus, & indivisibilis. Modo, quem diximus, Theologi in actu intentivo divinæ Incarnationis distinguunt plura signa, seu instantia, quibus ordinem prioritatis, & posterioritatis circa objecta illius actus simplicissimi explicare intendunt. Et quidem instantia illa ita disponunt, ut suæ respective opinioni adæquentur; proinde diverso modo a Thomistis, & diverso a Scotistis, ordinantur. Scotistæ sic signa illa disponunt, & ordinant: Primo Deus intellexit se ipsum sub ratione summi boni; secundo intellexit omnes creaturas; tertio prædestinavit has ad gratiam, & gloriam, & circa alias habuit actum negativum, non prædestinando; quarto prævidit illos casuros in Adamo; quinto præordinavit, seu prævidit de remedio, quo redimerentur per passionem Filii. Unde Christus in carne videbatur, & destinabatur ad gratiam, & gloriam prius quam prævideretur passio Christi; sicut Medicus prius vult hominis sanitatem, quam ordinet de medicina ad sanandum. Sic ex Doctore subtili in 3. dist. 39. q. unic. num. 6. refert Frassen. Thomistæ disponunt, & ordinant hoc pacto: Primo Deus intellexit se ipsum sub ratione summi boni; secundo intellexit omnes creaturas; tertio primos parentes justos innocentes ex Dei gratia; quarto prævaricationem Adæ, & culpæ in posteros transfusionem; quinto Christum venturum possibilem in remedium peccati; sexto satisfactionem, & merita Christi; septimo prædestinationem hominum ex meritis Christi. Ita ex Thomistis refert Cacheranus. Attamen P. Magnanus, qui quidem Scotistarum sententiæ adhæret, sic clarius, & expeditius, signa illa, seu instantia, distinguit, disponit, & ordinat. Primo Deus intellexit se ipsum sub ratione summi boni; secundo voluit se ad extra communicare perfectissimo communicationis modo, qui est, verba sunt Magnani, naturam rationalem ad imaginem, & similitudinem suam creare, eanque hypostatice unitam sibi, & ad Filii Dei naturalis dignitatem evectam, consortem facere gloriæ suæ; & hoc ex motivo manifestandi tum bonitatem, tum omnipotentiam, tum reliquas suas perfectiones; tertio, quo in gratiam,

& ex

Digitized by Google

& ex amore Filii ſui cæteras omnes creaturas, & præcipue rationales, voluit ſanctitate decorare, & gloria coronare; irrationales vero ad commoda, & miniſteria Filii, & creaturarum rationalium, ordinare; quarto vidit Deus hominem peccato lapſum, & voluit eum reſtituere ob gratiam, & amorem Filii ſui, qui jam decretus erat in natura aſſumenda ex genere humano; quinto, quo decrevit reparationem hominis lapſi faciendam ſatisfactione condigna ab ipſomet Filio præſtita; unde voluit, ut Filius ſuus proprium ſanguinem, & vitam pro ſervi ſalute pretium daret. Hæc ſignorum, ſeu inſtantium diſtributio a P. Magnano latius explicatur, atque etiam ſolidius probatur. His poſitis,

Dicimus I. De facto Verbum aſſumpſiſſe humanum carnem maxime propter ſalvandos homines, & expianda ipſorum peccata.

Hæc Concluſio eſt communis inter Theologos, ut ait Fraſſen; immo inter Catholicos, ut aſſerit Jueninus, eam dicens eſſe de Fide. Eſt tamen contra Abailardum, qui S. Bernardo teſte ep. 109. inſane dixit, Chriſti Incarnationem nihil nobis profuiſſe ad redemptionem, ſed ſolum ad doctrinam, & exemplum. Unde Richardus Arsdekin in Dogmatibus Hæreticorum verb. Incarnatio ſcripſit, quod Redemptoris titulum Chriſto proprie competere, negavit Petrus Abailardus, ejuſque impium errorem confutavit S. Bernardus ep. 109. ad Innocentium Pontificem.

I. Probatur Concluſio ex Scripturis. Matth. 18., & Lucæ 19. *Venit Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat.* Joann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret; ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Luc. 2. *Non egent qui ſani ſunt Medico, ſed qui male habent: non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* 1. ad Timoth. 1. *Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatores ſalvos facere.*

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum 1. in Symbolo: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt.* Concilium Conſtantinopolitanum I. in eodem Symbolo ſub iiſdem verbis. Concilium Toletanum VI. *Solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & noſtro libero arbitrio contraxeramus, reſolvenda, a ſecreto Patris arcano prodiiſſe.*

III. Probatur ex Patribus. Irenæus lib. 5. c. 14. adverſ. Hæres. *Si non haberet caro ſalvari, nequaquam Verbum caro factum eſſet.* Athanaſius lib. de Humanitate Verbi: *Ut agnoſcas noſtram culpam illi dediſſe occaſionem ut deſcenderet, noſtramque prævaricationem Verbi Dei humanitatem elicuiſſe, ut ad nos contenderet, inter homines appareret; illius enim incorporationis nos cauſam dedimus ob noſtram ſalutem: ita humanus extitit, ut in humano corpore & eſſe vellet, & appareret.* Et ſer. 3. contr. Arianos: *Sublata noſtra indigentia, carnem non induiſſet Dei Verbum.* Ambroſius lib. de Incarnatione c. 6. *Quæ erat cauſſa Incarnationis, niſi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur?* Nazianzenus orat. 36. *Quæ humanitatis a Deo propter nos ſuſceptæ cauſa extitit? Profecto ut nobis ſalus pararetur.* Auguſtinus ſer. 9. de verbis Domini: *Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſalvos facere: tolle morbos, tolle vulnera, nulla eſt medicinæ cauſa.* Et ſer. 8. de verbis Apoſtoli: *Si homo non periiſſet, Filius hominis non veniſſet.* Cyrillus Alexandrinus lib. 5. theſaur. c. ult. *Sciebat enim mortales nos futuros propter peccata, ac ideo ex miſericordia ſua ante ſecula conſtituit, ut Verbum ſuum homo, & initium viarum & fundamentum fieret.* Gregorius magnus lib. 5. epiſt. 112. *Redemptor noſter totius creaturæ conditor ad hoc propitiatus humanam voluit carnem aſſumere, ut divinitatis ſuæ gratia diruptо, quo tenebamur capti, vinculo ſervitutis, priſtina nos reſtitueret libertati.*

IV. Probatur Rationibus. I. Cum Incarnatione jam peracta connectitur peccati reparatio, & hominum redemptio; ſed non connectitur ut medium: ergo connectitur ut finis. Majorem allatæ auctoritates innegabilem faciunt. Minor probatur. Si peccati reparatio connecteretur cum Incarnatione ut medium, Deus voluiſſet peccatum, vel peccati permiſſionem, ut medium; hoc non eſt dicendum: ergo nec illud. Major conſtat ex notione medii; conſequentia primi argumenti ſequitur. II. Deus voluit Incarnationem exequendam eo modo, quo peracta eſt; ſed de facto peracta eſt in remedium peccati: ergo ita Deus eam voluit. Major eſt certa; nihil enim eſt in ordine exequutionis, quin fuerit in ordine intentionis; Minorem Scripturæ, Concilia, & Patres, veram oſtendunt; Conſequentia ſequitur.

Digitized by Google

III. De facto peccatum fuit in mundo; sed peccatum modo deletum est, & deleri non potuit de condigno, nisi per Christi incarnationem, & mortem: ergo de facto Verbum sumpsit carnem, ut peccatum deleret. De majori non dubitatur; minorem in præcedentibus Dissertationibus probatam supponimus; consequentia est legitima.

Objiciunt I. Verbum Divinum non delevit, nec extinxit peccatum: ergo non venit ut peccatum deleret, & extingueret. Antecedens est certum, quia peccata in dies sine numero committuntur. Consequentia sequitur; quia finis Christi frustrari non potuisset. II. Si Christus de facto veniisset in remedium peccati, sequeretur, quod hoc remedium fuisset solus finis adventus ipsius; sed hoc a pluribus Theologis non admittitur: ergo &c. Probatur major. Quod Deus exequitur, hoc decrevit; sed exequitur Verbi Incarnationem in remedium peccati: ergo illam propter hoc solum decrevit. III. Plures sunt Scripturarum auctoritates, quibus dicitur, veniisse Verbum de facto ob alios fines: ergo non propter peccati remedium.

Respondemus ad I. quod dato, quod Verbum incarnatum non deleverit peccatum quantum ad radicem, ex qua nascitur, delevit tamen quantum ad culpam, quæ in eo reperitur. Et ratio est, quia Christus meruit media, quibus peccati culpa penitus tolleretur, si hominibus applicarentur. Non abstulit tamen radicem, quia non extinxit concupiscentiam, quæ est ex peccato, & ad peccatum inclinat; quamvis possimus eam etiam superare per auxilia, quæ Christus contulit nobis.

Ad II. Nos non diximus in Conclusione, Verbum fuisse incarnatum in remedium peccati tantum, sed maxime; hoc autem importat, quod per alios etiam fines humanam carnem assumpsit. Et hoc etiam de facto; quia de facto maxime Deus filium suum misit in mundum ut peccatores redimeret, atque etiam misit, ut eos doceret, instrueret, utque illis esset ut magister, & exemplar, ad virtutes omnes, quas docuit simul, & exercuit.

Ad III. Utique Scripturæ, & Patres docent, Verbum induisse carnem ob alios fines, ultra generis humani redemptionem; sed etiam dicunt, quod ob humani generis redemptionem eam assumpsit. Unde ut Scripturas omnes salvemus, debemus dicere, propter utrosque fines venisse; quod clarius ex sequenti Conclusione constabit.

Dicimus II. De facto Verbum assumpsisse carnem ob alia quoque motiva, ultra peccati remedium; nimirum ob manifestationem omnipotentiæ, sapientiæ, & bonitatis divinæ; ob exigentiam capitis proxime univoci, & proportionati cum Ecclesia; ut esset Magister, & exemplar hominum in virtutibus &c. Est communis etiam inter Theologos; quod asserit Frassen.

I. Probatur ex Scripturis. Joann. 18. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* En quod est veritatis Doctor. En etiam quod est virtutum exemplar. Joann. 13. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Joann. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* En quod est Dux, Doctor, & Vivificator non tantum ut mortui vitam acquiramus, sed etiam ut viventes vitam conservemus.

II. Probatur ex Patribus. Chrysostomus ser. 1. de Pentecoste: *Deo chara est Ecclesia; propter Ecclesiam enim extensum est cœlum, diffusum est mare, extensus aër, fundata terra ..... Propter Ecclesiam pelagus scindebatur, findebatur petra, fluebat manna de cœlo ... Propter Ecclesiam Prophetæ, propter Ecclesiam Apostoli, immo propter Ecclesiam Unigenitus Dei factus est homo.* Augustinus ser. 52. de Diversis: *Homo sequendus non erat, qui videri poterat; Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini, qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* Abbas Rupertus lib. 13. de gloria Filii hominis: *Ipse causam necessariam non habuit ipsum peccatum, ut homo fieret ex hominibus.* Denuo Augustinus epist. 3. *Venit hominibus magisterium, & adjutorium, ad capessendam sempiternam salutem.*

III. Probatur Rationibus. I. Verbum in carne assumpta non solam procuravit humani generis reparationem: ergo non solum fuit assumendæ carnis motivum humani generis reparatio. Consequentia bene infertur; quia ex exequutionis amplitudine intentionis largitatem colligimus. Antecedens probatur. Verbum in carne assumpta nos docuit verbo, & exemplo: ergo fuit Doctor, & exemplar; Ecclesiam fundavit, cujus fuit caput; divitias gloriæ suæ ostendit &c. ergo non tantum procuravit humani generis reparationem. II. Verbum venisse propter peccati deletionem una est Dei perfectionis ostensio; sed venisse ob alia etiam motiva est ostensio multarum divinarum per-

Digitized by Google

perfectionum : ergo magis dicendum eſt, quod Verbum venerit ob peccati deletionem, & ob alia etiam motiva, quam veniſſe ob ſolam peccati deletionem. *Probatur major.* Oſtendit namque divinam miſericordiam, & bonitatem, qua Peccatores adeo proſequutus eſt, ut propter eorum libertatem, carnem aſsumere non dedignaretur. Minor etiam probatur. Oſtendit divinam ſapientiam, omnipotentiam, aliaſque Dei perfectiones; ut in antecedentibus eſt dictum. III. Homo lapſus indigebat utique remedio, quo ſurgeret, ſed etiam ei opus erat altero remedio, quo ſtaret; exquirebat ſane medicinam, qua mederetur, ſed pariter illam expectabat, qua ſanus ſervaretur; videndo ſcilicet viam, per quam ambulare oportebat; videndo veritatem, quam agnoſcere debebat; & accipiendo vitam, qua vivere neceſſarium illi erat : ergo in adventu Verbi incarnati hæc omnia recepit : ergo non ſolam peccati reparationem per Verbi Incarnationem obtinuit : ergo non ſola peccati reparatio Incarnationis deificus motivum fuit.

Obſtant I. Auguſtinus lib. 1. de peccat. merit. & remiſ. c. 16. *Non aliam ob cauſam in carne veniſſe, niſi ut hac diſpenſatione miſericordiſſimæ gratiæ omnes . . . . vivificaret, ſalvos faceret, liberaret* : ergo ſola humani generis redemptio adventus Verbi cauſa fuit ex Auguſtino. II. Idem Auguſtinus ſer. 7. de verbis Apoſtoli: *Chriſtus Jeſus venit in mundum. Quare venit in mundum? Peccatores ſalvos facere. Alia cauſa non fuit, quare veniret in mundum* : ergo non fuit altera cauſa motiva Incarnationis Verbi ultra Peccatorum ſalutem. III. Verbum in Incarnatione ſua id præſtitit ſolum, quod erat homini lapſo neceſſarium; ſed homini lapſo ſola redemptio a peccato neceſſaria erat: ergo hanc ſolam præſtitit Verbum in Incarnatione ſua. IV. Sola hominum ſalus dicit Eccleſia in Symbolo Niceno, & Conſtantinopolitano, quod fuerit motivum adventus Chriſti; *propter noſtram ſalutem incarnatus eſt* : ergo non fuerunt alia motiva.

Reſpondemus ad I. Auguſtinum in adducto loco potius eſſe pro nobis, quam contra nos. Non enim unum proponit motivum Incarnationis, ſed tria; ſcilicet humani generis vivificationem, ſalutem, ac liberratem. His autem non ſupponitur neceſſario peccatum; quia adhuc ſi peccatum non fuiſſet, ſaltem debuiſſet conſervari vivum, ſalvum, ac liberum. Ulterius, per hæc non ſola Dei miſericordia oſtenditur, qua peccati deletio peracta eſt; ſed alia quoque attributa, quibus homo, etiamſi lapſus non fuiſſet, neceſſaria in hoc mundo habuiſſet.

Ad II. Loquitur Auguſtinus de cauſa præcipua, quem diximus fuiſſe de facto peccati reparationem. Non vero loquitur de omni cauſa; aliter ſibi contradiceret, ut vidimus in ejus verbis in probationibus allatis; quod de tanto, ac eximio Eccleſiæ Doctore cogitandum nefas omnino pronunciamus.

Ad III. Non ſola peccati reparatio erat homini lapſo neceſſaria, quanvis præ ceteris fuiſſet illi neceſſaria. Non enim indigebat tantummodo Reparatore, Liberatore, Medico &c. ſed etiam Duce, Magiſtro, Exemplare. Nec Verbum dicendum eſt de facto veniſſe ob ſolam a peccato redemptionem, quæ eſt miſericordiæ effectus; ſed ratione infinitæ bonitatis ſuæ veniſſe etiam ob aliarum ſui perfectionum oſtenſionem, ac communicationem.

Ad IV. Symbolum non dicit tantum propter noſtram ſalutem, ſed propter nos homines, & propter noſtram ſalutem. Igitur antecedenter ad ſalutem hominum, Verbum quoque venit propter homines dirigendos, inſtruendos, illuminandos, vivificandos, confortandos &c.

Dicimus III. Quanvis homo redemptione non indiguiſſet, maxime tamen credibile eſſe, futuram ex intentione Dei primaria ob alios fines Incarnationem. Ita P. Magnanus.

I. Probatur ab eodem ex Scriptura. Deus quanvis ita ſit liber ad amandum minus bonum, ut nonniſi ejus occaſione velit aliud majus; attamen quando hoc diſtincte ab ipſo non revelatur, dicendum eſt, quod regulariter ordinet id, quod eſt minus bonum ad majus bonum; ſed ex Scriptura habemus, quod Deus Pater conſtituit Chriſtum etiam ut hominem hæredem univerſorum : ergo quando Deus Pater ab æterno decrevit conſtituere Chriſtum ſuper omnem principatum, & eum dare caput totius Eccleſiæ, cenſendum eſt, prius amaſſe hæredem, quam hæreditatem, prius principem, quam ſervos: ergo non amavit hæredem in gratiam hæreditatis, non filium in gratiam ſervorum, non caput in gratiam corporis. Major eſt certa; quia bonum minus principale habet rationem finis

qui,

qui, non vero finis *cui*; ut autem quis sapienter amet non debet amare hæredem hæreditati, sed potius hæreditatem hæredi. Minor constat ex verbis Apostoli ad Ephes. 1. *Constituit ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum, & virtutem, & dominationem; & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro; & omnia subjecit sub pedibus ejus; & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, qua est corpus ipsius.* Christus enim ut est Deus, non est hæres, sed Dominus idem cum Patre; neque est hæres a Patre constitutus, quia ex semetipso est. hæres: ergo si est hæres, ut homo est. Consequentia sequitur; quia si Pater amavit prius Christum ut hæredem, prius constituit, prius voluit, prius decrevit Christum, quam hæreditatem; prius caput, quam corpus; prius Filium, quam servos.

II. Probatur ab eodem etiam ex Scriptura. Nequit Deus amare corpus, quin prius amet caput ipsius corporis; sed Deus constituit Christum caput Ecclesiæ: ergo prius voluit Christum, quam Ecclesiam. Major est clara; quia, quum a capite fit influxus virtutum vitalium in corpus, corpus sine capite non est vivens, si sine capite vult illud Deus: ergo etiam vi præsentis decreti dicendum est., quod quum Deus velle non potuerit corpus mortuum, & non vivum, prius voluerit caput, quam corpus. Minor probatur ex eodem loco Apostolo: *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, qua est corpus ipsius.* Hæc enim absque dubio de Christo intelliguntur, & de Christo ut homine; tum quia ibidem dicit Apostolus: *Suscitans eum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus*; quæ nonnisi de Christo ut homine intelligi possunt; tum etiam, quia S. Thomas in illud Apost. ad Ephes. 1. lect. 8. docet, Christum ut hominem esse caput Ecclesiæ, & quidem non tantum quoad nomen nudum, verum quoque quoad officium duplex capitis, eminentiæ scilicet, & potestatis, ac influxus, seu diffusionis virtutum. Consequentia negari non potest.

III. Probatur ab eodem quoque ex Scriptura. Adventus Christi ordinatus fuit, æterno Dei decreto, antequam quidquam aliud Deus ordinaret: ergo vi ejus decreti venisset Christus, quanvis Adam redemptione non indiguisset. Probatur antecedens. Proverb. 8. dicitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum... ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.... Et deliciæ meæ esse cum Filiis hominum.* His quidem verbis enunciatur æterna Verbi generatio, quia per illa; *Dominus possedit me*; intelligitur perfectissima possidendi ratio, qua Pater gignit Filium, & eum habet ut rem suam, *in initio viarum suarum*. At per verba illa: *ordinata sum*: intelligitur altera generatio, qua Christus in humanitate genitus, ordinatus est, ut suas delicias haberet cum filiis hominum. Hæc autem altera generatio, quanvis fuerit tempore exequuta, attamen ab æterno ordinata est, & ante omnem creaturam. Consequentia etiam probatur. Quia decretum illud, quo ab æterno ordinavit Deus Christi temporaneam generationem, fuit quidem efficax decretum in eo priori secundum ea, quæ in eodem priori solam includit; Et ratio est, quia quando Deus aliquid decernit absolute, non decernit inefficaciter, & per modum velleitatis; decretum autem, de quo loquimur, est absolutum a conditione Adami peccaturi, quia est ante decretum Adami creandi: ergo fuit decretum vere efficax.

IV. Probatur ab eodem pariter ex Scriptura. Christus fuit exemplar, & verus archetypus, ad cujus instar Deus formare decrevit, quos præscivit, tum in moribus, & sanctitate, tum in gloria; sed hoc ipso debuit Christus præcedere ex vi hujus conditionis cæteros prædestinatos, si non ordine exequutionis, saltem ordine intentionis: ergo Christus ante omnes rationales creaturas fuit a Deo prævisus, ac ordinatus. Major habetur ex illo Ad Roman. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Quæ quidem verba nequeunt intelligi de Christo, ut Deus est, quia ut Deus est non potest habere fratres, quum sit in illo ordine unigenitus, non primogenitus: ergo conformitas illa intelligitur cum Christo, ut homo est. Minor probatur. Non enim est cogitandum, neque dicendum, voluisse Deum assimilare creaturas rationales, quas creare volebat, exemplari, de quo nunquam cogitasset: ergo si Deus voluit Christum constituere exemplar creaturarum rationalium, prius de Christo cogitavit, eumque ordinavit, quam de creaturis aliis cogitasset, easque prædestinasset.

V. Probatur ab eodem ex Conjecturis. Augustinus lib. de nat. & grat. c. 25. Hæ-

ret-

Digitized by Google

reticorum objectioni dicentium, fuiſſe neceſſarium peccatum, ut Deus ſuam miſericordiam oſtenderet, reſpondet: *Non dicimus, ut eſſet cauſa miſericordiæ, neceſſarium fuiſſe peccatum.* Anſelmus lib. 1. Cur Deus homo c. 18. probat, quod homines, etiam ſi Angeli non peccaſſent, fuiſſent beati; quia aliter homines de peccato Angelorum gaviſi fuiſſent. S. Thomas 1. p. q. 98. ar. 1. docet, quod in ſtatu innocentiæ fuiſſent generationes; aliter *peccatum hominum fuiſſet valde neceſſarium, ex quo tantum bonum conſequutum eſt:* Ergo a fortiori anima Chriſti fuiſſet beata, & fuiſſet hypoſtatice unienda Verbo, quanvis Adam non peccaſſet. Probatur Conſequentia; quia aliter dici poſſet, quod gaviſa fuiſſet de peccato Adæ; & peccatum fuiſſet valde neceſſarium, quum ex eo conſequi debebat tantum bonum, quantum eſt eſſe Filium Dei naturalem, & eſſe caput omnis creaturæ. Inſuper Rupertus in Matth. lib. 13. circa finem, de gloria, & honore Filii hominis; referens ex Auguſtino lib. 14. de civit. c. 23. quod ſit abſurdum dicere, quod Adamo non peccante, non fuiſſent futuræ generationes hominum; unde videri poſſet, fuiſſe neceſſarium peccatum, ut homines naſcerentur; ſubdit: *Quid de iſto capite, & rege omnium electorum Angelorum, & Hominum ſentiendum, niſi quod & ipſe maxime, cauſam neceſſariam non habuerit ipſum peccatum, ut homo fieret ex hominibus, delicias ſuæ charitatis habiturus cum filiis hominum?* Præterea, proponitur quæſtio hæc: An Gentes vocatæ fuiſſent ad fidem Chriſti, ſi Judæi Chriſtum recepiſſent, & ut Meſſiam agnoviſſent? Anſelmus lib. 1. Cur Deus homo c. 18. ſtat pro affirmativa, dicens: *Si omnes Judæi credidiſſent, Gentes tamen vocarentur*; & rationem affert ex Actib. Apoſt. 10. *quia in omni gente qui timet Deum acceptus eſt illi.* Et nihilominus pro negativa ſtare videntur hæ aliæ auctoritates Scripturarum: Matth. 15. *Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael*; Luc. 19. *Hodie ſalus domui huic facta eſt, eo quod & ipſe ſit filius Abrahæ; venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat.* Matth. 15. *Non eſt bonum tollere panem filiorum, & dare canibus.* Matth. 10. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis; ſed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Iſrael.* Et ad Rom. 11. *Nolo vos ignorare fratres myſterium hoc, ut non ſitis vobis ipſis ſapientes; quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret. Secundum quidem Evangelium inimici propter vos.* Quaſi diceret, ſubdit Magnanus, ideo Deus permiſit excæcari Iſraelitas, ut ex eorum peſfidia occaſionem ſumeret vocandi gentes. His poſitis ſic argumentatur Doctor profundiſſimus: Ideo abſurdum eſt dicere, Gentiles ideo ſolum vocatos fuiſſe ad fidem, quia illam Judæi repulerunt, quia repulſio fidei a Judæis facta eſſet Gentilibus materia gratulandi; quemadmodum abſurdum fuit etiam dicere, ideo homines fuiſſe conditos, quia Angeli ceciderunt; propter eandem rationem, quia Angelorum ruina fuiſſet materia gratulandi hominibus: At Chriſtus non haberet minorem materiam gratulandi de Adæ peccato, ſi non eſſet ipſe venturus, niſi Adam peccaſſet: ergo hoc etiam eſt abſurdum dicere, Chriſtum non veniſſe in mundum, niſi Adam peccaſſet.

VI. Probatur ab eodem ex Patribus. Irenæus lib. 3. adverſ. hæreſ. c. 33. *Futuram circa Filium Dei humani generis diſpoſitionem, in ſemetipſum fabricator omnium Verbum, præformaverat; prædeſtinante Deo primum animalem hominem, videlicet ut a ſpiritali ſalvaretur. Cum præexiſteret ſalvans, oportebat & quod ſalvaretur fieri; ut non vacuum eſſet ſalvans.* Cyrillus Alexandrinus aſſert. 15. circa finem: *Antea itaque nobis fundamenti loco ponitur Chriſtus; atque in ipſo nos omnes ſuperædificamur; & quidem ante creationem mundi, juxta prænotionem Dei omnia præſcientis; ut, quemadmodum modo diximus, antiquior in nobis ſit benedictio, quam maledictio; antiquior promiſſio ad vitam, quam condemnatio ad mortem; antiquior adoptio in libertatem, quam diabolica ſervitus. Redit autem natura in priſtinum ſtatum, ſuperatis quæ deinceps ei acciderunt; gratia, & beneficio illius, qui eam fundavit in bonis in Chriſto: rurſumque fit idipſum, quod erat in prænotione Dei ex charitate prædeſtinata ad omnia optima per Chriſtum.* Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concupiſc. c. 21. enumerat tria bona nuptialia, quæ fuiſſent in ſtatu innocentiæ, & ex his dicit, non potuiſſe in parvulos peccatum propagari. Primum benedictio Dei: *Creſcite, & multiplicamini*; ſecundum, ſecuritas fidei conjugalis; tertium, ſacramentum connubii; de quo dictum fuerat ante peccatum: *Relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ*; & erunt duo in

carne

carne una; quod Apostolus dicit *magnum sacramentum in Christo, & Ecclesia*. Ad quæ addit Augustinus quæ faciunt ad rem nostram; *Et certe his tribus bonis perfecte se haberet bonitas nuptiarum; quibus bonis etiam nunc bona sunt nuptiæ*: ergo per Augustinum in statu innocentiæ fuisset in nuptiis tertium bonum, hoc est sacramentum connubii; & hoc est sacramentum magnum in Christo, & Ecclesia: ergo etiam in statu innocentiæ fuisset Christus.

Opponunt contra allatas probationes Adversarii I. Majus esset argumentum divini amoris erga genus humanum, si Christus venisset propter solos homines redimendos, & non alias mittendus, quam si propter Christum homines facti, & prædestinati essent: ergo cessat majus bonum in prima probatione intentum. II. contra tertiam rationem dicunt, quod ante mundi productionem actualem, quæ est in exequutione, fuit sapientia incarnata ordinata secundum intentionem: ergo verba illa Prov. 8. non sunt sufficientia, ut ex illis nostrum intentum probemus. III. contra quartam rationem addunt, quod in casu, in quo Adam non peccasset, non fuisset hominum exemplar Christus, sed Adam: ergo non fuisset Verbum incarnatum, ut hominum esset exemplar. IV. contra quintam rationem ex conjecturis desumptam dicunt, quod majorem vim faciunt allata verba Scripturarum, quam solius Anselmi testimonium.

Respondemus ad I. cum P. Magnano, & quod sufficit hominibus argumentum amoris, qui ipsis convenit intra ordinem servorum; & quod contra rationem est quærere argumentum amoris in servos præjudicans argumento amoris in Filium. Vere enim ostenditur, quod quanto est majus argumentum amoris in servos, quando tantum propter eos, vel tantum propter eorum gratiam, dicitur missus Filius; tanto minus est argumentum amoris in Filium, quando Pater de eo non curaret, nisi intuitu servorum; hoc est nisi servi ope Filii indigerent. Alia prosequitur Magnanus apud ipsum videnda.

Ad II. dicit, quod hoc idem de se possent perinde jactare vel ipsi passerculi, aut etiam culices, ac vilissimæ creaturæ; quia etiam has ordinavit Deus, antequam quicquam exequeretur. Attamen aliquid peculiare intendit dicere de se incarnata sapientia; quod sane intelligi non potest, nisi de ordine intentionis intelligatur. Unde dicendum est, Deum immediate propter se voluisse Christum, & quidem primo, & in ordine intentionis, & proxime propter eum reliqua omnia. Quod idem est ac dicere, antequam quicquam facere statueret, vel in primo signo, & instanti suorum decretorum, ordinatum esse Christum a Deo; secundum illud Apostoli I. ad Cor. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus vero Dei.*

Ad III. Ex responsione illa colligit Magnanus, & infert: Ergo etiam Adam ipse est exemplar, non Christus. Et firmat suam illationem, tum quia quum nunc non sit gloria diversa ab ea, quæ fuisset tunc, qui tunc futurus erat exemplar illius, potest & esse exemplar hujus; tum etiam quia primo intentus est Adam, & prius prædestinatus, quam Christus, in hypothesi Adversariorum: ergo non solum potest esse Adam, sed necessario modo est exemplar. Sed hoc est falsum; quia omnes Scripturæ clamant, Christum etiam in suppositione peccati esse exemplar: ergo a fortiori fuisset stante innocentia Christus prædestinatorum exemplar, non Adam.

Ad IV. Allata verba Scripturarum intelligenda esse secundum Patrum, & Catholicorum Interpretum explicationem. Nullus autem Pater, aut Catholicus Interpres ab Adversariis adducitur, qui ipsorum cogitationi faveat. Cæterum verba ipsa possunt commode intelligi, si dicatur, Christum venisse primo ut Judæos salvos faceret, deinde Gentiles; universim autem omnes homines; quia Adam tum Judæorum, tum Gentilium erat caput; & in ipso tam Judæi, quam Gentiles, peccaverunt.

VII. Probatur ab aliis. Concilium Tridentinum sess. 6. c. 7. docet: *Nostræ justificationis causa finalis est gloria Dei & Christi.* sed qui ordinate vult, sicuti vult Deus, prius vult finem, & deinde illa, quæ ordinantur ad finem: ergo Deus prius voluit gloriam Christi, & per consequens ipsum Christum, & deinde justificationem nostram. Nec dicat Platellius, ibi loqui de gloria Christi accidentali, non essentiali; ne dicat hoc, quia gloria essentialis præsupponitur accidentali: ergo si Deus prius voluit gloriam Christi accidentalem, a fortiori prius voluit gloriam Christi essentialem.

VIII. Probatur. S. Thomas in 11. dist. 15. q. 1.

Digitized by Google

q. 1. ar. 1. docet : *Inconveniens eſt dicere, quod aliquid ſit propter vilius ſe*. Quod probatur ex Nazianzeno or. 3. *Quicquid alicujus rei cauſa factum eſt, abjectius eſt eo, propter quod factum eſt* ; ſed ex eodem S. Thoma 1. p. q. 20. ar. 4. omnes prædeſtinati ſimul ſunt minoris valoris, quam Chriſtus, & ejus gloria : ergo non Chriſtus factus eſt propter prædeſtinatos, ſed potius prædeſtinati propter Chriſtum. Aliter Incarnatio quoad ſubſtantiam eſſet propter aliquod, quod eſſet vilius ſe.

IX. Probatur. Eſt liberum Deo decernere Incarnationem, vel propter ſolum remedium peccati, vel propter alia motiva independentia a peccato : ergo non poteſt nobis innoteſcere, quodnam elegerit potiſſimum motivum, niſi ex ipſius actuali electione ; ſed propter peccati remedium Deus de facto elegit alia motiva ſufficientia, & a peccato independentia: ergo etiam Adamo non peccante perſiſteret formalitas præſentis decreti, incarnationem decernentis propter alia motiva ſufficientia,& a peccato independentia.Probatur minor ſubſumpta ex rationibus adductis in 11. Concluſione, & etiam ex his aliis. Concilium Tridentinum ſeſs.6. can. 21. definit, Chriſtum a Deo datum hominibus, non ſolum ut Redemptorem, ſed etiam ut *Legislatorem, cui obediant*;hoc autem motivum eſt ſufficiens, & a peccato independens. Ulterius, Chriſtus a Deo ſtatutus eſt cauſſa exemplaris omnium prædeſtinatorum, finis omnium creaturarum, & caput omnium hominum, & Angelorum ; ut habetur ad Hebr. 2. *propter quem omnia, & per quem omnia*; ad Coloſs. 1. *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ*. Hæc autem omnia ſunt motiva ſufficientia, & a peccato independentia.

X. Probatur. Manifeſtatio bonitatis divinæ eſt finis intentus a Deo in productione rerum ; ſed ad manifeſtationem bonitatis divinæ propinquius ſpectat Incarnatio Verbi, & Chriſti glorificatio, quam omnium hominum prædeſtinatio, eorumque juſtificatio, ac beatificatio : ergo Deus poſt manifeſtationem bonitatis ſuæ prius voluit Incarnationem Verbi, & deinde ordinem gratiæ, & naturæ, ad quem permiſſio peccati ſpectat.Major eſt certa apud omnes utriuſque Scholæ defenſores. Minor probatur. Chriſtus ipſe propinquior eſt Deo, quam omnes aliæ creaturæ: ergo ad manifeſtationem bonitatis divinæ propinquius ſpectat Incarnatio Verbi,& Chriſti glorificatio, quam omnium hominum prædeſtinatio, eorumque juſtificatio, ac beatificatio.

XI. Probatur. Nequit dici Chriſtus bonum, ut ajunt Scholaſtici, occaſionatum; ſed ſic diceretur, ſi ſolum veniſſet ob peccati reparationem : ergo etiam ſi peccatum non fuiſſet, Chriſtus etiam veniſſet. Major eſt certa ; quia quum Chriſtus ſit per ſeipſum ſumme amabile bonum, ac, ut dicunt, volibile, non occaſionaliter tantum, ſed etiam per ſe, debuit eſſe intentum a Deo ; unde non minus quam ipſa redemptio a peccato, immo magis quam ipſa, Chriſtus fuit amabilis, volibilis, ac intentus a Deo ; quum ſecundum ſe ſit bonum præſtantius quocumque alio bono creato, vel creabili. Minor etiam patet ; bonum enim, quod dicunt occaſionatum, eſt quod non habuiſſet exiſtentiam, niſi occaſione alterius. Chriſtus autem in hypotheſi Adverſariorum non habuiſſet exiſtentiam, niſi commiſſum eſſet peccatum : ergo Chriſtus diceretur bonum occaſionatum, ſi ſolum veniſſet ob peccati reparationem.

XII. Probatur. S. Cyrillus lib. 5. theſauri c. 3. ſcribens contra Arianos, qui dicebant, Filium propter nos eſſe factum, hæc habet : *Si propter nos factus eſt Filius, & non propter Filium nos, erimus nos ipſa multo præſtantiores*. Hoc poſito, ſic argumentamur : Nequit homo eſſe præſtantior Chriſto ; ſed eſſet præſtantior Chriſto, ſi Chriſtus ordinatus eſſet a Deo propter hominem, & non potius homo propter Chriſtum : ergo non eſt Chriſtus ordinatus a Deo propter hominem, ſed potius homo propter Chriſtum. Quis enim negabit, finem eſſe præſtantiorem quocunque medio, quod eligitur propter finem ? Chriſtus igitur eſt primo intentus a Deo, & quidem intentus propter manifeſtationem ſuæ gloriæ, propter communicationem divinæ ſuæ bonitatis, propter bonum denique creaturarum.

Arguunt I. In ſacris Scripturis invenitur quidem, Incarnationis motivum fuiſſe ſolam Redemptionem, at nullibi legitur, fuiſſe præter illam quodvis aliud motivum : ergo vere ita ſola Redemptio fuit unicum Incarnationis motivum, ut præter illam nullum aliud fuerit. II. Joann. 10. dicitur : *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant* : ergo hoc unicum

fuit adventus Verbi motivum vita nostra: ergo redemptio nostra. III. Luc. 15. Christus assimiliat adventum suum Pastoris itineri ad quærendam ovem, quæ perierat; sed Pastor non ob alium finem iter faciebat, quam ut deperditam ovem inveniret: ergo pariter Christus non ob aliam causam advenit, quam ut peccatores salvaret. IV. 1. Timoth. 5. *Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*; ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum . . . . . ut eos, qui sub lege erant, redimeret*; Luc. 9. *Venit Filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat*; Matth. 9. *Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*; quæ omnia ostendunt adventum Christi, non ob aliam causam, quam ut homines a peccato redimeret. V. Matth. 9. *Non veni vocare justos, sed peccatores*; Insuper: *Non est opus valentibus Medico, sed male habentibus*: ergo Adamo non peccante homines Christi adventu non indigebant. VI. Ad Hebr. 2. *Quia ergo pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem*; in quibus est sermo de Jesu, qui paulo ante dictus fuerat paulo minus minoratus ab Angelis; & de hominibus, qui, ut servi aut filii, adeoque pueri, erant per Christi mortem redimendi; hi enim carne, & sanguine constabant. Unde subdit: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*; quorum verborum est sensus, quod si Verbum non apprehendisset humanam naturam, quia homo non peccasset, potius apprehendisset angelicam. VII. In benedictione Cerei Paschalis canit Ecclesia: *O certe necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem!* Item in quadam antiqua prosa ad B. Virginem legebatur: *Peccatores non abhorres; sine quibus numquam fores tanto digna Filio*. VIII. ex Patribus; Irenæus lib. 5. adv. hæres. c. 14. *Si enim non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset; & si non haberet sanguis justorum inquiri, neqnaquam sanguinem habuisset Dominus*. Cyrillus Alexandrinus dialog. de Trinit. ante medium: *Sciat autem quod humanitatis crimina illi divinitatis gloriæ occasio fuerint; nam si non peccassemus, neque factus esset nobis similis, neque sustinuisset*. Athanasius ser. 3. cont. Arianos: *Necessitas, indigentiaque hominum anterior est, qua sublata carnem non indiguisset*. Ibidem: *Cæterum ut fieret homo nunquam destinatum fuisset Verbum, nisi hominum necessitas ejus rei causam præbuisset*. Chrysostomus hom. 31. in Matth. ad illa Christi verba: *Non veni vocare justos, sed peccatores*, addit: *Adeo procul abest, ne peccatores abominetur, ut propter ipsos solos advenerit*. Origenes: *Si non fuisset peccatum . . . . . mansisset hoc, quod in principio erat, Deus Verbum*. Et hi omnes sunt Patres Græci. IX. ex Patribus Latinis. Augustinus lib. 1. de peccat. merit., & remiss. c. 16. *Non aliam ob causam in carne venisse, nisi ut hac dispensatione misericordissimæ gratiæ omnes . . . . . vivificaret, salvos faceret, liberaret*. Et ser. 8. de verb. Apost. *Venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat. Si non homo periisset, Filius hominis non venisset*. Et ser. 9. *Nulla causa veniendi fuit, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa*. Et ser. 7. *Christus Jesus venit in mundum. Quare venit in mundum? Peccatores salvos facere. Alia causa non fuit, quare veniret in mundum*. Et in Psal. 140. *Si tu, o homo, non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo*. Leo magnus ser. 3. de Pentecost. *Si enim homo in suæ honore naturæ mansisset, Creator mundi creatura non fieret; neque formam servi in similitudinem carnis peccati assumeret*. Gregorius magnus in I. Regum c. 1. *Et quidem nisi Adam peccaret, Redemptorem carnem suscipere nostram non oporteret: Non enim venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Si ergo peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret*. X. Si vera esset nostra sententia, dici potest, quod Filius Dei vere, & proprie non sumpsisset carnem nostra causa, sed tantum qualitatem carnis; sed hoc est contra loquendi modum Scripturarum, ac Patrum: ergo &c. XI. In occultatione finis operantis, non aliunde possumus illum agnoscere, quam ex exequutione operis; sed ex exequutione Incarnationis apparet, illam fuisse factam ad salutem, & satisfactionem: ergo hic idem fuit finis operantis. XII. Si venisset in carne immortali, caro ejus vel fuisset glorioſa, vel non? Non primum; quia aliter non potuisset nasci, & crescere; neque secundum; quia non fuisset causa dilationis gloriæ. XIII. Si Christus venisset in statu innocentiæ, gratia data Adamo non fuisset minor illa, quæ data est generi humano per Christum; siquidem fuisset data etiam per Christum;

atqui

Digitized by Google

atqui gratia data generi humano per Adamum fuit minor illa, quæ data eſt eidem per Chriſtum: ergo &c. XIV. Si Adam non peccaſſet, non fuiſſet gravis neceſſitas, ut Deus humanam carnem aſſumeret: ergo ſecluſo peccato Deus eam non aſſumpſiſſet. XV. Homo eſt intrinſece paſſibilis, quia eſt compoſitus: ergo non potuiſſet a Deo decerni Incarnatio Verbi in carne impaſſibili. XVI. Ante peccati prævisionem fuit decreta Incarnatio ſecundum ſubſtantiam, præſcindendo ſcilicet a carne paſſibili, & impaſſibili; at incarnatio ſic non potuiſſet decerni, quia ſic non potuiſſet poni a parte rei: ergo &c. XVII. Vel decretum, quo Deus voluit Incarnationem ſecundum ſubſtantiam, fuit efficax, vel inefficax; non ſecundum; quia decreta Dei ſunt ſemper efficacia; neque primum; quia decretum efficax non ſolum reſpicit ſubſtantiam, ſed etiam circumſtantias: ergo &c. XVIII. Verba Proverbiorum 8. intelligenda ſunt de Sapientia increata, uti eam plures Patres intelligunt: ergo non de creata, uti nos intelleximus. XIX. Alii dicunt ibi fieri mentionem de Sapientia in genere, præſcindendo a creata, & increata: ergo non faciunt ad noſtrum intentum. XX. Alii volunt, aut Chriſtum dici initium viarum Domini primatu dignitatis, non prioritate voluntatis; aut ſi prioritate voluntatis, fuiſſe priorem in ratione finis *qui*, ſeu *cujus*, non vero ratione finis *cui*; quia in hac ratione genus humanum eſt prius Chriſto.

Reſpondemus ad I. Scripturas non paucas nos attuliſſe ad probanda alia motiva, quorum ratione etiam Chriſtus de facto venit, in Concluſione II. hujuſce Diſſertationis; & alias etiam plurimas in probationibus præſentis Concluſionis; quæ quidem in præfatis locis facile Legentibus occurrent.

Ad II. Verba illa æque potuiſſent a Deo dici, ſi Adamo non peccante veniſſet in mundo, ac modo dicuntur, dum Adamo peccante venit. Ratio eſt, quia in noſtra hypotheſi etiam homines habuiſſent ex Incarnatione Filii Dei vitam, & abundantiorem vitam, gratiæ ſcilicet, & gloriæ.

Ad III. dicitur, quod præfata potius firmant Concluſionem noſtram, quam evertant. Dicitur enim Chriſtus Paſtor non ſolum ovis deperditæ, ſcilicet hominis lapſi, verum etiam nonaginta ovium, per quas Angeli intelliguntur. Ergo non eſt ſolum Paſtor in ſtatu peccati, ſed etiam fuiſſet in ſtatu innocentiæ; quum ſit paſtor Angelorum, qui nunquam peccaverunt, & qui in ſtatu innocentiæ ſe conſervaverunt.

Ad IV. Citata Scripturarum loca utique probant, veniſſe Chriſtum ad redimendum, ſed non convincunt, unicum Incarnationis motivum fuiſſe redemptionem. Nomen autem Jeſus, hoc eſt Salvator, datum fuit de facto, quia ad redimendum principaliter venit; ſed in alia hypotheſi fortaſſis aliud habuiſſet nomen. Cæterum hoc idem nomen Jeſus aptiſſimum eſt pro utraque hypotheſi; quia Salvator non ſolum eſt ille, qui a peccatis ſalvat, ſed etiam, qui dat ſalutem, etſi peccata non præcedant, aut ſupponantur; ut docet P. Magnanus; qui adducit textum Eccliс. 30. *Salus animæ in ſanctitate juſtitiæ*. Denique poteſt dici Salvator etiam per hoc, quod virtute ſua, ac beneficio impedit, ne committantur peccata; ut ſuperius diximus.

Ad V. Verba Chriſti intelligenda ſunt de facto; quia in hac rerum periſtaſi nemo eſt mundus a ſorde. Unde venit ipſe ad vocandos omnes homines de facto, quia de facto omnes homines ſunt peccatores. Ex hoc tamen non deducitur, quod in alia hypotheſi non veniſſet, quia peccatores non fuiſſent. Unde dicere: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores*; non eſt idem ac dicere: Ad hoc tantum veni, ut vocarem peccatores, alias minime venturus; quod pariter obſervat P. Magnanus. Eadem eſt reſponſio ad alia verba.

Ad VI. Apoſtolus docet, & Chriſtum eſſe minoratum ab Angelis, & Chriſtum Angelis ſuperiorem; quia omnia dicit eſſe illi ſubjecta, ac proinde etiam Angelos. Hoc autem intelligi non poteſt ſecundum idem, ſed ſecundum diverſa; hoc eſt, quod Chriſtus etiam ut homo fuit ſuperior Angelis; fuit autem minoratus ab illis non præciſe ut homo, ſed ut homo paſſibilis, & mortalis. Igitur ponitur diſtinctio inter Chriſtum prout eſt præciſe homo, qualis fuiſſet in noſtra hypotheſi, & inter Chriſtum prout eſt homo paſſibilis, qualis eſt de facto. Et ſic potius per verba illa, ita ſubtiliter a P. Magnano explicata, firmatur Concluſio noſtra, quam impugnetur. Subdit idem Doctor, intelligi non poſſe de Chriſto, quod apprehenderit ſemen Abrahæ, non Ange-

los; quia Christus non assumit, sed est terminus assumptionis, seu compositum, quod constat ex Verbo assumente, & ex humanitate assumpta. Unde si verba illa intelligenda sunt de Christo, & non de Verbo, uti vere de Christo intelligunt Doctores, sunt hoc modo explicanda; quod nimirum Christus assumit miserias hominum, ut conscius illarum per propriam experientiam, pro eis Patri contitipuo se offerat. Unde subdit Apostolus: *Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum.*

Ad VII. dicimus cum eodem Doctore profundissimo, non fuisse necessarium Adæ peccatum ad Incarnationem, nec de eo gaudendum esse, quasi sine illo non fuisset Incarnatio; sed fuisse necessarium ad mortem, & ad mysteria, quæ fuerunt Christi morti connexa. Hoc autem sensu verissimum est, quod Christus revera non fuisset mortem passus, neque resurrexisset, nisi suscepisset peccatum sanguine suo delendum. Alia verba: *Quid enim nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset?* intelligenda sunt in hac rerum peristasi, non in altera; in qua quidem profuisset nasci, quanvis non fuisset opus redemptionis. Denique verba Prosæ vel non sunt authentica, ac proinde deleta ex libris Ecclesiæ; vel non sunt intelligenda nisi de facto; quia in alia hypothesi Christus fuisset sine Matre; quod probabilissimum judicat P. Magnanus.

Ad VIII. dicimus Patres stare pro una, & altera opinione; at nec omnes pro una, nec omnes pro altera; unde pro neutra stat locus theologicus infallibilis; utraque tamen probabilis omnino redditur. Cæterum si verbis Patrum allatis datur explicandi locus, illico dicimus, illa esse intelligenda, non circa Incarnationis substantiam, sed circa circumstantias humanitatis passibilis, & mortalis, secundum quas facta est de facto; attamen non negant Patres, faciendam in altera hypothesi secundum alias circumstantias. Denique etsi Patres quidam illa scripserint obiter, & aliud agendo, aliter tamen scripserunt, quando ex professo quæstionem tractarunt; quod clare ostendit P. Magnanus conferendo illorum verba, & præcipue Cyrilli, Athanasii &c.

Ad IX. eadem est responsio circa Latinos Patres, ac circa Græcos; quod nimirum vel sint loquuti de carne passibili, & mortali; vel de Incarnatione prout de facto peracta est; vel quod quæstionem obiter, & non ex professo tractarunt; vel quod alterius fuerint sententiæ, quod nostræ opinionis probabilitati non obstat. Omittimus alios, & solum Leonem magnum citato loco consideramus. Jueninus adversarius hæc refert de illo verba: *Si enim homo in suæ honore naturæ mansisset, Creator mundi creatura non fieret*; at omittit hæc alia, quæ sequuntur: *Neque formam Servi in similitudinem carnis peccati assumeret*. Quia hæc sequentia explicant præcedentia de carne passibili, & non aliter; S. Pontificem fuisse loquutum, non autem de Incarnationis substantia, de qua in præsenti quæstione Scholastici loquuntur.

Ad X. respondet primo P. Magnanus per instantiam dicendo: Si vera esset sententia Adversariorum, dicendum esset, Filium Dei sumpsisse carnem causa nostra; ita quidem ut non esset sumpturus, nisi nos indiguissemus: unde possemus etiam dicere, non esse nos prædestinatos propter illum, sed ipsum propter nos. Et ratio est, quia in intentione prius est prædestinatus finis, quam medium, quod est ad finem: igitur si Christus si non est nisi nostra causa, & propter nos, sequitur quod sit medium ad nostram prædestinationem exequendam exquisitum. Hoc tamen est contra Scripturas, Patres, ac Scholasticos, uno ore clamantes, nos esse prædestinatos per Christum, ex meritis Christi, & in gloriam ejus, ut in causam finalem &c., ut ex Concilio Tridentino cit. loc. Directe negatur sequela; quia, ut ait P. Magnanus, quoad effectum favorabilem sequutum, propter nos est Incarnationis etiam substantia, & non tantum qualitas. Potest etiam negari minor; quia Scripturæ, & SS. Patres, loquuntur de Incarnationis effectu, quem nemo negat in Incarnatione peractum esse & fuisse hominum causa, & amore.

Ad XI. Non adest in casu occultatio finis, quam supponit argumentum; quia etiam ex Scripturis innotescit, si non tam perspicue, ut patet ille, propter quam de facto peracta est, saltem non obscure, ut simul cum illo etiam de facto appareat; quod nos in II. Conclusione ostendimus.

Ad XII. Venisset cum carne impassibili, ut Adam; cum carne etiam gloriosa, quia non erat ratio ut differretur debita gloria; attamen eam gloriam temperasset, ut posset cum hominibus conversari, sicut tem-

Digitized by Google

temperaverit, quando poſt reſurrectionem ſuam cum Apoſtolis, & Diſcipulis familiariter verſatus eſt. Potuiſſet autem naſci, & creſcere, ſicut potuit naſci, & creſcere Adam in ſtatu innocentiæ; vel aliis modis, quos Deus novit, & homo neſcit; ut ait P. Magnanus.

Ad XIII. Quanvis gratia illa data fuiſſet per Chriſtum, ſemper tamen fuiſſet minor illa, quæ data eſt per Chriſtum, & præſente Chriſto. Siquidem gratia data per Abrahamum in circumciſione, & per Moyſen in lege, fuit etiam per Chriſtum; & tamen non fuit illi æqualis, quæ data eſt per Chriſtum præſente Chriſto.

Ad XIV. Ex dictis in præcedentibus a nobis de Incarnationis neceſſitate, hæc non fuit talis, ut non potuerit alio modo ſuppleri. Et quanvis dici poſſit, quod non fuiſſet de condigno ſatisfactio, ſi alio modo ſuppleri potuiſſet; attamen nulla fuit neceſſitas, ut fuerit de condigno ſatisfactio, quia potuiſſet Deus eam alio modo peractam recipere, & acceptare; uti ex ibi dictis ſatis intelligitur.

Ad XV. diſtinguitur conſequens: Ergo non potuiſſet decerni Incarnatio ſecundum circumſtantiam carnis impaſſibilis; impaſſibilis ab intrinſeco, tranſeat; impaſſibilis ab extrinſeco, ſeu ex privilegio, vel ex lege, quæ attemperaſſet partes compoſiti humani, ac qualitates, ut ajunt, ejuſdem; negatur. Et hoc negari non poteſt, quia hanc eandem impaſſibilitatem habebat Adamus in ſtatu innocentiæ, & eam ſervaſſet, ſi non peccaſſet; ut ait Hennus.

Ad XVI. Diſtinguitur major; abſtrahendo a carne paſſibili, & impaſſibili in actu primo; negatur; quia ſic decreviſſet ipſum paſſibilem, quia decreviſſet hominem talem, qualis erat Adam in ſtatu innocentiæ, qui ex intrinſecis ſuis paſſibilis erat; abſtrahendo a carne paſſibili, & impaſſibili in actu ſecundo; ſeu abſtrahendo an de facto pateretur, nec ne; conceditur major. Sic diſtincta minori, negatur conſequentia.

Ad XVII. Falſum eſt, quod decretum Dei, ut ſit efficax, debeat ſemper reſpicere ſubſtantiam, & circumſtantias pro eodem ſigno, ut nos loquimur. Etenim etiam in hominibus poteſt quis habere intentionem efficacem donandi mille Amico ſuo, abſque eo quod cogitet, ſi eſſe debeant in auro, an in argento, quando utriuſque generis moneta in ſua eſt poteſtate.

Ad XVIII. Non poſſunt intelligi verba illa de ſapientia increata, ut in probationibus diximus; tum etiam, quia aliter eadem ſapientia eſſet creata, & increata, increata, ut Adverſarii ſupponunt; creata, quia ibi dicit de ſeipſa: *Dominus creavit me*; uti eſt ſeptuaginta Interpretum verſio.

Ad XIX. quod eſt argumentum Vaſquez; dicimus cum Henno, quod ſapientia in genere nihil eſt reale, & conſequenter creari non poteſt; terminus enim creationis aliquid reale poſitivum eſſe debet: unde ſemper ſtat, quod ſit ſapientia non abſtracta, ſed concreta; non increata, ſed creata.

Ad XX. quod eſt argumentum Contenſonii pro prima parte, dicimus, quod tunc importaret primatum dignitatis, quando diceretur eſſe ſimpliciter ante colles, terram, fontes &c. At in eo loco dicitur fuiſſe factam, fuiſſe creatam, ante omnes colles, terram, fontes &c.: Ergo denotat prioritatem voluntatis, loquendo de intentione faciendi, & creandi. Pro ſecunda vero parte eſt argumentum Goneti, & juxta ipſum, finis *qui*, ſeu *cujus* eſt illud bonum, quod appetitur, & cujus gratia ponuntur media; finis vero *cui* eſt illud bonum, cui, vel propter quod bonum illud appetitur. Infirmus ſumit medicinam; finis *cujus* illius ſumptionis eſt ſanitas, quia illius cauſſa ſumitur medicina; finis *cui* eſt ipſemet infirmus, qui ſibi vult ſanitatem. Unde vult Gonetus, Chriſtum eſſe finem *cujus* omnium creaturarum; quia eſt illud bonum, cujus gratia vult omnes creaturas; genus autem humanum redimendum eſſe finem *cui*, quia illud eſt, cui tanquam utilis appetitur Chriſtus. Hæc ipſe. Attamen a nobis negatur, genus humanum eſſe finem cui appetitur Chriſtus ſimpliciter; quia Chriſtus ut ſic non habet rationem medicinæ; ſed eſt finis, cui appetitur Chriſtus ut paſſibilis; & ſic bene ſtat, quod quanvis Chriſtus ut paſſibilis ſit poſterior genere humano redimendo, ſit tamen prior illo, ſi ſecundum ſubſtantiam conſideretur. Hæc ex Henno tranſcripſimus.

Dicimus IV. Chriſtum de facto veniſſe ut paſſibilem ad delenda omnia peccata, principalius autem propter originale, quam propter actualia.

I. Probatur I. pars ex Scripturis. I. Joann. 1. *Sanguis Jeſu Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Ad Titum 2. *Dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.*

iniquitate. I. ad Timoth. 1. *Venit Jesus peccatores salvos facere*. Quibus concordat ex veteri testamento Isaias 53. *Posuit in eo iniquitates omnium nostrum*.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Toletanum VI. *Solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & nostro libero arbitrio contraxeramus, resolvenda, a secreto Patris arcano prodiisse*.

III. Probatur ex Patribus. Ambrosius in Psal. 53. *Bonum aurum sanguis Christi, dives ad pretium, profluens ad lavandum omne peccatum*. Gregorius magnus in lib. 4. Regum c. 1. *Si ergo peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret*. Augustinus ser. 7. de verb. Apost. *Quare venit in mundum? Peccatores salvos facere*.

IV. Probatur Rationibus. I. Christus venit, ut nobis aperiret Cœli portas; sed cœli portæ nobis clauduntur non minus per originale, quam per actuale peccatum: ergo de facto venit Christus ad delenda omnia peccata. II. De facto venit Christus ut medicus, ut vivificator, ut salvator; sed non minus per originale, quam per actuale peccatum, vulnerata anima indiget medico, mortua vivificatore, perdita servatore eget: ergo non minus propter originale, quam propter actuale peccatum venit.

V. Probatur II. pars Conclusionis. Propter illud peccatum dicere debemus fuisse de facto peractam Incarnationem, quod magis humano generi obfuit; sed magis obfuit originale, quam actuale peccatum: ergo magis propter illud, quam propter hoc, de facto peracta est Incarnatio. Probatur minor. Illud peccatum magis obfuit humano generi, quod totum humanum genus contaminavit; sed hoc fuit originale, non actuale peccatum: ergo &c.

VI. Probatur. Originale peccatum est radix, & origo omnium peccatorum: ergo magis per ipsum peracta est Incarnatio. Probatur consequentia. Omnia peccata actualia ex illa radice prodeunt: ergo si Christus venit, & Incarnatio facta est propter actualia peccata, multo magis dicendum est, Christum venisse, & Incarnationem fuisse peractam propter originale, quam propter actualia peccata.

Objiciunt I. Christus principalius venit propter peccatum, quod est gravius; sed gravius est actuale, quam originale peccatum: ergo magis propter actuale, quam propter originale venit. Probatur minor. Illud est peccatum gravius, quod est magis voluntarium; sed in posteris Adæ magis est voluntariam actuale, quam originale: ergo gravius est actuale, quam originale peccatum. II. Peccatum originale fuit unum, peccata actualia sunt propemodum sine fine; sed Incarnatio dici debet peracta propter malum majus; ergo quum hoc sit in mortalibus numero majoribus, quam in originale numero uno; propter illa principalius dici debet peracta. III. Pro illo peccato magis venit Christus, pro quo magis satisfecit; sed magis satisfecit pro actualibus, quam pro originali: ergo magis venit propter illa, quam propter hoc. Probatur minor. Christus satisfaciendo peccatis subiit pœnam sensus, & non pœnam damni; sed pœna sensus debetur pro actuali, pœna damni pro originali peccato: ergo &c.

Respondemus ad I. dicendo, peccatum actuale esse gravius intensive, quia magis voluntarium, non vero extensive, quia solum afficit peculiarem personam, originale autem totum humanum genus contaminavit; unde propter omnium, & singulorum salutem Christus eum delevit.

Ad II. Quanvis originale peccatum si spectetur præcise secundum suam malitiam orginalem, quasi in infinitum non superet malitiam omnium actualium, superat tamen si consideretur ut est radix omnium actualium; quia hoc secundo modo consideratum non solum habet malitiam propriam, verum quoque particeps est malitiæ omnium actualium suo modo.

Ad III. dicitur, quod pœna sensus vel consideratur in hac vita, vel in altera; si in hac, etiam peccato originali debetur; omnes enim calamitates, quas patimur, infirmitates, mors, pœnæ sunt sensus, & a peccato originali promanant. Si vero in altera vita, non desunt qui dicant, peccatum originale in parvulis decedentibus sine baptismo aliquali sensus pœna quoque puniri.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CLXVII.

De Persona Humanitatem assumente. An sola Filii Persona humanitatem assumpserit? An assumpserit eam aliquo modo natura Filii? Et an tres Personæ divinæ, aut simul, aut divisim, potuerint eandem humanitatem assumere; vel una Persona plures naturas? Hæreses afferuntur, ac profligantur; Scholasticorum sententiæ examinantur, ac una præ cæteris eligitur.

PRIMO contra Personam, quæ de facto humanitatem assumpsit, & quæ secunda ex tribus divinis Personis solummodo fuit, hoc est Verbum divinum, erravit Sabellius; qui unicam in Deo personam agnoscens, scilicet primam, quæ est Pater, hac quoque voluit carnem assumpsisse. Ipse enim, ut alibi diximus, negavit, Filium, & Spiritum Sanctum, esse veras Personas in divinis; & dumtaxat asseruit, esse quasdam Dei temporarias functiones. Igitur ex ejus principiis sequitur, Patrem fuisse in B. Mariæ Virginis sinu incarnatum, ac pariter per idiomatum communicationem fuisse in cruce passum, ac denique mortuum. Unde Sabelliani fuerunt postmodum dicti Patripassiani; quod refert Ferrandus Diaconus in epistola ad Severum. *Olim quippe illos veritas confutavit hæreticos, qui sic unum Deum Trinitatem dicere voluerunt, ut quem Patrem fatebantur, ipsum sibi Filium, ipsum fingerent Spiritum Sanctum; Deum scilicet, qui manens in cælestibus creaturæ totius Pater fuit; protensus in Virginem etiam nascendo inter homines filius fieret; rursusque dispensationis humanæ consummato mysterio super Apostolos in linguis igneis veniens, Spiritus Sanctus vocaretur. Hoc errore compulsi, non filium Dei Patris, sed Patrem credidere crucifixum. Unde eos etiam Patripassianos appellari vetustas ostendit.*

Secundo ab aliis scribuntur Praxeas, & Hermogenes, a quibus Praxeani, & Hermogeniani fluxerunt, qui dixerint quoque Patrem fuisse passum. Hi autem ante Sabellium fuerunt. Quod refert Petavius ex Philastrio, & Augustino, qui Sabellianos quoque affirmarunt Patripassianos fuisse dictos. Theodoretus autem lib. 2. c. 9. de Sabellio hæc profert: *Ut eandem Personam, tanquam Patrem, in veteri testamento legem tulisse dicat: in novo autem, tanquam Filium, incarnatum esse.*

Tertio Noetus ausus etiam est dicere, *Patrem esse passum*. Quod narrat Epiphanius hæres. 57. §. 1., Et in Synopsi præfixa tomo primo lib. 2. Panarii, confirmat scribens: *Sabellianos cum Neotianis in omnibus propemodum consentire, nisi quod Patrem ipsum negant esse passum, ac prolatitium rursus refundi Verbum*. Attamen addit Petavius in Synopsi mendosam esse orationem; & quæ potest ex Anacephalæosi castigari, cujus verba interpretatur Augustinus hoc modo: *Sabelliani similia Noeto dogmatizantes præter hoc, quod dicunt, Patrem non esse passum*. Unde ex his constat, Sabellianos vere Patripassianos fuisse, non vero Neotianos.

Quarto testatur Suarez, tempore S. Anselmi Clericum quendam errorem hunc suscitasse. Attamen alii volunt apud Hennum, Clericum illum nec negasse distinctionem realem inter Personas, nec affirmasse, solum Filium fuisse incarnatum; sed tantum dixisse, vel tres Personas esse tres Deos totaliter distinctos, vel naturam divinam a personis realiter distingui. Et ratio est, quia Clericus ille, admissa identitate naturæ divinæ cum Personis, non poterat concipere, quomodo incar-

Digitized by Google

incarnari posset Filius; quin natura divina incarnaretur, ac proinde quin etiam incarnarentur Pater, & Spiritus Sanctus, ab ipsa natura divina realiter distincti. Contra hos

Dicimus I. Solam Filii Personam humanam naturam assumpsisse. Est de fide contra præfatos Heterodoxos, & si qui alii sunt.

I. Probatur ex Scripturis. Joann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: igitur Pater non venit in mundum, sed Filium suum dedit, & in mundum misit. Lucæ 10. *omnia mihi tradita sunt a Patre meo*; nemo tradit sibi; & Filius, qui loquitur, aperte nominat Patrem. Joann. 10. *Pater major me est*; non ergo est una & eadem Persona, quia nemo est major seipso; & qui loquitur est Filius, qui carnem assumpsit. Joann. 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Non ergo Pater factus est caro, nec habitavit in nobis, carne nostra indutus, sed Filius, qui & dicitur Verbum.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum, & Constantinopolitanum alterum, in Symbolo fidei docent: *Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*. Sexta Synodus act. 8. *Quia Pater, & Spiritus Sanctus nihil in Incarnatione habent commune, nisi benignissimam voluntatem*. Concilium Toleranum VI. c. 1. *Cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis; solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ, non in unitate naturæ divinæ; in eo quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati*. Concilium Toletanum XI. in professione fidei. *Incarnationem hujus Filii Dei tota Trinitas operata esse credenda est, quia inseperabilia sunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius formam servi accepit, in singularitate Personæ, non in unitate divinæ naturæ; in id, quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati; quæ forma illi ad unitatem Personæ coaptata est; idest, ut Filius Dei, & Filius hominis, unus sit Christus*. Concilium Rhemense, tempore Renaldi Archiepiscopi celebratum.

III. Probatur ex Patribus. Augustinus lib. 65. de Trinit. c. 11. *Ideoque non Deus Pater, non Spiritus Sanctus, non ipsa Trinitas, sed solus Deus Filius, quod est Verbum Dei, caro factum est, quanvis Trinitate faciente*. Fulgentius resp. 2. ad Ferr. *Propriam ergo Christus habet & humanitatem suam, cum divinitas ejus non unam naturam, sed unam invenitur habere personam. Quæ persona unigeniti Dei, quæ neque Patris est, neque Spiritus Sancti, ideo forma servilis, a solo Filio accepta creditur recte, quia divinitatis ejus & carnis una persona est, non natura*. Hos præcessit fortassis antiquus Auctor libri de divinis Nominibus c. 2., qui sub Dionysii Areopagitæ nomine circumfertur: *Bonitati consentaneam divinam in nos operationem; qua secundum nos ex nobis integre ac vere substantiatum est supersubstantiale Verbum; ac fecit, ac passum est, quæcunque sunt eximia & excellentia humanæ in ipso Dei operationis. Horum enim neque Pater, neque Spiritus Sanctus, ulla ratione particeps fuit*. Anselmus lib. de Incarnat. c. 4. *Si Filius incarnatus est, & Filius non est una & eadem Persona, quæ Pater est, sed alia: non iccirco esse Patrem incarnatum necesse est*.

IV. Probatur Rationibus. I. Qui debebat humanam carnem assumere convenientius debebat esse filius hominis: ergo convenientius debebat esse non Pater, sed filius Dei. Non enim decebat, illum, qui ab æterno erat Pater, tempore fieri Filium; sed potius illum, qui ab æterno erat Filius Dei, tempore fieri filium hominis. II. Filius est Sapientia increata; sed per Sapientiam increatam Deus creavit omnia: ergo per eandem convenientius erat ut omnia refecisset. Æquum namque videbatur, per eandem Sapientiam restaurari opus, quod per ipsam fuerat factum. III. Decens etiam fuit, ut homines fierent filii adoptivi Dei per illum, qui erat Dei filius naturalis: ergo Filius carnem sumere humanam decentius fuit. IV. Filius est imago substantialis Dei, homo est imago Dei accidentalis; sed quum esset labefactata hæc, congruentius erat, ut per illam reficeretur: ergo congruentius fuit, ut per Filium homines repararentur.

Objiciunt I. Incarnatio est opus ad extra; sed una Persona non potest ad extra operari sine aliis: ergo una Persona sine aliis incarnari non potuit. II. Non potest una Persona videri sine alia intuitiva visione: ergo neque potest sine aliis incarnari. III. Terminus Incarnationis est Filius; sed Filius idem est cum Patre, & Spiritu Sancto: ergo terminus Incarnationis pariter sunt Pater, & Spiritus Sanctus. IV. Quæcumque operatur Divinitas ad extra, Patri tribuuntur; sed Incarnationem operatur Divinitas ad extra: ergo ea Patri est tribuenda.

Re-

Digitized by Google

Respondemus ad I. Incarnationem esse opus ad extra, quod importat simul actionem, & terminum, non vero quod dicat solam actionem. Incarnatio enim duo dicit, actionem scilicet, per quam humanitas fuit assumpta, & terminum illius assumptionis. Actio est communis toti Trinitati, quia a tribus divinis Personis procedit, tanquam a causa efficiente; hoc est tanquam a natura, quæ est communis. Terminus vero singularis est Filio, quia non procedit tanquam a causa efficiente, sed tanquam a causa subsistente, & relativa, quæ peculiaris est, & singularis Personæ Verbi. Unde docet Augustinus ser. 3. de tempore: *Ars dictat, manus tangit cytharam, corda resonat: cum chordæ autem ars pariter, & manus operantur. Sic non Pater, non Spiritus Sanctus, susceperunt carnem, & tamen cum Filio pariter operantur.*

Ad II. Negatur paritas; & disparitas est, quia tres Personæ sunt realiter idem cum divina essentia, quæ est objectum visionis beatificæ; at tres personæ inter se distinguuntur realiter; unde non mirum, si uni tribuitur effectus relativus, qui alteri non tribuitur; potest enim hoc fieri propter realem distinctionem, & non potest fieri illud propter realem identificationem.

Ad III. Quanvis solus Filius humanitatem assumpserit, omnes tamen Theologi docent, Patrem, & Spiritum Sanctum esse in humanitate. Unde hoc proveniat, dissident Scholastici; quidam volunt cum Alvarez id provenire ex Dei immensitate; alii vero communiter docent, id oriri ex concomitantia. Cum his ultimis nos sentimus; & dicimus, quod licet Pater, & Spiritus Sanctus, humanitatem non assumpserint, sunt tamen in humanitate, quam solum Verbum assumpsit, per concomitantiam. Quod probatur sic. Quia esse per concomitantiam est esse ratione alicujus, cum quo est identitas, vel unio; sed Persona Filii est idem cum Persona Patris, & Spiritus Sancti: ergo Pater, & Spiritus Sanctus sunt in humanitate per concomitantiam, quam solum Verbum assumpsit. Hoc patet ex Joan. 8. *Solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater.* Et cap. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Et ad Coloss. 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Quod pariter habemus ex Cyrillo Alexandrino in Concilio Ephesino tom. 6. c. 17. *Erat Deus Pater cum Filio, hoc est cum incarnato, inhumanatoque Verbo, prout is a Filio separari nequaquam potest.* Neque dicatur, quod si hoc esset, Pater, & Spiritus Sanctus, dici possent incarnati, saltem mediate; essent scilicet secundarius terminus Incarnationis; quia dicitur a nobis, quod natura Filii non ideo est terminus Incarnationis, quia est natura divina simpliciter, sed præcise quia est natura Filii, seu natura, quæ terminatur per hypostasim Verbi. Neque dicatur, quod ex nostra positione sequeretur, quod Pater, & Spiritus Sanctus, seu tota Trinitas, essent in Filio per concomitantiam; quia negatur paritas, & assignatur disparitas. Si enim tota Trinitas esset in Filio, Persona Filii esset quarta Persona, a Trinitate distincta; quod est falsum ex c. damnamus, de summa Trinit. & fid. catholic. At quando dicitur; Pater, & Spiritus Sanctus sunt in Filio; non significatur quaternitas, sed Trinitas Personarum. Multo magis, quando dicitur: Pater, & Spiritus Sanctus, sunt in Christo; significatur esse in humanitate, pro qua supponit Christus: Unde sensus est, quod totæ tres Personæ sint in humanitate, Filius directe, & primario; Pater, & Spiritus Sanctus, indirecte, & secundario; nimirum ratione alterius; quod significat esse per concomitantiam.

Ad IV. dicitur; quod verum est, quod quodcumque operatur ad extra Divinitas, tribuitur toti Trinitati, sed tanquam causæ efficienti; & non tribuitur Patri tantum, nisi appropriative. Sed Incarnatio non tribuitur tantum Filio uti causæ efficienti, sed etiam uti termino ipsius, ut diximus; & in hoc sensu Patri, & Spiritui Sancto non tribuitur.

Pro eo vero, quod ad Scholasticam attinet, hactenus enim de Dogmatica loquuti fuimus, præmittimus, assumptionem posse intelligi, vel in ordine ad principium activum, vel in ordine ad terminum; quod modo in IV. responsione observavimus. Item assumptionem posse concipi, vel proprie, vel improprie. Primo modo est, quando assumens & verus, & immediatus, & primarius terminus assumptionis; altero modo est, quando est mediatus, & secundarius. His positis, de natura divina sequentem firmamus Conclusionem.

Dicimus II. Assumptionem proprie sumptam non convenire naturæ divinæ; convenire tamen assumptionem aliquo modo consideratam; verum naturam divinam conjunctam relationibus personalibus

libus non posse creatam naturam assumere, non communicando ei aliquam personalem relationem.

I. Probatur I. pars. Naturæ divinæ non convenit ratio termini, sed personæ tantum: ergo naturæ divinæ non convenit assumptio proprie sumpta. Probatur antecedens. Persona divina reddit naturam incommunicabilem, & per consequens eam terminat, faciendo, ut natura ipsa alteri non communicetur; quod quidem facere non potest natura; ut de se clarum est: ergo naturæ divinæ non convenit assumptio proprie sumpta. Prima consequentia sequitur; quia assumptio proprie sumpta dicit per se, & primario rationem termini.

II. Probatur II. pars. Assumptio convenit naturæ divinæ tanquam principio activo: ergo aliquo modo convenit. Probatur antecedens. Natura divina est principium effectivum *quo* unionis hypostaticæ; scilicet est principium efficiens actionis illius, per quam Verbum fuit hypostatice unitum humanitati: ergo assumptio convenit naturæ divinæ tanquam principio activo. Consequentia est legitima; quia si convenit tanquam principio effectivo, aliquo modo convenit; licet non conveniat proprio, ac rigoroso modo.

III. Natura divina in suppositione, in qua loquimur, nullam posset creatæ naturæ subsistentiam communicare: ergo non posset creatam naturam assumere. Probatur antecedens. Natura divina non potest alteri communicare subsistentiam, quam non habet; sed in hypothesi nullam haberet subsistentiam: ergo nullam posset creatæ naturæ subsistentiam communicare. Probatur minor. Natura divina non habet aliquam absolutam subsistentiam, quæ sit tribus Personis communis; sed subsistentia, quam habet, omnino est relativa: ergo natura divina in hypothesi nullam haberet subsistentiam. Consequentia primi argumenti probatur. Quia ad hoc ut divina natura assumat naturam creatam, debet ei communicare subsistentiam divinam; quia si hanc non communicaret, non esset assumptio substantialis, sed accidentalis; facta nimirum per auctoritatem, per amorem, per gratiam, &c.

Opponunt I. Illud dici potest assumens, quod dicitur incarnatum; sed natura divina ab Athanasio, & Cyrillo, dicitur incarnata: ergo dici potest assumens. II. Si per impossibile natura divina esset sine relationibus, scilicet paternitate, filiatione, & spiratione passiva, posset humanam naturam assumere: ergo etiam ut est conjuncta relationibus personalibus. Consequentia sequitur, quia idem est non habere subsistentiam, & non communicare illam, ac habere, & illam non communicare. Antecedens probatur. Si non posset, ideo esset, quia deficeret persona assumens; sed non deficeret: ergo posset. Probatur minor. Deus in ea hypothesi conciperetur tanquam res subsistens, & esset sui juris. III. S. Thomas 3. p. q. 3. ar. 3. in corp. docet: *Et secundum hoc abstracta personalitate per intellectum, possumus adhuc intelligere naturam assumentem*: ergo per S. Doctorem potest natura assumere, non communicando creatæ naturæ aliquam personalem relationem.

Respondemus ad I. Assumptionem convenire proprie illi, quod dicitur incarnatum primario, & per se; non vero illi, quod dicitur tale secundario tantum, & ratione alterius. Natura divina dicitur incarnata secundario tantum, & ratione alterius, non vero primario; quia dicitur incarnata ratione personæ Verbi, quæ humanæ naturæ fuit immediate communicata.

Ad II. Est dispar ratio; quia in primo casu Deus conciperetur ut res subsistens, & sui juris; in altero vero, quum essent tres Personæ, non posset Deus concipi ut subsistens. Et si dicatur, quod in Deo non esset Persona, quia personæ in divinis distinguuntur per relationes, in Deo autem relationes non essent; subdimus, quod non esset utique Persona ejusdem generis, ac modo est; attamen esset aliquid absolutum Persona in Deo in casu illo, sicut de facto est in creatis.

Ad III. S. Thomas loquitur in hypothesi impossibili naturæ divinæ sine relationibus, non vero in illa, de qua nos loquimur, scilicet naturæ divinæ relationibus personalibus conjunctæ; disparitas autem ex responsione ad II. argumentum patet.

Pro tertia Dissertationis Parte præmittimus, quod est communis assertio inter Theologos, potuisse alias divinas Personas singulas seorsim a Verbo naturam humanam assumere. Hanc enim sententiam, inquit Cacheranus, docere S. Thomam, nullo Theologo, nullo Catholico, contradicente. Attamen num aliæ Personæ divinæ potuissent simul cum Verbo naturam humanam assumere, eam terminando simul per duas, vel per tres subsi-

sten-

Digitized by Google

stentias relativas? quæstio est inter Scholasticos. Thomistæ affirmant cum S. Thoma 3. p. q. 3. ar. 6., & in III. dist. 1. q. 2. ar. 4. Cajetano, Goneto, Suarez, Vasquez, Valentia &c. Scotistæ vero negant cum Scoto in III. dist. 1. q. 2., Richardo, Paludano, Lugo, Amico, & aliis.

Dicimus III. Duas alias Sanctissimæ Trinitatis Personas, scilicet Patrem, & Spiritum Sanctum, potuisse seorsim a Verbo humanam naturam assumere; potuisse etiam totas tres simul assumere eandem numero naturam.

I. Probatur I. pars. Sicut Verbum de facto seorsim ab aliis duabus Personis assumpsit naturam humanam, ita potuisset Pater, potuisset Spiritus Sanctus, eandem assumere seorsim a Verbo: ergo vera est Conclusio nostra. Probatur antecedens. Est in aliis duabus Personis eadem virtus essentialis infinita ad efficiendum, eadem infinita perfectio personalis ad terminandum assumptionem: ergo sicut Verbum de facto seorsim ab aliis duabus Personis assumpsit humanam naturam, ita potuisset Pater, potuisset Spiritus Sanctus, eandem assumere seorsim a Verbo.

II. Probatur II. pars. Si quæ esset repugnantia, vel esset ex parte divinarum Personarum, vel ex parte humanitatis, vel ex parte assumptionis; sed non est ex parte ullius ex his: ergo nulla est repugnantia. Probatur minor. Non ex parte divinarum Personarum; quia si ex his esset, ideo esset, quod tres divinæ Personæ sese invicem excludunt, & in illo casu non excluderent; sed hæc repugnantia nulla est: ergo non est ex parte divinarum Personarum. Non est repugnantia, immo sic est de facto, quod eadem natura divina sit in tribus Personis realiter distinctis, & tres illæ personæ terminent eandem divinam naturam: ergo repugnantia illa nulla est. Neque ex parte humanitatis; quia si per divinam potentiam humanitas fit capax personalitatis Verbi, quæ est infinita, etiam per eandem potentiam potest fieri capax personalitatis Patris, & Spiritus Sancti. Neque ex parte assumptionis; quia hæc considerata in ordine ad principium activum, a quo oritur, est communis jam tribus Trinitatis Personis.

Arguunt I. Ideo Verbum incarnatur, quia temporaliter mittitur; sed Pater non potest mitti: ergo Pater non potest incarnari. Probatur minor. Missio supponit processionem; sed Pater a nullo procedit: ergo &c. II. Quando Verbum incarnatur, etiam nascitur; sed Pater nasci non potest: ergo neque potest incarnari. Probatur minor. Propria Patris notio est innascibilitas: ergo Pater nasci non potest. III. Incarnatio includit filiationem; sed hæc nullo modo potest competere Patri, & Spiritui Sancto: ergo nullo modo potest iisdem competere Incarnatio. Probatur minor. Ille tribuit nobis filiationem adoptivam, qui in se habet filiationem naturalem; sed qui incarnatur debet habere filiationem naturalem, & debet tribuere adoptivam; & Pater, & Spiritus Sanctus non habent naturalem: ergo non possunt tribuere adoptivam. IV. Repugnat, quod natura terminata una subsistentia totaliter terminetur per aliam; sed natura humana est terminata totaliter per subsistentiam Verbi: ergo terminari non potest per subsistentias Patris, & Spiritus Sancti. V. Si tres Personæ simul possent terminare eandem humanitatem, idem effectus penderet a pluribus causis totalibus; quia idem terminus humanitatis esset a tribus Personis; sed hoc implicat: ergo &c. VI. Repugnat, quod divina Persona assumat naturam propria subsistentia terminatam: ergo pariter repugnat, quod assumat eam terminatam aliqua divina subsistentia. VII. Si esset vera nostra Conclusio, sequeretur, quod eadem humanitas posset dici simul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; quod unum, & idem esset genitum, & ingenitum; quod idem esset Pater, & Filius; quod idem esset spirans, & spiratum &c., hæc autem omnia sunt absurda: ergo &c. VIII. Admisso semel, quod creata natura possit simul terminari tribus subsistentiis divinis, eadem natura posset etiam terminari pluribus, & infinitis subsistentiis creatis; sed hoc dici non potest: ergo neque illud. Probatur sequela. Quia non esset dispar ratio; maxime quod unaquæque ex illis divinis esset infinita; omnes autem creatæ revera infinitæ non essent. IX. Supposita sententia nostra, posset etiam eadem natura terminari pluribus subsistentiis etiam propriis, aut una propria, & altera aliena; primum non admittitur, quia secundum Theologos cujuscumque creatæ naturæ una tantum possibilis est subsistentia propria; neque secundum, quia aliter humanitas, quam Verbum assumpsit, debuisset propriam subsistentiam retinere; & SS. Patres non inferrent bene, quod ideo careat propria subsistentia, quia subsistit subsistentia Verbi. X. Anselmus lib. 2. Cur

Digitized by Google

Deus Homo c. 9. docet: *Plures Personæ nequeunt unum, eundemque hominem assumere in unitate personæ; quare in una tantum persona hoc fieri necesse est.* Quod idem est ac dicere, si tres divinæ Personæ potuissent simul assumere humanitatem, eam terminando per proprias subsistentias, non fuisse necesarium in unica Persona Incarnationem fieri.

Respondemus ad I. Implicantia, quam opponunt in hoc primo argumento, sicut aliæ in sequentibus oppositæ, non solum locum habent in assumptione factibili a Patre, & Spiritu Sancto, seorsim a Verbo, sed etiam in illa, quam dicunt ab iisdem factibili simul cum Verbo. Cæterum in casu illo Pater non diceretur missus, quia non esset missus ab alio, sed a seipso veniret. Non est autem necesse, ut dicatur, vel sit missus, ad hoc ut sit, vel dicatur incarnatus. Quanvis Verbum, quod de facto venit, dicatur incarnatum, & missum; quia aliunde ei competit mitti, non quod necesario debuerit mitti, ut incarnaretur.

Ad II. Pater æternus est innascibilis ratione æternæ nascentiæ, & ad intra, quæ ipsi repugnat, non vero nascentiæ temporalis, & ad extra. Unde non daretur confusio in Patre, per hoc, quod diceretur innascibilis, & nascibilis; quia esset innascibilis ab æterno, & ad intra; nascibilis vero in tempore, & ad extra.

Ad III. Eadem est responsio; quia Patri pariter repugnat filiatio æterna, & ad intra; non vero filiatio temporalis, & ad extra. Cæterum posset etiam fieri Incarnatio sine nascentia, si Pater assumeret naturam angelicam, vel humanam immediate a Deo productam. Filiatio tandem adoptiva haberetur in hominibus a Patre; tanquam a principio naturalis filiationis, & a Spiritu Sancto, tanquam a nexu communi Patris, & Filii; ut docet Cacheranus.

Ad IV. dicunt aliqui, quod non est repugnantia, unam naturam terminatam totaliter intensive, at non extensive, terminari etiam totaliter intensive, & extensive. Alii vero respondent, quod quoad exigentiam naturalem, non potest una natura totaliter terminata terminari per aliam subsistentiam; potest tamen per obedientialem potentiam. Et in hoc nulla esset repugnantia; quia eadem natura esset, & non esset totaliter terminata, non respectu ejusdem, sed respectu diversorum; scilicet potentiæ naturalis, & potentiæ obedientialis. Hanc ultimam responsionem late prosequitur Cacheranus, & primæ responsioni præfert.

Ad V. Implicantia duarum causarum totalium respectu ejusdem effectus stat in hoc, quod una impediat, ne altera sit totalis, & ne totum effectum producat. Hoc autem non est in casu; quia per Patris subsistentiam humanitas ita subsisteret, ut ea sublata, subsisteret adhuc per aliam subsistentiam, Filii scilicet, & Spiritus Sancti. Cæterum, quod duæ causæ totales possint producere eandem numero effectum, possibile asserunt non exigui nominis Philosophi; ut ex Philosophicis supponimus.

Ad VI. negatur paritas; & disparitas est, quia natura habens propriam subsistentiam, subsistit per se; quæ vero habet alienam, subsistit per aliud. Quæ subsistit per se, non est capax alterius subsistentiæ; quia jam per propriam subsistentiam fit juris proprii, & sui; & proinde fieri non potest juris alieni; aliter esset simul juris proprii, & alieni; quod implicat. At quæ subsistit per aliud, non repugnat, ut sit duplici, vel triplici titulo juris alieni; ut post P. Magnanum docere videtur Jueninus.

Ad VII. Nullum est absurdum, si dicatur: hæc eadem humanitas est simul Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Esset autem absurdum, si diceretur: Pater est Filius &c. Ratio utriusque dicti est; quia in prima propositione subjectum est humanitas, quæ supponeret pro natura; prædicata autem sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, qui supponunt pro personis; unde hunc redderet sensum propositio illa: Eadem natura tribus subsistentiis subsistit. In secunda vero propositione subjectum est Pater, prædicatum est Filius; qui quidem pro personis supponunt; unde falsa est propositio; quum persona Patris a persona Flii realiter sit distincta; quod idem Jueninus docet post S. Thomam.

Ad VIII. Quidam assignant disparitatem; quam desumunt ex infinitate, etherogeneitate, & diversitate, subsistentiæ divinæ, & creatæ; quæ quidem ratio locum non habet in subsistentiis humanis v. g., quia non sunt infinitæ, sunt homogeneæ, & non sunt diversæ. Alii autem concedunt posse naturam creatam obedientialiter terminari pluribus subsistentiis creatis, immo infinitis; si ex altero capite non sit repugnantia.

Ad IX. pro eo, quod dicit argumentum de sub-

Digitized by Google

subsistentia propria, & aliena, in Conclusione sequenti dabimus responsionem; pro illo vero, quod asserit de pluribus subsistentiis propriis, dicimus, quod sicut in una natura divina sunt plures subsistentiæ, & omnes sunt propriæ, ita in humanitate illa plures essent subsistentiæ, & omnes etiam essent propriæ; quod asserit pariter Cacheranus.

Ad X. Anselmus loquitur de assumptione, quæ de facto peracta est in unitate personæ; unde ex illo eruitur, quod Incarnatio fieret in una tantum persona, non fuisse necesse simpliciter, sed ex suppositione, scilicet, quod esset facienda in unitate Personæ.

Pro ultima Dissertationis parte, non solum quæritur, an possit una Persona assumere plures naturas simul; sed etiam an possint singulæ Personæ divinæ eodem tempore terminare singulas naturas creatas, & una Persona unam, alia aliam naturam creatam simul assumere? Pro prima parte conveniunt Thomistæ, & Scotistæ cum reliquis Scholasticis apud P. Magnanum, Frassen, Henno, aliosque; pro secunda vero legimus apud Cacheranum sententiæ affirmativæ opponi, & Hæreticos illos, quos in Dissertationis exordio retulimus, qui universaliter putabant, nullam naturam creatam posse ab una sola Persona divina assumi; & Recentiores aliquot cum Sfortia Pallavicino, qui arbitrantur, esse contra perfectionem unius Christi, admittere consortium alterius Christi.

Dicimus IV. Personam unam posse assumere plures naturas simul; item & posse singulas Personas divinas eodem tempore terminare singulas naturas creatas, & unam Personam posse simul assumere unam naturam, aliam aliam.

I. Probatur I. Conclusionis pars. Non repugnat, unam Personam posse assumere plures naturas simul, neque ex parte Personæ assumentis, neque ex parte naturarum: ergo hypothesis negari non debet. Probatur antecedens. Non repugnat ex parte Personæ; quia, quum hæc infinitam habeat vim terminativam, non potest hæc exhauriri per sui unionem cum una creata natura. Neque ex parte naturarum; quia nulla est natura, quæ spoliari non possit propria sua subsistentia; & per consequens non possit a divina subsistentia terminari.

II. Probatur. Subsistere in pluribus naturis creatis non dicit implicantiam in divina Persona, nec quia illæ sunt plures, nec quia sunt creatæ: ergo possibilis est nostra hypothesis. Probatur antecedens. Non quia sunt plures; quia de facto Persona Verbi subsistit in pluribus naturis, divina scilicet, & humana. Non quia sunt creatæ; quia una natura creata non exhaurit totam vim terminativam, quam habet una Persona divina. Et ratio est, quia infinitum finito non exhauritur.

II. Probatur II. pars. Possunt singulæ Personæ divinæ terminare, & assumere singulas naturas creatas successive: ergo quoque possunt simul. Antecedens supponitur certum. Consequentia probatur. Quando una Persona assumit unam naturam, tempore hujusmodi assumptionis, nec in tota Trinitate minuitur vis effectiva, nec in aliis duabus Personis viæ terminativa unionis cum alia natura; similiter tres naturæ creatæ sunt assumptibiles ab una divina Persona: ego pariter sunt assumptibiles a tribus Personis, singulæ a singulis; ut discurrit Cacheranus.

Obstant I. In illa hypothesi multiplicaretur natura: ergo multiplicaretur denominatio: ergo Deus dici posset, quod esset plures homines; atqui hoc dici non potest: ergo &c. Probatur minor. Dicere, Deum esse plures homines est dicere pluralitatem & naturarum, & suppositorum; sed hoc dici non potest: ergo neque illud. II. Si una Persona divina posset uniri duabus, aut tribus naturis creatis, non esset cur non posset uniri pluribus, immo etiam infinitis; sed hoc admitti nequit: ergo &c. Probatur minor. Naturæ illæ vel essent distinctæ specie, vel numero; non primum, quia aliter Deus esset hircocervus; non numero, quia aliter daretur infinitum in actu. III. In hypothesi præmissa natura antecedenter assumpta assumeret naturam posterius advenientem; hoc autem absurdum omnino est. IV. Quanvis Pater in divinis habeat vim operandi infinitam, non nisi unum potest Filium generare: ergo quanvis persona divina habeat etiam vim terminandi infinitam, non per hoc posset plures creatas naturas terminare. V. Implicat eodem tempore esse duos, vel tres Christos; sed hoc eveniret, si duæ, vel tres Personæ divinæ duas, vel tres distinctas naturas, singulæ singulas, simul assumerent: ergo &c. Probatur major. Si essent duo, vel tres Christi, neuter ex illis esset perfectus, quia uni deficeret alterius per-

perfectio'. Minor autem primi argumenti probatur. Ideo admittitur assumptio possibilis duarum, aut trium naturarum ab una Persona, aut unius naturæ a tribus Personis, quia in his casibus essent simpliciter tres Christi; quod patet, quia, ut multiplicetur Christus debet multiplicari natura, & persona; quod in neutro ex illis duobus casibus evenit. VI. Aliæ etiam repugnantiæ opponuntur, si dicatur posse esse duos, vel tres Christos; & quia neuter Christus esset summe desiderabilis, quum non esset illius summa in nobis necessitas; & quia nullius Christi opera vim meritoriam infinitam haberent, quum essent opera meritoria alterius Christi.

Respondemus ad I. cum S. Thoma 3. p. q. 3. ar. 7. ad 2. hæc scribente: *Nusquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum*. Non sufficit ergo, ut multiplicetur natura, ad hoc ut multiplicari posset denominatio; sed requiritur ulterius, ut multiplicentur personæ. Unde si una Persona divina assumeret duas naturas humanas, diceretur unus homo, non duo homines.

Ad II. Dicimus posse uniri pluribus, immo etiam infinitis; sive specie, sive numero, distinctis; dummodo sint naturæ, quibus non repugnet aliunde uniri divinis Personis. Nec esset hircocervus, quia non esset identificatio, sed unio, naturarum; in infinitum autem in actu dari posse, per nos non repugnat. Hìc autem loquimur non de facto, sed de possibili; unde repugnantia infiniti non est ad rem; tanto magis quando Persona ipsa est essentialiter infinita.

Ad III. Falsum est, quod natura antecedenter assumpta dicatur assumere naturam assumptam posterius. Natura divina ideo censetur assumpsisse humanitatem, quam assumpsit Persona Verbi, quia Verbo identificatur. Attamen natura creata uniretur Personæ divinæ, non identificaretur; & ideo de illa dici non posset; quod assumeret naturam, quæ esset posterius assumpta.

Ad IV. Negatur paritas; & ratio disparitatis est, quia vis generandi in Patre æterno adæquate completur per unicum Filium, qui est infinitus essentialiter, uti est illa vis; at vis terminativa, quæ etiam est infinita, non adæquate completur per unicam naturam creatam; quæ est finita. Neque dicant, quod vis infinita terminandi completur adæquate in persona divina per terminationem divinam, quæ est infinita. Etenim si hoc esset, nec unam posset terminare naturam creatam Persona divina; attamen dicitur, quod completur adæquate ad intra propter infinitatem naturæ; non vero completur ad extra propter creatæ naturæ limitationem.

Ad V. Prædicta absurda ab Adversariis congesta quanvis dumtaxat suadeant majorem convenientiam unius Christi, tamen non probant repugnantiam plurium. Et primo non repugnat Christo carentia alicujus perfectionis; ratione enim creatæ naturæ non solum potest carere aliqua perfectione, sed aliquem quoque habere defectum physicum. Et de facto Christus non habuit omnem perfectionem possibilem Christo; ut enim ait Cacheranus, quoad gratiam essentialem est caput hominum dumtaxat, non Angelorum; dabilis tamen est Christus, qui sit caput hominum, & Angelorum. Igitur tres divinæ Personæ, quæ singulæ assumerent tres distinctas humanitates; & possent dici tres Christi; & nulla repugnantia esset contra nostrum assertum; & possent dici unus Christus propter unitatem divinæ naturæ; a qua, tanquam a potiori, desumi deberet denominatio.

Ad VI. Non esset unus Christus desiderabilior altero, sed omnes essent summe desiderabiles absolutè, non comparativè; quia quilibet haberet perfectiones omnes, quæ convenientes sunt Christo. Nec posset quis contemnere unum Christum; quia injuria omnibus fieret. Nec repugnantia est, ut unum infinitum sit majus alio, ut ex Philosophicis supponimus; nec ut unum infinitum ab altero adæquetur. Cæterum plures illi Christi propter unitatem divinæ naturæ, & propter subjectionem creatarum naturarum, seu humanitatem, voluntati Dei, non essent inter se discordes, sed unanimes omnino, atque concordes.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CLXVIII.

De Natura assumpta a Verbo. Quænam fuerit de facto assumpta? Et quænam fuisset assumptibilis? An natura assumpta habeat propriam subsistentiam? An habeat propriam existentiam? Hæreses referuntur, & refutantur; Probabiliores in Scholastica opiniones amplectuntur, ac propugnantur.

POST Dissertationem de Persona assumente, subdimus alteram de Natura assumpta. Eam fuisse humanam, de fide est; & non solum Theologi omnes, verum quoque Catholici universi in hoc asserendo conveniunt. Hæreticos nihilominus invenimus quosdam, qui contrarium sentientes, orthodoxæ veritati opponuntur. Hos omnes in hoc Dissertationis exordio enumeramus.

Primo Saturninus dixit, Salvatorem fuisse ignotum, incorporalem, sine figura, in phantasmate, seu putative, & in umbra visum hominem; nec suscepisse carnem hominis veram, nec animam. Testantur Irenæus, Epiphanius, Philastrius, & Theodoretus de Saturnino.

Secundo Valentinus voluit, Christum detulisse de cœlo carnem, nec quicquam de Maria accepisse, sed per eam transvisse, sicut a qua per rivulum illabitur, aut per canalem. Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus, & Theodoretus, de Valentino asserunt.

Tertio Marcion, & Cerdon, asseruerunt, Christum in hominis forma sine carne, putative, & in umbra, tantum, natum, & passum esse; & hoc ex eo, quod natura Virginem parere non sineret. Irenæus, Tertullianus, Philastrius, Augustinus, & Nicetas, de Hæreticis, retulerunt.

Quarto Apelles commentus est, ipso suo descensu Christum aeream sibi carnem contexuisse, eamque deinde in ascensu suo singulis elementis restituisse. Tertullianus, Epiphanius, & Augustinus, de illius hæresi, narrant.

Quinto Manichæi somniarunt, Filium esse partem unius substantiæ Patris, adeoque ex Dei substantiæ parte aliqua deductum apparuisse in carne, quum nihil haberet humani; crucem insuper, passionem, & mortem, visione tantum fuisse. Testes sunt Hilarius lib. 6. de Trinit., Hieronymus ad cap. 14. Matth., Ruffinus in Symb. Apost., Leo de festo Epiphaniæ, Suidas in voce Manes, Epiphanius, Theodoretus, & Damascenus de Manichæis.

Sexto Apollinaris dixit, Christum suscepisse carnem sine anima, adeoque non vere humanitatem. Augustinus hæres. 55., Ruffinus lib. 2. c. 20. Socrates lib. 2. c. 56., Vincentius Lyrinensis cont. hæres.

Septimo Fortunatus, Felix, Faustus, Secundinus, negaverunt, Christum esse natum, aut in Evangelio dixisse unquam, se ex hominibus fuisse natum. Augustinus lib. 2. c. 2. contra illos, testatur.

Octavo Priscillianistæ non crediderunt, Christum Dominum in vera hominis natura natum esse, sed per quandam illusionem ostentata voluerunt, quæ vera non fuerunt. Adeoque Christi natalem vere non honorabant, quanvis honorare se simularent; jejunantes propterea in die natalis Christi, sicut & die Dominicò. Leo magnus ep. 93. c. 4.

Nono Bogomili insanierunt dicentes, Christum descendisse de cœlis, & per aurem Virginis dexteram influxisse, carnem induisse, quæ quidem aspectu visa est ex materia constare, & humano corpori esse similem, quum tamen revera fuisset materiæ expers, ac tota divina. Refert Euthymius Panopliæ par. 2. tit. 23. c. 7.

Decimo Origenes dixit, Verbum naturam ange-

angelicam assumpsisse. Ipsemet Com. in Joann. scribit: *Factus est omnibus omnia, ut omnes lucrifaceret, vel perficeret: & manifeste homo hominibus, Angelus Angelis, factus est.* Insuper voluit, Christum fuisse passum pro Angelis, non solum bonis, sed & malis, ac aliquando passurum. Testatur Hieronymus in epist. ad Avitum, in qua errores enumerat, qui in libro Origenis, Periarchon dicto, comprehenduntur. *Ad extremum intulit, quod excogitasse sacrilegium est, pro salute Dæmonum Christum etiam in aere, & in supernis locis esse passurum.* Si igitur Christus per ipsum pro Angelis passus est, angelicam naturam assumpsit. Hanc autem hæresim Tertulliani ævo quidam quoque præfigurarunt; quos idem Tertullianus confutat lib. de carne Christi: *Angelum, ajunt, gestavit Christus. Qua ratione? Qua & hominem.*

Dicimus I. Verbum humanam naturam tantum assumpsisse.

I. Probatur ex Scripturis. Isai. 7. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Joann. 1. 14. *Verbum caro factum est.* II. Joann. 7. *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carne.* Lucæ 2.6. *Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret; & peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio.* Ad Rom. 1. 3. *Qui factus est ex semine David secundum carnem.* Ad Galat. 4.4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* I. ad Timoth. 2.5. *Unus mediator Dei, & hominum, homo Jesus Christus.* Ad Hebræos 2. 16. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. in Symbolo: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine; & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est.* Concilium Constantinopolitanum I. in eodem Symbolo. V. Synodus Constantinopolitana act. 4. *Si quis non confitetur, eum, qui est ante sæcula, & sine tempore, ex Patre natus, esse Deum Verbum, in ultimis diebus descendisse de cœlis, & incarnatum esse de sancta, & gloriosa Dei Genitrice, & semper Virgine Maria, & hominem factum, natum ex ipsa; talis anathema sit.* Concilium Bracarense c. 2. *Si quis Christum in vera hominis natura esse non credat, sicut Cerdon, Marcion, Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Synodus Lateranensis sub Martino Papa ann. 650. consult. 5. c. 2. *Si quis secundum Patres sanctos non confitetur proprie, & vere ipsum unum sanctæ, & consubstantialis, & venerandæ Trinitatis Deum Verbum e cælo descendisse, & incarnatum ex Spiritu Sancto, & Maria semper Virgine, & hominem factum, crucifixum carne, propter nos sponte passum, sepultumque, & resurrexisse tertia die, & ascendisse in cœlos, atque sedentem in dextera Patris, & venturum iterum cum paterna gloria, cum assumpta ab eo intellectualiter animata carne, judicare vivos, & mortuos, sit condemnatus.* Concilium Lateranense generale IV. de sum. Trin. & fid. cath. c. 1. *Christus est etiam verus homo, sicut verus Deus.* Concilium Ephesinum in anathematismo 11. Cyrilli: *Christi caro est ejus propria.* Et in epist. Cyrilli ad Nestorium: *Christus habet veram carnem.* Et in eadem epistola: *Christus habet veram animam, & falsum est, quod Verbum stet loco animæ.* Concilium Vvormatiense ann. 860. in Confessione fidei: *De his tribus Personis sola Filii Persona hominem verum sine peccato, pro liberatione humani generis, ex Maria Virgine, novo ordine, novaque nativitate, assumpsit.*

III. Probatur ex Patribus Græcis. Ignatius martir ep. ad Trallianos: *Obturate aures vestras, cum vobis quispiam loquitur, excludens Jesum Christum Filium Dei, qui natus est ex David, qui ex Maria, qui vere genitus est ex Deo, & ex Virgine; verum non simili modo. Nec enim idem est Deus, & homo. Vere assumpsit corpus: Verbum enim caro factum est; & vixit inter homines sine peccato. . . . Quidam Atbei & increduli ajunt, ipsum sola opinione hominum natum esse, non autem revera corpus assumpsisse, & opinione mortuum, non autem vere passum &c. Vere genuit Maria corpus, habens in se Deum habitantem: re vera natus est Deus Verbum ex Virgine . . . . Vere natus est, sicut & nos.* Justinus martir, Dialogo cum Tryphone: *Christus in lucem editus, virtutem suam obtinuit, & incrementum capiens, juxta communem mortalium omnium morem rebus congruentibus usurpandis, suum cuique ætati tribuit, alimentis omnibus utens.* Irenæus lib. 3. c. 32. *Si non accepit ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis: & si hoc non factus est, quod nos eramus, non magnum faciebat, quod passus est,*

Digitized by Google

est, & sustinuit &c. Athanasius or.4.cont. Arianos: *Scriptum est, Verbum assumpta carne hominem factum esse, & in ea carne passum esse pro nobis, ut Petrus testatur: Christo enim, inquit, passo in carne pro nobis: ut palam fieret, omnesque crederemus, eum, cum semper Deus esset, postmodum in nostri gratiam hominem esse factum, & corporaliter, ut inquit Apostolus, habitavit Divinitas in carne.* Cyrillus Hierosolymitanus Cateches.4. *Non opinione, non phantasia humanitatem assumpsit, sed in veritate; non tanquam per canalem transiens per Virginem, sed vere incarnatus ex ipsa, lacte nutritus vere, vereque comedens, sicut & nos.* Epiphanius hæres.20. *Descendit de cœlo, & conceptus est, non a semine viri, sed per Spiritum Sanctum, & vere corpus de Maria habuit, sibi ipsique carnem de sancta Matre efformavit, & animam ac mentem humanam accepit, & totum id, quod est homo, excepto peccato, in seipso per suam deitatem counivit, natusque est in Bethelehem.*

IV. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus lib. de carne Christi: *Homo perierat, hominem restitui oportebat. Ut Angelum gestaret Christus, nihil tale de causa est. Nam etsi Angelis perditio reputatur, in ignem præparatum Diabolo, & Angelis ejus, nunquam tamen illis restitutio promissa est. Nullum mandatum suscepit Christus a Patre de salute Angelorum.* Cyprianus de Bono Patientiæ: *Dei Filius de illa sublimitate cœlesti ad terrena descendens, non aspernatur carnem hominis induere, & cum peccator ipse non esset, aliena peccata portare.* Lactantius de vera sapientia & religione lib.4. c.13. *Hominem fuisse Christum Jeremias docet, dicens: Et homo est, & quis cognovit eum? Item Isaias: Et mittet eis Deus hominem, & salvabit eos, judicans sanabit eos. Sed & Moyses in Numeris ita loquitur: Orietur stella ex Jacob, & exurget homo ex Israel.* Hilarius lib.10.de Trinitate: *Si igitur homo Jesus Christus per initia corporis atque animæ nostræ vixit in corpore, & non itaut corporis sui; sic & animæ suæ princeps Deus in similitudine hominis constitutus, & habitu repertus ut homo, natus est: parem dolorem senserit corporis nostri, animæ nostræ, & corporis, ut conceptu, ita & initio animatus in corpore.* Ambrosius lib. 1. de Sacramen. c. 5. *Memento quod dixerim, Christus carnem suscepit, non sicut carnem, sed carnis istius veritatem; vere carnem Christus suscepit.* Hieronymus ad c.4. epist. ad Galat. *Diligenter attendite, quod non dixerit factum per mulierem, quod Marcion, & cæteræ hæreses volunt, quæ putativam Christi carnem simulant; sed ex muliere; ut non per illam, sed ex illa natus esse credatur.* Augustinus hæres. 21. *Cerdoniani ajunt, Christum ipsum natum ex fœmina, neque habuisse carnem, nec vere mortuum, vel quicquam passum, sed simulasse passionem.* Aliud Augustini testimonium proferunt ex lib. de fide contra Manichæos c.26. Sed hunc librum non esse legitimum Augustini fœtum Eruditi omnes norunt.

V. Probatur Rationibus. I. Unio Verbi cum aliqua creata natura, quum sit opus ad extra, est opus liberum Dei: ergo non potest nobis innotescere, quam ex ipsius revelatione; sed ex Dei revelatione habemus non esse factam cum alia natura, quam cum humana: ergo cum humana natura, & non cum alia, de facto peracta est. Antecedens est certum; consequentia sequitur; minor subsumpta probatur ex adductis Scripturarum, Conciliorum, & Patrum, testimoniis, & oraculis; altera consequentia bene infertur. II. Conveniens fuit, ut Verbum non aliam naturam sibi hypostatice uniret, quam humanam: ergo de facto hanc eam sibi univit. Probatur antecedens. Conveniens fuit, ut Diabolus vinceretur in ea natura, quam vicit; ut docet Augustinus lib.13. de Trinit. c.18., sed Diabolus vicit naturam humanam: ergo in ea debebat vinci. III. Natura, quæ peccavit, fuit humana: ergo natura, quæ reparari debebat, erat humana; sed Verbum venit de facto ad reparationem naturæ, quæ reparatione indigebat: ergo conveniens erat, ut humanam naturam sibi uniret. IV. Fuit vera salus, quam Verbum in sua Incarnatione attulit humanæ naturæ; sed non poterat esse vera salus, si veram humanitatem non assumpsisset: ergo veram humanitatem assumpsit. Prosequitur hoc argumentum S. Thomas 3.p.q.5. ar. 1.

Objiciunt I. Christus mortuus est pro Angelis: ergo angelicam naturam assumpsit. Sequitur consequentia; quia Verbum naturam illam assumpsit, pro qua mortuus est. Antecedens probatur testimonio Oecumenii post Theodoretum, explicantis verba illa Apostoli: *Ut sine Deo pro omnibus gustaret mortem*; verbis hisce: *Ita hoc accipiendum est, quod sine Deo, seu excepto Deo, pro omnibus aliis mortuus sit Christus.* II. Si Verbum debuit assumere naturam,

Digitized by Google

quæ peccaverat, natura, quam assumpsit fuit etiam peccatrix: ergo Verbum assumendo naturam humanam peccatricem, assumpsit naturam cum peccato; sed hoc dici non potest: ergo Verbum humanam naturam non assumpsit. III. Si Verbum debuit asumere naturam, quæ peccavit; quum natura Angelica etiam peccaverit, sequitur, quod illam etiam asumpsit; ac proinde sicut homines liberavit, ita & Angelos aliquando liberabit. IV. Hilarius in Psal. 68. voluit, humanitatem Christi ex sua natura fuisse expertem doloris, & miseriæ; unde fames, sitis, mæror, timor, aliæque animi, & corporis infirmitates, non fuerunt illi naturales; sed eas ultro asumpsit nostri gratia: ergo non veram humanitatem asumpsit.

Respondemus ad I. Posse dici sine errore, Christum mortuum esse pro Angelis in hoc sensu; scilicet non quantum aut ad gratiam, quam receperunt in via, aut ad gloriam essentialem, qua in cœlis fruuntur; sed quantum ad gloriam accidentalem, nimirum ad gaudium, quod perceperunt ex hominum redemptione per mortem Christi. Ad cujus confirmationem responsi Theodoreti verba recitamus: *Hoc etiam dicit in epistola ad Hebræos: Ut sine Deo pro omnibus gustaret mortem. Sola autem divina natura ab egestate aliena est; omnis vero creatura opus habebat Incarnationis medicamento. Elementa enim, quæ propter usum hominum facta sunt, corruptioni obnoxia fecit, quandoquidem hunc etiam mortalem factura erat transgressio. Invisibiles autem potestates ægre ferebant, ut est verisimile, dum improbitatem viderent grassantem inter homines. Si enim lætantur propter unum peccatorem pœnitentiam agentem, sicut dicit Dominus, clarum est, eas ægre ferre, dum vident contraria.*

Ad II. Non assumpsit naturam in statu peccati, sed in statu innocentiæ, uti fuit in Adamo, antequam peccaret. Unde non factus est homo per seminis propagationem, quia sic ex vitiata radice natus esset. Oportebat tamen illum, qui venturus erat ad peccatum tollendum, immunem esse a peccato; quis enim non cognoscit inconvenientiam, quæ fuisset, si liberaturus liberatione indigeret?

Ad III. dicunt quidam, quod Verbum non potuit sibi naturam angelicam unire, ut malos Angelos liberaret, quia isti incapaces sunt pœnitentiæ, propter eorum immobilem adhæsionem objecto illi, quod semel eligunt. Alii dicunt, quod potuisset quidem Verbum; at non fecit, quia Pater eos noluit liberari. Quare Pater non voluerit? Multæ adducuntur congruentiæ; vel quia Angelorum culpa gravior fuit, quam hominum; vel quia non fuit ex fragilitate naturæ, ut fuit illa hominum; vel quia hominibus fuisset ad exemplum. Certe Deus hanc suam nobis voluntatem non revelavit; & nos quicquid dicimus, divinando dicimus.

Ad IV. Hilarius loquitur de Humanitate Christi, quatenus est sine originalis culpæ reatu. Has enim miserias, quas nos patimur, in peccati originalis pœnam patimur. Quum ergo in Christo non fuerit humana caro originalis culpæ labe fædata, certe per naturam non debebat pœnas illas subire. Cæterum catholicus sensus in hoc, de quo loquimur, Hilarii, in probationibus a nobis adductis visus est; ubi Hilarii etiam testimonium in catholici dogmatis probationem attulimus.

Pro altera Dissertationis parte, quæ Scholasticam respicit, communior Theologorum sententia est, potuisse a Verbo assumi aliam naturam præter humanam de facto assumptam, non solum aliam numero, verum etiam specie; unde potuit assumi natura angelica. Quod potuerit assumere aliam numero, est contra Vvicleſum, qui somniavit, Verbum assumere non potuisse aliam humanitatem, præter eam singularem, & individuam, quam assumpsit de facto. Quod potuerit assumere angelicam, est contra Albertum, alioſque paucos, qui in Angelis non distinguunt naturam a suppoſito. Communis etiam est sententia, quod præter naturam humanam fuerit assumptibilis a Verbo, secundum puram potentiam obedientialem, quælibet natura substantialis, & completa, quanvis humana inferior, & irrationalis. Conveniunt S. Thomas, & Scotus; illiſque adhærent Major, Ochamus, Marsilius, Aureolus, Durandus, Suarez, Vasquez, Valentia, Madernus. At disconveniunt S. Bonaventura, Alensis, Henricus, Mirandulanus, aliique pauci. Richardus, & Gabriel, problematice procedunt.

Dicimus II. Fuisse assumptibilem a Verbo naturam humanam numero diversam ab assumpta; aliam naturam specie quoque diversam ab humana: scilicet angelicam, & quamlibet aliam substantialem completam, etsi humanam inferiorem, & irrationalem.

I. Pro-

Digitized by Google

I. Probatur I. pars. Ex Augustino lib. 13. de Trinit. c. 18. potuit Christus humanitatem assumere aliunde, quam ex stirpe Adæ: Ex eodem lib. de prædestinat. Sanctor. ex gratuita Dei electione factum est, ut hæc potius humanitas eligeretur, quam illa: ergo fuit assumptibilis a Verbo natura humana numero diversa ab assumpta. Quod patet etiam ratione; nam si una potuit, & de facto assumpta est, poterat etiam alia assumi; nam eadem capacitas erat in utraque, eadem potentia in Deo assumente, eadem terminandi vis infinita in Verbo, quod eam terminare debuerat; ergo quum non fuerit divina virtus alligata potius uni, quam alteri, sicut Deus hanc modo libere elegit, ita & potuisset aliam pro libito eligere, & assumere.

II. Probatur pro natura angelica. Apostolus supponit, potuisse Verbum assumere naturam angelicam: ergo vere potuit. Probatur antecedens. Apostolus tribuit Dei misericordiæ erga homines, quod Deus non apprehenderit Angelos, sed semen Abrahæ: ergo Apostolus supponit, potuisse Verbum assumere naturam angelicam; aliter nulla fuisset misericordia, si Angelos assumere non potuisset, quia fuisset necessitas, ut humanam tantum naturam assumeret.

III. Probatur pro natura irrationali, Verbum, quando anima Christi descendit ad inferos, fuit unitum animæ ad inferos descendenti, & corpori, quod in sepulcro remanserat; sed corpus sine anima irrationale erat: ergo si pro aliquo temporis intervallo, Verbum fuit hypostatice unitum corpori, quod sine anima erat irrationale, potuisset etiam de possibili uniri naturæ omnino irrationali.

IV. Probatur. Quælibet substantialis natura potest propria subsistentia spoliari, & terminari divina: ergo, potest a divino Verbo assumi. Sequitur consequentia; non enim aliud requiritur ad hoc ut possit natura assumi a Verbo, quam ut possit propria subsistentia spoliari, & terminari divina. Antecedens probatur. Ita subsistentia est essentialis cuilibet naturæ, ut est essentialis naturæ humanæ; sed humana potuit propria subsistentia spoliari, & divina terminari; ut fides docet: ergo potuit etiam quælibet alia substantialis natura.

V. Ariani asserebant, & contendebant, Verbum assumpsisse corpus sine anima; sed Patres, ut illos confutarent, nunquam dixerunt, Verbum non potuisse uniri creaturæ irrationali; quod facile dixissent, si verum putassent; & aliis mediis usi sunt ad illorum errorem profligandum: ergo vere Patres non agnoverunt inconveniens in eo, quod dicatur, potuisse Verbum irrationalem naturam assumere, & eam sibi hypostatice unire.

VI. Verbum eandem habet virtutem infinitam terminandi naturam humanam, ac aliam quamcunque creatam naturam, humana inferiorem, etiam irrationalem: ergo si humanam de facto assumpsit, potuit quoque quamcunque aliam assumere, & terminare. Antecedens est certum; quia eandem subjectionem habent sibi cæteræ naturæ, ac humana; & eandem superioritatem habet ipsum supra quamcumque. Consequentia bene infertur; quia per virtutem suam infinitam, & per suam superioritatem supra naturas quasque, & per subjectionem cujuslibet naturæ ad ipsum, non minus potest supplere subsistentias aliarum naturarum, quam humanæ naturæ.

Obstant I. Natura assumptibilis a Verbo debet esse sancta; sed naturæ irrationali, etiam per potentiam absolutam, repugnat sanctitas: ergo non est assumptibilis a Verbo. II. Non potest natura irrationalis elevari ad supernaturaliter operandum: ergo neque potest elevari ad supernaturaliter existendum. Sequitur consequentia, quia supernaturaliter subsistere est supernaturaliter esse; ad esse sequitur operari: ergo si natura irrationalis non potest supernaturaliter operari, neque potest supernaturaliter esse, vel subsistere. III. Natura irrationalis non potest uniri Deo per unionem intentionalem: ergo neque potest per unionem hypostaticam. Antecedens est certum; quia natura irrationalis non potest elevari ad videndum Deum; consequentia bene infertur; quia unio hypostatica est substantialis, ac proinde major unione intentionali, quæ est accidentalis. IV. Natura irrationalis non est capax personalitatis; ergo non potest elevari ad unionem personalem cum Verbo. Probatur antecedens. Persona est rationalis naturæ individua substantia: ergo natura irrationalis non est capax personalitatis. V. Naturæ divinæ repugnat communicatio idiomatum cum natura irrationali; sed assumptio importat communicationem idiomatum: ergo non potest natura divina naturam irrationalem assumere. Proba-

Digitized by Google

tur major. Non enim dici potest, quod Deus sit hinnitivus, latrativus, mugitivus &c. Deus est lignum, Deus est saxum, Deus est formica &c. VI. Indecentia summa esset, si Deus naturam irrationalem assumpsisset; ergo eam non potuisset assumere. Probatur antecedens. Assumptio illa nullum habuisset finem honestum, nullam Deo assumenti gloriam importasset, ut patet: ergo non fuisset nec decentia, nec convenientia; sed quod Deo non convenit, & Deum non decet, dedecet illum: ergo indecentia summa fuisset, si Deus naturam irrationalem assumpsisset.

Respondemus ad I. quod unio hypostatica habet pro effectu primario terminationem, pro secundario sanctificationem; dummodo effectus primarius habeatur, non repugnat secundarium impediri. Ulterius, duplex dicitur sanctitas, moralis scilicet, & physica; illa consistit in actibus meritoriis; hæc vero in præcisa unione ad aliquod sanctum, ratione cujus dicitur dignitatis, honoris, & cultus capax. Natura irrationalis quanvis sit incapax prioris sanctitatis, capax nihilominus est posterioris.

Ad II. dicitur cum Cacherano, quod de lege ordinaria esse datur ad operari; de lege tamen absoluta dari potest esse naturale absque ordine ad naturalem, & esse supernaturale absque ordine ad supernaturalem operationem. Addit etiam, quod esse essentiæ, non esse subsistentiæ, datur ad operari; natura rationalis in hypothesi haberet esse supernaturale subsistentiæ quidem, non autem esse supernaturale essentiæ; unde non mirum, si non haberet supernaturaliter operari.

Ad III. Idem Cacheranus dicit, valere illationem negativam a minori ad majus, quando utraque est ejusdem rationis, & in eadem linea. At illæ duæ uniones, hypostatica nimirum, & intentionis, sunt diversæ rationis, & in diversa linea. Cæterum ideo naturæ irrationali repugnat unio intentionalis, quia hæc dicit causalitatem vitalem, & principalem; quam non dicit unio hypostatica, in ordine ad quam natura passive se habet.

Ad IV. Unio hypostatica, de qua loquimur, dicit subsistentiam, & abstrahit an sit in persona, an in supposito. Unde subsistentia divina si terminet naturam rationalem constituit personam; si vero terminet naturam irrationalem, constituit suppositum. Verum est ergo, quod natura irrationalis non est capax divinæ personalitatis reduplicative, est tamen capax ipsius specificative; hoc est est capax subsistentiæ divinæ, quæ respectu sui est suppositum, respectu vero naturæ rationalis est persona, vel personalitas.

Ad V Tertullianus lib. de carne Christi c. 4. Marcioni objicienti, indignum esse Deo, quod Verbum assumserit corpus terrestre, hæc respondet: *Sit plane stultum, si de nostro sensu judicemus Deum; sed circumspice Marcion (si tamen non debes stultos mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.* Cæterum quum de facto dicamus; Deus est crucifixus, Deus est mortuus; non est cur de possibili alia dicere non possimus, quæ nobis turpia, & absurda apparent, Deo autem non sic. Ab illis nihilominus propositionibus consultum est abstinere, ne pusillis scandalum faciamus.

Ad VI. Finis honestus in illa possibili assumptione esse posset offensio divinæ potentiæ, confusio humanæ superbiæ, vel quis alius; ut ait Cacheranus, eo dignior, atque sublimior, quo nobis occultior, & a nostra cognitione remotior. Si non est positiva convenientia & decentia, est saltem negativa; quia non est inconvenientia, nec indecentia.

Pro tertia Dissertationis parte, in qua quæritur: An natura assumpta propriam habeat subsistentiam. Sub aliis terminis ab aliis proponitur quæstio, nimirum: an Verbum personam humanam assumserit? In qua hos Hæreticos, & hæreses, enumeramus,

Primo Nestorius commentus est, Verbum non tantum humanam naturam, sed etiam personam assumpsisse; unde in Verbo incarnato, seu in Christo, duas admisit naturas, & duas quoque personas, divinam scilicet, & humanam; ac propterea duos esse Filios, Filium Dei, & Filium Mariæ. Quæ deinde de unione deliranda asseruit, suo loco adducemus, ac impugnabimus.

Secundo Eutyches voluit etiam, Verbum personam humanam assumpsisse. Tam Nestorius, quam Eutyches, huic eidem principio adhærentes; quod scilicet natura, & persona essent unum, & idem, ac proinde ab invicem separari non possent; sua portenta ex cogitarunt. Differebant nihilominus inter se; quia Nestorius volebat, post unionem remansisse in Christo duas naturas, & remansisse quoque duas personas. Eutyches vero asserebat,

Digitized by Google

bat, post unionem remansisse in Christo unam personam, & unam naturam. Fusius suo loco de hoc etiam tractabitur.

Tertio Calvinus lib. 2. Instit. c. 13. §. 9. 23. & 24. in Christo duas personas confingit, unam Dei, alteram hominis, & Mediatoris. Refert Coccius lib. 2. ar. 2., qui & hæc alia Calvini mendacia narrat: *Se velle de Christo differere, quatenus est persona divina, ne adhuc Mediatoris attingere personam.* Insuper: *Respondeo, Christum esse Dei filium, sermo est, a Patre ante secula genitus; nondum enim de Mediatoris persona nobis sermo est.*

Quarto Theodorus Beza opuscula, quo respondit ad Brentii argumenta, & quod prodiit Genevæ 1570. fol. 513. 638. & 639. apud præfatum Coccium, hæc ait: *In Christo duæ sunt uniones hypostaticæ, una inter corpus, & animam, dum sibi personaliter junguntur; altera inter Verbum, & hominem, ut simul conveniunt ad unum constituendum Christum.* Et quum fuisset a Jacobo Andrea de hoc errore reprehensus, eundem confirmavit, dicens: *Vere corpus, & animam personaliter conjungi, & personam constituere humanam.*

Quinto Paulus Samosatenus asserens, Christum nudum fuisse hominem, & in eo Dei Verbum ita habitasse, ut in quovis alio Propheta; apertè convincitur admisisse pariter in Christo duas personas, illam scilicet Verbi, & illam Christi. Unde postmodum docuit, alium fuisse Christum, aliud Verbum in Christo inhabitans. Refert Georgius Cedrenus in compendio historiarum; & confirmat Alphonsus a Castro.

Sexto Hæreticus quidam fuit innominatus, cujus meminit S. Ambrosius lib. de incarnationis dominicæ sacramento c. 6., ubi narrat errorem de duabus Personis in Christo, & illius auctorem non nominat. Putant plerique, Ambrosium de Nestorio fuisse loquutum; sed falluntur, quia Ambrosius tempore Theodosii majoris Mediolanensem Ecclesiam regebat; Theodosius major fuit Pater Arcadii; Arcadius fuit Pater Theodosii minoris, seu junioris, sub quo fuit Nestorius: igitur non poterat Ambrosius loqui de Nestorio; quum, ut ait Alphonsus a Castro, non parvo tempore Ambrosius Nestorium præcesserit.

Septimo Petrus Gnapheus, Episcopus Antiochenus, duas ponens in Christo personas, in angelico hymno, qui dicitur a Græcis trisagion, quarum superaddidit vocem, dicens: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, Sanctus, qui crucifixus est. Quinta Synodus Constantinopolitana Gnapheum condemnavit. His narratis.

Dicimus III. Naturam a Verbo assumptam propriam non habuisse subsistentiam; ac proinde Verbum non assumpsisse personam humanam.

I. Probatur ex Scripturis. Ad Ephes. 4. *Qui descendit ipse est, & qui ascendit.* Verbis hisce non duplex, sed una persona innuitur; sed verbis hisce Apostolus loquitur de Christo: ergo in Christo non duplex persona habetur. Joann. 8. *Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Hic denotatur una persona; dicitur enim: *Ego*; sed hæc non est humana; quia hæc non fuisset ante Abraham: ergo fuit divina: ergo in Christo una persona fuit, & hæc divina. Joann. 6. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*; una pariter est persona, significata per *ego*; sed non est humana; quia hæc non descendit de cœlo: ergo divina: ergo in Christo una est persona, & hæc divina.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Ephesinum in ep. Cyrilli ad Nestorium, & in anathematismo 3. Cyrilli, definit, Christum non includere duas personas, sed unam. Concilium Chalcedonense in definitione eadem habet. Concilium V. Constantinopolitanum c. 3. *Si quis dicit, alium esse Dei Verbum, qui miracula fecit, & alium Christum, qui passus est: vel Deum Verbum cum Christo esse nascente de muliere, vel in ipso esse, ut alterum in altero, & non unum eundemque Dominum nostrum Jesum Christum, Dei Verbum, incarnatum, & hominem factum, & ejusdem ipsius miracula, & passiones, quas voluntarie carne sustinuit, talis anathema sit.* Concilium VI. Constantinopolitanum act. 17. *In duabus naturis inconfuse, inconvertibiliter, inseparabiliter, indivise cognoscendum, nunquam extincta harum naturarum differentia propter unitionem; salvaque magis proprietate utriusque naturæ, & in unam personam, & in unam subsistentiam concurrentem, non in duas personas partitum, vel divisum, sed unum eundemque unigenitum filium Deum Verbum Dominum Jesum Christum, &c.* Concilium Toletanum I. ann. 400. in assertione fidei: *Duabus dumtaxat naturis, ideſt deitatis, & carnis, in unam convenientibus omnino personam, ideſt Dominum nostrum Jesum Christum credimus.* Concilium Hispalense II. ann. 619. cap. 13. *Unus est*

enim

enim Christus, Deus, & homo, caro, & Verbum. Concilium Toletanum IV. ann. 643. c. 1. *Habens in una persona duarum naturarum proprietatem.* Concilium Toletanum VI. ann. 648. *Ut Deus perfectus, & homo esset unus Christus, naturis in duabus, una persona, ne quaternitas Trinitati accederet, si in Christo geminata persona esset.* Concilium Arelatense IV. ann. 813. in confessione fidei: *Habens in una persona duarum naturarum proprietatem. Naturæ enim in illa duæ, Deus, & homo. Non enim duo filii, & Dii duo; sed idem una persona in utraque natura.* Concilium Vormatiense ann. 868. in confessione fidei: *Dei enim Filius non personam hominis accepit, sed naturam. Naturam quippe nostram in unitatem suæ personæ assumpsit; & idcirco Filius Dei, & Filius hominis, unus est.* His adjunguntur apud Cardinalem de Lauræa in Epitome Canonum: Concilium Lateranense IV. de summ. Trinit., & fid. cath., Concilium Lateranense sub Martino I. consulc. 5. c. 7. Concilium Florentinum in decreto unionis Armenorum &c.

III. Probatur ex Patribus. Clemens Alexandrinus orat. exhortat. ad Gentes: *Hic Verbum Christus, & ut nos olim essemus (erat enim in Deo), & ut bene essemus consulit. Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, quia solus est ambo, Deus & homo.* Gregorius Neocæsariensis apud Euthymium in panoplia par. 2. tit. 15. orat. de singulari fide: *Est Deus verus, qui cum esset carnis expers, in carne apparuit; non tamen duas habet personas, sed duas naturas.* Gregorius Nazianzenus orat. 32. *Non duplex factus, sed unum ex duplici natura fieri sustinens. Ambo enim Deus, nimirum quod assumpsit, & quod assumptum est: duæ naturæ in unum concurrentes, non duo Filii.* Chrysostomus homil. 11. in Marcum: *Nemo nos putet dividere Christum. Hoc enim solent æstimare calumniatores, quod nos in Christo duas personas faciamus, alium hominem, & alium Deum. Nos in Trinitate credimus, non credimus in quaternitate, duas in Christo esse personas.* Ambrosius lib. 1. de incarnat. dominic. sacramento c. 7. *Non enim quod ejusdem substantiæ est, unus, sed unum est. Nam utique Filium ejusdem cum Patre substantia confitentes, in tractatu Concilii Nicæni, non unam personam, sed unam divinitatem in Patre & Filio crediderunt.* Hieronymus epist. 150. ad Hedibiam q. 9. *Hæc dicimus, non quod alium Deum, alium hominem, esse credamus, & duas personas faciamus in uno Filio Dei, sicut nova hæresis calumniatur; sed unus atque idem Filius Dei, & Filius hominis est: & quicquid loquitur, aliud referimus ad divinam ejus gloriam, aliud ad nostram salutem.* Augustinus ep. 57. ad Dardanum q. 1. *Una enim persona Deus, & homo est, & utrumque est unus Christus Jesus; ubique per id, quod Deus est; in cœlo autem per id, quod homo.* Et epist. 102. ad Evodium: *Non enim homine assumpto personarum numerus auctus est, sed eadem Trinitas mansit. Nam sicut in homine quolibet præter unum illum, qui singulariter susceptus est, anima & corpus una persona est: ita in Christo Verbum & homo una persona est.* Leo magnus ser. 1. de nativ. Dom. c. 2. *Salva igitur proprietate utriusque substantiæ, & in unam coëunte personam, suscepitur a majestate humilitas, a virtute infirmitas, &c.*

IV. Probatur Rationibus I. Persona humana non remansit in Christo post unionem: ergo eam Verbum non assumpsit. Consequentia bene infertur, quia non potest dici, quod Verbum assumpserit id, quod post unionem in Verbo non remansit; & hoc, tum quia Verbum quod semel assumpsit, nunquam dimisit; tum etiam, quia per unionem nulla fuerit facta confusio in assumptis, ut infra dicetur. Antecedens probatur ex Concilio Chalcedonensi act. 5. in definitione fidei, in qua dicitur: *Utriusque naturæ proprietatis salvâ manere, & in unam personam, atque unam hypostasim concurrere.* II. Si in Christo essent duæ personæ, nulla esset inter humanam naturam, & Verbum, idiomatum communicatio; sed hoc est contra Scripturas, Concilia, & Patres: ergo &c. Probatur major. Idiomatum communicatio huic soli principio innititur; scilicet, quod una sit in Christo persona, in qua duæ naturæ subsistant: ergo si in Christo essent duæ personæ, nulla esset inter humanam naturam, & Verbum, idiomatum communicatio. III. Hæ duæ propositiones: Deus est homo: & homo est Deus: veræ sunt; sed non essent veræ, si in Christo non esset una persona: ergo vere in Christo est una persona. Probatur minor. Propositiones istæ non sunt veræ secundum essentiam, quia in Christo sunt duæ naturæ, divina, & humana: ergo sunt veræ propter personæ unitatem; sed ubi dantur duæ non est personæ unitas: ergo propositiones istæ non essent veræ, si in Christo non esset una persona. IV. Non potest negari unio naturæ divinæ cum humana; sed hæc unio ne-

Digitized by Google

necessario fieri debuit secundum unitatem personæ : ergo vere in Christo fuit hæc unitas personæ. Probatur minor. Non potest salvari hæc unio per modos, quos excogitavit Nestorius : ergo necessario fieri debuit secundum unitatem personæ. Probatur antecedens. Primo excogitavit Nestorius unionem inhabitationis ; sed hæc convenit omnibus justis: secundo unionem operationis ; hæc quoque omnibus justis aptatur : tertio unionem affectus, dignitatis, & excellentiæ ; hæc pariter sanctissimis viris tribuitur.

Arguunt I. Joann. 2. humanitas Christi vocatur templum; sed templum non est idem cum inhabitante templum: ergo non sunt idem persona Verbi, & persona Christi. II. Augustinus in enchiridio c. 36. docet: *Utramque naturam, divinam, & humanam, in Christo esse unum Dei Filium, sed aliud propter hominem*. Et Leo magnus ep. 10. de Christo scribit : *Aliud coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis* ; sed ubi est aliud, & aliud, non est una persona, sed duæ : ergo &c. III. Verbum assumpsit humanam substantiam: ergo etiam assumpsit humanam subsistentiam. Probatur consequentia. Substantia humana includit in suo conceptu essentiali subsistentiam : ergo si Verbum assumpsit humanam substantiam, assumpsit etiam subsistentiam. Probatur antecedens. Conceptus essentialis substantiæ est, quod sit aliquid per se subsistens : ergo substantia humana includit in suo conceptu formali subsistentiam. IV. Verbum non assumpsit humanam naturam imperfectam, sed perfectam: ergo non assumpsit eam sine subsistentia. Probatur consequens. Subsistentia est complementum, & perfectio substantiæ: ergo si Verbum assumpsit humanam naturam perfectam, non imperfectam, non assumpsit eam sine subsistentia. V. Verbum assumpsit individuum naturæ humanæ : ergo assumpsit personam humanam. Sequitur consequentia; quia individuum est idem cum persona. VI. In Deo idem est natura, & persona: ergo quemadmodum facta est incarnatio respectu naturæ divinæ, ita etiam est facta respectu personæ divinæ, sed respectu naturæ divinæ non est facta in unitate naturæ : ergo pariter respectu personæ divinæ non est facta in unitate personæ. VII. Patres ut plurimum dicunt, Verbum assumpsisse hominem ; sed hominis nomine venit natura cum subsistentia humana : ergo Verbum assumpsit naturam, & subsistentiam humanam. VIII. In Christo sunt duæ generationes passivæ: ergo sunt duæ personæ. Antecedens est certum ; quia in Christo est generatio divina, & æterna, & generatio humana, & temporanea. Consequentia est legitima ; quia omnis generatio terminatur vel ad suppositum, vel ad personam.

Respondemus ad I. Christi humanitas dicitur templum Joan. 2. *solvite templum hoc &c.* sicut corpus nostrum dicitur domus, & tabernaculum animæ nostræ II. ad Cor. 5. *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur*. Hoc est in utroque loco dicitur non proprie, sed metaphorice : unde sicut ex secundo non colligitur, esse in homine duas personas, ita nec ex primo infertur, esse duas personas in Christo. Vel si velint, quod proprie dicatur templum, dicimus, sic dici, non ratione Verbi, cui est humanitas hypostatice unita, sed ratione divinitatis, quæ in humanitate habitat, non tantum per gratiam, & efficientiam, sicut dicebat Nestorius, sed vere, & realiter, ut docet Apostolus ad Colos. 2. *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter ; id est vere, & substantialiter* ; ut apud Frassen explicat Augustinus ep. 55. ad Dardanum.

Ad II. Verum est, quod *alius & alius* adjective important diversa suppositа, quia nomen adjectivum denotat præcipue personam ; at *aliud & aliud* substantive denotant diversas naturas. Unde Augustinus, & Leo, loquuntur de pluralitate naturarum, non personarum. Et revera Augustinus in eodem cit. lib. c. 35. dicit: *In unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro* : Et c. 36. *Ut quemadmodum una persona quilibet homo ; anima scilicet rationalis, & caro ; ita Christus una persona, Verbum & homo*. Quid sentiat S. Leo in probationibus visum est.

Ad III. dicitur, quod substantia est aliquid per se subsistentes in exigentia, non vero in actu. Et ratio est, quia est essentiale cuilibet substantiæ, ut exigat per se subsistere; sed non est essentiale, ut actu per se subsistat. Per primum enim substantia distinguitur ab accidente juxta Aristoteleorum hypothesim, non vero per secundum. Humanitas igitur in Christo per se non subsistit actu, sed exigit per se subsistere ; & si separaretur a Verbo, per se subsisteret. Accidens autem juxta eandem hypothesim, etiam separatum, subsistere non potest.

Ad

Digitized by Google

Ad IV. Conceditur, quod natura sine propria subsistentia est manca, & imperfecta, sed accidentaliter tantum, non substantialiter; & ratio est, quia subsistentia est modus existendi accidentalis substantiæ, non vero substantialis; quum substantia in sui propria ratione dicat tantum ens, quod exigit per se, & ab alio indipendenter, subsistere.

Ad V. Individuum qua individuum, opponitur communi; quia non est aliud, quam aliquid singulare. Non autem omne, quod est singulare, est persona; quia persona excludit, præter illud, quod est commune, & excluditur ab individuo, etiam conjunctionem cum ente superiore, a quo pendeat. Persona enim, ut ait etiam Jueninus, in suo conceptu dicit rem, quæ sit sui juris; hoc jus ammittitur per unionem cum ente superiore; quia ens superius facit illam esse non juris sui, sed juris alieni; scilicet juris illius entis superioris, cui unitur, & a quo dependet.

Ad VI. Quanvis in Deo essentia, & persona sint idem realiter, & secundum identitatem, non sunt tamen idem formaliter, vel virtualiter; quia relationes divinæ, ut suo loco dictum est, distinguuntur ab essentia divina, non realiter, sed vel formaliter, vel virtualiter; ut juxta proprias sententias Scholastici discurrunt. Hæc autem distinctio satis est, ut instituatur unio hypostatica primario, & immediate in persona, secundario, & consequenter in natura.

Ad VII. Patres quandoque adhibent concretum pro abstracto; & hoc præcipue ante tempora Nestorii, qui loquendi illum modum suspectum reddidit. Unde ait Frassen, quod Nestorianis hoc nobis opponentibus oppponere possumus Augustinum, qui olim Pelagianis, qui auctoritatem Chrysostomi Catholicis opponebant, respondit lib. 1. cont. Julianum: *In Ecclesia catholica non se aliter intelligi arbitrabatur; tali enim quæstione nullus pulsabatur; vobis nondum litigantibus securius loquebatur.*

Ad VIII. dicimus, quod unum, & idem suppositum potest terminare duplicem generationem ratione duplicis naturæ, quam habet. Suppositum enim, ut inquit Frassen, terminat ut *quod*, natura vero terminat ut *quo*, & per modum termini formalis, & specificativi Igitur suppositum Verbi quia virtualiter est duplex, quum habeat virtutem terminandi duas naturas, non mirum, quod duplicis generationis possit esse terminus?

Remanet modo ut videamus hæc duo reliqua, quæ inter Scholasticos exagitantur; nimirum, an de possibili, & de potentia Dei absoluta, potuerit Verbum assumere naturam propria subsistentia subsistentem? Et an potuerit natura divina secundum se, prout scilicet abstrahit ab omni subsistentia, creatæ naturæ uniri? Pro primo videtur negativam partem fuisse amplexum S. Thomam 4. cont. Gentes c. 33., ubi docet, hominem assumptioni præexistentem non potuisse amittere propriam subsistentiam, quin humana natura in ipso corrumperetur. Attamen diversimode loquitur 3. p. q. 4. ar. 2., & q. 6. ar. 3., quibus in locis, ait Cacheranus, censendus est retractasse quod scripserat cit. c. 43. Et hoc quidem intelligitur de humanitate antecedente subsistente in propria persona. At loquendo de humanitate etiam concomitanter subsistente in propria persona, & retinente eam in ipsa assumptione, materialiter tamen, & specificative; pro parte affirmativa stant Baconius, Gabriel a S. Vincentio, Oviedus, Hurtadus, Arriaga, Maderus; pro negativa vero pugnant Thomistæ, & Scotistæ, aliique Scholastici apud Cacheranum, qui affirmantem partem amplectitur. Pro altero vero affirmativam partem tuetur P. Magnanus post Gregorium, Scotum, Richardum, Ochamum, Cajetanum &c. contra Becanum præcipue, aliosque passim.

Dicimus IV. Potuisse a Verbo assumi humanitatem antecedenter subsistentem in propria persona, amittentem autem illam per assumptionem; item potuisse assumi humanitatem etiam concomitanter subsistentem in propria persona, retinentem scilicet illam in ipsa assumptione, materialiter tamen, & specificative; denique potuisse etiam naturam divinam secundum se, prout abstrahentem ab omni subsistentia, creatæ naturæ uniri.

I. Probatur pro I. parte. Non repugnat Verbum assumere humanitatem antecedenter subsistentem in propria subsistentia, & amittentem illam per assumptionem, nec ex parte Verbi assumentis, nec ex parte humanitatis assumptæ: ergo potuit a Verbo assumi humanitas antecedenter subsistens in propria persona, & amittens illam per assumptionem. Probatur antecedens. Non repugnat ex parte Verbi assumentis; quia personalitas divina sicut potest in natura personalitatem

Digitized by Google

tem propriam impedire, ne exoriatur, ita poteſt eandem expellere, ne conſervetur. Non repugnat ex parte humanitatis aſſumptæ; quia poteſt humanitas a propria perſonalitate ſeparari, & vel ſine ea produci, vel cum ea producta, ſine ea conſervari.

II. Probatur pro II. parte. Poteſt natura humana duplici ſubſiſtentia, una propria, alia aliena, & divina ſubſiſtere: ergo potuit humanitas aſſumi a Verbo etiam concomitanter ſubſiſtens in propria perſona. Probatur antecedens. Natura humana pro eodem tempore habet potentiam naturalem ad ſubſiſtentiam propriam, & potentiam obedientialem ad ſubſiſtentiam divinam: ergo poteſt eodem tempore duplici hac ſubſiſtentia ſubſiſtere. Ulterius, ex probatis ſupra, poteſt natura humana ſubſiſtere duplici ſubſiſtentia divina: ergo poteſt etiam ſubſiſtere duplici ſubſiſtentia, quarum una ſit divina, altera humana. Conſequentia ſequitur a fortiori, quia duæ ſubſiſtentiæ divinæ ſunt ejuſdem rationis, & reſpiciunt eandem potentiam obedientialem; ſubſiſtentia vero divina, & humana ſunt diverſi ordinis, & reſpiciunt in natura diverſam potentiam; facilius autem in eadem natura compatiuntur duæ potentiæ diverſi ordinis, quam duæ potentiæ ejuſdem ordinis.

III. Probatur pro III. parte. Natura divina ut eſt communicanda tribus perſonis, & necdum triſubſiſtens, immo nec ſecundum ſe ſubſiſtens, potuit immediate uniri humanitati unione reali ſubſtantiali, vel alteri creatæ naturæ, ſicut de facto humanitati unita eſt hypoſtaſis Verbi; ergo potuit etiam natura divina ſecundum ſe, prout abſtrahens ab omni ſubſiſtentia, creatæ naturæ uniri. Probatur antecedens a P. Magnano. Omnipotentiæ Dei, & perfectionis eſſentiæ tribui debet omne id, quod non continet imperfectionem nec explicitam, nec implicitam; ſed nullam continet imperfectionem, nec repugnantiam, quod natura divina, non qua ſubſiſtens, ſed qua ſeorſim ſumpta a ſubſiſtentiis relativis, quæ ſunt, & abſoluta, ſi quæ eſſet, cum humanitate, vel aliqua creata natura conjungatur: ergo &c. Probatur minor. Non eſt repugnantia ex parte omnipotentiæ; hæc enim æque potens eſt ut faciat unitionem naturæ creatæ cum perſonalitate divina, ac cum natura divina. Neque eſt repugnantia ex parte humanitatis; quia hæc eandem habet potentiam obedientialem, ut uniatur cum perſona, ac cum natura. Neque eſt repugnantia ex parte naturæ divinæ; & hoc conſtabit ex argumentorum, quæ in contrarium adducuntur, ſolutione.

Opponunt I. Humanitas de facto aſſumpta antecedenter ſubſiſtens non fuit: ergo non potuit aſſumi humanitas antecedenter ſubſiſtens. Antecedens eſt certum; quia, ut docet S. Thomas, fruſtra humanitas de facto aſſumpta habuiſſet propriam ſubſiſtentiam, quam poſtea debuiſſet in aſſumptione dimittere. Idem docet S. Leo ep. 11. ad Julianum: *Nec animam enim, quæ anterior extitiſſet, nec carnem, quæ non materni corporis eſſet, accepit. Natura quippe noſtra non ſic aſſumpta eſt, ut prius creata, poſt aſſumeretur, ſed ut ipſa aſſumptione crearetur.* S. Anſelmus lib. 3. fidei c. 11. pariter aſſerit, Verbum aſſumpſiſſe humanitatem, *non quæ ſeorſim in ſe, atque individuum prius fuerit, poſteaque ab ea aſſumpta ſit, ſed quæ in ipſius hypoſtaſi extiterit; ipſa enim Verbi hypoſtaſis carni hypaſtaſis extitit.* Conſequentia probatur; quia ſi ex S. Thoma fruſtranea fuiſſet in humanitate ſubſiſtentia illa, quam deinde perdere debuiſſet; hoc æque verificatur in aſſumpta humanitate, ac in aſsumptibili: ergo utrobique eſſe debet æqualis ratio. II. Innocentius III. ex Patribus aſſeruit, & docuit, in *Chriſto perſonam Dei conſumpſiſſe perſonam hominis*; ergo, vel hoc fuit de facto; & eſt contra quod cum communi dicimus; vel de poſſibili; & non eſt mirum, ſi fecit etiam de facto. III. Nihil probat paritas adducta de duabus ſubſiſtentiis divinis reſpectu ejuſdem naturæ; quia illæ quum eſsent alienæ, ambæ in unum ſimul conſpirant, ut ſcilicet faciant ſubſiſtere humanitatem in alio. At ſubſiſtentiæ, quarum una eſt aliena, altera propria, facerent ſubſiſtere humanitatem in ſe, & in alio; hoc eſt in ſe, & non in ſe; in alio, & non in alio; in quo eſt contradictio. IV. Nec etiam aliquid probat ad propoſitum ratio petita a potentia naturali; & obedientiali; quia hæ non ſunt duæ potentiæ realiter diſtinctæ: Unde divina ſubſiſtentia terminando naturam ſecundum potentiam obedientialem, eandem quoque terminabit ſecundum potentiam naturalem; proinde non relinquitur locus ſubſiſtentiæ propriæ, ut naturam terminet ſecundum potentiam naturalem. V. Concilia, & Patres docent,

Digitized by Google

non esse in Christo subsistentiam humanam; & hoc inferunt ex eo, quod Christus subsistit subsistentia divina; sed posita nostra Conclusione hæc ratio redderetur inefficax: ergo &c. Probatur minor. Si humanitas Christi potuisset existere propria subsistentia, & divina, non bene inferretur, quod Christus non subsistit subsistentia creata, quia subsistit subsistentia divina; ergo inanis, & inefficax esset illa ratio. VI. Si natura divina uniretur immediate naturæ humanæ esset unio per accidens, & non substantialis; sed hoc non est dicendum: ergo neque illud. Probatur sequela. Unio substantialis fit in persona, quæ complet, terminat, & perficit naturam; sed natura non complet, non terminat, nec perficit aliam naturam, cui unitur: ergo non esset unio substantialis, sed per accidens.

Respondemus ad I. concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio est, quia in hypothesi possibili hoc esset ad ostendendam infinitam Dei potentiam, quæ non habet locum in eo, quod de facto peractum est. Multa enim Deus de possibili potest facere sine necessitate, quæ de facto non facit, quia nulla est necessitas. De facto enim servatur ordo ordinarius, qui regulatur secundum necessitatem; de possibili vero servatur ordo extraordinarius, in quo nullus habetur ad necessitatem respectus, sed tantum ad omnipotentiam Dei, quæ omnia potest facere, quæ non repugnant, non quæ necessaria non sunt.

Ad II. respondet ad auctoritatem Innocentii S. Thomas 3. p. q. 4. ar. 2. ad 3. verbis hisce: *Consumptio ibi non importat destructionem alicujus, quod prius fuerat, sed impedimentum, ejus, quod aliter esse posset.* Igitur hæc est differentia inter illud, quod fuit de facto peractum, & illud, quod dicimus possibile fieri; quia in primo casu Deus impedit subsistentiam humanitatis, ne sit; in altero vero casu, Deus destrueret illam, quæ prius fuerat.

Ad III. Dicimus, quod si nomine subsistentiæ intelligimus esse juris sui, quando est propria, & esse juris alieni, quando est aliena, nulla est repugnantia, ut eadem natura terminetur duplici subsistentia aliena, & quod eadem natura terminetur duplici subsistentia, quarum una sit aliena, & altera sit propria. Et hoc eo magis, quia in Conclusione diximus, hoc habiturum locum suum, si subsistentia propria remaneat materialiter tantum, & specificative, non vero formaliter, & reduplicative. Subsistentia enim primo modo sumpta, dicit, quod assumatur natura subsistens, sed non ut subsistens; secundo modo, quod assumatur natura subsistens ut subsistens. Unde sensus nostræ Conclusionis est, quod assumeretur humanitas propria subsistentia retenta, non vero propria subsistentia assumpta; quod optime advertit Cacheranus.

Ad IV. dicitur, quod potentia naturalis, & obedientialis, quanvis non distinguantur entitative, & realiter, distinguuntur tamen formaliter, & terminative. Et hoc sufficit, ut habere possint simul effectus diversos sibi adæquatos. Hoc multis exemplis potest clarificari, & confirmari; & præcipue in intellectu, & voluntate, quæ potentiæ non distinguuntur realiter, sed formaliter, & tamen actus diversos producunt sibi adæquatos. Subsistentia divina terminat humanitatem etiam secundum naturalem potentiam, si intelligatur eminenter, verum est, si formaliter, est falsum; unde relinquit subsistentiæ propriæ specialem locum terminandi formaliter; quod pariter docet Cacheranus.

Ad V. Alii respondent negando, illationem illam fieri a Conciliis, & Patribus; quia in Christo carentia personalitatis humanæ non infertur præcise ex eo, quod humanitas subsistat personalitate divina; sed quod in tali personalitate subsistat in unitate personæ. Quod autem Christus sit unica persona, colligunt Concilia, & Patres, ex Scripturis, quæ de Christo tanquam de una persona loquuntur. Alii concedunt, illationem illam fieri a Patribus, at dicunt, non esse efficacem; sed hæc responsio non est admittenda. Alii denique concedunt illationem, & concedunt esse efficacem; sed naturali ratione, & naturali potentia spectatis, non autem spectata potentia supernaturali, & obedientiali; quia per speciale miraculum, quod operatur in nostra hypothesi absoluta Dei potentia, verificatur possibile, ut diximus, etiam sine necessitate, quod alias non verificatur de facto.

Ad VI. dicitur, verum esse, quod natura non complet, non terminat, non perficit, naturam aliam via ordinaria, sed non via extraordinaria, & absoluta. Unde subdit Magnanus: „Neque vero rejiciendum est quicquid non est ordinarium,

Digitized by Google

„ rium, aut non cognoscitur ex iis præcis-
„ sè, quæ ordinaria sunt: alioqui enim
„ ne unio quidem hypostatica recipienda
„ esset, cujus in rebus ordinariis nullum
„ exemplum est. Quod si eam recipimus,
„ quia divinum de ea testimonium accepi-
„ mus, licet præter omnia exempla natu-
„ ralia; possumus & naturæ unionem re-
„ cipere ut possibilem; quatenus licet in
„ naturis creatis exemplum sui non habeat,
„ adest illi tamen ac suffragatur præjudi-
„ cium unionis hypostaticæ, quo constat,
„ posse divina humanis immediate uniri;
„ præsertim cum illius nulla hactenus
„ ostensa sit vera repugnantia. Non enim
„ hoc est assignare repugnantiam, quod est
„ dicere duo tantum illa esse genere uni-
„ tatis per se; sed solum est dicere, non
„ esse ejus unionis exemplum in rebus or-
„ dinariis; quod, ut dixi, minime obest. „

Igitur dicendum est, quod in hypothesi unio divinitatis immediata cum humanitate faceret unum per se; quanvis hoc via ordinaria in subsistentiis creatis non verificetur.

Pro ultima tandem Dissertationis parte, Thomistæ, quia realiter distinguunt essentiam ab existentia, dixerunt, naturam humanam, a verbo assumptam, propriam existentiam non habuisse; sed existere per existentiam Verbi, sicut per Verbi subsistentiam subsistit. Attamen cæteri Scholastici docent, naturam humanam, a Verbo assumptam, habere propriam existentiam, sicut propriam essentiam habet. Cum his ultimis

Dicimus V. Naturam humanam, quam Verbum assumpsit, habere propriam existentiam.

I. Probatur ex Cyrillo Alexandrino, qui in lib. 1. cont. Nestorium opponis existentiam Verbi existentiæ humanæ naturæ: ergo humana natura in Verbo propriam habet existentiam. Probatur antecedens. Cyrillus docuit, quod existentia Verbi nullum possit habere initium verbis hisce: *Impium est, vel opinari solum, Verbum, quod ex Patre prodiit, ad novum initium, ut esse inciperet, vocatum fuisse, aut existentiæ propriæ velut radicem quandam, cepisse sanctissimæ Virginis carnem*; sed existentia humanæ naturæ initium habuit in B. Virginis utero: ergo &c. Minorem probat idem Cyrillus dicens: *Nec existentia carnalis initium viam alteram* (quam per generationem, & nativitatem) *habere possit*.

II. Probatur. Antiqui Patres facientes comparationem inter Trinitatem, & Incarnationem, docent, quod in Trinitate non multiplicantur, quæ sunt absoluta; in Incarnatione vero multiplicia sunt; sed existentia est quid absolutum: ergo in Incarnatione multiplicatur. Minor est certa, quia existentia non dicitur ad aliud, sicut dicitur subsistentia: igitur existentia dicitur ad se; sed quod dicitur ad se est absolutum: ergo in Incarnatione multiplicatur.

III. Ens, quod est verum, & reale, debet propriam existentiam habere; sed natura humana in Verbo est ens verum, & reale: ergo propriam habet existentiam. Probatur major. Ens verum, & reale in propria sui idea propriam dicit existentiam: ergo ens verum, & reale debet propriam existentiam habere. Probatur antecedens. Ens verum, & reale differt a non ente; sed non differt, nisi per hoc, quod non ens, quum sit nihil, non existit, ens vero reale, quum non sit nihil, existit: ergo ens verum, & reale in propria sui idea propriam dicit existentiam.

IV. Christi anima prius natura unita est corpori, quam humanitas unita fuerit Verbo; quod docet S. Thomas pluribus in locis: ergo Christi anima, & corpus actu extiterunt, prius natura quam Verbo unirentur: ergo non acceperunt existentiam, & actualitatem, a Verbo: ergo propria existentia extiterunt.

Objiciunt I. Ex Sophronio, Patriarcha Hierosolymitano, in epistola Synodica ad Sergium, Patriarcham Constantinopolitanum, missa, & probata in VI Synodo generali act. 2. habetur: *In ipso* (Verbo) *non per se ipsam existentiam habuit*: ergo habuit existentiam per Verbum. II. ex S. Joanne Damasceno lib. 3. c. 12. habemus: *Carnis extantiam in ipso Verbo habere*: ergo ex Damasceno humana natura in Christo non habet existentiam propriam in se ipsa, sed in Verbo. III. Alii Patres aperte docent, nullo modo extitisse humanitatem, antequam Verbo uniretur: ergo extitit per existentiam Verbi. IV. Humanitas subsistit subsistentia Verbi: ergo pariter existit existentia Verbi. V. Si Christus haberet duplicem existentiam, non esset unum per se; atqui hoc est hæreticum dicere: ergo &c. VI. Existere tribuitur supposito; sed in Christo unum est suppositum: ergo unum est existere. Probatur major. Operari sequitur esse, seu existere; sed operari est solius suppositi; ergo existere est solius suppo-

sit, VII. Excellentius est, humanitatem existere existentia Verbi; sed Christo tribuere debemus quod est excellentius; ergo dicere pariter debemus, humanitatem existere existentia Verbi. VIII. Si Christus haberet duplex existere, haberet duplex esse; sed hoc habere non potest; ergo neque illud.

Respondemus ad I. Sophronius intelligendus est per verbum illud, *non per se ipsam*, quod natura humana Christi non per se ipsam, hoc est non ante suam unionem cum Verbo, existentiam habuit; non vero intelligendus, quod non se ipsam, scilicet non propriam, ac ex ipsa naturam fluentem existentiam habuit. Explicet Sophronius Sophronium per verba, quæ præcedunt, & quæ subsequuntur allata: *Simul enim caro; simul Dei Verbi caro; simul animata rationalis; simul Dei Verbi caro animata rationalis. In ipsa enim, & non per se ipsam, existentiam habuit. Quippe simul cum Verbo concepta, corpus, & anima ad consistendum ista producta sunt; & unita sunt ipsi secundum hypostasim, simul atque ad consistendum producta sunt.* Quod si opponant, in veteri latina interpretatione legi: *In illo itaque, & non per se ipsam habuit existentiam unam*; respondet Jueninus, vocem hanc *unam* in græco textu deesse; & proinde in recentiore latina interpretatione fuisse omissam.

Ad II. Damasceni propositio distinguitur: Natura humana habet extantiam in Verbo, sibi propriam; conceditur; sibi non propriam, negatur. Non enim hoc, quod est humanam naturam habere extantiam in Verbo, est incompossibile cum hoc, quod natura humana propriam habeat existentiam. Intentio autem Damasceni fuit usurpare sensum Ecclesiæ contra Nestorianos; quod scilicet natura humana ne momento quidem extitit ante suam unionem cum Verbo. Quod videtur in verbis illius expressum: *Assumptionem carnis hujus extantiam, & deificationem a Deo Verbo, eodem momento fuisse.*

Ad III. Conceditur, quod nullo modo extiterit humanitas, antequam Verbo uniretur; sed negatur, ex hoc sequi, humanitatem propriam non habuisse existentiam. Et ratio est, quia quanvis eodem instanti reali ceperit humanitas existere, & ceperit Verbo uniri; non tamen ex hoc bene infertur, humanitatem existentia Verbi extitisse; quia nullam inter se connexionem habere bene consideranti innotescit.

Ad IV. negatur paritas; & disparitas est, quia nulla res esse unquam potest sine sua existentia, esse tamen potest sine propria subsistentia. Existentia enim est eadem realiter cum essentia; unde si res essentiam habet, existentiam quoque ut habeat necesse est. Potest autem esse sine propria subsistentia, quum hoc secundum non consistat in aliquo positivo, vel negativo, sed in aliquo morali, quod scilicet, sit sui juris; & hoc amitti potest, absque eo quod amittatur essentia.

Ad V. dicitur, quod quanvis ex duobus entibus in actu completis non possit fieri unum per se, sed fiat unum per accidens; ex duobus tamen actibus incompletis fit unum per se. Humana natura sine propria subsistentia est quidem ens reale, existens &c. sed est unum ens in actu incompletum: unde non mirum si ex ipsa, licet in actu existente, non tamen subsistente, unum per se fiat.

Ad VI. negatur major; & ad ejus probationem distinguitur minor; operari est solius suppositi, quoad denominationem, transeat; operari quoad rem, negatur. Verum est, quod suppositum dicitur, seu denominatur operari; attamen revera operari convenit naturæ, quia natura est, quæ operatur.

Ad VII. Certum est, quod excellentius, & perfectius operari tribuendum est Christo in omni casu, in quo nulla intervenit vel repugnantia, vel contradictio. In casu autem nostro sequeretur quammaxime, quia humanitas existeret, & non existeret, propria existentia; non existeret, ut Adversarii intendunt; existeret, quia haberet propriam essentiam, a qua est omnino inseparabilis; quicquid in contrarium a Thomistis dicatur.

Ad VIII. Distinguitur sequela; si Christus haberet duplex existere, haberet duplex esse; esse naturæ, seu in natura, conceditur; duplex esse personæ, negatur. Quum igitur esse simpliciter dictum ponat pro esse completo, & personali, non potest simpliciter concedi, quod habeat duplex esse. In sensu autem explicato admittitur, & nihil quod sit contra nostram Conclusionem infertur.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CLXIX.

De Unione inter Verbum assumens, & Humanitatem assumptam. Quænam sit hujusce Unionis essentia? An sit naturalis, essentialis, substantialis? An sit perpetua, & indissolubilis; unica, & indivisibilis; ac omnium unionum maxima?

CHRISTUS est quid unum ex duobus, ex Persona divina, cum natura divina & ex humana natura creata, ut omnes Catholici fatentur: unitas autem ex duobus intelligi non potest sine unione, per quam in illis, & ex illis unitas resultat; ut docet P. Magnanus. Unio vero, qua Christus est unus unitus personæ est unio hypostasis assumentis ad naturam assumptam; & hinc est, quod hæc unio a Catholicis, & Theologis unio hypostatica nominatur. Ex hoc igitur certissimum habemus, dari genus aliquod unionis realis, & physicæ, qua fiat unum hypostatice ex persona divina, & humana natura. Unionis realis dicimus, & physicæ, non quidem moralis, ac metaphoricæ; quia ex pluribus, quæ habeant suas physicas, & reales unitates, non potest fieri unum vere, & physice, nisi per realem, & physicam unionem. Christus autem vere, & physice est unus Deus-Homo, qui constituitur proprie, & intrinsece ex persona divina assumente, & ex natura humana hypostatice assumpta: igitur non per solam quandam denominationem, cujus fundamentum sit morale, vel metaphysicum. Hoc supposito inter Catholicos ut indubitabili; & quod in sequentibus Dissertationibus contra Hæreticos propugnabimus; in hac Dissertatione ea sola examinanda suscipimus, quæ inter Scholasticos Theologos de eadem hypostatica unione controvertuntur.

Primo controvertitur, an unio hypostatica realiter distinguatur a productione humanitatis Christi? Vocant plerique hanc unionem actionem incarnativam, explicantes hanc, quod sit actio transiens, qua Deus naturam humanam conjunxit cum Verbo; vel, quod idem sonat, quod sit unitio, seu actio unitiva humanitatis cum persona Verbi. Attamen hanc faciunt differentiam inter unitionem, & unionem, quod unitio sit transiens, unio vero sit permanens, hæc sit in composito, illa non; unitio sit actio, per quam immediate producitur unio; ipsa vero unio sit terminus proximus, & immediatus per unitionem productus; unde ajunt, unitionem esse unionem in fieri, ejus autem terminum esse unionem in facto esse. Sic discurrit Hennus conformiter ad sua principia, quibus vult unionem realiter ab extremis distinctam. Consequenter ad hæc asserit idem Hennus, actionem incarnativam non esse creativam animæ Christi, nec esse productivam humanitatis Christi. Contrarium autem docent plerique Thomistæ cum Contenſone, volentes, una, & eadem actione creari animam Christi, produci illius humanitatem, & naturam humanam uniri Verbo. Quicquid sit de discrimine illo, quod ponit Hennus inter unitionem, & unionem, quod infra examinabitur, sic nostram, pro illo, quod quæritur in præsenti, ponimus Conclusionem.

Dicimus I. Unionem Verbi cum humana natura realiter distingui a productione humanitatis Christi.

I. Probatur. Unio Verbi cum humanitate supponit humanitatem jam productam in priori naturæ: ergo realiter distinguitur a productione humanitatis Christi. Consequentia sequitur; quia quod supponitur jam productum in priori naturæ non est idem cum illo, quod producitur post suppositionem ipsius. Antecedens probatur. Extrema, quæ conjunguntur, supponi debent existentia, saltem in priori naturæ antecedenter ad nexum, seu vin-

vinculum, quod illa conjungit; ut patet in homine, cujus anima, & corpus, in instanti naturæ supponuntur existere, antequam possint uniri: ergo unio Verbi cum humanitate supponit humanitatem jam productam in priori naturæ.

II. Probatur specialiter pro anima Christi. Repugnat, quod idem sit productio rei ex nihilo, & sit productio rei ex aliquo; sed si per eandem actionem produceretur anima Christi, & produceretur unio, eadem productio esset rei ex nihilo, & rei ex aliquo: ergo repugnat. Major est certa; quia eadem actio non potest esse productiva ex nihilo, & productiva ex aliquo. Minor probatur. Anima Christi, utpote creata, facta est ex nihilo, sicut fiunt animæ nostræ, quæ creantur: unde Augustinus ep. 99. *Ita sibi creavit animam Dei Filius, ut cæteris creat*; unio vero, quoquo modo intelligatur, non creatur, sed producitur ex aliquo, sive indistincto, sive distincto; ut videbitur inferius.

III. S. Thomas 3. p. q. 4. ar. 20. docet, quod quod assumitur præsupponitur assumptioni saltem natura; sed Christi humanitas assumitur: ergo præsupponitur saltem natura assumptioni, seu unioni. Major est certa; quomodo enim assumi potest quod non est, nisi tantum in fieri, & assumptio est actualis?

IV. Humanitas Christi producitur per actionem pure naturalem; unio autem humanitatis Christi cum Verbo est omnino supernaturalis; sed repugnat, ut eadem actio sit pure naturalis, & sit omnino supernaturalis: ergo repugnat, ut eadem actio sit productio humanitatis Christi, & sit productio unionis humanitatis Christi cum Persona Verbi. Probatur major. Ad productionem humanitatis Christi B. Virgo concurrit etiam ut causa principalis, ut ait Hennus; ad productionem vero unionis neque ut causa instrumentalis concurrit.

Objiciunt I. Leo magnus ep. 55. docet: *Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata, postea assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur*: ergo per S. Leonem humanitas Christi fuit creata ipsa sui assumptione. II. Tunc creata est humanitas Christi, quando cæpit existere; sed cæpit existere, quando fuit Verbo unita: ergo tunc creata est, quando fuit Verbo unita: ergo creata est eadem actione, ac creata est ipsius unio. Minor probatur ex Sophronio, hæc asserente in VI. Synodo generali; *Humanitas in Verbo, non in semetipsa, habuit existentiam*: ergo &c. III. Terminus unionis hypostaticæ est subsistentia humanitatis in Verbo; sed hæc eadem est terminus actionis productivæ humanitatis: ergo si est idem terminus utriusque actionis, eadem est actio. Probatur minor. Creatio habet pro termino rem subsistentem; quum non minus verificetur respectu termini, quam respectu causæ efficientis, quod actiones sint suppositorum. IV. S. Fulgentius lib. de Incarnat. Christi c. 3. docet: Una quippe fuit Mariæ Virginis conceptio Divinitatis, & carnis: ergo unica actione fuit facta caro, & fuit Verbo unita. V. Si non eadem actione producta fuisset humanitas Christi, & unio ipsius ad Verbum, B. Virgo non posset dici vere Mater Dei; sed hoc est impium dicere: ergo &c. VI. Christi humanitas non habet aliud esse, quam divinum; sed hoc esse accepit per unionem cum Verbo: ergo eadem est actio productiva humanitatis, & productiva unionis.

Respondemus ad I. Leonem loqui de simultate temporis, non de simultate naturæ; quia loquebatur contra Nestorium asserentem, humanitatem Christi aliquo tempore realiter extitisse sine unione cum Verbo; & ex hoc concludebat, B. Virginem fuisse quidem Christi, non autem Dei, matrem. Igitur conceditur, naturam nostram non sic assumptam fuisse, ut prius prioritate temporis creata assumeretur; negatur vero, ut prius prioritate naturæ.

Ad II. Sophronius nomine existentiæ intelligebat subsistentiam; quod patet ex aliis verbis, quæ subdit: *Christus est unum, & duo; unum secundum subsistentiam, duo secundum naturam*. Igitur ad argumentum negatur minor, quia in præterita Dissertatione probavimus, naturam humanam, a Verbo assumptam, cum propria existentia fuisse assumptam.

Ad III. dicitur, actionem creativam abstrahere a supposito; quia substantia est adæquatus terminus creationis, sive per se ipsam subsistat, sive per alium; unde termino creationis, dicit Jueninus, applicari non posse, quod actiones sint suppositorum. Nec ex hoc inferri potest, posse aliquam rem sine subsistentia creari; quia res, quæ creatur, vel eo temporis instanti, quo producitur, vel communicatur alteri, vel non communicatur; si primum, est alieni juris, & subsistit per subsistentiam non suam, sed alienam: si secundum, est

sui

Digitized by Google

sui juris, & subsistit per subsistentiam suam. Unde idem Jueninus concludit, creationem esse prorsus indifferentem ad subsistentiam, sive propriam, sive alienam.

Ad IV. Hennus distinguit antecedens; una fuit conceptio quoad entitatem, negat; quoad tempus, scilicet, quod eodem instanti reali fuit humanitas producta, & unita Verbo, concedit. Et hoc intelligere S. Fulgentium, asserit, clarum esse ex ipsius contextu; quia paulo ante dixerat: *Non est igitur aliquod intervallum temporis existimandum inter conceptæ carnis initium, & conceptæ majestatis adventum.*

Ad V. Negatur sequela; non enim B. Virgo dicitur Mater Dei, quia produxit humanitatem existentem existentia divina, sed quia eodem reali instanti, quo illam produxit, a Verbo divino assumpta est, & ab eo complementum accepit, ut ait Hennus; qui & subdit; ideo dici Matrem Dei, quia est mater vere hominis illius, qui est Deus.

Ad VI. negatur major; & ratio est, quia quanvis humanitas subsistat subsistentia divina, existit tamen existentia propria; ut nos in præterita Dissertatione probavimus.

Pro altera Dissertationis parte; in qua quæritur, quænam sit hujusce unionis essentia; seu in quo formaliter consistat, an scilicet in quodam simplici entitate realiter ab extremis distincta, an vero in sola simultate, & complexione extremorum? Præmittimus primo, stare pro simplici entitate realiter distincta Gabrielem cum Nominalibus quibusdam, Scotum cum suis, & majorem Recentiorum partem cum Neutericis, & Thomistis quibusdam. Attamen inter hos omnes dissidium est, quia illorum quidam volunt, simplicem illam entitatem esse absolutam, alii relativam tuentur; aliqui dicunt esse substantialem, alii accidentalem defendunt. Gabriel stat pro absoluta, & accidentali, asserens, esse qualitatem humanitati superadditam. Scotus stat pro relativa, & eam vocat relationem disquiparantiæ, realem in humanitate, rationis in Verbo; & quanvis Scotus non exprimat, an sit substantialis, an vero accidentalis, Scotistæ tamen potius accidens asserunt esse, quam substantiam. Herincx inclinat ad respectum substantialem; ex Recentioribus Suarez, Vasquez, Lugus, Amicus, Arriaga, Esparza; & ex Thomistis Herrera, Araujo, Godoy, ponunt absolutam, & substantialem, & modum dicunt. Pro sola complexione vero, & simultate pugnant S. Bonaventura, Richardus, Rubion, Bachonius, Capreolus, Gregorius, Cajetanus, Medina, Joannes a S. Thoma, Gonetus, Valentia, Madernus &c. P. Magnanus in titulo propositionis 2. capitis 21. de Deo-Homine Christo, hæc habet. *Unio hypostatica nec relatio est, nec modalis quædam entitas, aut alia quæcunque ante opus mentis distincta a persona assumente ut assumente, & a natura assumpta ut assumpta.* Huic postremæ pariter opinioni subscribit P. Feraud, P. Boucat, aliique passim Recentiores nostri; qui vel S. Thomam sequuntur, vel P. Magnano adhærent.

Dicimus II. Unionem hypostaticam nec esse relationem, nec modalem entitatem, aut aliam quancumque realiter distinctam a persona assumente ut assumente, & a natura assumpta, ut assumpta.

I. Probatur P. Magnano contra Scotum non esse relationem. Hæc relatio per Scotum est disquiparantiæ, seu non ejusdem rationis in utroque extremo, sicut est similitudo; sed hoc involvit repugnantiam: ergo &c. Probatur minor. Nequit intelligi unio, quæ non sit duorum unio; & ita sit duorum unio, ut tam unum, quam aliud extremum, sit unitum, & ambo sint unita; sed hoc non verificatur in relatione Scoti secundum ejus explicationem: ergo quum non verificetur, importare necessario debet repugnantiam. Major est certa; quia si vere alterum ex extremis est unitum, necesse est, ut sit unitum alicui, quod est secum unitum; aliter esset unitum nulli. Si enim unitum non esset alicui secum unito, nulli esset unitum; aliter assignetur, cui esset unitum. Si nulli esset unitum; jam patet, absolute non esse unitum. Minor probatur. Scotus explicans suam relationem disquiparantiæ, asserit, quod hæc relatio est realis in humanitate assumpta, in Verbo vero assumente vel nulla est relatio, vel solum est rationis; sed hoc est idem ac dicere, quod unio non sit duorum unio, ut tam unum, quam aliud extremum, sit unitum, & ambo sint unita: ergo non verificatur illud in sententia Scoti &c.

II. Probatur ab eodem contra eundem. Relatio, per quam explicatur unio, debet potius esse æquiparantiæ, seu ejusdem rationis, quam disquiparantiæ, seu diversæ rationis; sed hoc est contra explicationem Scoti: ergo &c. Probatur major. Unio importat rationem uniti in-

utro-

Digitized by Google

utroque extremo; & ita quidem, ut si realem dicat in uno, realem etiam importet in altero; & si non realem in altero, non realem quoque in uno: ergo relatio, per quam explicatur unio, debet potius esse æquiparantiæ, quam disquiparantiæ. Probatur antecedens. Si unio hypostatica, sunt formalia verba Magnani, non est aliud, quam relatio; & hæc non est realis, sed nulla, aut solum relationis ex parte Verbi; consequens est, ut unio hypostatica prout se tenet ex parte Verbi non sit realis unio, sed solum rationis unio, hoc est nulla secundum rem unio; sed ex hoc sequeretur, Verbum non esse realiter, sed per rationem tantum humanitati unitum: ergo &c. Probatur minor. Non potest intelligi unitum realiter per unionem, quæ realis non est ex parte sui. Sequitur etiam, nec humanitatem esse realiter unitam; quia non potest unum extremum esse unitum alteri realiter, si hoc alterum ipsi non est unitum quoque realiter; sed Verbum non est unitum humanitati realiter: ergo nec unio est realiter unita Verbo. Tandem concludit hanc rationem Magnanus auctoritate V. Synodi generalis collat. 8. c. 4. damnantis, qui dixerit, unionem Dei Verbi ad hominem factam esse secundum relationem.

III. Probatur ab eodem P. Magnano contra ponentes unionem hypostaticam uti modalem entitaculam realiter distinctam. Unio est mutua; ergo fundamentum, ut ipsa est, relationis uniti ad counitum etiam est mutuum; sed hoc importat, relationem fundamentalem etiam esse mutuam: ergo in unione mutua fundamentalis relatio est mutua; atqui hoc ab Adversariis negatur: ergo corruit ipsorum sententia. Si dicant, relationem fundamentalem esse mutuam, non vero formalem; subdit Magnanus, quod hæc est altera repugnantia adversus propria ipsorum principia; „ Cum enim illi autores „ passim existiment relationem non esse aliquid realiter, & ante opus mentis distinctum a fundamento, & termino; v. g. „ similitudinem alborum non esse aliquid „ realiter distinctum ab utroque pariete, „ & albedine utriusque: consequenter sicut impossibile est, ut sint parietes realiter albi duo, & non sit mutua utriusque „ secundum albedinem utrinque realis relatio similitudinis, non tantum fundamentalis, verum etiam formalis, utpote indistincta a fundamento, & termino; ita „ impossibile est, ut sint unita duo hinc inde realiter, & non sit utriusque mutua, „ nempe uniti, & couniti relatio utrinque „ realis, non tantum fundamentalis, sed „ etiam formalis, utpote indistincta a fundamento, & termino. „

IV. Probatur ab eodem contra eosdem. Effectus formalis modi est modificare: ergo effectus formalis talis modi, scilicet unionis, est unire: ergo non magis est impossibile, ut sit effectus formalis uniendi sine effectu formali modificandi, quam sit impossibile, ut sit species sine genere: ergo pariter non magis est impossibile, ut sit hæc unio sine modo, qui modus dicitur distinctus, quam sit impossibile, ut sit homo, quin sit animal: Ex quibus sequitur, ut ubicumque est unionis effectus formalis uniendi, sit etiam effectus formalis modificandi uniendo; alioquin esset species sine genere. His positis sic argumentatur Magnanus. Unio hæc, quæ est modus, non solum unit humanitatem Verbo, sed etiam Verbum humanitati; quia unio est mutua: ergo non solum modificat humanitatem, sed etiam Verbum; sed hoc summam dicit in Verbo imperfectionem: ergo &c. Probatur hæc minor. Summa imperfectio est in Verbo, ut physice modificetur, & suscipiat in se vere effectum formalem creatæ entitaculæ, & illi subdatur tanquam astringenti, retinenti, captivanti. Quæ Adversarii ad has rationes respondent, in objectionibus afferemus.

V. Probatur ab eodem contra eosdem. Potest Verbum uniri humanitati absque modo realiter distincto: ergo poterit etiam humanitas couniri Verbo absque hujusmodi modo. Probatur consequentia. Si aliquod assignari posset discrimen, hoc esset, quod humanitas est capax hujusmodi modificationis, non autem Verbum; sed hoc discrimen non est ad rem: ergo &c. Probatur minor. Nos non inquirimus hìc, an humanitas sit capax hujuscemodi modi, sed an indigeat illo, ut uniatur; sed constat non egere, sicut non indiget Verbum: ergo capacitas, quæ adducitur, non est ad rem: ergo ad Incarnationem sufficit illa unio, cui non sit necessaria hæc capacitas, & quæ ad uniendum sufficiat.

VI. Probatur ab eodem, Unionem hypostaticam non esse aliud, quam assumptionem hinc active spectatam, prout est a Verbo assumente; hinc passive sumptam, prout est humanitatis assumptæ, vel esse actio-

Digitized by Google

actionem, qui Verbum assumit, & humanitas assumitur. Advertit nihilominus P. Magnanus, antequam ad rationem deveniat, quod assumere est proprium solius Verbi; unde nec essentia, nec Pater, nec Spiritus Sanctus assumit, sed solus Filius secundum suæ hypostasis proprietatem; & hoc nemine, ut ait, dissentiente. Advertit ulterius, quod hoc quod est assumere dicit actionem assumentis, sive sumentis ad se; unde non dicit statum aliquem passivum, aut mere ociosum. Modo sic probatur Conclusio. Assumptio est actio Verbi assumentis, est passio humanitatis assumptæ; sed impossibile est, ut ubi intercedit hæc actio, & hæc passio, sine aliquo alio, non intelligatur humanitas unita Verbo, & Verbum unitum humanitati: ergo sine alia entitacula realiter distincta, per hoc quod Verbum agit assumendo, & humanitas patitur quando assumitur, satis intelligitur Verbum humanitati unitum, & humanitas unita Verbo. Probatur minor. Sumere humanitatem ad se est facere suam, influendo ei vim, ac titulum, qui est effectus formalis hypostasis Verbi assumentis; est insuper asciscere illam sibi tanquam aliquid spectans ad suam personam; quod est idem ac illam conjungere sibi hypostatice; sed nulla potest esse conjunctio, nisi sit mutua: ergo illud, quod est sumere ad se humanitatem, non est tantum conjungere, & asciscere sibi humanitatem, sed est etiam addicere se, & conjungere vicissim illi; quod idem est ac dicere, non tantum est sumere illam ad se, seu facere suam sub titulo hypostasis, sed est etiam simul se tradere illi reciproce in titulum hypostasis. Quæ omnia latius Magnanus prosequitur.

Opponunt I. Argumentum desumptum ab albedine in duobus parietibus contra relationem Scoti nullam habet vim, quia albedo illa est realiter, & subjective in utroque pariete; unio vero est realiter in sola humanitate subjective, non autem in Verbo. II. Ideo entitas illa modalis, qualis est unio, solam modificat humanitatem, quia soli humanitati inhæret; non autem modificat Verbum, quia Verbo nec inhæret, nec inhærere potest: ergo non debet esse eadem in utroque discurrendi ratio. III. Requiritur etiam in humanitate capacitas, & non sufficit indigentia; quia necessarium est, ut Incarnatio perficiatur, humanitatem posse affici, & modificari; & hoc quia necessarium est, humanitatem posse perfici. Quod quidem patet; quia corpus humanum ut animetur, vivificetur &c., est illi necessaria capacitas recipiendæ unionis naturalis substantialis, qua modificetur, & vivat. IV. Ad Unionem modalem sufficit, ut Verbum ita se addicat humanitati, ut illi suum effectum formalem conferat; & hoc patet, quia quum sit modus, exigit se ipsa formaliter, ac vi sui, ut Verbum ita se addicat humanitati, ut ipsi suum effectum formalem conferat; unde non requiritur ex parte Verbi, ut ipsum ab entitacula illa, qualis est modalis unio, afficiatur. V. Extrema, quæ sunt indifferentia ad uniri, & non uniri, debent per aliquod ab ipsis distinctum determinari, ut uniantur; sed sic sunt Verbum, & humanitas: ergo per aliquod ab ipsis distinctum, & non præcise per se ipsa, determinantur, ut uniantur. VI. Assumptio, ut est actio ad extra, pertinet ad totam Trinitatem, quia est facta per communem omnipotentiam: ergo non potest appropriari soli Verbo: ergo multo minus per ipsam potest explicari unio hypostatica, quæ est propria solius Verbi. VII. In V. Synodo collat. 8. c. 4. Fertur anathema in asserentes, unitionem Dei Verbi ad hominem factam esse secundum gratiam, vel secundum operationem: ergo non est facta secundum assumptionem, quæ est operatio. VIII. In Incarnatione si a Deo non fieret hæc modalis unio distincta, nihil a Deo fieret; sed hoc non est dicendum: ergo modalis hæc unio distincta a Deo fit. Probatur major. Filius non producitur dum unitur; nec humanitas unitur præcise dum producitur: ergo si a Deo non fieret hæc modalis unio distincta, nihil a Deo fieret. IX. S. Cyrillus *dicit anathema iis, qui non dixerint, unionem illam esse physicam*: ergo est realis unio; sed non potest esse realis unio, nisi sit nova entitas: ergo &c. X. Quando humanitas unitur Verbo hypostatice, intrinsece mutatur; sed non potest mutari intrinsece, nisi per aliquod intrinsecum de novo adveniens; & hoc non potest esse, nisi unio: ergo unio est quid intrinsecum de novo adveniens: ergo explicari per sola extrema non potest.

Respondemus ad I. quod major est necessitas astruendi unionem, quæ sit unio duorum mutua, quam sit necessitas astruendi unionem, quæ sit subjective in uno tantum; hinc est necessitas rejiciendi modum hunc unionis, & quærendi alium, qui ex

Digitized by Google

sua ratione sit pariter duorum, & non sit tantum unius. Et sic fiet: quod unio non dicatur in uno tantum extremo, & non in alio; sed vel in utroque, vel in neutro; vel potius dicatur simpliciter, quod sit unius, & alius vicissim, sive utriusque; ut docet P. Magnanus. Hoc autem in entitacula, vel in relatione, per quas unio ab Adversariis explicatur, inveniri nemo affirmabit.

Ad II. Quanvis unio non inhæreat Verbo, sed tantum adhæreat, semper stat tamen, quod Verbum non modificat; & quum non tribuat suum effectum formalem modificandi, neque potest tribuere Verbo suum effectum formalem uniendi; uti diximus de genere, & specie, de animali, & de homine. Non solvitur ergo argumentum per hoc, quod dicatur, Verbum non inhærere humanitati; quum salvari omnino oporteat, Verbum uniri humanitati, esto humanitati non inhæreat. Impossibile est autem, ut humanitati uniatur, seu ut humanitas uniatur Verbo, & Verbum non modificet; Verbum autem modificari Adversarii non admittunt; ergo alio confugere debent, ut salvent unionem.

Ad III. quod nec etiam inter animam, & corpus datur modalis illa entitas realiter ab extremis distincta, qua uniantur; quod ex phylosophicis supponimus. Sed dato, quod admittatur, nihil facit paritas ad rem; quia si proprium est unionis perficere, magis proprium est uniti. Illud igitur, quod Adversarii dicunt effici per unionem, nos dicimus effici per unitum, absque unione realiter distincta; hoc est non perfici humanitatem per unionem, quæ sit realiter distincta ab humanitate, & Verbo; sed perfici per unitum, scilicet per Verbum, quod illam assumendo, ipsi unitur, & ipsam perficit.

Ad IV. Ex argumento illo proposito infert P. Magnanus, quod entitas hæc modalis non sit id, quod ex parte Verbi est ratio formalis conferendi eum effectum. Et pro ratione subdit; quod exigere talem effectum est ex parte recipientis, ut parati recipere, non vero ex parte conferentis: Ergo, infert Doctor profundissimus, præter modum unionis, qui est ex parte humanitatis, & estin humanitate exigente, requiritur alius ex parte Verbi conferentis. Et hoc probat ex suppositione, quod non possit Verbum sine media entitate distincta, quantum est ex parte sui, conferre illum effectum formalem. Quicunque autem alius ponatur, concludit Doctor, qui sit pariter distinctus ab eo effectu, nec sit ejus modus, erit pariter ab eo separabilis.

Ad V. dicitur primo per instantiam, quod etiam extrema sunt indifferentia ad hanc unionem, & hæc unio est indifferens ad hæc extrema; vel ergo determinantur per se ipsa, vel per aliam unionem; si per se ipsas absque nova unione; idem dicimus de extremis illis, quod per se ipsa uniantur, sine unione distincta; si per aliam unionem; iterum de hac alia unione quæritur; & sic processus in infinitum. Directe dicitur, quod unum extremum determinat indifferentiam alterius, absque nova entitacula realiter distincta.

Ad VI. Quanvis assumptio sit actio, est tamen actio propria solius secundæ Personæ. Et ratio est, quia prout est actio, est active assumptio, vel ad se sumptio; & in hoc sensu non est communis toti Trinitati. Quia si esset communis toti Trinitati, denominaret æque tres Personas; unde posset dici, quod tres Personæ vel simul, vel seorsim assumerent; sed hoc est contra fidem, qua docemur, quod solus Filius assumpsit: igitur assumere est proprium solius Filii. Et licet sit actio ad extra, non est tamen ita pure ad extra, ut ais Magnanus, quin aliquid habeat de ratione actionis ad intra propter ordinem agendi, qui est assumendi; hoc est sumendi non simpliciter, sed sumendi ad se. Post quæ concludit Doctor: Et licet sit communis, non tamen desinit vere esse propria.

Ad VII. Angelicus Doctor 3. p. q. 2. ar. 6. in corp. V. Synodi mentem explicat dicens, quum Nestorius assereret Personas duas, quas agnoscebat in Christo, scilicet Filii Dei, & Filii hominis, esse unitas secundum operationem, quia dicebat, hominem illum esse instrumentum Verbi Dei; propterea Concilium ipsius hæresim damnare volens, anthematis fulmen immisit in illos, qui dicerent, Dei Verbi unitionem ad hominem factam esse secundum gratiam, vel secundum operationem. Operatio autem a Nestorio intelligebatur, ut explicat P. Magnanus, personæ in personam, ideſt Verbi in hominem; & erat actio moventis in motum ad movendum; quia causa principalis sic agit in instrumentum, movendo scilicet illud ut moveat. Hæc autem unio est unio per accidens, & ideo damnata est. At operatio,

de

Digitized by Google

de qua nos loquimur, non est operatio personæ per personam, quia non sunt duæ personæ; non est motio ad movendum, sed est assumptio ad subsistendum.

Ad VIII. dicit R. Magnanus, terminum positivum productum esse Christum, qui & respondet decreto libero Dei de uniendo Filium cum humana natura. Christus enim est compositum ex natura, & persona divina, & ex humana natura; & per consequens est illud, quod per compositionem illam fit de novo; compositio autem illa est unio; unde est illud, quod per illam unionem fit de novo; & sic quoque respondet decreto uniendi. Et sic semper fas, quod Christus, prout dicit compositum, seu unitum &c. est opus Dei.

Ad IX. Unio non est sola humanitas, nec est sola subsistentia Verbi, seorsim acceptæ; sed ambæ sunt conjunctim sumptæ; unde est ipsa humanitas, cui communicatur subsistentia Verbi; & est subsistentia Verbi prout humanitati communicata. Et quia totum hoc physice, & non moraliter, nec metaphorice, peragitur; ideo dicit Cyrillus contra Nestorium, unionem illam esse physicam.

Ad X. Humanitas mutatur intrinsece, & physice per Verbi subsistentiam, quam recipit intrinsece etiam, & physice; nec Verbum non mutatur, quia non acquirit naturam humanam per receptionem, & recipiendo scilicet illam ut in subjecto; sed acquirit eam per suî collationem, nempe dando ei suum esse divinum. Igitur absque unione realiter distincta mutatur humanitas intrinsece per Verbum, cujus subsistentiam recipit intrinsece, & physice.

Remanet modo, ut cæteras hypostaticæ unionis proprietates, quas in Dissertationis titulo proposuimus, explicemus; nimirum, an sit substantialis, naturalis, essentialis? an sit perpetua, & indissolubilis? an sit unica, & indivisibilis? demum an omnium unionum sit maxima? Pro quibus omnibus, & singulis, antequam ad Conclusionem deveniamus, scire prius oportet primo, quod quamvis aliqui Scholastici differre faciant inter se, propter diversos, quos habere putant, respectus, voces hasce, nimirum, unionem, unitionem, incarnationem, assumptionem, terminationem; revera tamen enuntative, & realiter sunt idem. Si vero accipiantur formaliter, per unionem intelligunt officium nexus, seu vinculi, quod unio exercet inter extrema; per unitionem accipiunt actionem, ex qua resultat unio, tanquam terminum; per incarnationem intelligitur exercitium illius nexus, seu vinculi actuale. Incarnationem dicunt, si sumatur effective, esse idem quam unionem; si vero sumatur formaliter, esse idem cum unione, aut melius credimus, dici posse, quod dicat duo unitorum mysterio, & in unionis principio felices Verbum, & carnem, nunquam unionem in prius esse sui. Assumptionem vero dicere differre ab incarnatione, quia secundum illos incarnationem dicit relationem Verbi ad assumptum, assumptionem vero dicere relationem carnis ad Verbum: at recte possent dici incarnationem, assumptionem, & unionem idem esse realiter, formaliter vero incarnationem dicere influxum Verbi in humanitatem, quem dicit ratam assumptio, sed hanc utpote personam in actu unionis ipsam illa utpote personam in actu unionis in facto esse: Unionem autem dici propter respectum, quem dicunt inter se extrema, quando sunt simul, & ad invicem sibi proprietates suas communicant, quod est substantialiter uniri. Terminationem eadem asserunt designare, effectum formalem, aut quasi formalem subsistentiæ Verbi respectu humanitatis; quod non negamus, stantes semper in sensu formali & metaphysico, non physico, & reali.

Secundo oportet etiam scire, quod terminus illius in Dissertationis nostræ proposito naturalis, & essentialis, varias præferant significationes, secundum quas variæ etiam rei, de qua loquimur, applicantur. Primo igitur si naturale, & essentiale intelligitur vere, & realiter, non hypostatice est naturalis, & essentialis, & in hoc sensu loquuntur Patres, & Concilia, sæpe appellantes illam naturalem, & essentialem. Secundo, si unio dicitur naturalis, quatenus est cæva humanitati Christi, eique conveniens a conceptione ipsius, sustinetur etiam loquutio, & bene dicitur unio naturalis. Tertio si naturale accipiatur prout contradistinguitur a supernaturali, aut a libero, & gratioso, unio nec est naturalis, nec essentialis; quia est omnino supernaturalis, & libera. Quarto si nomine unionis naturalis, & essentialis venit illa, quæ fit in unitatem essentiæ, & naturæ, unde resultet una natura, & una essentia; nec etiam unio dici potest naturalis, & essentialis; quia duæ sunt naturæ in Christo, divina, & humana. Ne ergo in tam ancipiti loquendi modo ulla sit erroris occasio, advertunt prudentiores Theologi, semper loquendum esse cum addi-

addito indicante sensum, in quo naturale, & essentiale, a loquente sumantur.

Tertio scire pariter oportet, unionem humanitatis cum Verbo simpliciter, & absolute semper dicendam esse subsistentialem, non denominative tantum, ut advertit Cacheranus, & ratione extremorum constituentium unum per se, sed intrinsece, & ratione sui formaliter; & hoc etiam si unio esset distincta realiter ab extremis. Quod est contra Nestorium, qui posuit inter Verbum, & humanitatem, solum unionem affectivam, & accidentalem, voluntatis, Christum, prout est Deus-Homo, non esse unum per se; quam hæresim in sequentibus ex professo impugnabimus. Est etiam contra Scholasticos quosdam, in eo, quod asserunt, unionem esse subsistentialem intrinsece, & ratione sui formaliter; ut apud citatum Cacheranum videre quisquis poterit.

Pro illo vero, quod quoque scripsimus in titulo; an scilicet unio humanitatis cum Verbo sit perpetua, & indissolubilis? Sit unica, & indivisibilis? Idem Cacheranus asserit, esse perpetuam, & indissolubilem, si sumatur simpliciter, & absolute, & præsertim in specie; non vero, si sumatur secundum quid, & respectu singularium partium corporis, etiam non præcipuarum. Primam partem probat ex illo Theologorum axiomate: Verbum quod semel assumpsit, nunquam dimisit. Secundam vero, quia aliquæ humanitatis partes, quæ fuerant a Verbo assumptæ, fuerunt deinde deperditæ, & ab unione solutæ; & hoc loquendo rigorose, & physice, non vero moraliter; quia moraliter potest dici, quod fuerit semper eadem humanitas in Verbo, prout est in quolibet homine in statu pueritiæ, juventutis, ad senectutis.

Subdit idem Cacheranus, unionem humanitatis cum Verbo simpliciter, & absolute esse unicam, & indivisibilem; secundum quid tamen posse dici, quod fuerit multiplex, & divisibilis. Et ratio est, quia cum unio sit inter duo extrema, eorundem extremorum est nexus, & unicus est nexus; & si extremorum nobilius est indivisibile, indivisibilis pariter est nexus, qui a nobiliori parte recipit denominationem. Et quamvis complexum sit divisibile, adeoque de ratione ipsius sit, ut possit dividi in sua componentia: attamen de ratione complexi est, ut possit dividi in sua componentia, tanquam in extrema simplicia, non tanquam in duo alia complexa, quamvis pauciora. Ex hinc est, quod unio hypostatica, seu a nobis in complexo, melius dicitur unica, & indivisibilis, quam divisibilis, & multiplex. His nihilominus non obstantibus, ex parte extremi minus nobilis, & minus principalis, potest unio denominari secundum quid divisibilis, & multiplex, ut pote duplex, humanitas enim est divisibilis, & potest dici, quod duæ compleantur naturæ, hoc est animam, & corpus; & in hoc sensu dicemus aliqui, in Christo esse tres naturas; unde etiam humanitas in hoc eodem sensu dici potest, quod sit duplex.

Denique pro ultima Dissertationis parte; in qua quæritur, an hypostatica unio sit omnium unionum maxima? Communiter Theologi docent cum S. Thoma, S. Bonaventura, Alense, Suarez, Vasquez, Oviedo, Mastrio, &c. Unionem hypostaticam simpliciter, & absolute esse omnium maximam in ratione unionis; quamvis possit etiam secundum quid dici non maxima; quod asserit Cacheranus; & ait esse, contra Durandum, & paucos alios.

Dicimus III. Unionem humanitatis cum Verbo simpliciter, & absolute esse omnium maximam in ratione unionis; possit tamen secundum quid dici non maximam.

I. Probatur, Ubi majus est unitum, ibi major est unio; sed unitum per unionem humanitatis cum Verbo est majus omni alio magnitudine perfectionis, & totalitatis, & aliqua etiam magnitudine unitatis: ergo unio ipsius est omnium maxima unitatum. Probatur minor. In unito per unionem jam dictam includitur Verbum divinum: ergo includitur tota perfectio Verbi divini, cum ratione personalitatis, tum naturæ; sed nullum unitum potest includere majorem perfectionem illo, quod includit totam perfectionem Verbi divini; ergo unitum per unionem humanitatis cum Verbo est majus omni alio magnitudine perfectionis, & totalitatis.

II. Probatur ratione unitatis. Illud unitum est majus in ratione unitatis, in quo extrema magis accedunt ad identitatem; sed in nullo alio unito magis extrema accedunt ad identitatem, quam in illo, quod fit ex Verbo divino, & humana natura: ergo illius unio est etiam maxima aliqua unitatis magnitudine. Major est certa; quia identitas in affirmatione unius ex alio magis elucet; quæ quidem affirmatio est identitatis signum. Minor probatur.

In

Digitized by Google

In nullo alio unito possunt extrema unita affirmari de se invicem substantive in concreto, quam de hoc, de quo loquimur: ergo in nullo alio unito magis extrema accedunt ad identitatem, quam in illo, quod fit ex Verbo divino, & humana natura. Probatur antecedens. Accipiamus hominem, hoc est unitum ex anima, & corpore; & tamen in illo extrema non affirmantur de se invicem substantive in concreto; non enim dici potest: in homine corpus est anima: at in Christo dicitur: homo est Verbum; homo est Deus: ergo in nullo alio unito possunt extrema unita affirmari de se invicem substantive in concreto, quam de hoc, de quo loquimur.

III. Probatur, Unio naturæ cum subsistentia est maxima omnium; sed omnium unionum excogitabilium naturæ cum subsistentia est maxima illa, Verbi cum humana natura: ergo hæc est vere omnium maxima. Major est certa ex enumeratione omnium aliarum unionum. Minor a nemine negari potest. Consequentia bene infertur.

Arguunt I. Quamvis non sit dabile perfectius unitum ratione Personæ, quam est Verbum, dabile tamen est ratione naturæ; quum possit esse natura angelica, quæ humana est perfectior. II. Etiam dari perfectius unitum, quod esset illud totum resultans immediate ex divina natura, & humana natura; quod per plurimos non repugnat; hoc autem esset in subsistentia divina absoluta, & absoluta perfectiora sunt relativis. III. Per Aristotelem possunt duo accidentia in eodem subjecto ad invicem in concreto affirmari; potest enim dici in lacte; album est dulce; et tamen hæc unio non est nisi per accidens: ergo non est argumentum majoris unionis argumentari a illa. IV. Unio hypostatica non est omnium maxima ratione doni, et beneficii: ergo neque in genere unionis. Probatur antecedens. Visio beata est donum, et beneficium omnium maximum, etiam unione hypostatica: ergo etc.

Respondemus ad I. Natura angelica est perfectior humana in esse entitativo, et naturali, non vero in esse obediențiali; quia potentia obediențialis eadem est in omnibus creaturis. Natura autem creata non est unibilis Verbo, nisi obediențialiter. Igitur unitum, quod esset ex Verbo divino, et natura angelica esset quidem perfectius unito ex Verbo divino, et natura humana, sed materialiter, et perfectione, quæ impertinens esset ad unionem.

Ad II. Admissa hypothesi subsistentiæ absolutæ, dicimus, quod quando hæc uniretur naturæ creatæ, uniretur ut terminus; quia, ut ait Cacheranus, solum per modum termini, et terminabilis, possunt substantialiter uniri Deus, et creatura. Persona autem divina, hoc est Verbum, quia est terminus magis ultimus, in ratione termini est perfectior subsistentia absoluta, quamvis hæc in aliis rationibus perfectior sit illa. Unde in ratione perfectionis, quæ pertineat ad immediatam unionem, personalitas Verbi constituit perfectius unitum cum humanitate, quam cum eadem constituat subsistentia absoluta divinæ naturæ, si cum illa uniretur, vel posset uniri.

Ad III. dicitur, quod affirmatio illa esset prout extrema considerata adjective, non substantive; unde non potest ex illa inferri major ad identitatem accessio. Et ratio est, quia adjectivum ex genere suo magis significat pluralitem, quam substantivum: ergo minus ad identitatem accedit, quam substantivum.

Ad IV. Verum est, quod Durandus, Marsilius, & alii pauci, putarunt, donum, & beneficium absolute omnium maximum, adeoque ipsamet unione hypostatica majus esse beatam visionem: Attamen contrarium docuerunt S. Thomas, Cajetanus, Alensis, Henricus, Scotus, Mastrius, Suarez, Vasquez, Amicus, & cum his Thomistæ, Scotistæ, & Recentiores communiter. Verum & suffragatur ratio convincens, quam affert Cacheranus, & hæc est. Humanitas ex unione cum Verbo magis perficitur, & dignificatur, quam perfici & dignificari possit ex ulla alia ratione, ergo ipsius unio cum Verbo est omnium maxima, etiam in ratione doni, & beneficii. Antecedens probatur. Ibi est major perfectio, & dignificatio ex unione, ubi est communicatio majoris perfectionis, & dignitatis, & modus nobilior, quo talis communicatio fit; sed in unione Verbi cum humanitate est communicatio majoris perfectionis, & dignitatis, & modus nobilior communicationis hujusce: ergo &c. Probatur minor. Ex unione ad Verbum humanitas habet sibi communicatam substantialiter, & intrinsece totam perfectionem, & dignitatem Personæ divinæ; sed hac communicatione, & hoc modo non est perfectior, nec dignior: ergo &c.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CLXX.

De Hæresibus contra hypostaticam Unionem : & præcipue de illa Nestorii. Quænam fuerint illius primordia, incrementa, & progressus? Quæ Concilia celebrata? Qui fautores principaliores, & qui impugnatores acerrimi?

PRæcipua Nestorii hæresis fuit contra hypostaticam Verbi unionem, & ex illa fluxerunt aliæ, quas contra Christum, & sanctissimam ejus Matrem, evomere non erubuit: Is enim asserebat, unionem Verbi cum humana natura non fuisse substantialem, at solummodo accidentalem; scilicet per dona, quæ fuerunt ab ipso Dei Verbo realiter distincta. Et ex hoc principio deinde inferebat primo, Verbum inhabitasse humanitatem, non alia ratione secundum speciem, quanvis diversa secundum gradum, quam illa, qua tota Trinitas omnes homines justos inhabitat. Secundo inferebatur, vel ab ipso, vel ab aliis, quanvis ab ipso non aperte, in Christo fuisse duplicem personam; unam, quæ fuit inhabitata, & fuit humana; alteram, quam dicebat inhabitantem, & erat divina. Tertio inferebat, Mariam Virginem non esse θεοτόκον, hoc est Deiparam, sed χριστοτόκον scilicet Christi matrem, vel etiam appellabat ἀνθρωποτόκον, nimirum hominis matrem; quia non Deum genuisset, sed purum hominem, hoc est Christum; qui deinde meruisset sua virtute singularem illam conjunctionem auctoritatis, & gratiæ cum Deo, qua Deus appellatus est, & adorationis cultu dignatus. Quarto demum inferebat, ut enumerat Jueninus, non debere admitti realem idiomatum communicationem; ac proinde non esse veras propositiones illas, in quibus modo tribuuntur Verbo, quæ conveniunt humanitati, modo tribuuntur humanitati, quæ conveniunt Verbo. Unde blasphemas condemnabat, & dicebat esse propositiones hasce; Deus est passus, Deus est crucifixus, Deus est mortuus; & Homo est immortalis, homo est beatus, homo est Filius Dei naturalis &c. Ex his igitur patet, primum radicem hæresum Nestorii fuisse errorem illum, quem contra hypostaticam unionem commentus est; ex quo postea omnes alii processerunt. Et hinc est, quod nos ad hunc locum tractationem ipsius adjecimus; sed primo convenit asserre quædam, quæ Nestorii personam respiciunt, postmodum de hæresis ipsius historia in hac Dissertatione, & in sequenti de ejusdem impugnatione tractatum.

Nestorius fuit nativitate Syrus, natus in Syriæ oppidulo, quod Germanicia dicebatur; professione Monachus, in Lavra S. Euprepii, prope Antiochiam, monasticam vitam agens; ordine Presbyter Antiochenæ Ecclesiæ deinde factus; dignitate demum Patriarcha Constantinopolitanus; ad quem sedem fuit hac rerum serie erectus. In Constantinopolitana cathedra post mortuum Nectarium sedit S. Joannes Chrysostomus; post Chrysostomum Arsacius, quia erat Nectarii frater; post Arsacium Atticus; post Atticum Synesius, vel ut alii scribunt, Sisinnius. Mortuo autem Synesio, vel Sisinnio, Clerus Constantinopolitanus divisus est in partes; quibusdam ex illo acclamantibus Proclum, aliis vero Philippum Presbyterum postulantibus. Tunc Theodosius junior, Imperator, ut partes componeret, tertium, & exterum proposuit, scilicet Nestorium, cum ex antiocheno presbyterio evocans; virum sane probitatis fama, doctrinæ opinione, ac eloquentiæ laude, insignem. Suidas eum vocat Pauli Samosateni nepotem; at Natalis Alexander vult, non fuisse sic dictum, quod eodem genere natus esset, sed ob doctrinæ consanguinitatem. Discipulus quidem fuit Theodori Mopsuesteni, a quo dicitur

hære-

Digitized by Google

hæresis suæ prima initia suscepisse. In magna profecto veneratione apud populos erat Nestorius; tum ob vitæ asperitatem, quam vultus pallore, & corporis macie, ostendebat; tum ob prudentiæ, & modestiæ decora, quæ in eo præseferebant gravitas frontis, & vultus tristitia; eum denique ob doctrinæ, ac sapientiæ opinionem, quam in ipso confirmabat librorum studium, & solitudinis amor.

Igitur ann. 427. Constantinopolim appulsus, quarto idus aprilis ibidem est ordinatus. In profligandis Hæreticis totus fuit; hæc prima regiminis sui cura; hoc præcipuum mentis suæ studium. Quod & Imperatori palam manifestare contendit, quando statim post inaugurationem suam, orationem ad Imperatorem habens, hæc inter alia dixit: *Tribue mihi, Imperator, terram Hæreticis purgatam, & ego tibi Cœlum tribuam. Tu mihi in profligandis Hæreticis subveni: Et ego tibi in profligandis Persis subveniam.* Et revera ut pontificalem thronum ascendit, totum ad persequendos Hæreticos se dedit. Primum Arianis, Macedonianis, Quartodecimanis, quorum ferax erat illud solum, bellum indixit implacabile. Deinde Theodosio Imperatori suasit legem illam, quam adversus hæreticos omnes tulit, & ad Florentium, Prætorio Præfectum, direxit. In Arianorum templo incendendo propriis manibus faces injecit; quamquam ex hoc invidiam ob incendii dilatationem fortuito factam, sibi conflaverit.

Hæresis autem suæ hæc fuere primordia. Ex antiocheno Clero duxerat secum Nestorius Constantinopolim Presbyterum quendam, cujus nomen erat Anastasius. Hic aliquando sermonem habens ad populum, vocavit sanctissimam Dei matrem Christiparam, & e suggestu dixit, nullo modo vocandam esse Deiparam. Commotus ex hoc populus apparuit, & turbas excitans, parum abfuit, quin in Concionatorem impium irrueret. At Nestorius nec Anastasium corripuit, nec anathematis fulmine percussit, nec ad palinodiam canendam obligavit; quin potius post aliquot dies illum in concione sua summis laudibus extulit; & in confirmationem impii dogmatis a Presbytero evulgati, dixit, in Christo Domino duas esse personas, sicut naturas duas, & Filios duos; quorum unus esset Deus ex Patre, & alter ex Matre homo; unde vere ejus Matrem non Deiparam, sed Christiparam, esse vocandam. Populus illum audiens statim in eum concitatus apparuit; unde per urbem commotio magna facta, Senatores, & Monachos præcipue omnes contra Nestorium incitavit. Nestorius nihil ex hoc melior factus, quin potius in Clericos cæpit insævire; quorum aliquos de gradu dejecit, alios carceribus mancipavit. Et evulgatis per provincias Concionibus ipsorum, omnes Orthodoxi indignati sunt, & contra illos fremere non destiterunt.

Inter omnes præcipuum se ostendit Cyrillus Alexandrinus, cujus sanctitatis, & doctrinæ fama per totum ferme orbem resonabat. Tres libros scripsit ad Theodosium, & ad Reginas, scilicet ad Pulcheriam, & Eudoxiam, in quibus enascentem Nestorii hæresim confutavit. Scripsit quoque aliis de eodem argumento epistolas, quæ ad Nestorium delatæ, in causa fuerunt, ut ipse in Cyrillum apertissime irasceretur, & insaniret. Cyrillus nihilominus christianæ charitatis dulcedine Nestorium hortabatur, ut ad se, ipsum rediret, & retractaret quæ forsan inadvertenter protulerat. At Nestorius vocans Cyrillum insolentem, & indoctum, contra illum epistolas Imperatori, & Romano Pontifici, qui tunc Cœlestinus erat, conviciis plenas dedit. Scripsit autem Cœlestino etiam Cyrillus; unde Pontifex coacta Romæ Synodo, Nestorium, ejusque hæresim solemniter damnavit. Post hæc Cœlestinus decem dies Nestorio ad resipiscendum, literis ad eum missis, præscripsit; & nisi pareret, excommunicationem ei comminatus est. Scripsit etiam Cœlestinus Cyrillo de rebus in Romana Synodo gestis; eique vices suas commisit, ut Nestorium, si non obediret, excommunicaret, & alium in ejus cathedra substitueret.

Cyrillus acceptis a Cœlestino literis morem gerens, Synodum Alexandriæ convocavit, ibique Legati quatuor electi sunt, qui Nestorio literas Romani Pontificis præsentarent; & epistolam quoque Synodi exhiberent, in qua duodecim capita, anathematismi, ab anathemate in Hæreticos, dicti, continebantur; & denique dierum decem spacium concessum a Cœlestino pro abjuratione præscriberent. At Nestorius omnia contemnens, fulmina fulminibus reprimere credens, anathemata anathematibus opposuit. Commovere etiam studuit Theosium Imperatorem contra Cyrillum,

Joan-

Digitized by Google

Joannem Antiochenum, aliosque Episcopos Syriæ, qui sibi amicitia erant conjuncti, & contra duodecim Cyrilli capitula, vel anathematismos, accusans illos tanquam de Apollinaristarum hæresi suspectos. At Theodosius cogitans perdifficile esse simultatibus hisce finem dare, & fidei controversias componere, sine generali Concilio; Cœlestinum Romanum Pontificem rogavit, ut illud indicere, convocare, ac peragere dignaretur. Hoc idem a Cœlestino exorarunt Cyrillus Alexandrinus Antistes, Basilius, & Archimandritæ Monachi. Unde Pontifex ad proxime sequentis anni 431. Pentecosten Concilium indixit, & Ephesi celebrandum publicavit.

Primus omnium Nestorius Ephesum convenit post paschales ferias, & magna hominum caterva comitante apparuit; postmodum instante Pentecostes die advenit Cyrillus, ut Apostolicæ etiam Sedis Legatus, & cum eo ducenti Episcopi advenere. Imperator advocaverat magnum Augustinum, qui tunc inter vivos erat; sed morte præventus, advenire non potuit. Legati etiam Romanæ Sedis accesserunt, Arcadius scilicet, & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter: unde Cyrillus ut Sedis Apostolicæ Legatus, antequam Legati accessissent, Concilio præfuit, & suæ etiam sedis jure. Ephesi in Ecclesia B. Mariæ exordium habuit Concilium, Pentecostes die, decimo Kalendas Julias ann. 431., & in eo actiones septem, seu sessiones, habitæ sunt. In quarum prima fuit rite Nestorius citatus; at non comparuit, & Concilii Legatos sprevit, & mandata non curavit. Quod quum vidissent Patres, ad judicium devenere; unde lectis Cyrilli ad Nestorium, & Nestorii ad Cyrillum, epistolis, prænunciata Nicœna fide, examinatis Nestorii erroribus, atque blasphemiis, lata est in eum excommunicationis, & depositionis sententia, atque illius hæresis damnata. Hoc tempore Joannes Antiochenus, Nestorii fautor, qui Ephesum quoque adventaverat, conciliabulum in suis ædibus coegit, & in eo depositionis sententiam in Cyrillum, & in Memnonem, Ephesiorum Episcopum, tulit. In Actione secunda Romani Pontificis Legati, Ephesum jam appulsi, in Concilio apparuerunt. Lectis Cœlestini literis ad Concilium, Patres conclamarunt. Novo Paulo Cœlestino, Cœlestino custodi fidei; Cœlestino cum Synodo concordi; universa Synodus gratias agit. In Actione tertia lecta sunt Acta in causa Nestorii in prima Actione, & Legati ea omnia probarunt, & sua subscriptione firmarunt. In actionibus quarta, & quinta, quia Cyrillus conquestus fuerat, Joannem Antiochenum depositionis sententiam in ipsum, & in Memnonem tulisse, & evulgasse pariter contra ipsum, quod Apollinaristarum hæresis sectator esset; idem Joannes Antiochenus fuit a Concilio damnatus. In Actione sexta damnarunt Patres Symbolum Theodori Mopsuesteni, & prohibuerunt conscriptionem alterius fidei a Nicœna, & novi Symboli confectionem. In Actione tandem septima ediderunt Patres tredecim capitula, seu canones, in Nestorii blasphemias jam confecta, & in Concilii exordio probata; & octo pariter alia capitula, seu canones, in quibus præscribitur methodus procedendi cum Nestorii Sectariis; in quorum ultimo Episcopis est jussum, ne in alienis Diœcesibus ordinationes facerent. Denique in hoc Concilio, ad reparandam injuriam B. Virgini, Dei Matri, a Nestorii hæresi illatam, decretum est, ut in Oratione Angelica, ubi dicitur: *Sancta Maria*: adderetur deinceps, *Mater Dei, ora pro nobis Peccatoribus &c.*, quod ex Coriolano in sua summa Conciliorum refert Petrus Annatus in Concilio Ephesino.

Post explectum Concilium, quia Candidianus, ad Imperatore Ephesum missus, ut secularium hominum, & Monachorum turbas conprimeret, Joannis Antiocheni fautor factus fuerat, res Concilii non ea veritate Imperatori retulit, qua Cyrillus, aliique Patres retulerant. Commotus proinde Imperator Ephesum misit Irenæum Comitem, qui Candidiano Nestorium, Jacobo vero Comiti Cyrillum, & Memnonem, custodiendos tradidit. At Concilii Patres Imperatori scripserunt, rogantes eum, ut sacrosanctæ Synodi acta non perturbarentur, nec Schismaticis daretur ansa novas turbas in Ecclesia suscitandi. Imperator advocat Constantinopolim Episcopos ex utraque parte; illosque audiens, tandem improviso decrevit, ut Episcopi Concilii, qui in imperiali urbe inveniebantur, Constantinopolitanum Patriarcham eligerent. Quod factum est; & die 25. Octobris Maximianus, ex Monacho Presbyter, Patriarcha consecratus apparuit.

Igitur

Digitized by Google

Igitur recolentes modo Concilia, quæ in causa Nestorii habita sunt; ponimus primo loco Romanum, de quo diximus, quod Cœlestinus Romanus Pontifex celebravit ann. 430. Secundo Alexandrinum, eodem anno a Cyrillo coactum; de quo etiam diximus. Tertio Ephesinum 1., quod fuit Oecumenicum tertium ann. 430. celebratum; de quo pariter satis loquuti fuimus. Quarto Antiochenum ann. 432. a Joanne Antiocheno convocatum; in quo a suæ etiam factionis Episcopis decretum est, ut Joannes ad parendum Imperatoris mandatis pergeret, Nestorianam hæresim damnaret cum Auctore suo, communicationem peteret cum Romano Pontifice, & cum Cyrillo Alexandrino. Unde Antiochenus Nestorianam hæresim damnavit, approbavitque Nestorii depositionem, & Maximiani electionem, ac denique communionem cum Cyrillo petiit, & obtinuit. Quinto Concilium Armenienſe, ann. 435. sub Sixto III. ab Armeniæ Episcopis habitum; in quo damnati sunt nonnulli Nestorii libri, vel potius Nestorianorum, in quibus Theodori Mopsuesteni, & Diodori Tarsensis blasphemiæ continebantur; quos deinde pariter damnavit, ad hujusce Concilii Patrum instantiam, Proclus Constantinopolitanus Patriarcha. Sexto demum Romanum sub Joanne II. Romano Pontifice ann. 533. vel 534. celebratum contra Acæmetas Monachos. Monachi isti Acæmetæ dicebantur a verbo græco Ἀκοιμῆται; hoc est *Insomnes*; quia in Monasterio Scythiæ in tres Classes dividebantur, quarum una continuo divinas laudes per turnum die, noctuque, succedente altera, & postea altera, canebat. Hi omnes erant Eutychianæ hæresis sectarii, qui dicebant Chalcedonenſi Concilio addendum esse: *Unum de Trinitate passum in carne*; quod negabat Victor Dianus, acerrimus Chalcedonensis Concilii defensor. Et quum fuisset causa delata ad Hormisdam Pontificem, hic damnavit Monachos Acæmetas; nihil addendum esse respondit; ac tandem propositionem illam: *Unus de Trinitate passus est in carne*; a Concilio Chalcedonenſi rejecit. Acæmetæ Monachi ex hac Hormisdæ definitione postmodum in Nestorianam hæresim descenderunt, dicentes: Si unus de Trinitate non est passus in carne; ergo neque natus in carne; ac proinde B. Virgo non est dicenda Deipara. Quod quum pertinaciter propugnarent, ad Joannem II. scripsit Justinianus Imperator, & scripserunt pariter Monachi. Joannes II. Romanus Pontifex, habito Romæ Concilio, in eo Acæmetas Monachos ut Nestorianos damnavit; definiens, catholice, & pie dici posse: *Unum de Trinitate passum in carne*; & declarans in quo sensu Hormisdas eandem propositionem rejecerit, atque damnaverit. Scilicet Hormisdam damnasse hac propositionem non uti hæreticam, sed tantum velut novam, & insolitam, ac suspectam de Eutychiana hæresi. Unde accepta propositio illa nuda, ac separatim, & ut in se est, non est rejicienda, nec improbanda; ut vero subdole subtegitur Eutychianorum fraudibus, & ut addenda Chalcedonenſi Concilio quasi imperfecto per malas illorum artes, suspecta est, nova, insolita, ac rejicienda, & improbanda. Remanet, ut subdamus Conciliabulum, quod in causa Nestorii celebravit Joannes Antiochenus eodem tempore, quo Ephesinum generale celebrabatur; de quo pariter mentionem fecimus nuper.

Inter Nestorianæ hæresis fautores primus habendus est Joannes Antiochenus, qui Conciliabulum Ephesi, quo tempore Concilium œcumenicum habebatur, celebravit. Non adfuit Joannes Ephesi ad dictam diem, sed moram traxit cum suis Orientalibus, ut rem gratam faceret Nestorio; quod afferit Natalis Alexander ex Relatione Ephesinæ Synodi ad Cœlestinum Papam, & ex Evagrio lib. 1. c. 3. Attamen deinde Ephesum adventans, in suis ædibus congregavit seorsim Conciliabulum; in quo contra Cyrillum dixit depositionis sententiam, quasi Arii, Apollinaris, & Eunomii hæreses in suis anathematismis doceret; dixit quoque contra Memnonem, quod in civitate omnia per vim, & metum disponeret, & per violentiam gereret; dixit denique contra alios Patres, nisi, post statutam diem, Cyrillum, & Memnonem relinquerent, & ad suas partes transirent. Fuerunt etiam fautores ejusdem Candidianus Comes, Irenæus Comes, & Jacobus pariter Comes; ut dictum est. At hi omnes Nestorianam hæresim facto patrocinari sunt, non scripto. Modo ad illos devenimus, qui eam scripto defenderunt.

Eutherius, Tyanensis Episcopus, direxit ad Eustathium, Parnassi Episcopum, opus in sermones viginti distributum, in quibus Nestoriana hæresis docetur, ac propugnatur.

Digitized by Google

tur. Sermones hosce attribuerunt quidam S. Athanasio, alii S. Maximo martiri, alii ignoto Auctori, & nuper Garnerius testimonio Marii Mercatoris tribuit Eutherio; illorum fragmenta referens, ac evulgans sub nomine Eutherii, Nestorianæ partis Episcopi. Insuper eandem hæresim scriptis suis sustentarunt Andreas Samosatensis, & Theodoretus, Cyri Episcopus; qui scripserunt contra duodecim anathematismos S. Cyrilli, quibus hæresis invicte impugnabatur; accusantes Cyrillum, Arii, & Apollinaris hæresis. Testatur de Theodoreto Agobardus, Archiepiscopus Lugdunensis lib. contra Felicem Urgelitanum. Insuper Theodoretus propugnavit caussam Nestorii in Pentalogio; scilicet in quinque libris editis contra S. Cyrillum, & Ephesinam Synodum post anathematismos; & horum librorum fragmenta latine reddidit Marius Mercator.

Inter vero Nestorianæ hæresis Impugnatores Natalis Alexander dat primum locum S. Proclo, ex Constantinopolitano Presbytero Cyziceno Episcopo facto. Hic coram ipso Nestorio recitavit Homiliam de Deipara in festo Annunciationis B. Virginis ann. 429. Scripsit quoque Epistolam de Incarnatione ad Armenos, in quo Mopsuesteni, & Nestorii, errores refellit. Post hunc ordine quidem, at fortitudine, doctrina, ac labore, non secundus, sed primus dicendus est S. Cyrillus, Alexandrinus Episcopus. Hic Nestorianam hæresim epistolis, Anathematismis, homiliis, ac libris quinque Contradictionum adversus Nestorii blasphemias, egregie infectatus est. Deinde Marius Mercator, Nestorii capitula confutavit, & de duodecimo ejus anathematismo longam publicavit Dissertationem; insuper epistolam scripsit de collatione errorum Nestorii cum dogmatibus Pauli Samosateni. In latinum quoque traduxit Sermones Nestorii, & plura alia monumenta, quæ nestorianam caussam spectabant. Hæc omnia nuperis temporibus Joannes Garnerius edidit, ac Dissertationibus illustravit. Insuper Joannes Cassianus adversus tres Nestorii Tractatus composuit opus egregium de Incarnatione Christi dictum, & in septem libros distributum, & Leoni, Romanæ Ecclesiæ Archidiacono, qui eum ad scribendum suaserat, dedicatum. Adnumeratur quoque Theodotus, Episcopus Ancyranus, qui interfuit Concilio Ephesino, in quo orationem contra Nestorium recitavit. Singulari etiam libro Nestorium confutavit, quem latinum reddidit Combefisius. Leontius Byzantinus librum scripsit insignem de Nestorianorum impietate, secreto tradita principio, & de ejus parentibus triumphus.

Theodosius Imperator, quanvis aliquando Nestorianæ factioni favere visus fuerit, nunquam tamen favit errori; quem cum plene detexisset, contra illum, ejusque Auctores, Edicta ferre illico determinavit. Igitur ann. 435. legem tulit, eamque direxit ad Leontium Prætorio Præfectum, in qua edixit, Nestorianos non Christianos, sed Simonianos, fore vocandos; quemadmodum Constantinus magnus Arianos Porphyrianos dicendos sanxerat. Prohibuit quoque omnibus librorum Nestorii lectionem; & illos omnes, ubique conquisitos, flammis comburi jussit. Hujus legis exemplar legitur in Actis Concilii Ephesini 3. p. c. 45., & etiamnum invenitur in Codice Theodosiano l. ult. C. de Hæreticis. Nestorius deinde relegatus in Monasterium Euprepii prope Antiochiam, adhuc pertinaciam suam servabat, qua hæresim voce, & scripto, quaquaversus publicaret. Unde Imperator, instante Joanne Antiocheno, amico primum Nestorio, deinde veritatis amico, & Nestorii implacabili adversario, eum in Oasim in exilium relegavit; & ann. 435. deportationis Edictum dedit. Mutavit deinde Nestorius exilii locum propter Barbarorum incursiones; ac tandem misere obiit lingua vermibus exesa; quæ pœnas etiam in hoc seculo luit blasphemiarum, quas in Christum, & in ejus sanctissimam Matrem, evomuerat.

Ex Cardinali Bellarmino habemus contr. t. 1. lib. 3. de Incarnat. c. 5. Nestorii hæresi non obscure faviſſe, nostrorum Patrum temporibus, Lutherum, atque Calvinum. Lutherus etenim in Concione de Nativ. Domin. dixit: *Imperiti quidam Christum hominem omnipotentem faciunt*. At aliis in locis ita contrarium asserit, ut ipsimet Bellarmino magis Eutychianista, quam Nestorianus fuisse videatur. Hoc pariter observavit Beza; qui in fine libri, quem scripsit adversus theses Jacobi Andreæ, recitat Lutheri sententiam, quam retulimus, & de suo addit: Germaniæ, & totius mundi peccata feciſſe, ut in ea confessione Lutherus non perseveraverit. Calvinus vero lib. 1. instit. c. 13. §. 9. disputans de Christo, ut est Persona divina, scri-

Digitized by Google

scribit : *Mediatoris personam nondum attingo*. Et §. 23. *Respondeo, Dei esse Filium, quia sermo est a Patre ante secula genitus: nondum enim de Mediatoris Persona nobis sermo est*. Et §. 24. *Nam ex quo manifestatus est in carne Christus, Filius Dei vocatur; non tantum quatenus ante secula genitus ex Patre fuit æternus Sermo, sed quia Mediatoris suscepit personam, & munus*. Verbis hisce, quis non videt, quod Calvinus in Christo duas personas distinguat, unam Filii Dei, Mediatoris alteram? Inaniter autem excusatur, si dicitur, quod nomine personæ Mediatoris intellexit non substantiam, sed qualitatem; sicut apud nos dicitur, hunc, aut alium personam Medici, vel Judicis, suscepisse. Etenim ipse ibidem §. 6. ait: *Personam voco subsistentiam*. Verum in toto illo capite Personam intelligit, ut exprimat substantiam incommunicabilem. Præter autem Lutherum, & Calvinum, ut diximus, favent quoque Nestorii hæresi Brentius in lib. de majest. homin. Christ. ubi repetit sæpissime, Filium Dei esse in Filio Mariæ; & Smidelinus in thesibus.

Attamen Lutherus Zuinglianos Nestorianos vocabat lib. de Conciliis, in quo scribit: *Paulo ante negotium mihi fuit cum Nestorianis* (*Zuinglianis* subdit Coccius) *qui pertinacissime contra me pugnabant, quod Divinitas Christi pati non posset, &c. Dicendum est, hic homo Christus, hæc caro, & sanguis condidit cœlum, & terram*. Brentii verba cit. loc. refert idem Coccius, & hæc sunt: *Filius Dei sic se habet in Filio hominis, ut evehat ipsum una secum in divinam majestatem, & effundat in eum omnes proprietates*. De Theodoro Beza, opusculo, quo ad Brentii argumenta respondet, Genevæ impresso 1570. fol. 513. 638. 639. hæc ab eodem Coccio narrantur: *In Christo duæ sunt uniones hypostaticæ, una inter corpus, & animam, dum sibi personaliter junguntur: altera inter Verbum & hominem, ut simul conveniunt ad unum constituendum Christum*. Et quod quum de hoc fuisset a Jacobo Andrea reprehensus, respondit: *Vere corpus & animam personaliter conjungi, & personam constituere humanam*. Joannes Sommerus lib. 1. cont. Petrum Carolium c. 3. hæc scribit: *Copulatio, sive unio hypostatica duarum naturarum, ut in Scripturis inaudita, sic apud Philosophos portentum est stuporis, & absurditatis plenum*. Et lib. 2. c. 12. *In unica Christi natura duæ diversæ conditiones, formæ, figuræ, imagines conspiciuntur; altera contemptus, & miseriarum; altera gloriæ, honoris, dignitatis, & majestatis plenissima*.

Verum plerique docent, nonnullos alios Hæreticos Nestorium præcessisse, qui illius hæresim præformarent. Sane Nestorio præiverunt Paulus Samosatenus, Photinus, & alii, qui Christi divinitatem inficiati sunt. Attamen hoc cum hac restrictione intelligendum est, quod Nestorius, saltem voce tenus, dixerit, Christum esse Deum, esse unum Filium, esse unam Personam; at de unitate tantum oeconomica loquebatur; ne uti Paulianista, & Photinianus, haberetur. Revera tamen genuinus illius sensus erat, quod Christus non alio modo esset Deus, quam homines, quos Scriptura Deos appellat, ut diximus, vel propter dignitatem, vel propter eminentiam quandam; & per consequens non alia unitate esse unum, quam unitate morali, quæ in consensione, & concordia posita est; ut ait Jueninus.

Hic idem subdit, quod quanvis inter Samosateni, & Photini, & Nestorii dogmata, magna fuerit similitudo, Nestorius tamen non ab his, sed ab aliis, suam hausit hæresim. Scilicet hausit a Diodoro, Tarsi in Cilicia Episcopo, qui fuit magister Theodori, Mopsuestiæ Episcopi, & S Joannis Chrysostomi; ut asserit Theodoretus lib. 5. hist. c. 39. Diodoro etiam præfato Cyrillus Alexandrinus in priore epistola ad Successum, hunc errorem adscribit; quod alius sit Filius, qui natus est ex Virgine; alius, qui e sinu Patris ab æterno est genitus.

Observat quoque citatus Jueninus, Nestorii hæresim multum fuisse affinem cum Pelagiana; & pro argumento addit, quod Pelagiani, quum essent in toto Occidente damnati, a Nestorio tamen fuerunt in Oriente benigne excepti; & quod in Conciliabulo, a Joanne Antiocheno celebrato contra Cyrillum, & Concilium Ephesinum, Pelagiani a Nestorii partibus steterunt. Affert quoque S. Prosperi carmina, quibus utriusque hæresis affinitas ostenditur: *Nestoriana lues successit Pelagianæ; Quæ tamen est utero progenerata meo. Infelix miseræ genitrix, & filia natæ, Prodivi ex ipso germine, quod peperi. Nam fundare arces meritis prior ausa superbis, In capite ad corpus ducere opus volui. Nam Christum pietate operum, & mercede volentes, Esse Deum, in capitis fœdere non stetimus: Speranteque animi de libertate coronam, Perdidimus quam dat gratia justitiam*. Denique dicit, inter Pelagianos, qui ex-

presse Nestorianam hæresim profitebantur, fuisse singularem Leporium Monachum. Qui tamen deinde ejuravit errorem suum in libro, seu libello emendationis, quem porrexit Aurelio, Carthaginensi Episcopo, & Augustino, Episcopo Hypponensi.

Verum alia sunt multa, quæ ad dicta superaddi possunt, & alia, quæ contra dicta possunt opponi; ne in his manchi simus, omnia colligere studuimus, & in sequentibus oppositionibus, ad quas opportunas dabimus responsiones, examinare.

Opponunt ergo I. Concilium Ephesinum non fuit canonicum; quia non a Romano Pontifice, sed a Theodosio Imperatore, convocatum; tum etiam, quia in eo non præsiderunt Apostolicæ Sedis Legati, sed Cyrillus Alexandrinus, etiam postquam Legati Ephesum appulerunt, & Concilio præsentes fuerunt. II. Idem Concilium non fuit generale; quia Episcopi Patriarchatus Antiocheni eidem non interfuerunt, nec illud probarunt; immo alteri Concilio adfuerunt, in quo omnia acta in Ephesino sub Cyrillo rescinderunt, atque damnarunt. III. Fuit multorum constans sententia, Nestorium revera non negasse substantialem Verbi cum humana natura conjunctionem; sed asseruisse aliquâ, ex quibus negatio illa inferebatur: ergo non est verum, quod radix hæresis Nestorii fuerit negatio unionis substantialis præfatæ; ut superius dictum est a nobis. IV. Habemus ex Socrate lib. 7. hist. eccles. c. 32. Nestorii errorem fuisse tantum, quod nollet B. Virginem Deiparam vocare, ne videretur initium dare æterno Verbo cum Arianis; unde alienus fuit ab erroribus Samosateni, & Photini: *Nec tamen mihi videtur imitari Paulum Samosatenum, aut Photinum, & Dominum omnino simplicem hominem dicere, sed solum Deiparæ vocem tanquam larvam reformidare.* V. Joannes Antiochenus in ep. ad Nestorium, quæ invenitur 1. p. Concilii Ephesini c. 25. illud hortans, ut ad Ecclesiæ unitatem accedat, non de alio errore loquitur, quam de illo, qui circa Deiparæ nomen versabatur: ergo signum est, illum solum Nestorii errorem fuisse. VI. Nestorius ipse ser. 11. unum tantum Filium agnoscit in Christo: *Christus, secundum quod est Christus, indivisus est; & Filius, secundum quod est Filius, indivisus est: Non enim habemus duos Christos, vel duos Filios.* Item in epist. ad Cyrillum, quæ invenitur in actis Concilii Ephesini p. 1. c. 9. laudat Cyrillum, quod admittat in Christo duas naturas in una persona conjunctas: *In eo autem laudo, quod distinctionem naturarum, secundum divinitatis, & humanitatis rationem, harumque in una persona conjunctionem prædicas.* Insuper non semel se explicavit, admittere vocem Deipara, modo non dicatur, Virginem esse Deam; & signanter ser. 6. *Dixi jam sæpius, si quis inter vos simpliciter voce Theotocos gaudet, apud me nulla est de voce invidia; tantum ne Virginem Deam*; & in epist. ad Cœlestinum Papam ait: *Ferri tamen non potest hoc vocabulum.* Et denique ser. 12. fatetur, se non damnare vocem illam, nisi in sensu Arii, & Apollinaris usurpatam: *Damna eos, qui dicunt secundum Apollinaris, & Arii sensum, Dei genitricem, & ego una tecum clamo, Theotocon*; & hanc reddit rationem: *Filius Dei natus est, Deus Verbum, & homo: ergo quæ peperit, propter unitatem dicatur Dei genetrix, Theotocos.* VII. Nestorius a Cyrillo implacabilem passus est persequutionem, quia Cyrillum in suis capitulis Apollinaristarum hæresis accusaverat; hæc autem non fuit sola Nestorii accusatio; quum plerique ex Orientalibus hanc suspicionem de Cyrilli doctrina habuerint. VIII. Cyrillus ipse sua capitula aliquando reformavit, ac revocavit; & præcipue quando subscripsit confessioni fidei, quam miserunt ad eum per Paulum, Emisenum Episcopum, Orientales; & quando ab Orientalibus non exegit, ut suis capitulis assentirentur, & subscriberent; & denique quia Theodoretus in epist. 112., quæ est ad Domnum, Patriarcham Antiochenum, testatur, post initam cum Cyrillo pacem: *Nec prius illi* (Cyrillo), *qui hæc* (capitula) *scripserat, communicavimus, quam iis, quæ exposueramus, assentiens, consonam his doctrinam accomodavit, nullam capitum illorum faciens mentionem.*

Respondemus ad I. Concilium Ephesinum vere fuisse canonicum, quia Theodosius illud non convocavit, nisi a Cyrillo rogatus, cui Cœlestinus in Nestorii causa id muneris imposuerat. Evagrius hist. lib. 1. c. 3. testatur: *Cyrillus petit a Theodosio, qui tunc Imperium Orientis administrabat, ut ejus mandato prima Synodus Ephesi congregaretur.* Cyrillus quoque præfuit Concilio, nomine Romanæ Sedis. Cœlestinus sic scribit in literis ad Clerum Constantinopolitanum datis: *Vicem nostram sancto fratri meo Cyrillo delegavimus.* Unde Cyrillus ante Occidentalium adventum præ-

fuit

Digitized by Google

fuit Concilio nomine Pontificis, & nomine proprio; nomine proprio, quia erat tunc temporis primus Patriarcha post Romanum; unde conveniens erat, ut absentibus S. Sedis Legatis ipse Concilio præsideret. Nomine Romani Pontificis, quia, ut diximus, ipsi Romanus Pontifex Cœlestinus vices suas imposuerat. Unde Cœlestinus sic in literis suis Cyrillum alloquitur: *Quamobrem nostræ Sedis auctoritate adscita, nostraque vice, & loco cum potestate usus &c.* Et Cyrillus ipse dicitur Concilii act. 1. *Cœlestini Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinuisse.* Nec dici valet, quod per delegationem Arcadii, Projecti, & Philippi, Romanæ Sedis Legatorum, delegatio Cyrilli cessaverit; quia ea mandati loca debent intelligi per conjunctionem cum Cyrillo, non autem per exclusionem; ut sit sensus: Cœlestinum mandasse Arcadio, Projecto, & Philippo, ut simul cum Cyrillo, jam tunc ejus Legato, Romanæ Sedis vices agerent, & Concilio præsiderent; ut fatetur quoque Jueninus, & ipse Gallus.

Ad II. Concilium Ephesinum fuit vere generale, quia ad illud vocati sunt omnium Ecclesiarum Episcopi. Socrates lib. 7. hist. c. 34. testis est: *Omnes undique Episcopos ad civitatem Ephesiorum convocavit.* Insuper ex Oriente bis centum Episcopi Concilio interfuerunt; ex Occidente vero, omnes Episcopi, qui Romano Concilio contra Nestorium adfuerunt, Ephesino pariter consenserunt. Unde Ephesini Patres in sua ad Theodosium relatione, quæ habetur post actionem 3. Concilii, hæc habent: *Quia ergo Viri ipsi* (Occidentales Legati Romanæ Sedis) *totius Occidentis sententiam nostræ huic Synodo per literas exposuerunt, sanctumque de fide & pietate consonum declararunt, & eadem, quæ nos, decreverunt &c.* Episcopi autem Patriarchatus Antiocheni fuerunt pauci numero, scilicet paulo plus triginta, ut scribunt Patres Concilii ad Provinciarum Episcopos; immo non interfuerunt Concilio ex sua culpa; quia differre tentabant Concilium, ne lis finem haberet; ut multorum est assertio; denique Episcopi illi Concilium susceperunt, ac probarunt, quia pax fuerat inita inter Cyrillum, & Joannem, inter quos non erat discordia propter dogma Nestorii, sed propter personam. Quare Socrates lib. 7. hist. c. 34. hæc de Joanne scribit: *Cyrillum aversatus est, quippe qui temerario, & præcipiti impetu, ut ipse Joannes tunc credebat, ad depositionem Nestorii prorupisset.*

Ad III. Quanvis fuerint aliqui censentes, Nestorium revera non negasse substantialem Verbi cum humana natura conjunctionem: Omnibus tamen aliis, tum antiquis, tum recentioribus, in comperto fuit, Nestorium admisisse moralem tantum, non vero realem, ac substantialem unionem inter Verbum, & humanam naturam. Fatetur hoc ipse Nestorius anathematismo primo inter illos, quos opposuit anathematismis Cyrilli: *Si quis eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, & non potius nobiscum Deum . . . anathema sit.* Fatetur insuper quaternione 27. libri ab eo scripti, & qui habetur act. 1. Concilii; ubi asserit, Christum dici Deum, dici Filium Dei, dici Sanctum, ea solum ratione, qua homines quidam, quorum meminit Scriptura, dicti sunt Dei, Filii Dei, Sancti: *Verbum ut rerum omnium opificem Deum appellamus, & Moysen rursum Deum; ait enim: Constitui te Deum Pharaonis, & Israel Filium Dei. Nam filius* (inquit) *meus primogenitus Israel est; & sicut Saul appellatur Christus: non enim* (inquit) *injiciam manum meam in eum, quia Christus Domini est: Et de Cyro similiter dictum est: Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro: Et Babylonios Sanctos: Ego enim* (ait) *præcipiam eis; sanctificati enim sunt, & ego ducam eos: Ita quoque Christum Dominum, & Deum, & Filium, & Sanctum, & Christum, appellamus.* Fatetur quoque variis in locis, nec esse, nec dici debere Deum, illum, qui conceptus est in sinu Virginis, & qui ex ea natus est: *Non per seipsum Deum est, quod in utero figuratum est.* Et quaternione 21. *Divina proinde Scriptura Deum ex Christipara Virgine genitum esse nusquam affirmat, sed Jesum Christum, & Filium, & Dominum.* Act. 1. Conc. Ephes. habet: *Deum bimestrem, aut trimestrem non adoro.* Quater. 6. *Non per se, & secundum se, Deus est, quod in monumento conditum est.* Si enim realiter negavit Christum esse, ab substantialiter Deum, negavit quoque in Christo realem, ac substantialem Verbi cum humanitate unionem. Præterea Nestorius inter Verbum, & humanitatem tantum admisit unionem, quæ est inter templum, & inhabitatorem templi; inter rem, quæ fertur, & personam, quæ fert; inter duos, qui fruuntur eadem communione honoris, ac dignitatis: Quod totum videri potest in Conc. Ephes. c. 9. p. 1. & in ejus Quaternion. 16. & lib. 3. apud Cyrillum

pag.

Digitized by Google

pag.90. ergo negavit veram, & substantialem unionem. Insuper Nestorius admisit in Christo duas personas; unio substantialis non fit in natura, sed in persona: ergo ubi non est una persona, non est vera, & substantialis unio. Quod Nestorius duas personas admiserit, habemus in ejus anathematis. 5., & in 7., & in 10. Denique Nestorius omnia, quæ ex hac substantiali unione oriuntur; nimirum B. Virginem esse Deiparam; negavit, ea, quæ propria sunt carnis, tribui debere Verbo per idiomatum communicationem &c. Quæ leguntur in anathematis. 4. 1., in epist. ad Cœlestinum &c.

Ad IV. Nestorius in iis, quæ ad Trinitatem spectant, dissentit a Paulo Samosateno; in iis vero, quæ Incarnationem respiciunt, ejusdem fuit cum illo erroris. Hoc veteres omnes Scriptores fatentur; & Socrates, si aliter refert, Nestorii mentem non est assequutus. Unde credidit ipse quoque, ac Paulum, Christum non fuisse verum Deum, sed purum, ac simplicem hominem; præditum tamen a Deo præstantioribus donis, ac cæteri homines. Denique quod non fuerit solus ille error, quem objectio commemorat, in Nestorio, ex præcedenti responsione luce ipsa fit clarius.

Ad V. Nondum Joannes Antiochenus Nestorii hæresim detexerat, quando illa scribebat; sed Nestorii artibus delusus, illi credebat, & suam causam patrocinabatur. At deinde quando cum Cyrillo concordiam instituit, aperte Nestorii virus detexit, eumque toti orbi manifestare non omisit; ne cæteri homines subdolis Hæresiarchæ insidiis perderentur.

Ad VI. Nestorius agnovit utique in Christo Filium unum, sed unitate morali, non physica. Priorem unitatem constituebat in consortio honoris, ac dignitatis cum Verbo; posteriorem vero in communicatione reali propriæ hypostasis. En sua verba apud Cyrillum lib. 2. cont. Nestorium fol.44. *Nec duos habere nos Christos, vel Filios duos; sed unum, & eundem esse dignitate non natura*. Insuper Nestorius admisit in Christo unam personam non a parte rei, sed juris fictione; in jure enim una persona dicuntur qui potiuntur eadem societate, vel dignitatis, vel potestatis, vel etiam consortii; licet sint plures a parte rei personæ; ut patet in Viro, & Uxore, in Patre, & Filio &c. Denique, admisso, quod Nestorius non negaverit vocem Deipara, dummodo Maria non diceretur Dea, & dummodo excluderentur sensus Arii, & Apollinaris; attamen negari non potest, quod putaverit quoque, Mariam in sensu Cyrilli esse Deam, ac sensum Catholicorum esse sensum Apollinaris, & Arii. Hoc sufficit ad mentem ejus detegendam, cujus error erat palpabilis, & odium in Catholicos implacabile. Hoc totum confirmatur ex eodem Nestorio in ep. ad Cœlestinum: *Si quis autem hoc nomen, Theotocon, propter naturam humanitatem conjunctam Deo Verbo, non propter parentem proponet; dicimus quidem, hoc vocabulum in ea, quæ peperit, non esse conveniens: oportet enim veram matrem de eadem esse essentia, qua ex se natum*.

Ad VII. dicitur, quod Antiocheni Episcopi in Conciliabulo Joannis damnarunt primo capitula Cyrilli, post Nestorium; & post ipsos Theodoretus, Ibas, Gennadius, Isidorus &c.; sed errore facti, non errore juris; hoc est, eandem illi habebant cum Cyrillo de Incarnatione doctrinam; sed abducti ex amore erga Nestorium, & ex simultate contra Cyrillum, ita obcæcati sunt, ut Cyrilli mentem minime assequerentur. Habemus Facundum Hermianensem lib. 6. fol. 242. pro teste: *Fatendum est, hanc epistolam satis ostendere, quod reverendissimus Ibas, cum Orientalibus, aliarumque provinciarum Episcopis, intentionem dictorum B. Cyrilli minus intelligens, & suspicatus, quod negaret in Christo differentiam naturarum, consequens judicavit, quia in Apollinaris dogma incidisset, quia non assumptione humanæ naturæ Deum Verbum credebat hominem factum, sed partem substantiæ ipsius Dei Verbi putabat in carnem esse conversam*.

Ad VIII. Primo Cyrillus subscripsit Confessioni fidei Orientalium, quia illa erat conformis, & non contraria, suis capitulis; & quanvis non haberent eadem verba, eundem servabant sensum. Secundo non exegit Cyrillus subscriptionem Orientalium in suis capitulis, causa pacis, & œconomiæ, quam desiderabat, non erroris alicujus, qui in illis contineretur. Tertio, fuit error Theodoreti, quod Cyrillus reformaverit, ac revocaverit sua capitula; qui errore facti deceptus, ad Domnum scripsit.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CLXXI.

De Unione ſubſtantiali Verbi cum humana Natura, Scripturarum oraculis, ſummorum Pontificum definitionibus, Conciliorum decretis, Patrum auctoritatibus, ac Rationum ſuppetiis, contra Neſtorium aſſerta, ac firmata.

I. PROBATUR ex Scripturis. Matth. 16. *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? Reſpondit Petrus: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Ubi idem eſt Filius Dei vivi, & Filius hominis; idem eſt Filius Dei vivi, & Chriſtus. Luc. 1. *Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* In quibus Filius Dei non eſt alius, niſi natus ex Virgine. Joann. 1. *Et Verbum caro factum eſt*; ſcilicet: Deus factus eſt homo: igitur non ſunt duæ perſonæ; ſicut non ſunt duæ perſonæ, quando dicimus; Laurentius factus eſt Pontifex. Joann. 3. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo.* Ubi idem enunciatur Filius hominis, & Filius Dei; quia Filius Dei deſcendit, Filius hominis aſcendit. Et ita interpretantur hæc verba Cyrillus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, in hunc locum, & Nazianzenus ep. 1. ad Chelidonium. Joann. 10. *Ego, & Pater unum ſumus*: Non poſſunt verba hæc convenire perſonæ humanæ: ergo conveniunt Verbo: Chriſtus autem dixit: *Ego*: igitur Verbum erat idem ac Chriſtus, non habitans ſolummodo in Chriſto; quia inhabitans domum, non dicitur domus; & manens in templo, non dicitur templum. Et c. 9. dicebat Chriſtus Cæco jam illuminato: *Tu credis in Filium Dei? Reſpondit ille; quis eſt, Domine, ut credam in eum? Dixit Jeſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt. At ille ait: Credo Domine: & procidens adoravit eum.* Ille erat Filius Dei, quem Cæcus vidit, audivit, adoravit; ſed ille, quem Cæcus vidit, audivit, adoravit, fuit Jeſus: ergo Jeſus eſt Filius Dei. Et c. 20. Thomas dixit Chriſto: *Dominus meus, & Deus meus*: Theodorus Mopſueſtenus reſpondebat ad hæc, Thomam non dixiſſe verba illa Chriſto, ſed per modum exclamationis ea protuliſſe; quod refertur in V. Synodo act. ult. c. 12. Verum omnes Patres aliter exponunt; ipſemet Evangeliſta Theodorum refellit; dicit enim: *Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus*; & in textu græco non ponitur ὦ, quæ eſt nota exclamationis, vel admirationis, ſed ὁ, qui eſt articulus deſignans ſimplicem veritatis confeſſionem; ut ait Bellarminus. Ad Rom. 8. *Qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et c. 9. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, amen.* Unus igitur, & idem eſt Filius hominis ſecundum carnem, & Filius Dei, qui eſt Deus; proprius Filius Dei, & qui traditus eſt ad moriendum. Sunt & pene alia infinita, apud alios videnda.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Damaſus in profeſſione fidei, quam ſcripſit ad Paulinum, Theſſalonicenſem Epiſcopum: *Anathematizamus eos, qui duos Filios aſſerunt, unum ante ſecula, & alterum poſt aſſumptionem carnis ex Virgine.* S. Leo magnus ep. 97. ad Leonem Auguſtum c. 1. *Anathematizetur ergo Neſtorius, qui B. Virginem Mariam, non Dei, ſed hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam perſonam carnis, aliam faceret Deitatis.* Et epiſt. ad Flavianum c. 4. *Agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt, Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt, & carne exequente, quod carnis eſt. Unum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis. Et ſicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non receſſit, ita caro naturam noſtri generis non reliquit. Unus enim idemque eſt vere Dei Filius, & vere hominis Filius. Deus per id, quod in prin-*

Digitized by Google

principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Homo per id, quod Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Deus per id, quod omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: Homo per id, quod factus est ex muliere, factus sub lege. Hormisdas ep. 76. ad Justinum Imperatorem: *Proprium Filii Dei est, ut in novissimis temporibus Verbum caro fieret, & habitaret in nobis: ita intra viscera sanctæ Mariæ Virginis genitricis Dei, unitis utrisque sine aliqua confusione naturis, ut qui ante tempora erat Filius Dei, fieret Filius hominis, & nasceretur ex tempore, hominis more, matris vulvam natus non aperiens, & virginitatem matris Deitatis virtute non solvens .... Idem enim Deus, & Homo, non, ut ab Infidelibus dicitur, sub quarta introductione personæ; sed ipse Dei Filius, Deus, & Homo; id est virtus, & infirmitas; humilitas, & majestas; redimens, & venditus; in cruce passus, & cœli regna largitus: ita nostræ infirmitatis particeps, ut posset interimi; ita ingenitæ potentiæ Dominus, ne posset morte consumi.* Joannes II. ep. 3. ad Avienum, Liberium &c. *Justinianus Imperator, filius noster, ut ejus epistolæ tenore cognovistis, de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse significavit. Utrum unus ex Trinitate Christus, & Deus noster dici possit; hoc est, una de tribus Personis sanctæ Trinitatis sancta persona? An Deus Christus carne pertulerit impassibili Deitate? An proprie & veraciter Mater Domini Dei nostri Christi Maria semper Virgo debeat appellari? Probavimus in his catholicam Imperatoris fidem; & ita esse propheticis, & apostolicis, vel Patrum exemplis, evidenter ostendimus. Unum enim ex sancta Trinitate Christum esse, hoc est unum de tribus sanctæ Trinitatis Personis sanctam esse Personam, sive subsistentiam .... Sed nec duas personas in Christo intelligimus, per id, quod dicimus duas naturas, ut adunationis divisionem facere videamur: & fit, quod absit, quaternitas, non Trinitas, sicut Nestorius sentit insanus.* Gregorius magnus in Job lib. 8. c. 27. *Non æquari potest gloria Unigeniti habita per naturam aliis accepta per gratiam. Mediator quippe Dei, atque hominum, homo Christus Jesus, non sicut iste hæreticus desipit, alter in humanitate, alter in Deitate est. Non purus homo conceptus atque editus, post per meritum, ut Deus esset accepit; sed nunciante Angelo, & adveniente Spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro, & manente incommutabili essentia, qua ei est cum Patre, & cum sancto Spiritu, coæterna, assumpsit intra virginei viscera, unde & impassibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante secula temporalis posset esse in fine seculorum: ut per ineffabile sacramentum, conceptu sancto, & partu inviolabili, secundum veritatem utriusque naturæ, eadem Virgo, & ancilla Domini esset, & mater. Sic quippe ei ab Elisabeth dicitur: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Et ipsa Virgo concipiens dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et quamvis ipse aliud ex Patre, aliud ex Virgine, non tamen alius ex Patre, alius ex Virgine: sed ipse est æternus ex Patre, ipse temporalis ex Matre. Ipse qui fecit, ipse qui factus est: ipse speciosus forma præ Filiis hominum per divinitatem; & ipse, de quo dictum est: Vidimus eum, & non erat aspectus, & non est species ei, neque decor, per humanitatem. Ipse ante secula de Patre sine matre, ipse in fine seculorum de matre sine patre: ipse conditoris templum, ipse opus auctoris: manens unus ex utraque, & in utraque natura, nec naturarum cupulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus.* Quæ habuit Cœlestinus, Romanus Pontifex, in literis datis, & ad Cyrillum, & ad Nestorium, diximus supra. Hadrianus I. in epist. ad Episcopos Galliæ de errore Elipandi, Toletani Episcopi: *Christus distincte dixit: Ascendo ad Patrem meum (per naturam), & patrem vestrum (per gratiam adoptionis).* *Hinc Paulus dixit: Proprio Filio non percepit, sed pro omnibus tradidit illum. Scimus, quia non traditus est secundum divinitatem, sed secundum id, quod homo verus erat: illum nimirum, qui traditus est, id est hominem ipsum, Apostolus proprium Dei Filium protestatur.* Leo IX. in epist. ad Petrum Antiochenum: *Credo Dei Patris Filium Verbum Dei æternaliter natum ante omnia tempora de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, & coæqualem Patri per omnia in divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine, cum anima rationali: duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex Matre temporalem: duas voluntates & operationes habentem: Deum verum, & Hominem verum: proprium in utraque natura, atque perfectum: non commixtionem, aut divisionem passum, non adoptivum, neque phantasticum: Unicum, & unum Deum, Filium Dei in duabus naturis, sed in unius personæ singularitate: impassibilem, & immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis, & pro nostra salute passum vera*

carnis

carnis passione. Innocentius III. lib. 4. myst. missæ c. 44., Clemens VI. Extra lib. 5. tit. 9. de pœnitentiis, & remissionibus c. 2., aliique plures, eadem docent, atque definiunt.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. in Symbolo: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus est, passus est.* Ille idem, qui descendit, incarnatus est, homo factus est, & passus est; quid clarius pro unitate in duabus naturis comprobanda? Concilium Constantinopolitanum I. generale, in eodem Symbolo auctiori reddito. Concilium Ephesinum I., quod fuit generale III. c. 1. *Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, & propterea Dei genitricem sanctam Virginem, anathema sit.* Et c. 2. *Si quis non confitetur carni secundum substantiam unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum, & hominem simul, anathema sit.* Concilium Chalcedonense generale IV. act. 5. *Salva utriusque naturæ proprietate, & in unam personam, ac substantiam concurrente, non in duas personas distributum, vel divisum, sed unum, & ipsum Unigenitum Filium Deum Verbum agnoscimus.* V. Synodus generalis c. 4. *Si quis dicit, secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum æqualitatem honoris, vel secundum auctoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem, unitionem Dei Verbi ad homine factam esse ..... Et non confitetur unitatem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem, sive secundum subsistentiam, factam esse, anathema sit.* Et can. 5. *Si quis introducere conatur in mysterio Christi duas substantias, seu duas personas &c., anathema sit.* Et can. 6. *Si quis abusive, & non vere, Dei genitricem esse dicit gloriosam semper Virginem Mariam, anathema sit.* VI. Synodus generalis act. 17. *Profitemur Christum consubstantialem Patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato, ante secula quidem ex Patre genitum secundum Deitatem, in ultimis diebus autem eundem propter nos, & propter nostram salutem de Spiritu Sancto, & Maria Virgine, proprie & veraciter Dei genitrice, secundum humanitatem, unum, eundemque Christum Filium Dei unigenitum, in duabus naturis inconfuse, inconvertibiliter, inseparabiliter, indivise cognoscendum, numquam extincta harum naturarum differentia propter unitionem, salvaque magis proprietate utriusque naturæ, & in unam personam, & in unam subsistentiam concurrentem, non in duas personas partitum, vel divisum, sed unum, eundemque unigenitum Filium Deum Verbum Dominum Jesum Christum, & duas voluntates naturales in eo, & duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum sanctorum Patrum doctrinam, adæquate prædicamus, & duas naturales voluntates non contrarias, sed sequentem ejus humanam voluntatem, & non resistentem, vel reluctantem, sed potius subjectam divinæ ejus, atque omnipotenti voluntati.* Concilium Toletanum I. in Assertione fidei: *Hunc ergo Filium Dei, Deum natum a Patre, ante omne omnino principium, sanctificasse uterum Mariæ Virginis; atque ex ea verum hominem, sine virili generatum semine, suscepisse duabus dumtaxat naturis, idest Deitatis, & carnis, in unam convenientibus omnino personam, idest Dominum nostrum Jesum Christum, credimus.* Concilium Hispalense II. c. 13. *Unus est enim Christus, Deus, & Homo, caro, & Verbum. Sed unde Deus, inde habet immortalitatem; unde Homo, inde pertulit passionem; & unde caro, inde mortuus; & unde Verbum, inde æternus.* Concilium Toletanum IV. c. 1. *Incarnatus est enim ex Spiritu Sancto, & gloriosa sancta Dei genitrice Virgine Maria, & natus ex ipsa, solus idem Dominus Jesus Christus, unus de sancta Trinitate, anima & carne perfectus, sine peccato suscipiens hominem, manens quod erat, assumens quod non erat; æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem; habens in una persona duarum naturarum proprietatem. Naturæ enim in illo duæ Deus, & homo. Non autem duo Filii, & Dii duo; sed idem una persona in utraque natura, perferens passionem, & mortem pro nostra salute, non in virtute Divinitatis, sed in infirmitate humanitatis.* Concilium Toletanum VI. c. 1. *Solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis humanitatem sine peccato de sancta semper Virgine Maria assumpsisse; ut idem Filius Dei Patris, esset Filius hominis, Deus perfectus, & homo perfectus: ut Deus perfectus & homo esset unus Christus, naturis in duabus, una persona, ne quaternitas Trinitati accederet, si in Christo geminata persona esset.* Concilium Arelatense IV. in Confessione fidei: *Dominus Jesus Christus unus de S. Trinitate, anima, & carne perfectum sine peccato suscipiens hominem, manens quod erat, assumens quod non erat; æqualis Patri secundum divinitatem,*

tem, minor Patre secundum humanitatem; habens in una persona duarum naturarum proprietatem. Natura enim in illo duæ, Deus, & Homo. Non enim duo Filii, & Dii duo; sed idem una persona in utraque natura perferens passionem, & mortem pro nostra salute, non in virtute divinitatis, sed in infirmitate humanitatis. Concilium Vormatiense in Confessione fidei: *Dei enim Filius non personam hominis accepit, sed naturam. Naturam quippe nostram in unitatem suæ personæ assumpsit; & idcirco Filius Dei, & Filius hominis unus est Christus. In eo namque quod Filius Dei est, æqualis est Patri; & in eo quod est Filius hominis, minor est Patre. Qui etiam ex quo homo est, pro delictis nostris passionem sustinuit; mortique addictus, & cruci, veram carnis mortem accepit.* Concilium Lateranense I. c. 1. *Tandem unigenitus Dei Filius Jesus Christus a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine, Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali, & humana carne compositus, una in duabus naturis persona, viam vitæ manifestius demonstravit. Qui cum secundum divinitatem sit immortalis, & impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est passibilis, & mortalis.* Additur Concilium Romanum sub Cœlestino, de quo supra; & alia particularia Concilia, quæ in Nestorii causa diximus celebrata.

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Ignatius Martir in epist. ad Ephesios: *Deus noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria, secundum dispensationem Dei, ex semine David..... Singuli viri communiter omnes in gratia, ex nomine. Convenire in una fide, & in uno Jesu Christo, secundum carnem ex genere David, Filio hominis, & Filio Dei.* Theodoretus dial. 1. citat hæc verba, quæ ex Ignatio recitavimus. Irenæus lib. 31. c. 18. ex Scripturis probat, *unum & idem esse Verbum Dei, & hunc esse unigenitum, & hunc incarnatum esse pro salute nostra Jesum Christum Dominum nostrum.* Dionysius Alexandrinus in ep. synod. ad Paulum Samosatenum, quem redarguit utpote *duas hypostases, & duas personas asseverantem unius Christi; sive Christos duos, duosque Filios.* Athanasius in libello de Incarnatione: *Sicut homo persona est una, & animal unum, & spiritu, & carne concretum: ita Christus intelligi debet unus esse, & non persona duæ; quod recens impietas violenter invehere conatur.* Nazianzenus orat. 31. *Non duo factus, sed unum ex duobus fieri sustinens. Deus enim ambo sunt, id quod assumpsit, & quod est assumptum: Naturæ duæ in unum concurrentes, non duo Filii. Nolo contemperationem illam ementita ratione quispiam explicet.* Chrysostomus hom. 11. in Marcum: *Nemo nos putet dividere Christum. Hoc enim solent æstimare calumniatores, quod nos in Christo duas personas faciamus; alium hominem, & alium Deum. Nos in Trinitate credimus, non credimus in quaternitate, duas in Christo esse personas. Si enim Christus duas personas habet, Pater, & Filius, ideſt Christus, duplex est: ergo quatuor persona sunt.* Epiphanius in Ancorato: *Ipse Salvator, sanctus est.... qui perfectum hominem in seipsum efformavit ex Maria Deipara per Spiritum Sanctum, non ut qui in homine habitavit, sed ipsum Verbum caro factum est.* Theophilus Alexandrinus ep. 2. de Paschali: *Nec quando unum se Christum Dei Filium testabatur, animam dividebat, & carnem: non alter, & alter, sed unus, atque idem utrumque subsistens, Deus, & Homo, dum servus videtur, & Dominus adoratur; siquidem in humani corporis vilitate ineffabilem calebat Deum, & rursum fragilitatem carnis divinis operibus excedebat.* Nyssenus in Cant. hom. 13. *In Christo quiddam creatum est, quiddam increatum. Et increatum vocamus illud ipsum, quod æternum est, ac seculis prius, & a quo res universæ conditæ sunt. Creatum vero quod ob susceptam nostri causa administrationem confirmatum est ad similitudinem corporis humilitatis nostræ. Increatum dicimus Verbum: quod initio rerum existebat, & semper erat apud Deum, & erat Deus Verbum, per quod facta sunt omnia, & sine quo nihil eorum factum est, quæ facta sunt. Creatum autem illum dicimus qui caro factus est, & sibi tabernaculum in nobis extruxit &c.*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus in fin. lib. de carne Christi ad verba Apostoli I. ad Cor. 8. *Unus Dominus Jesus Christus*: habet: *Sicut & definiemus ipsum quoque Christum unum, multiformiter Christi argumentatores quatit, qui alium faciunt Christum, alium Jesum; alium elapsum de mediis turbis, alium detentum &c.* Cyprianus lib. 2. cont. Jud. c. 8. *Quod cum a principio Filius Dei fuisset, generari haberet denuo secundum carnem &c.* Hilarius lib. 2. de Trin. *Unus Unigenitus Deus in corpusculi humani formam sancta Virginis utero insertus accrescit, quia omnia continet, & intra quem omnia sunt, humani partus lege profertur.* Ambrosius lib. de Incarnat. Dom. Sacram. c. 5. *Cum Deus semper esset æter-*

Digitized by Google

æternus, Incarnationis sacramenta suscepit, non divisus, sed unus, quia utrumque unus, & unus in utroque, hoc est, vel divinitate, vel corpore: non enim alter ex Patre, alter ex Virgine. Hieronymus in c. 14. Matth. *Quod ascendit sobus orare, non ad eum referas, qui de quinque panibus quinque satiavit hominum millia; sed ad eum, qui audita morte Joannis secessit in solitudinem; non quod personam Domini separemus, sed quod opera ejus inter Deum, & Hominem divisa sint.* Et in ep. de virginit. custod. ad Eustochium: *Dei Filius, pro nostra salute, hominis factus est filius; decem mensibus in utero ut nascatur exspectat, & ille pugillo mundum includens, præsepis continetur angustiis.* Augustinus Enchir. c. 35. *Proinde Christus Jesus Dei Filius est, & Deus, & Homo: Deus, quia Dei Verbum; Homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro.* Et cap. 36. *Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta?* Et epist. 57. ad Dardanum q. 1. *Proinde quod ad Verbum attinet, Creator est Christus: Omnia enim per ipsum facta sunt. Quod vero ad hominem, creatura est Christus: Factus est enim ex semine David secundum carnem, & in similitudinem hominum factus. Item quia in homine duo sunt, anima, & caro; secundum animam tristis fuit usque ad mortem, secundum carnem passus est mortem. Nec tamen cum Filium Dei Christum dicimus, hominem separamus; aut cum eundem Christum Filium hominis dicimus, separamus Deum. Secundum hominem namque in terra erat, non in cœlo, ubi nunc est, quando dicebat: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo: quamvis secundum id, quod Filius Dei erat, esset in cœlo; secundum id vero, quod Filius hominis erat, adhuc esset in terra, nondunque ascendisset in cœlum.* Leo magnus ser. 1. de nativ. Dom. c. 2. *Verbum Dei Deus, Filius Dei, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil; propter liberandum hominem ab æterna morte, factus est homo: ita se ad susceptionem humilitatis nostræ sine diminutione suæ majestatis inclinans, ut manens, quod erat, assumensque quod non erat veram servi formam ei formæ, in qua Deo Patri est æqualis, uniret; & tanto fœdere naturam utramque conscreret, ut nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio. Salva igitur proprietate utriusque substantiæ, & in unam coëunte personam, suscipitur a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas; & ad rependendum nostræ conditionis debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili, Deusque verus, & homo verus, in unitatem Domini temperatur; ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei hominumque mediator, & mori posset ex uno, & resurgere posset ex altero.* Gregorius magnus in Job. lib. 18. c. 27. *Et quamvis ipse aliud ex Patre, aliud ex Virgine, non tamen alius ex Patre, alius ex Virgine; sed ipse est æternus ex Patre, ipse temporalis ex Matre. Ipse qui fecit, ipse qui factus est: ipse speciosus forma præ filiis hominum per divinitatem, & ipse de quo dictum est: Vidimus eum, & non erat aspectus, & non est species ei, neque decor, per humanitatem. Ipse ante sæcula &c.* Et alia, quæ retulimus in probat. II. Fulgentius ad Thrasimundum lib. 1. c. 7. *In unitate personæ, in qua Deus, & homo unus Christus, inconfusibilem, atque inseperabilem utriusque veritatem naturæ commendans, verum se Deum divinis operibus, verumque hominem humanis passionibus demonstravit, impassibile habens, per quod homo creatus est sanus; passibile suscipiens, per quod sanaretur infirmus; sic isti nescio qua deceptione falluntur.*

VI. Probatur Rationibus theologis. I. est S. Anselmi lib. Cur Deus homo c. 18. Una, & eadem persona esse debebat, quæ solvere debebat una natura, & quæ facere posset altera: ergo vere in Christo, in quo erant duæ naturæ, divina, & humana, fuit una persona. Probatur antecedens ratiocinio Anselmi: *Ad hoc valuit in Christo diversitas naturarum, & unitas personæ; ut quod opus erat fieri ad hominum restaurationem, si humana non posset natura, faceret divina; & si divina minime conveniret, exhiberet humana. Et non alius, atque alius; sed idem ipse esset, qui utrumque perfecte existens, per humanam solveret, quod illa debebat; & per divinam posset, quod expediebat.* II. est Hugonis Victorini de Sacram. fidei lib. 2. par. 1. c. 9. Quod facit Deus, facit homo; & quod facit homo, facit Deus: ergo non duo, sed unus, Deus, & Homo. Antecedens probat ex illo Joann. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* III. est ejusdem Hugonis in eodem loco: Unita est natura: ergo persona est una: ergo persona Dei, & hominis una est: ergo Deus, homo, unus est. Probatur antecedens. Quanvis divinitas non sit humanitas, Deus tamen homo est: ergo unita est natura. IV. est S. Thomæ 3. p.

Digitized by Google

q. 16. ar. 5. concepta verbis hisce: *In mysterio Incarnationis non est eadem natura divina, & humana; sed eadem est subsistentia utriusque naturæ. Et ideo ea, quæ sunt unius naturæ, non possunt de alia prædicari secundum quod in abstracto significatur. Nomina vero concreta supponunt subsistentiam naturæ, & ideo indifferenter prædicari possunt ea, quæ ad utramque naturam pertinent, de nominibus concretis; sive illud nomen, de quo dicuntur, det intelligere utramque naturam; sicut hoc nomen Christus, in quo intelligitur divinitas ungens, & humanitas uncta: sive solum divinam naturam; sicut hoc nomen Deus, vel Filius Dei: sive solum humanam naturam; sicut hoc nomen homo, vel Jesus.* V. est ejusdem Angelici Doctoris contra errores Græcorum lib. 2. c. 6. his aliis verbis contenta: *Cum dicimus Deum hominem fieri, non sic accipiendum est, ut Deus convertatur in hominem, sicut aer fit ignis, cum in ignem convertitur; sed potest ei æqualiter uniri propter efficaciam suæ virtutis, sicut anima unitur corpori. Et licet humana natura ex anima constet, & corpore, anima tamen non corporea, sed spiritualis natura est. Sicut ergo spiritualis natura unitur corpori per efficaciam suæ virtutis; ita Deus potest uniri tam spirituali, quam corporali; & secundum eum modum dicimus, Deum humanæ naturæ fuisse unitum.* VI. est Thomæ de Argentina lib. 3. dist. 5. q. 1. ar. 3. In Christo est unio; sed non est propriè loquendo facta unio in natura; ergo in Persona. Probatur minor. Si in Christo esset unio in natura, in Christo esset una natura; sed hoc est falsum, & contra fidem: ergo &c. Probatur minor. Si in Christo esset una natura, vel esset tantum divina, & tunc Christus non esset homo; vel esset solummodo humana, & tunc non esset Deus. Non potest autem dici, quod una natura sit in Christo vel per conversionem, vel per commixtionem; ut probabimus in Dissert. 183.; neque per accumulationem, quia sola corporalia faciunt sic unum; nec per informationem, quia nec humana natura potest informare divinam, quum hæc sit actus purissimus, nec divina humanam, quia aliter etiam divina dependeret ab humana; quod non est dicendum. Quum ergo in Christo non sit unio naturæ, sequitur, quod sit unio personæ.

Arguunt Adversarii I. Eludunt Nestoriani illa omnia Scripturarum oracula, dicentes, se non inficias ire, Jesum esse Filium Dei, esse Deum, esse unum tantum, & non duos; sed unitate habitationis, voluntatis, operationis, participationis, non unitate personæ. II. Joan. 2. dixit Dominus: *solvite templum hoc*, de sua humanitate loquens: ergo Deus Christus, & homo Christus, sunt duæ personæ; quod probatur; quia non dixit Jesus; solvite me; nec potest idem esse templum, & inhabitans in templo. Est argumentum Theodoreti. III. Ad Philipp. 2. dicitur Christus: *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*: ergo Christus fuit hominibus similis propter humanitatis indumentum: ergo non fuit Deus homo; sicut Laicus indutus vestibus sacris non est homo sacer, sed illi similis. IV. Ad Hebr. 7. dicitur Christus *esse sine matre, & sine genealogia*: ergo non est Filius Mariæ, qui matrem habet, & genealogiam; neque est Filius Dei, qui habet Patrem. V. Deus, si absolute proferatur, significat Deum tantum, non Deum homini unitum; sed Maria non concepit Deum tantum, ut Deum homini unitum: ergo non debet dici Maria Dei genitrix; est argumentum Nestorii, ut scribit Theodoretus lib. 4. de hæretic. fab. in hæres. Nestorii. VI. Convenire nullo modo possunt Filio Dei, quæ de se ipso dixit Filius Mariæ: ergo non est idem Filius Dei, & Filius Mariæ. Probatur antecedens. Matth. 27. dixit Filius Mariæ: *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Joann. 12. *Et Pater, salvifica me ex hac hora*; eguit Angelo consolatore; Luc. 22.; Sed hæc nullo modo convenire possunt Filio Dei: ergo &c. VII. Deus anterior est Maria, & Maria posterior Deo; sed nemo posterior potest gignere anteriorem: ergo Maria non potuit gignere Deum. VIII. Filius debet esse consubstantialis Parentibus; sed Christus Deus non est consubstantialis Mariæ: ergo non est Filius Mariæ. Probatur minor. Christus est Deus æternus, est omnipotens &c., quæ Mariæ non conveniunt. IX. Basilius in Psal. 59. vocat Christum Deiferum: ergo non est Deus, sed ferens Deum: ergo non fuit unio substantialis, sed moralis tantum, inter hominem, & Deum. X. Si in Christo est unica persona: ergo Filius Dei passus est: ergo passa est Divinitas; quod dici non debet. XI. Si in Christo esset una persona, posset dici; unum de Trinitate fuisse passum; sed ex Hormisda Pontifice hoc dici non potest: ergo &c. XII. De Christo enunciantur contraria; sed de eadem persona contraria enunciari non pos-

Digitized by Google

possunt: ergo &c.

Respondemus ad I. quod illa eadem, quæ Nestoriani dicunt, dicebat de Christo Cerinthus; & nihilominus Joannes contra ipsum exclamabat, ipsum solvere Christum, non confiteri, Jesum esse Filium Dei. Insuper; nihil novum, vel peculiare, vel excelsum, tribuitur Christo a Nestorianis, quod aliis etiam Sanctis non tribuatur. Tribuitur Sanctis, ut habitet Deus in ipsis, ut in templis suis; 1. ad Cor. 3. *Nescitis, quoniam templum Dei estis?* 1. ad Cor. 6. *An nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est? Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Tribuitur Sanctis, quod sint unum cum Deo per unionem voluntatis, non minus quam vir, & uxor per conjunctionem membrorum; 1. ad Cor. 6. *Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur; erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus Spiritus est.* Tribuitur Sanctis, ut per ipsos operetur Deus; Ad Rom. 15. *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Christus, verbo, & factis, in virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti &c.* 1. ad Cor. 12. *Divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Tribuitur tandem Sanctis, quod sint Filii Dei, & quidam pariter Dii per participationem, & gratiam; quod habetur, Psal. 81. *Ego dixi, Dii estis, & Filii excelsi omnes.* Ad Gal. 4. *Quoniam estis Filii Dei, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra.*

Ad II. ex verbis illis Joann. 2. bene colligi, in Christo esse duas naturas; male autem colligi, in Christo esse duas personas. Primum bene colligitur, nam, ut ait Bellarminus, animus noster dicitur quoque habitare in corpore, ut in suo tabernaculo, vel templo; & bene quidem, quia diversa est natura animi a natura corporis. Male secundum; quia una persona est, quæ ex animo, & corpore constat. Sic pariter, subdit præfatus Cardinalis, in Scripturis legimus, quod homines habitent domos luteas; Job. 4. *Et si terrestris domus hujus nostræ habitationis &c.* II. ad Cor. 5. *Et qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati.* II. ad Cor. 5. *Et velox est dispositio tabernaculi mei.* II. Petr. 1. Cohærenter autem ad hæc Chrysostomus hom. 10. in Joann. ex verbis illis: *Et habitavit in nobis*: infert, in Christo duas esse naturas; male autem infert Theodoretus, in Christo duas esse personas.

Ad III. Vocem hominis in loco illo, dicimus, ab Apostolo intelligi, ut significet ordinarie purum hominem, ex viri semine conceptum, natum in peccato, & peccatis obnoxium. Et certe quidem, quod in hoc sensu Christus non fuit homo, sed similis hominibus, & in similitudinem hominum factus. Et sic verba illa interpretantur Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius, in illum locum. In eadem significatione dicit Apostolus ad Galat. 1., se non didicisse Evangelium ab homine, sed a Christo; hoc est ab homine puro, non ab homine-Deo; aliter non diceret, *sed a Christo*; quia ipse fatetur, Christum esse hominem, I. ad Timoth. 2. *Unus est mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus.*

Ad IV. Cum Cassiano lib. 7. de Incarnat. dicimus, argumentum etiam contra Nestorianos vim habere; quia si de Filio Dei intelligitur locus ille: ergo Filius Dei non habet Patrem; quod Nestorius non concedit. Cæterum mens Apostoli fuit in loco illo, ut idem Cassianus docet, duas Christi nativitates explicare; quarum una, ideſt divina, est sine Matre, altera vero, hoc est humana, est sine Patre. Quod etiam ex Cassiano Bellarminus prosequitur.

Ad V. Dicitur, quod quanvis Dei nomen absolute dictum non significet Deum homini unitum, non tamen excludit hoc ipsum a sua significatione. Peccat igitur in mala illatione argumentum. Et adeo verum est, quod nomen Dei absolute dictum non excludat a sua significatione Deum homini unitum, quod nomen Dei absolute secundum Scripturas possit ei tribui, qui de Virgine est natus; quum de facto tribuatur ei, qui mortuus est; idem autem est, & qui de Virgine natus est, & qui mortuus est in cruce. Actor. 20. Apostolus Ecclesiarum Rectores sic alloquitur: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Et 1. Joann. 3. legimus: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit.*

Ad VI. Cyrillus in defensione quarti anathematismi respondet, multa esse in Christo, quæ ipsi conveniunt ut Deo; multa esse, quæ ipsi competunt ut homini. Quæ allata sunt in argumento conveniunt Christo ut homini; adeoque conveniunt Filio Dei secundum humanam formam; contraria autem illis conveniunt etiam

Fi-

Digitized by Google

Filio Dei, at secundum formam Dei. Et ratio est, quia est verus Deus, & est verus homo, idem ipse Filius Dei, & Filius Mariæ.

Ad VII. Verum est, quod recentior non potest generare antiquiorem, posterior non potest concipere anteriorem; at secundum id, quo est antiquior, & quo est anterior. Maria concepit, generavit, peperit Deum Christum, non secundum Divinitatem, secundum quam erat recentior, & posterior; at secundum humanitatem, secundum quam erat antiquior, & anterior. Et quia humanitas per Verbi personam fuit humanitati substantialiter unita; ideo concipiendo, generando, pariendo, humanitatem divino Verbo, & divinæ naturæ sic unitam, concepit, generavit, & peperit, Deum pariter, & hominem.

Ad VIII. Non negamus, Filium debere esse Parentibus consubstantialem, at secundum eam naturam, quam a Parentibus accepit, vel in ea ratione, in qua ipsorum Parentum est Filius. Christus est Deus, & homo; ut Deus, est consubstantialis Patri, quia a Patre divinitatem accepit; ut homo, est consubstantialis Matri, quia a Matre accepit humanitatem. Quanvis non sit respectu ejusdem eadem consubstantialitas; quia respectu Patris est eadem natura divina etiam numero; respectu vero Matris est eadem natura humana specie quidem, non autem numero. Sufficit tamen hæc consubstantialitas in creatis ad salvandam rationem filiationis in uno, & paternitatis, vel maternitatis in altero; ut in omnibus filiis, & parentibus videmus. Nemo autem negabit, Christum fuisse in hac ratione Mariæ Virgini consubstantialem; & hoc sufficit, ut vere Mariæ filius dicatur.

Ad IX. in quo est impostura Theodoreti, falso citantis Basilium, dicunt, Basilium nunquam vocasse Christum hominem Deiferum, sed tantum dixisse *carnem Dei gestatricem*; σάρκα θεοφόρον. Quis autem non cognoscit grande discrimen, quod inter hominem, & carnem intercedit; quum homo significet Personam, caro autem naturam, non personam, vel si mavis, naturæ partem? Igitur male diceretur de Christo si quis eum Deiferum diceret; quia intelligeret esse in eo personas duas, Deum nempe, & hominem. At bene dicitur Caro-Deifera; quid dicit duas naturas, carnem scilicet, & Deitatem, quæ per Verbum uniuntur substantialiter in Christo. Quod si aliquis ex Patribus aliquando Christum Deiferum appellaverit, intelligendus est cum discretione, & reverentia, dicendo nimirum, quod ratione humanitatis voluit Christum esse Divinitatis portatorem; sicut aliquando Augustinus in Enchirid. c. 36., & in lib. de prædest. Sanctor. c. 15., & alibi etiam, dixit, Dei Filium assumpsisse hominem, intelligens per hominem humanitatem. Denique S. Ignatius in epistolis suis sæpe vocat seipsum θεοφόρον: igitur Ignatius eodem cum Christo nomine utebatur? Quis concedet?

Ad X. respondet Virgilius Tapsensis lib. 2. apud Natalem Alexandrum: *Passum esse Dei Filium in unione personæ, non in proprietate naturæ. Siquidem passionis injurias etiam Divinitas pertulit, sed passionem sola ejus caro persensit. Sicuti solis radium, vel flammæ corpulentia recte dicimus posse gladio secari, non posse tamen dirimi. Ita Verbum Dei jure dicimus passionis injurias pertulisse, non tamen passionem sensisse. Ita ergo suscipiendo passiones, & earum non cedendo effectibus, apparet Deum Verbum impassibiliter passum. Sed quia caro ejus non solum pertulit, sed & sensit, & cessit, merito ac jure dicimus, Dominum his omnibus passionum conditionibus sensibiliter affectum in carne sua, sine sensu, vel mutatione Divinitatis suæ. Ergo perferre passionem naturæ ex utriusque; sed cedere passioni, non est utriusque naturæ, cum sit unius denique personæ.* Quæ quidem idem Auctor lib. 5. luculentius explicat.

Ad XI. Diximus supra, Hormisdam non damnasse propositiones illas; sed Monachorum Acæmetarum temeritatem repressisse, qui volebant, illarum damnationem adeo Concilii Chalcedonensis perfectioni necessariam esse, ut sine illius accessione Concilium esset mancum, & imperfectum. Illam autem loquendi rationem probavit Joannes II. in epist. ad Justinianum Imperatorem, & V. Synodus can. 4. & 5. amplexa est. Quod præterea habemus ex epistola Pelagii I. ad Childebertum, Francorum Regem; ex altera ejusdem Joannis II. epistola ad Senatores. Denique eandem dicendi rationem usurparunt Augustinus in Enchiridio c. 36., & lib. 2. de Trinit. c. 10., Fulgentius lib. de Fide ad Petrum c. 13., Ferrandus Diaconus in epist. ad Anatolium; aliique etiam.

Ad XII. Distinguitur minor; de eadem Persona non possunt contraria enunciari,

Digitized by Google

ri, secundum eandem naturam, conceditur; secundum diversam, negatur. Ratio petitur ex conjunctione arctissima duarum naturarum in una Verbi persona, ex qua oritur communicatio mutua proprietatum, quam Scholastici dicunt communicationem idiomatum. Et hac fit, ut naturæ usurpent tanquam propria illam etiam, quæ sunt cuique peculiaria; & tribuantur uni personæ, & sigillatim, & simul, non solum diversa, sed etiam contraria.

DISSERTATIO CLXXII.

De Hæresi Eutychiana, substantiali Verbi cum Humanitate unioni contraria. Quæ ejus origo, qui progressus, qui finis? Quæ Concilia pro ejus extinctione coacta? A quibus defensa, a quibus impugnata?

EUtyches fuit professione Monachus, ordine Presbyter, & dignitate Archimandrita in celeberrimo Constantinopolitanæ urbis monasterio; ut testatur Liberatus Breviarii c. 11. Archimandrita idem sonat, ac Princeps, vel Abbatum, ut plerique volunt; vel ovium, ut alii docent; quod idem est ac solummodo Abbas; ut dixit Natalis Alexander. Græce enim dicitur Ἀρχιμανδρίτης; hoc est Princeps ovium; ut ait Dominicus Macri in Hierolexico; vel ut scribit Mortier; mandræ Princeps, seu præfectus. Mandra enim, græce, μάνδρα, idem est ac spelunca, cubile, caula; & metaphorice monasterium; sicut Mandrita idem est ac Monachus; ut apud eundem Macri. Unde idem Mortier affert, Archimandritam illum esse, qui tali mandræ, seu gregi, præficitur; unde Abbas Monachorum, & Primas, a pluribus appellatur. De hac dignitate loquitur Glossa in c. dispensationes 1. q. 7. Inter Latinos viget hæc dignitas Messanæ; de qua Macri hæc testatur: *Inter Latinos Eccles. dignitas adhuc Messana viget, quæ prius Monachorum Basilicatum erat, nunc vero in commendam a Catholico Rege Clericis secularibus conceditur, & est maximi honoris, ac proventus.* Ad præsens illam obtinet Silvius Valenti Gonzaga; cum quo, ob illius morum suavitatem, ac honestatem, ob doctrinæ, & prudentiæ laudem, arcto amicitiæ nexu nos conjunctos esse, gloriamur. Ejus controversias cum Messanensi Archiepiscopo, Josepho Migliaccio, ab iisdem arbitratores electi, magna ex parte componere duobus ab hinc annis curavimus; quæ quidem per plura secula exarserant, cum magna animarum pernicie, & ecclesiasticæ disciplinæ dispendio; utinam accedat S. Congregationis Concilii assensus, qui solus ad rem omnimode perficiendam desideratur. Suam habet jurisdictionem in percelebri S. Salvatoris Messanensi monasterio, ac in pluribus Siciliæ oppidis; in quibus nos quoque præterito anno Confirmationis sacramentum administravimus; quemadmodum, de Archimandritæ licentia, in Messanensi Monasterio sacram ordinationem habuimus.

Venientes modo ad Eutychetem; is profecto fuit implacabilis Nestorii adversarius, contra quem zelo, utinam secundum scientiam, pugnavit; quod liquet ex epistola 6. S. Leonis ad ipsum data; & ex interloquutione Flaviani, Constantinopolitani Archiepiscopi, in Concilio Constantinopolitano ab ipso in Eutychetis causa celebrato, act. 6. At, quum non fuerit zelus ejus secundum scientiam, ut dictum est, in contrarium errorem prolapsus est. Utranque enim naturam miscuit in Christo, & in unam coaluisse, asseruit. Unde Christus per ipsum erat ex duabus quidem naturis, sed non in duabus; scilicet, duas habuisse naturas ante unionem, post unionem vero unam, Christum, imperite, & pertinaciter, asserebat; ex quo sequebatur, Christum non esse nobis consubstantialem secundum

Digitized by Google

dum carnem. Ita ex Liberato refert Natalis Alexander. Quod autem Eutyches primum ob imperitiam erraverit, testis est S. Leo in epist. 13. ad Pulcheriam Augustam, ubi asserit, ejus errorem *de imperitia magis, quam de versutia, natum*; & ep. 15. ait, *ipsum nulla maturitate cordis ornasse canitiem senectutis*; & ep. 19. ipsum nominat *Imdoctum antiquæ fidei impugnatorem*.

Primum cœpit errorem Monachis suis, assiisque sibi familiaritate junctis, communicare. Quod quum comperisset Eusebius, Episcopus Dorylæi in Phrygia, amicus ejus, tentavit illum privatis alloquutionibus corrigere. Sed incassum, unde Eusebius ad Flavianum, Episcopum Constantinopolitanum rem detulit. Constat ex Liberato, & ex Breviculo historiæ Eutychianistarum, quod publici juris fecit, post appendicem Codicis Theodosiani, eruditissimus Sirmondus. Et hoc initium hæresis Eutychetis, quæ dicitur orta ann. 488., S. Leonis Pontificis Maximi 9., Theodosii junioris 41., Valentiniani 24., & post Ephesinum Concilium 18., ut observat Natalis Alexander. Verum addit insuper Petrus Annatus, ann. 443., sub eodem Leone, & sub eodem Theodosio, errores alios eundem Eutychetem habuisse; asserentem nimirum post Valentinum, Marcionem, Apollinarem, & Manichæos, Christum habuisse cœleste corpus, & per B. Mariæ Virginis uterum, tanquam per canalem, transiisse.

In Concilio Ephesino contra Nestorium, Eutyches, adhuc Diaconus, invicte pro catholica fide pugnaverat; & a S. Synodo fuit ei tradita epistola, ad Imperatores deferenda, Patrum omnium nomine; quod ex ejusdem Concilii par. 2. action. 3. habetur. Attamen postmodum in Concilio Constantinopolitano, a Flaviano Episcopo, ob alias ecclesiasticas causas, tunc celebrato, ipsius impium dogma damnatum est. Et quum pertinaciter in suo errore permaneret, ipsemet fuit etiam segregatus fidelium communione, ac Sacerdotio, & Monasterii præfectura privatus. Post hæc in Ephesina Synodo, quæ prædatoria dicta est, a Dioscoro, Alexandriæ Episcopo, apparuit probatus Eutychetis error, & ipse fidelium communioni, Sacerdotis dignitati, & Monasterii præfecturæ, restitutus. Postmodum tamen in Concilio generali Chalcedonensi omnia, quæ in prædatoria Ephesina Synodo a Dioscoro gesta fuerant, rescissa sunt; & confirmata ex adverso omnia, quæ Flavianus in sua Synodo Constantinopolitana adversus Eutychetem, & ejus errores, decreverat. Hæc eadem fuerant etiam a Leone, Romano Pontifice, approbata; ut patet ex ejus epistola 15., quæ est ad Flavianum, & ex epistola 16., quæ est ad Ephesinam Synodum.

Primum igitur Concilium contra Eutychianam hæresim celebratum fuit Constantinopolitanum, quod coegit Flavianus, Episcopus Constantinopolitanus, ut dictum est, ann. 448. In eo libellum obtulit Eusebius, Dorylæi Episcopus, cujus initium: *Optaveram quidem*; & legitur action. 1. Concilii Chalcedonensis. Post libelli lectionem fuit Eusebius rogatus a Patribus, ut Eutychetem ad meliorem frugem reducere curaret. Quod, quum respondisset Eusebius, fuisse a se frustra factum; Patres destinarunt ad ipsum Eutychetem Joannem Presbyterum, & Defensorem, & Andream Diaconum, ut supra ipsius errores inquirerent, & ipsum ad Concilium vocarent. Et hæc action. 1. gesta sunt. Deinde action. 2. lectæ fuerunt epistolæ S. Cyrilli ad Nestorium, ad Synodum orientalem, & ad Joannem Antiochenum; & fuerunt probatæ; & Eutychetis error damnatus; sed, ut ajunt Scriptores, anticipato judicio. Post damnationem ad intercessionem Eusebii Dorylei datum est tempus Episcopis degentibus Constantinopoli, sed a Concilio absentibus, ut Patribus se conjungerent, & dictum est, ut per Notarios monerentur. Action. 3. Joannes Presbyter, & Andreas Diaconus, ad Eutychetem a Concilio missi, retulerunt, Eutychetem dixisse, se non posse e monasterio exire, quo erat inclusus tanquam sepulcro, ut ad Concilium veniret; addebat, errores, qui ipsi attribuebantur, esse omnes calumnias Eusebii; se non sequi Valentini errores quanvis unam in Christo tantum agnosceret naturam. Action. 4. Abrahamius Monachus, & Presbiter, aliique Monachi, ad Concilium venerunt, & dixerunt, Archimandritam ægrotare, & ipsos pro illo ante Concilium stare. Action. 5. Memnus, Epiphanius, & Germanus, retulerunt Concilio, Eutychetem se remisisse Monachis a se ipso ad Concilium missis; promisisse etiam se Concilio præsentialiter adfuturum; quod non observavit. Action. 6. Statutum est vocari ad Synodum testes, ut in causa Eutychetis deponerent; & retulerunt Mama, & Theophilus, Eutychetem semper pertinacio-

Digitized by Google

naciorem in sua hæresi consistere. Action. 7. Eutyches cum Patricio Florentio, & Magno Scholastico, Concilium ingreditur; ab Imperatore commendatus, ad quem confugerat, & cujus protectione, per Chrysaphii Eunuchi, quem in baptismo susceperat, intercessionem, se gaudere, gloriabatur. Acta Concilii leguntur, & ubi ventum est ad illam partem secundæ epistolæ S. Cyrilli, in qua asseritur in Christo duarum naturarum unio inconfusa, Eutycheti præcipitur, ut expresse dicat, an unionem ex duabus naturis confiteatur? An reciperet ea, quæ S. Cyrillus de Incarnatione scripserat? An cognosceret Christum nobis consubstantialem post Incarnationem? Ad quæ respondit, primo confiteri se unionem ex duabus naturis; secundo exposuit fidem suam de Trinitatis mysterio; tertio affirmavit, se hucusque non dixisse Christum nobis consubstantialem; quarto, declaravit, se dicere Christum nobis consubstantialem, quia sic Synodus præcipiebat; quinto hæresim suam detegens, expresse dixit, duas fuisse naturas Christi ante unionem, unam autem post unionem. Tunc cum Flaviano omnes Patres pronunciarunt, Eutychetem esse hæreticum, eumque uti talem declararunt, ac condemnarunt: Subscripserunt huic Concilio triginta duo Episcopi, & viginti tres Abbates; at Episcopus sic in subscriptione dicebat: *Judicans subscripsi*: Abbas vero simpliciter: *subscripsi*: Unde fit compertum, ait Natalis Alexander, Episcopos Conciliis adesse ut Judices, Abbates vero ut honorificos spectatores; illos sententiam dicere, istos sententiæ ab Episcopis latæ assensum præbere. Quæ narravimus de hoc Concilio refert præfatus Alexander ex Actis ipsius, quæ referuntur Act. 1. Concilii Chalcedonensis; ex Liberato in Breviario c. 11., ex Evagrio lib. 1. hist. eccles. c. 9., & ex Breviculo historiæ Eutychianistarum.

Secundum Concilium contra Eutychem, ejusque errorem, celebratum fuit alterum Constantinopolitanum 449. jubente Theodosio Imperatore; ad quem Eutyches, dum se damnatum a Flaviano vidit, exposuerat, Flaviani violentia, odio, & invidia, non ratione, ac ordine, fuisse in priori Concilio depositum, & excommunicatum, ejusque doctrinam uti hæreticam proscriptam, atque damnatam. Promoventem Chrysaphio Eunucho, imperatorii cubiculi Præfecto, Eutychetis preces, ab Imperatore obtinuit, ut iidem Episcopi Constantinopoli ejus causam iterum examinarent in altero Consessu, cui Præses esset Thalassius, Episcopus Cæsareæ in Cappadocia, & esset præsens Florentius Patricius. Quanvis Eusebius Dorylæus acriter se opponeret, obtinuit nihilominus Eutyches, ut causa ejus per Procuratores ageretur; qui fuerunt Constantinus, Eleusinius, & Constantius, omnes Monachi. Sed nec etiam in hoc altero Concilio lis terminatur, nec Eutychetis quæstio finem habent; unde Eutyches ad Romanum Pontificem, S. Leonem magnum appellat; a quo tamen nihil obtinuit, quia Leo de omnibus, quæ contigerant, fuerat a Flaviano certior factus. Videns autem Eutyches se nihil sperare posse ab Apostolica Sede, iterum ad Theodosium confugit, a quo, ob Chrysaphii protectionem, obtinuit, ut Ephesi Synodus celebraretur, cui Dioscorus, Alexandrinus Episcopus, præsideret. Quod factum est speciali Theodosii rescripto.

Tertium proinde Concilium in Eutychetis causa est Ephesinum, quod dicunt II. & generale; revera tamen reprobatum, ac dictum Conciliabulum, prædatorium Concilium, ac Diaboli latrocinium. Ephesi igitur convenerunt Episcopi centum viginti octo, ann. 449., & ab his, Præside Dioscoro, & non auditis Sedis Apostolicæ Legatis, Juliano, Episcopo Puteolano, Renato, Presbytero Cardinali S. Clementis, & Hilario, Romanæ Ecclesiæ Cardinali Diacono, fuit Eutyches absolutus, ejus hæresis confirmata, & depositi fuerunt Flavianus, Episcopus Constantinopolitanus, & Eusebius, Dorylæi Episcopus. Omnes Episcopi, metu, & timore, compulsi, huic sententiæ subscripserunt, præter S. Sedis Legatos. Damnati etiam fuerunt Ibas, Episcopus Edessenus, & Theodoretus, Episcopus Cyri. Flavianus autem quum ab iniqua sententia ad Romanum Pontificem appellasset, tandiu fuit injuriis affectus, verberibus contusus, & plagis sauciatus, ut cæsus obierit. Liberatus in Breviario c. 12. inquit: *Cæsus est, & multis injuriis affectus, dolore plagarum migravit ad Dominum*.

Quartum Concilium est Romanum, eodem anno a S. Leone Pontifice Romæ habitum; in quo narrata omnia gesta in prædatoria Ephesina Synodo fuerunt ab Hilario Cardinali Diacono, atque S. Sedis Legato; fueruntque pariter damnata. Dioscorus autem certior de hoc factus,

Alexandriæ conventum congregat, & in eo S. Leonem, Romanum Pontificem, excommunicationis gladio ferire conatur. Hoc plane inauditum, & iniquissimum facinus adeo omnes Episcopi exhorruerunt, ut sententiæ illi, nefariæ quidem, & torrentosæ, vix decem Episcopi subscriberent; & hi quidem lacrimantes, ac inviti; ut observat Annatus.

Quintum Concilium dicitur Constantinopolitanum, habitum ann. 450., sub eodem Leone, Romano Pontifice. Fuerunt in eo præsentes Sedis Apostolicæ Legati, Abundius nimirum, Asterius, Basilius, & Senator, Presbyteri; quemadmodum Anatolius, Constantinopolitanus suffectus Antistes in Flaviani locum. Comparuerunt pariter Episcopi multi, qui fuerant ipsi in prædatoria Ephesina Synodo, ob Dioscori violentiam, & fidei confessionem obtulerunt. Data est iisdem communio tantum Ecclesiæ suæ, non vero totius Ecclesiæ; ac statutum est, ne in sacris recitarentur nomina Dioscori Alexandrini, Juvenalis Hierosolymitani, & Eustathii Berytensis, Episcoporum; quia Schismatici erant, pertinaces in hæresi, & perductilium antesignani.

Sextum Concilium fuit Mediolanense sub Leone quoque, quod convocavit Eusebius, Mediolanensis Episcopus, & cum suis Comprovincialibus habuit, ante generale Chalcedonense Concilium, ann. 451. Eusebius eo solum fine Concilium hoc celebravit, ut profiteretur, & subscriptionibus testaretur, simul cum suis Episcopis, de Incarnatione Verbi doctrinam, quam S. Leo ad Flavianum miserat. Observat Petrus Annatus, olim in more fuisse, quando œcumenicum Concilium indicebatur, cui omnes Occidentales interesse non poterant, quod hi vel Romæ, vel cum suo Metropolita in sua Provincia, Synodum agerent, & ab ea synodalem epistolam de suo suffragio Romanum Pontificem redderent certiorem; de quo deinde Romanus Pontifex suos instruebat Legatos; ut in œcumenico Concilio referrent. Et hanc ob causam dicit, Eusebium suum Mediolanense Concilium celebrasse.

Septimum est Chalcedonense Concilium generale IV. ann. 451. habitum sub Leone, Romano Pontifice, & Marciano Imperatore. Scripserat Leo Theodosio Imperatori, ut intra Italiam œcumenicum Concilium haberetur, in quo prædatoriæ Synodi Ephesinæ acta damnarentur, & finis Eutychetis hæresi imponeretur. At Theodosius, Chrysaphii dolis, & fraudibus præoccupatus, restitui semper; & prædatoriam Synodum æquiparari voluit S. Œcumenico Nicæno I. Mortuo postmodum Theodosio, impetravit Leo a Marciano successore, cui nupserat Pulcheria, Theodosii soror, ut Concilium haberetur; illud Pontifex in Chalcedonensi urbe Bithyniæ convocavit; ibique haberi cœpit die octavo octobris ann. 451. Fuerunt Apostolici Legati Paschasinus, dictus Lilybætanus Episcopus, & Lucentius, Episcopus Asculanus, & Bonifacius, ac Basilius Presbyteri; & his etiam fuit adjunctus Julianus Coensis Episcopus. Interfuit Concilio Marcianus cum Pulcheria augusta uxore; non quidem ut præsideret, non ut Judex, sed ut defensor, & tutor. Interfuerunt etiam sexcenti, & triginta sex Episcopi; & in sexdecim actionibus conclusum est Concilium Kalendis novembris. In prima act. denunciatus est Dioscorus a S. Sedis Legatis, quod convocasset generale Concilium Apostolica Sede inconsulta, eique præsidere ausus fuisset; *quod nusquam factum, nusquam lecitum*, Patres omnes una voce conclamarunt. Unde amotus est Dioscorus e Patrum consessu, & jussus est sedere in medio uti reus, non uti Judex. Post hæc lecta sunt Acta Conciliabuli Ephesini, examinata sententia a Dioscoro in Flavianum lata; & ab omni hæresis labe indicatus est Flavianus; insuper ejus depositio dicta est iniqua; & omnes ejus accusatores depositi ab episcopali dignitate; qui fuerunt Dioscorus Alexandrinus, Juvenalis Hierosolymitanus, Thalassius Cæsareæ Cappadociæ, Eusebius Ancyræ, Eustathius Berythi, & Basilius Seleuciæ Isauriæ, Episcopi. Ad quæ omnes conclamarunt: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*. In subsequentibus actionibus depositiones prædictorum Episcoporum fuerunt exequutioni mandatæ; & tandem dogma catholicum de duabus in Christo naturis contra Eutychetis hæresim fuit solemniter declaratum, definitum, ac publicatum.

Octavum est Alexandrinum, quod habuit Proterius, Episcopus Alexandrinus, ann. 452. sub eodem Leone. In eo actum est de Eutychianorum conversione; & statutum, ut qui fuerant ob hæresim Eutychetis ab Ecclesiæ communione separati, si Fidei professionem emitterent juxta Chalcedonensis Concilii definitionem, ad

ecclc-

Digitized by Google

ecclesiasticam communionem reciperentur.

Nonum denique est Constantinopolitanum, in quo convenerunt septuaginta tres Episcopi ann. 459. Habitum est a Gennadio, Constantinopolitano Episcopo, sub eodem Leone, ejusque Legatis præsentibus, Domitiano nimirum, atque Geminiano, Episcopis. In eo actum est primo de firmando decreto fidei in Chalcedonensi Concilio edito, & ab Hæreticis semper impugnato. Et postmodum editus est Canon, qui legitur in encyclica epistola hujus Concilii, contra simoniacam Constantinopolitanæ Ecclesiæ labem.

Inter Eutychianæ hæresis celebriores impugnatores primo loco adnumeramus S. Leonem Papam, qui plures contra eandem scripsit epistolas, & præsertim illam ad Flavianum, quæ in Chalcedonensi Concilio lecta, communi Patrum elogio commendata est. In pluribus etiam Sermonibus suis eandem impugnare non omisit. Secundo Theodoretus, Episcopus Cyri, eandem confutavit libris viginti septem; scripsit quoque Dialogos tres, quorum primus ab ipso inscribitur, *Immutabilis*; secundus, *Inconfusus*; tertius, *Impatibilis*. Tertio Gelasius, qui contra eandem scripsit librum de duabus in Christo naturis. Hunc Gelasium Bellarminus, & Cano, putant fuisse Episcopum Cæsareæ; Baronius Gelasium Cyzicenum fuisse scribit; cui subscribit Cardinalis Perronius; Spondanus, Sirmondus, Petavius, Labbæus, opinantur fuisse Gelasium Papam; quorum rationes refert, ac perpendit Natalis Alexander. Quarto Vigilius scripsit quinque libros adversus Nestorium, & Eutychetem. Hunc etiam Vigilium plerique volunt fuisse Vigilium, Tridentinum Episcopum; alii Vigilium, Lactorensem Episcopum; alii Vigilium, Brixianum Antistitem; alii Vigilium Diaconum; alii Vigilium, Episcopum Africanum; ut apud eundem Alexandrum videre quisquis poterit. Quinto contra eandem scripserunt, seu contra Acephalos, Joannes Maxentius, Ferrandus Diaconus in ep. ad Anatolium, Romanæ Ecclesiæ Diaconum, Rusticus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, Eulogius, Patriarcha Alexandrinus, Euphræmius, Patriarcha Antiochenus, Leontius, Theodorus Presbyter Rhæruensis, Theorianus; omnes quidem apud præfatum Alexandrum.

Inter vero propugnatores hæresis ejusdem Dioscoro primas partes quis denegabit? Is enim fuit, qui Eutycheris errorem in prædatoria Ephesina Synodo probavit, ut dictum est; ejusque opera Eutyches fidelium communioni Monasterii præfecturæ, & Sacerdotii dignati, restitutus apparuit. Post Dioscorum scribendi sunt omnes illi Ægyptii Episcopi, qui in Ephesino Conciliabulo dejecerunt Flavianum a Sacerdotio, Eutychetem in sacerdotium restituerunt, ejusque dogma, tanquam catholicum esset, credendum omnibus proposuerunt. Monachi etiam, qui Monasterium inhabitabant, in quo Eutyches erat Archimandrita, omnes fere illius hæresi subscripserunt; ac pro illa, tanquam pro aris, & focis, aperto marte decertarunt. Adjicitur etiam Chrysaphius, Eunuchus, & imperatorio cubiculo præfectus, qui erat Imperatori Theodosio charissimus, & Eutycheti adeo addictus, tanquam ille, qui fuerat ab eodem de sacro fonte susceptus. Post Concilium vero Calcedonense fuerunt Eutychianæ hæreseos fautores, & propugnatores acerrimi Timotheus Æluros, Alexandrinæ sedis, post injustam Proterii dejectionem, injustissimus invasor; Petrus Cnapheus, seu Fullo, qui in Antiochenam Sedem, post Martyrii renunciationem, se violenter intrusit, & Orientales illos Eutychiano veneno infecit; Petrus Moggus, qui simul cum Timotheo Æluro Chalcedonensem Synodum proscripsit, & qui deinde Alexandrinam cathedram, Agacio protegente, & Zenone imperante, conscendit. Zeno jam dictus Imperator, Eutychianus occultus, & Catholicus simulatus, ut Orthodoxos, & Heterodoxos conciliaret, Edictum publicavit, quod vocavit *Henoticon*, sive Conciliatorium; in quo laudabatur Concilium Ephesinum, & damnabatur Nestorius; laudabatur pariter Concilium Chalcedonense, & damnabatur Eutyches; sed altum imponebatur silentium, sive de una, vel duplici persona, sive de una, vel duplici natura. Zenoni suasit hoc Edictum Acacius, Constantinopolitanus Episcopus; quod & deinde simul cum Petro Moggo probavit, atque acceptavit. Felix vero Papa III. ann. 484. hoc idem Edictum Romæ damnavit, & Acacium diris devovit, ac sacerdotio privavit. Henotici hujus occasione multæ sectæ ex dissidentibus inter se Eutychianis promanarunt; quas hic referre non abs re judicamus.

Digitized by Google

Primo orti sunt Acephali, hoc est, sine capite. Occasio fuit hæc. Petrus Moggus, Alexandrinæ Sedis Episcopus invasor, Henoticum acceptaverat, ut dictum est, illudque Alexandriæ promulgaverat. Multi indignati sunt, quod Concilium Chalcedonense in Henotico non damnaretur, immo laudaretur; & propterea a Petri Moggi communione se seperarunt. Ex hoc autem quod essent a suo Patriarcha, qui ipsorum erat caput, segregati & seorsim congregarentur, dicti sunt sine capite, & græco vocabulo Acephali. Postmodum Petrus Moggus etiam Concilium Chalcedonense publice damnavit; at non proinde Acephali ei se conjunxerunt, nec in illius communionem venire voluerũt.

Secundo promanarunt Corrupticolæ, & Incorrupticolæ; & hæc originis ratio. Unus ex Acephalis, Severus nomine, Monachus professione, Anastasio Imperatore patrocinante, post dejectum Flavianum, factus est Antiochenus Episcopus. Hic Henoticon acceptavit, Chalcedonense Concilium damnavit, illosque omnes, qui illud damnare noluerunt, e suis sedibus dejecit. At postmodum fuit ipse morte damnatus a Justino, catholico Imperatore, post Anastasii obitum; quam tamen effugit Alexandriam cum Juliano, Halicarnassensi Episcopo, se conferens, & protectioni Timothei, Alexandrini Antistitis hæretici, se commendans. At quum essent Alexandriæ Severus, & Julianus, de Christi corporis corruptibilitate, vel incorruptibilitate, quæstionem habuerunt. Severus corruptibile asserebat; Julianus autem incorruptibile; & pro ratione dicebat, quod si fuisset corruptibile, duæ admittendæ essent in Christo naturæ; una, quæ fuisset corruptibilis; altera, quæ fuisset incorruptibilis; quod tamen manifeste contra Eutychianos erat. Hinc Severo addicti Corrupticolæ, vel Theodosiani, a Theodosio, inter Severi sectatores eminente, dicti sunt; Juliano vero adhærentes Incorrupticolæ, vel Gajanitæ, a Gajano, inter Juliani Sectarios præcipuo, sunt appellati.

Tertio descenderunt Agnoitæ, vel Agnoetæ, quorum fuit caput Themistius Diaconus, ex Corrupticolis nemini secundus. Is agnoscens, quod Thimotheus, Alexandrinus Antistes, Severo contra Julianum favebat, ab eo quæsivit, an Christus aliqua laborasset ignorantia, sicut fuerat corruptioni obnoxius? Timotheus negavit; Themistius vero affirmans, a Timothei communione recessit; sicque pertinaciter Christo ignorantiam adscribere perseveravit, ut Agnoetarum Sectam condiderat, quæ etiam ab ipsomet Themistio Themistiana fuit vocata.

Quarto Eutychiani, quia unam in Christo admittebant naturam, græce dicti sunt Monophysitæ, hoc est unam confitentes naturam. Ab his Monophysitis provenire faciunt Theopaschitos, hoc est Hæreticos, qui asserentes contra Sabellianos, tres esse in Trinitate personas, docebant insuper, non solum Filium, sed & Patrem, & Spiritum Sanctum, fuisse passos. Horum princeps dicitur Petrus Cnapheus, vel Fullo, intrusus Antiochensis Antistes, qui ad Trisagii finem adjecit: *Qui passus es pro nobis, miserere nobis.*

Quinto ex iisdem Monophysitis descendisse plerique volunt Tritheitas, qui in S. Trinitate admittebant & tres personas, & tres naturas. Horum auctor fuisse dicunt Joannes Grammaticus, cognomento Philoponus. Rem narrat Leontius Byzantinus hoc pacto. Grammaticus Alexandriæ contra Concilium Chalcedonense disputabat; at argumentorum vi pressus, eo devenit, ut concedere se coactum agnoverit; quod sicut in Trinitate tres sunt hypostases, ita tres etiam sint naturæ.

Sexto ex iisdem Monophysitis progeniti sunt Jacobitæ; quorum auctor fuit Jacobus, genere Syrus. Is imbutus erroribus Eutychetis, Petri Cnaphei, Severi, Theopaschitarum eosdem Syris contribulibus suis disseminavit. Unde in Syria, qui dogma catholicum propugnabant, dicti sunt Melchitæ, seu Imperatorii; eo quod adhærerent Concilio Chalcedonensi, pro quo suam novavit operam Marcianus Imperator: Qui vero Concilium illud damnabant, Jacobitæ sunt nominati. Jacobitis adhæserunt Armeni, & usque ad Florentinum Concilium multi sunt inventi Eutychiani erroris veneno infecti. Immo etiam ad præsens plurimi dicuntur apud Armenos, & apud Syros, qui eidem pertinaciter adhærent.

Arguunt I. contra a nobis dicta. Marcianus Imperator contra Monachos Palestinæ, qui tumultum contra Chalcedonensem Synodum excitaverant, non vi, & violentia processit; immo potius amore, ac mansuetudine, invitans omnes ad assentiendum Concilio, neminem autem cogens, aut impellens; quod & ipsemet Imperator confessus est in epistola ad Palestinæ Monachos data, in qua legitur:

No-

Nostra clementia nulli penitus necessitatem præcepit imponi, quatenus aut subscriberet, aut consentiret invitus. Non enim terrore, aut violentia aliquos volumus ad viam trahere veritatis: Atqui hæc Marciani & verba, & opera, nec consonant dictis a nobis, nec sunt uniformia factis a Principibus aliis, quos tamen nos non reprehendimus, immo laudamus: ergo vel laudantur qui errant, vel qui non errant reprehenduntur. II. Aliter ab aliis Acephalorum origo narratur; ait enim Natalis Alexander, quod Theodosius Monachus Palestinæ, acerrimus Eutychetis defensor, originem dedit Acephalis, qui damnabant quidem Eutychetem anathemate, sed Concilium Chalcedonense, & duarum naturarum professionem execrabantur; Et probari hoc dicit ex epistola Marciani Imperatoris ad Monachos Palestinæ, in qua dicitur: *Nostra pietas admiratur, qua causa Eutychem quidem anathematizatis, bene in hac parte facientes: Theodosio vero, qui projecta audacia est, vos ipsos contradidistis, sapienti ea, quæ sunt Eutychis.* III. Eutyches confugit ad S. Petrum Chrysologum, Episcopum Ravennatem, illum implorans epistolis suis, ut in ejus causa Judex esse vellet; quod constat ex epistola Chrysologi ad ipsum Eutychem: Vel ergo cognovit Eutyches, quemlibet Episcopum in causa fidei posse esse Judicem, non solum Romanum Pontificem; vel Chrysologum existimabat idem sentire, quod ipse sentiebat. IV. Dictum est a nobis, Eutychetem ad Romanam Sedem appellasse; sed Concilii Constantinopolitani Patres hoc constanter negarunt: ergo non est veritati consona Eutychetis ad Leonem, Romanum Pontificem, appellatio. V. Constantinus Diaconus testatur, Eutychetem appellasse ad Episcopos Romanum, Alexandrinum, & Hierosolymitanum, & Thessalonicensem. Sua verba sunt: *Eutyches, dum legeretur damnatio, appellavit sanctum Concilium Sanctissimi Episcopi Romani, Alexandrini, & Hierosolymitani, & Thessalonicensis*. In quibus tria videntur dictis a nobis contraria; primum, quod non tantum ad Romanam Sedem appellaverit, sed & ad alias; secundum, quod nihil dixerit de Episcopo Antiocheno, cujus sedes etiam erat major; & tertium, quod meminerit Thessalonicensis, cujus sedes major non erat. VI. In can. 28. qui est ultimus Concilii Chalcedonensis, habetur: *Jus Patriarchicum, & Primatus honorem, post Romanam Constantinopolitanæ Sedi confirmandum*; atqui pugnat hic canon & cum historiæ veritate, & cum Ecclesiæ disciplina: ergo &c. VII. Ejusdem Concilii can. 20. privat Clericos in una Ecclesia ordinatos, migrare ad aliam, uti & Episcopos, qui eos suscipiunt; sed praxis, quam habemus contraria est: ergo &c. VIII. Marcianus cum Pulcheria uxore Concilio Chalcedonensi præfuit, quod contrarium omnino dicitur a nobis Dei Verbo, & Ecclesiæ canonibus.

Respondemus ad I. Falsum est, Marcianum Imperatorem solum mansuetudine conatum fuisse ad meliorem frugem reducere Monachos Palestinæ; Mansuetudine quidem cœpit primum illos adhortari; at ubi comperiit pertinaciores reddi, rigore prosequutus est compellere, & ad viam veritatis reducere. Literas enim dedit Dorotheo, Palestinæ Præfecto, in quibus illi mandavit, ut Theodosium, qui erat Seditiosorum caput, carceribus manciparet, & modis omnibus adeo reprimeret, ut desineret tandem esse veritatis hostis, & fieret catholicæ fidei propugnator. Hæreticos autem, qui Ecclesiam perturbant, regia manu coercendos, S. Leo scripserat Juliano, Coënsi Episcopo, & de Palestinæ Monachis loquebatur, epist. 91. verbis hisce: *Si qui autem suæ obdurationi cæcati, ita in reprobi sensus amentiam transierunt, & malint furere, quam sanari, ad imperialem pertinet potestatem, ut perturbatores ecclesiasticæ pacis, & Reipublicæ, quæ Christianis Principibus merito gloriatur, inimici solicitius comprimantur.*

Ad II. Quæ nos de Acephalis narravimus, a Leontio Byzantino desumpsimus, & a Juenino referuntur; quæ a Natali Alexandro traduntur, epistola Marciani Imperatoris, ad Palestinæ Monachos data, confirmantur; at in hac nec verbum de Acephalis invenire quis poterit. Attamen, ut nemini ex præfatis Scriptoribus notam injiciamus, sic putamus posse discrepantiam componi ex iis, quæ de Acephalis narrat Petrus Annatus. Ait enim, Acephalos fuisse antea illos dictos, qui post solutum Concilium Ephesinum I., nec Cyrillo Alexandrino, Nestorium damnanti adhærebant, nec Joanni Antiocheno, Nestorium propugnanti, se uniebant. Subdit postea, quod Acephali, seu Acephalitæ, post Concilium Chalcedonense, dicti sunt factiosi nonnulli, qui ejusdem Concilii decretis contradicebant; Soluto enim Concilio, multæ orta sunt fa-

Digitized by Google

factiones, quarum præcipua illa fuit, quæ Concilium impugnabat, & in Christo duas esse naturas negabat; & hos fuisse dictos Acephalos, quia non constabat, qui eorum esset auctor, sive caput; & hanc esse Alexandri opinionem, credimus. Addit præterea Annatus hæc: „ Nihilominus opinantur alii, Acephalos „ fuisse hæreticos illos, qui a suo Patriarcha Alexandrino pro Chalcedonensi Concilio stante recesserant; sicque quia sine „ suo pastore, & suo sine capite, Chalcedonense Concilium impugnabant, Acephali fuere dicti. Acephalos denique dici volunt alii politicos illos, qui Chalcedonense Concilium approbabant cum „ Catholicis, & reprobabant cum Hæreticis; tenetque Nicephorus, Severum, „ Antiochenum Episcopum, Acephalorum „ fuisse Ducem, & antesignanum; unde & „ Severitæ creduntur pariter nuncupati. „ Post quæ concludit Annatus, & cum eo nos etiam: „ Verum quidquid sit de „ Acephalis, eorumque duce, certum est „ Acephalos de illis fuisse hæreticis, qui „ spreto Chalcedonensi Concilio, duas in „ Christo naturas esse, cum Eutyche, & „ Dioscoro, negabant; unde & Monophisitæ „ censendi, ac proinde eodem cum Eutyche, & Dioscoro, cæterisque Monophysitis, anathemate feriendi, nisi Chalcedonensi adhæreant Concilio. „

Ad III. Vere Eutyches S. Petri Chrysologi, Ravennatis Episcopi, patrocinium imploravit; ut constat ex epistola ejusdem S. Petri, ad ipsum data, quæ incipit: *Tristis legi tristes literas tuas.* Attamen ex eadem epistola luculenter innotescit, Romani Pontificis judicio standum esse in rebus fidei, non autem hujus, aut alterius Episcopi, ad quem non pertinet. Sunt ejus verba: *In omnibus autem hortamur te, ut his, quæ a Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam Beatus Petrus, qui in propria sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis, & fidei, extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus.* Quod autem Chrysologus nullo pacto sentiret, quæ Eutyches sentiebat, ex illis Chrysologi verbis patet, quibus luget nimiam de rebus fidei disputandi prurigínem: *Triginta annis*, scribit, *humanæ leges humanas adimunt quæstiones; & Christi generatio, quæ divina lege scribitur inenarrabilis, post tot secula disputatione temeraria ventilatur.*

Ad IV. Verum est, quod judicii tempore, sive dum legeretur damnatio, vel ipso Constantinopolitano Conventu adhuc sedente, Eutyches ad Romanum Pontificem non appellaverit; & ex hoc factum est, ut appellatio ejusdem Concilii actis non insereretur; & de hac intelligendi sunt Episcopi, qui negabant, Eutychetem ad Leonem appellasse. Attamen dissoluto postmodum Concilio, inquit Natalis Alexander, appellavit majorum Sedium Episcopos, & Romanum præcipue, apud cujus Apostolicam Sedem prosequutus est suam appellationem, accusatorio Dorylæi libello, & mediis suæ defensionis ad S. Leonem transmissis; quod ex epistola 8. S. Leonis ad Flavianum patet. Et hinc est, subdit Alexander, quod Eutychetis causa coram Sede Apostolica pendente, Flavianus S. Leonem rogabat, ut sententiam in ipsum latam Constantinopoli confirmaret: *Conventus itaque, Sanctissime Pater, in his omnibus, quæ ab eo præsumpta sunt, pro consueta fiducia fiducialiter age, secundum quod Sacerdotio competit, propriamque faciens communem causam, & sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem adversus eum regulariter factam, per propria scripta dignare.*

Ad V. Quanvis Eutyches ad alios Episcopos appellaverit, non est tamen recepta appellatio, nisi ab Episcopo Romano, & apud eum tantum discussa est causa; ut dictum est. Quod autem non appellaverit ad Episcopum Antiochenum, plures scribit causas Natalis Alexander; & quidem primo, quod suspecti essent Nestoriani omnes apud Eutychetem omnes Episcopi Orientalis Diœcesis; secundo, quod Domnus, qui erat Antiochenus Episcopus, scripsisset olim contra duodecim capitula S. Cyrilli, ut testatur Liberatus cap. 12. Breviarii; tertio, quod esset Joannis Antiocheni ex sorore nepos; quarto quod esset amicus Flaviani, & Theodoreti, Episcopi Cyri; quinto demum, quod Domnus primus omnium suam hæresim oppugnasset, teste Facundo Hermianensi lib. 12. c. ult., & lib. 8. c. 5. Quod vero appellaverit etiam ad Thessalonicensem Episcopum, aliquas etiam addit rationes idem Alexander; nempe quod tunc temporis Diœcesis Illyrici Orientalis, cujus caput erat Thessalonicensis Episcopus, Occidentali imperio non parebat; unde quanvis Occidentis Patriarchæ subdita esset, sine

Orien-

Digitized by Google

Orientalis Imperii sicenia ejus Episcopi Concilio Patriarchæ Occidentalis se sistere non solebant; quod asserit Natalis Alexander. Subdit quoque specialem prærogativam Episcopi Thessalonicensis, qui post Patriarchas in Consessibus sedebat. Addit denique, hoc factum fuisse ab Eutychete, ut sibi favorabiles Episcopos Illyrici redderet.

Ad VI. Hic canon vigesimus octavus Chalcedonensis Concilii est celebris ille canon e canonum numero etiam a Græcis expunctus, & a S. Leone, Romano Pontifice, nunquam probatus, sed rejectus; ut ait Petrus Annatus, Scriptor Gallus. Ratio fuit prima, quia fraudibus Anatolii, Constantinopolitani Patriarchæ, in canonum numerum fuit insertus, post regressum Sedis Apostolicæ Legatorum, & in absentia aliorum Patriarcharum. Secunda, quod dicat, a Nicæno Concilio fuisse primatum Romanæ Sedi concessum; & hoc ex eo patet falsum omnino esse, quod sextus Canon Nicæni Concilii in genuinis Codicibus sic dicat: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum; antiqua autem consuetudo servetur*. Tertia, quod asserat, ideo Romanæ Sedi concessum fuisse primatum, quia Roma sedes erat imperii; cujus dicti apertissima falsitas constat ex epistola S. Leonis ad Marcianum, & ex epistola S. Gelasii ad Episcopos Dardaniæ, in qua sic legitur: *Mediolanum, Ravenna, Sirmium, Treviri, & Nicomedia, multis temporibus sedes imperii fuerunt; quibus cum nihil plus juris, dignitatis, & prærogativæ Ecclesiæ ea de causa concessum fuerit, non immerito mendacii arguuntur, qui dicunt, prædicta de causa Romanam Urbem ad fastigium apostolici culminis evectam esse*.

Ad VII. dicitur, antiquis temporibus omnes Clericos fuisse ordinatos ad titulum beneficii; nullum autem tunc erat beneficium, quod ad personalem residentiam non obligaret; unde dicitur in canone 10. ejusdem Concilii: *Non licet Clericum conscribi in duabus simul Ecclesiis*. Hæc autem praxis modo etiam est in usu de illis Clericis, qui beneficium habent, quod ad personalem obligat residentiam. Postquam vero invecta est consuetudo ordinandi ad titulum patrimonii, & sunt introducta Beneficia simplicia, quæ personalem residentiam non requirunt, hic canon suum amisit rigorem. Nec dicatur, quod consuetudines illæ fuerunt corruptelæ potius, quia contra canones Ecclesiæ, justis enim de causis fuerunt a summis Pontificibus approbatæ, quorum auctoritas etiam ad canones Ecclesiæ se extendit.

Ad VIII. Respondetur verbis, quæ dixit Imperator Marcianus, Chalcedonensis Concilii Patres alloquens: *Se cum uxore piissima Pulcheria ad Concilium venisse ad fidem roborandam, non ad aliquam potentiam ostendendam, sive exercendam, exemplo religiosissimi Principis Constantini; ut veritate inventa, non ultra multitudo pravis doctrinis attracta discordet*. Volens insuper Marcianus capitula quædam a Concilio ordinari, hæc Patribus dixit: *Quædam capitula sunt, quæ ad honorem vestræ Reverentiæ vobis servavimus, decorum esse judicantes a vobis hæc regulariter potius firmari per Synodum, quam nostra lege sanciri*. Hæc quidem Marciani obedientiam ostendunt, non potestatem.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CLXXIII.

De Eutychiana Hæresi confutanda, sacris Literis, Apostolicis definitionibus, Conciliaribus decretis, Patrum, sive Græcorum, sive Latinorum, traditione, ac theologicis etiam Ratiociniis.

I. PRobatur dogma catholicum contra Eutychianos Hæreticos ex Scripturis. Joann. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: His verbis asserimus nativitas Divini Verbi æterna, & ex Patre: *Et verbum caro factum est*. His aliis temporalis nativitas ex Matre probatur; sed ubi est duplex nativitas, ibi duplex etiam est natura: ergo &c. I. Joann. 5. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de libro vitæ: Et vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. Quomodo autem contrectari potest Verbum, nisi in carne, quam assumpsit? Ad Roman. 1. *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem: qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*. Et cap. 9. *Quorum Patres, & ex quibus est Christus: qui est super omnia benedictus Deus in sæcula*. Et ad Philipp. 11. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo*. In his verbis forma accipitur pro natura, & duæ naturæ expresse enunciantur. Joann. 14. *Pater major me est*. Hoc quidem non intelligebatur de natura divina, secundum quam est idem cum Patre: ergo de natura humana: ergo sunt duæ in Christo naturæ. Joann. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Nec quidem hoc intelligi debet de natura humana, quæ tempore incœpit: ergo de natura divina: ergo duæ sunt in Christo naturæ. Joann. 20. dixit Thomas: *Dominus meus, & Deus meus*. Nec verba hæc intelligi debent de carne, quam Thomas videbat, & tangebat: ergo de divina natura: ergo ultra humanam, quam videbat, & tangebat, erat divina, quam confitebatur. Joann. 5. *Non solum solvebat sabbatum, sed etiam Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*: & Joann. 10. *Ego, & Pater unum sumus*; Ex quibus verbis Pharisæi colligebant, Christum se asserere Deum: ergo in eo præter naturam humanam, erat etiam divina. Malach. 3. *Ego Dominus, & non mutor*: Num. 23. *Non est Deus ut Filius hominis ut mutetur*: ergo secundum divinitatem Christus erat incorruptibilis, & immortalis; cujusmodi non erat secundum humanitatem: ergo non erant in Christo permixtæ naturæ, nec divina versa erat in humanam. Ad Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine David, secundum carnem*: Et c. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem*: ergo divinitas non est nata, passa, & mortua; quum fuerit Christus tantum passus secundum carnem. 1. Pet. 4. *Christo igitur in carne passo &c.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Damasus in Professione fidei, quam scripsit ad Paulinum, Thessalonicensem Episcopum: *Si quis dixerit, quod in passione crucis dolorem sustinuit Filius Dei Deus, & non caro cum anima, quam induerat in forma servi, quam sibi acceperat, sicut ait Scriptura; anathema sit. Si quis non dixerit excruciatum carne Dei Filium, & carne mortem gustasse, fuisseque primogenitum ex mortuis, quatenus vita est vivificus Deus; anathema sit.* S. Leo magnus ser. 1. de nat. Dom. c. 2. *Et tanto fœdere naturam utramque consereret, ut nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio. Salva igitur proprietate utriusque substantiæ, & in unam coëunte personam, suscipitur a majestate humilitas &c.* Et ser. 3. de passion. Dom. c. 1. *Hoc catholica fides tradit, ut in Redemptorem nostrum duas noverimus convenisse naturas, & manentibus proprietatibus suis, tantam factam unitatem utriusque substantiæ, ut ab illo tempore, quo sicut humani generis causa poscebat, in B. Virginis utero Verbum caro factum est, nec*

Deum

Digitized by Google

Deum illum sine hoc quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare, quod Deus est .... Nec infert unitas confusionem, nec dirimit proprietas unitatem. Et epist. ad Flavianum c. 4. *Agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est; & carne exequente, quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita ejus naturam nostri generis non reliquit.* Hormisda epist. 76. ad Justinum Imperatorem: *Ita intra viscera S. Mariæ Virginis genitricis Dei, unitis utrisque sine aliqua confusione naturis, ut qui ante tempora erat Filius Dei, fieret Filius hominis, & nasceretur ex tempore, hominis more, matris vulvam natus non aperiens, & virginitatem matris Deitatis virtute non solvens .... Ita nostra infirmitatis particeps, ut posset interimi; ita ingenitæ potentiæ dominus, ne posset morte consumi.* Joannes II. ep. 3. ad Avienum, Libertum &c. de duabus in Christo naturis: *Igitur Christum Dominum nostrum unum esse S. Trinitatis ex duabus naturis cognoscendum, hoc est in deitate, & humanitate perfectum, non antea existente carne, & postea unita Verbo, sed in ipso Deo Verbo initium ut esset accipiens, inde enim vero ex materno corpore caro sumpsit initium, salva proprietate vel veritate utriusque naturæ, hoc est divinitatis, atque humanitatis, Dei Filium Dominum nostrum Jesum Christum Catholici confitemur, omni posthac commutationis confusione submota. Neque enim naturas in eo aliter cognoscimus, nisi differentiam intelligentes, & confitentes, divinitatis, atque humanitatis.* S. Gregorius magnus in Job. lib. 18. c. 27. *Manens unus ex utraque, & in utraque natura, nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus.* Hadrianus I. epist. ad Episcopos Galliæ de errore Elipandi, Toletani Episcopi: *Scimus, quia non traditus est secundum divinitatem, sed secundum id, quod homo verus erat: illum nimirum, qui traditus est, idest hominem ipsum Apostolus proprium Dei Filium* protestatur. Leo IX. Epist. ad Petrum Antiochenum: *Duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem; duas voluntates, & operationes habentem; Deum verum, & hominem verum; proprium in utraque natura, atque perfectum: non commixtionem atque divisionem passum; non adoptivum, neque phantasticum. Unicum, & unum Deum, Filium Dei in duabus naturis, sed in unius*

personæ singularitate; impassibilem, & immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis, & pro nostra salute passum veræ carnis passione. Clemens VI. qui & refertur Extra lib. 5. tit. 9. de pœnitentiis, & remissionibus c. 2. *Unigenitus Dei Filius de sinu Patris in uterum dignatus est descendere Matris; in qua, & ex qua nostræ mortalitatis substantiam divinitati suæ in suppositi unitate ineffabili unione conjunxit; id quod fuit permanens, & quod non erat assumens; ut haberet unde hominem lapsum redimeret, & pro eo satisfaceret Deo Patri.* Eugenius IV. in Concilio Florentino in decreto unionis Armenorum &c.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. in Symbolo Fidei: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit, & incarnatus est, & homo factus est, & passus est.* Prius Filii divinitatem asseruerat, & deinde susceptam adjicit hominis naturam: ergo duas in Christo confitetur naturas. Concilium Chalcedonense in Definitione Fidei: *Christum Dominum nostrum, eundem perfectum in deitate, & eundem perfectum in humanitate, Deum verum, & hominem verum, eundem ex anima rationali, & corpore: consubstantialem Patri secundum Deitatem; consubstantialem nobis secundum humanitatem: ante sæcula quidem de Patre genitum secundum deitatem; in novissimis autem diebus eundem propter nos, & propter nostram salutem, ex Maria Virgine, Dei genitrice, secundum humanitatem; unum eundemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter, agnoscendum. Nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam atque subsistentiam concurrente; non in duas personas partium, atque divisum, neque disjunctum, sed unum, & eundem Filium, unigenitum, Deum Verbum Jesum Christum, sicut ante Prophetæ de eo, & ipse nos Jesus Christus erudivit, & Patrum nobis Symbolum tradidit.* Concilium Constantipolitanum generale V. Confess. 5. c. 2. *Si quis non confitetur Dei Verbi duas esse nativitates, unam quidem ante sæcula ex Patre, sine tempore, incorporaliter; alteram vero in ultimis diebus ejusdem ipsius, qui de cælo descendit, & incarnatus de sancta gloriosa Dei Genitrice, & semper Virgine Maria, natus est ex ipsa; talis anathema sit.* Concilium Constantinopolitanum generale VI. act. 17. *Unum, eundemque Christum Filium Dei unigenitum,*

Digitized by Google

in duabus naturis inconfuse, inconvertibiliter, inseparabiliter, indivise, cognoscendum; numquam extincta harum naturarum differentia propter unionem, salvaque magis proprietate utriusque naturæ, & in unam personam, & in unam subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum, vel divisum, sed unum eundemque unigenitum Filium Deum Verbum Dominum Jesum Christum, & duas voluntates in eo, & duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum Sanctorum Patrum doctrinam adequate prædicamus &c. Concilium Toletanum I. in Assertione fidei: *Si quis dixerit, vel crediderit Deitatem Christi convertibilem fuisse, vel passibilem, anathema sit. Si quis dixerit vel crediderit Deitatis & carnis unam in Christo esse naturam, anathema sit.* Concilium Hispalense II. cap. 3. *Unus est enim Christus, Deus & homo, caro & Verbum. Sed unde Deus, inde habet immortalitatem; unde homo, inde pertulit passionem; & unde caro, inde mortuus; & unde Verbum, inde æternus. Neque enim potest esse deitate passibilis, qui est virtute paterna gloria naturæ æqualis. Unde & Patri deregatur, dum natura deitatis in Filio passibilis creditur.* Concilium Toletanum IV. c. 1. *Manens quod erat, assumens quod non erat; æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem; habens in una persona duarum naturarum proprietatem. Natura enim in illo duæ, Deus, & homo. Non autem duo Filii, & Dii duo, sed idem una persona in utraque natura, perferens passionem, & mortem pro nostra salute, non in virtute divinitatis, sed in infirmitate humanitatis.* Concilium Toletanum VI. c. 1. *Idem Filius Dei Patris esset Filius hominis, Deus perfectus, & homo perfectus; ut Deus perfectus & homo esset unus Christus, naturis in duabus una persona.* Concilium Arelatense IV. in Confessione fidei: *Manens quod erat, assumens quod non erat: æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem; habens in una persona duarum naturarum proprietatem: Natura enim in illo duæ, Deus & homo: Non enim duo Filii, & Dii duo, sed idem una persona in utraque natura; perferens passionem & mortem pro nostra salute, non in virtute divinitatis, sed in infirmitate humanitatis.* Concilium Vormatiense in Confessione fidei: *Dei enim Filius non personam hominis accepit, sed naturam. Naturam quippe nostram in unitatem suæ personæ assumpsit; & idcirco Filius Dei, & Filius hominis unus est Christus. In eo namque, quod Filius Dei est, æqualis est Patri; & in eo, quod est Filius hominis, minor est Patre.* Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. c. 1. *Tandem Unigenitus Dei Filius Jesus Christus a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine, Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali & humana carne compositus, una in duabus naturis persona viam vitæ manifestius demonstravit.*

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Ignatius in ep. ad Ephesios: *Unus medicus est, carnalis & spiritualis, factus & non factus; in homine Deus, in morte vita æterna; ex Maria, & ex Deo; primum passibilis, & tunc impassibilis, Dominus noster Jesus Christus.* Justinus martir in Apologia II. *Princeps autem virtus post Patrem omnium, & Dominum, ac Filius, est Verbum: quod quemadmodum incarnatum homo factum sit, dicemus postea.* Irenæus lib. 5. c. 14. *Si non haberet caro salvari, neque quem Verbum Dei ex ea factum esset; & si non haberet sanguis justorum inquiri, neque quem sanguinem habuisset Dominus.* Origenes hom. 1. in Ezechielem. *Respondeant mihi Hæretici, qui nativitatem illius ut phantasma claudunt, quare Christus filius hominis appellatur? Ego affirmo Filium hominis ipsum fuisse. Nam qui passiones assumpsit humanas, necesse est ut ante passionem susceperit nativitatem.* Patres Synodi Antiochenæ contra Paulum Samosatenum in epistola quod ad ipsum dederunt: *Idcirco corpus ex Maria natum, cum totam divinitatis plenitudinem cepisset, corporaliter divinitati, sine conversione, unitum est, & deificatum.* Athanasius in ep. ad Epictetum: *Audiant quod si creatura erat Verbum, non assumpsisset creatura corpus, ut illud vivificaret. Quodnam enim Creatoris a creatura auxilium esse potest, quæ ipsa quoque auxilio indiget? Sed quia Verbum cum esset creator, ipse creaturarum conditor fuit, ideo in consumatione seculorum creaturam ipse sibi adjunxit, ut eam tanquam conditor renovaret, ac recrearet.* Et ibidem: *Quomodo autem vel dubitare ausi sunt, qui dicuntur Christiani, si Dominus, qui ex Maria processit, Filius quidem de substantia naturæ Dei est; quod autem secundum carnem, ex semine David est, & carne sancta Mariæ.* Basilius, quem laudat S. Leo, in ep. ad Leonem augustum: *Cum ergo quædam in Christo ita videmus humana, ut nihil a communi mortalium fragilitate distare videatur; quædam-*

ita

Digitized by Google

ita divina, quæ nulli alii, nisi illi ineffabili naturæ conveniunt deitatis. Haret humani intellectus angustia, & quo se convertat, ignorat. Si hominem putet, devicto mortis regno cum spoliis redeuntem a mortuis cernit. Propter quod cum omni metu & reverentia contemplandum est, ut in uno eodemque ita utriusque naturæ veritas demonstretur, ut neque aliquid indignum & indecens de divina illa & ineffabili substantia sentiatur; neque rursus, quæ humanitus gesta sunt, falsis illusa imaginibus æstimetur. Nazianzenus ep. ad Cledonium: Natura quidem duæ Deus, & homo, quia & anima, & corpus: Filii vero nequaquam duo. Neque enim hic duo sunt homines, etiamsi Paulus sic loquitur, cum appellat interiorem hominem, & exteriorem. Ac ut summatim dicam, aliud quidem, & aliud sunt ea, ex quibus Salvator; quia non idem est visibile cum invisibili, & temporis expers cum temporaneo. Non est tamen alius, & alius; absit. Nyssenus orat. ad Eunomium: Quis ergo exaltatus est, humilis ne, an altissimus? Quid est autem humile, nisi humanitas? Quid aliud præter Deum est altissimus? Atqui Deus exaltatione non indiget, cum sit altissimus. Humanam igitur naturam exaltatam fuisse dicit Apostolus: exaltatam vero, eo quod Dominus, & Christus facta sit. Cyrillus Hierosolymitanus cathech. 4. Si phantasia esset Incarnatio, spectrum quoque esset salus. Duplicis natura fuit Christus: homo quidem, quod videbatur; Deus autem, quod non apparebat. Comedens quidem ut homo vere, sicut nos, habebat enim carnis similes nobis affectiones; quinque autem panibus quinque millia pascens ut Deus. Dormiens in navi ut homo, & ambulans per aquas ut Deus. Chrysostomus hom. de Ascens. Domin. Nam sicut duobus jugo separatis, unus in medio positus altercantium litem discordiamque dissolvit; ita & Christus nobis fecit. Deos nobis juste irascebatur, & nos contemnebamus iratum, & clementem Dominum declinabamus. Ee se medium Christus ingessit, & sociavit utrasque naturam, & nobis quod imminebat a Patre supplicium, ipse sustinuit: Cyrillus Alexandrinus in ep. ad Nestorium: Non enim dicimus, quod Dei natura conversa, vel immutata, facta sit caro; nec quod in totum hominem, qui est ex anima & corpore, transformata sit; sed illud magis, quod carnem animatam anima rationali sibi copulaverit Verbum substantialiter & ineffabiliter factus sit homo, & nuncupatus sit etiam filius hominis, non unda tantummodo voluntate, sed nec assumptione sola persona; sed quod diversa quidem natura in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Christus, & Filius, non evacuata, aut sublata diversitate naturarum per conjunctionem, sed quia simul nobis effecerunt unum Dominum, & Christum, & Filium, id est divinitas, & humanitas, per arcanam illam ineffabilemque copulationem ad unitatem.

V. Probatur ex Patribus Latinis. Hilarius lib. 9. de Trinitate: Nescit plane, vitam suum nescit, qui Jesum Christum ut verum Deum, ita & verum hominem ignorat; & ejusdem periculi res est, Christum Jesum vel Spiritum Deum, vel carnem nostri corporis denegare..... Mediator ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, & ipso illo inter Deum, & homines Mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis, natura utriusque res eadem est; ita tamen ut neutro careret in utroque, ne forte Deus esse homo nascendo desineret, & homo rursus Deus manendo non esset. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera est, Deum, & hominem prædicare, Verbum, & carnem confiteri. Neque Deum nescire, quod homo sit; neque carnem ignorare, quod Verbum sit. Ambrosius lib. 2. de fide ad Gratianum: Sileant igitur inanes de sermonibus quæstiones, quia regnum Dei, sicut scriptum est, non in persuasione verbi est, sed in ostensione virtutis: servemus distinctionem divinitatis, & carnis. Unus in utroque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est. Et si idem loquitur, non uno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. Quasi Deus loquitur quæ sunt divina, quia Verbum est: quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in mea substantia loquitur. Et lib. de Incarnat. Domin. cont. Apollinaristas: Sed dum hos redarguimus, emergunt alii, qui carnem Domini dicunt & divinitatem unius esse naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna vomuerunt? Jam tolerabiliores sunt Ariani, quorum per istos perfidia robur adolescit, ut majore contentione asserant Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, unius non esse substantia, quam isti divinitatem Domini & carnem substantiæ unius dicere tentaverunt. Augustinus in epist. ad Volusianum: Nunc vero ita inter Deum & homines mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret. Augustinum pariter laudant Theodoretus, & S. Leo in Libello Emendationis; sed hic non est

est Augustini fœtus, quum sit ejus genuinus auctor Leporius; ut Eruditi omnes norunt: Verba autem recitamus, quia multum ad rem faciunt: *Confitemur Dominum, ac Deum nostrum Jesum Christum, unicum Filium Dei, qui ante sæcula natus ex Patre est, novissimo tempore de Spiritu Sancto, & Maria semper Virgine factum, hominem Deum natum: & confitentes utramque substantiam carnis & Verbi, unum eumdemque Deum, & hominem pia fidei credulitate suscipimus: & ex tempore susceptæ carnis, sic omnia dicimus, quæ erant Dei, transisse in hominem, ut omnia, quæ erant hominis, in Deum venirent: & hac intelligentia Verbum factum sit caro, non ut conversione, aut mutabilitate aliqua cœperit esse, quod non erat; sed ut potentia divinæ dispensationis Verbum Patris, nunquam a Patre discedens, homo proprie fieri dignaretur; incarnatusque sit Unigenitus secreto illo mysterio, quod ipse novit ..... Novit enim sine sui corruptione misceri. Absit ita credere, ut conflatili quodam genere duas naturas in unam arbitremur redactas esse substantiam. Hujusmodi enim commixtio partis utriusque corruptio est .... Nascitur ergo nobis proprie de Spiritu Sancto, & Maria semper Virgine, Deus homo, Jesus Christus, Filius Dei, ac sic in æternum unus sit Verbum, & caro, ut manente in sua perfectione naturaliter utraque substantia, sine ullo præjudicio, & humanitati divina communicent, & divinitati humana participent; nec alter Deus, alter homo; sed idem ipse Deus, qui & homo; & vicissim homo, qui & Deus Jesus Christus, unus Dei Filius & nuncupetur, & vere sit.* Vincentius Lyrinensis, vel quisquis alius sit auctor, libri adversus hæreses c. 19. *In Deo una substantia, sed tres Personæ: In Christo duæ substantiæ, sed una Persona: In Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud; in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius. Quomodo in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud? Quia scilicet alia est Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; sed tamen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non alia & alia, sed una est, eademque natura. Quomodo in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius? Quia videlicet altera substantia divinitatis, altera humanitatis; sed tamen deitas, & humanitas non alter, & alter, sed unus, idemque Christus, unus itidemque Filius Dei, & unus, ejusdemque Christi, & Filii Dei una, eademque Persona est: aliud in homine aliud caro, & aliud anima, & caro.*

VI. Probatur Rationibus theologicis. I. Inter Divinitatem, & Humanitatem in Christo est unio; sed unio non importat abolitionem alicujus ex unitis, sed permanentiam: ergo in unione Divinitatis, & Humanitatis in Christo est permanentia naturarum, non abolitio. Major est certa, quia Joann. 1. dicitur: *Verbum caro factum est*; hoc est Verbum est unitum cum carne; ut Patres communiter explicant. Minor probatur ex S. Gelasio lib. cont. Eutych. *Unitio est duarum, non cujusliber alterius abolitio.* Consequentia bene infertur. II. Si in Christo facta esset una natura ex duabus naturis, in Christo non esset nec divina, nec humana natura; sed hoc est falsum: ergo & illud. Minor patet; quia sequeretur, quod Christus nec esset Deus, nec homo; nec esset Patri consubstantialis; nec Matri. Major probatur a Leontio apud Eutymium in Panoplia p. 2. tit. 15. verbis hisce: *Simplex natura compositæ naturæ non est consubstantialis. Quare simplex natura Patris est, Filii vero compositæ, non erit consubstantialis Patris naturæ natura Filii. Atqui consubstantialem Patri Christum, & eumdem nobis consubstantialem profiteri se simulant. Dicant igitur ut fieri possit, ut una & compositæ naturæ Christi ex toto sit Patri consubstantialis, & sit eadem tota nobis: & ut non istud ad eumdem non eum Patre substantiam evehat.* III. Non essent in Christo duæ naturæ, si altera ex duabus fuisset in aliam conversa; sed nec Divinitas potuit mutari in carnem, nec humana natura in deitatem: ergo in Christo sunt duæ naturæ. Major liquet ex termino. Minor probatur a Gelasio sic: *Etenim si aliquid, quod absit, vel divinitatis, vel humanitatis inde decesserit, sequitur ineffabilis resolutio Sacramenti: & quod dictu audituque fugiendum est, vel homo Deus esse jam desinat, si sola illic humanitas, non etiam deitas permaneat. Nec glorificata videatur nostra conditio unitione Deitatis, sed potius esse consumpta, si non eadem subsistat in gloria; sed sola existente deitate, humanitas illic esse jam desistit. Videbitur autem divinitas in utroque mutabilis, si vel in id ipsum est ipsa conversa; vel sic est in deitatem humanitatis transfusa conditio, ut proprietas ejus esse desierit. Si vero ex se ipsa ex toto jam non est, restat ut accesserit, ac creverit quæ deitati; sic in deitatis naturam transierit, ut esse desiterit prorsus humana:*

Digitized by Google

tes: ubi modis omnibus divina substantia mutabilitatem recipere judicetur; quæ cum nec minui possit omnino, nec crescere, transfusione humanitatis adjecta velut aucta videatur. IV. Christo conveniunt proprietates contrariæ; sed uni simplici naturæ convenire non possunt contrariæ proprietates: ergo in Christo non est una simplex natura. Major non potest negari. Minor probatur ab Euphræmio in Bibliotheca Photii Cod. 229. *Si in contrariis proprietatibus horum utrinsvis natura spectatur, carnis, inquam, & divinitatis, quomodo duæ sunt una natura?* Rationem hanc probat S. Gregorius Nyssenus scribens contra Apollinarem. V. Si in Christo post unionem naturarum una tantum natura permansit, vel hoc fuit per conversionem divinitatis in carnem, vel per conversionem carnis in divinitatem, vel per coalitionem duarum in unam, vel per resultantiam tertiæ naturæ ex duabus remanentibus in sua specie, quæ quidem tertia sit heterogenea; sed nullo ex prædictis modo concedendum hoc est: ergo &c. Probatur minor. Non primo, neque secundo; quia aliter Dei natura mutata fuisset; neque tertio; quia etiam esset mutatio; non enim possent duæ naturæ coalescere in tertiam, nisi per mutationem in tertiam illam speciem naturæ, in quam coalescerent; nec pariter quarto; quia illa tertia natura, quæ resultaret, remanentibus duabus in sua specie, esset heterogenea; ut dictum est; adeoque duæ naturæ illæ se deberent habere per modum partis respectu tertiæ naturæ, quæ resultat ex eis; ut patet in natura hominis, quæ resultat ex unione animæ, & corporis; sed natura divina in Christo non potest se habere per modum partis; quia pars essentialiter importat imperfectionem: ergo &c. VI. Humana natura nullo reali instanti temporis existit sine unione cum Verbo; ut supra probatum est: ergo falso asserebat Eutyches, fuisse duas naturas in Christo ante unionem, quia aliter existissent aliquando naturæ, sine unione mutua secum invicem. VII. Humanitas a Christo assumpta est nostræ humanitati consubstantialis; sed sic non esset, si esset post unionem cum Verbo facta una natura cum divinitate: ergo &c. Major patet; quia est ejusdem speciei cum nostra: ergo est nostræ humanitati consubstantialis. Minor probatur. Post unionem, ut dicebat Eutyches, esset altera natura: ergo non ejusdem speciei cum nostra: ergo non nostræ consubstantialis. Hoc clarius patet ex verbis Concilii Constantinopolitani sub Flaviano: *Eutyches Presbyter dixit: Dixi quia Virgo est consubstantialis nobis. Basilius reverendissimus Episcopus dixit: Si Mater est nobis consubstantialis, & ipse. Quoniam filius hominis vocatus est. Si ergo mater ejus consubstantialis est nobis, & ipse secundum carnem consubstantialis est nobis.* VIII. In Christo est natura divina, ut contra Ebionem, Photinum, Nestorium, Socinum, communiter asserunt Patres; est pariter natura humana, ut contra Manichæos, & Phantasiastas, Patres etiam edocent; sed utramque hanc naturam in Christo post unionem remansisse, Patres etiam testantur, Scripturæ affirmant, Pontifices definiunt, Concilia decernunt: ergo &c.

Opponunt I. Vasquez, & Gabriel, asserunt, Eutychetis hæresim in eo fuisse positam, quod asseresceret, duabus naturis, divina, & humana, remanentibus in Christo in propria specie post unionem, Christum debere dici unius tantum naturæ: ergo nos rationibus nostris autem verbenamus, & Hæresiarchæ mentem non attingimus, nec errorem impugnamus. II. Verbum factum est caro: ergo in propria sua specie non remansit. Antecedens est Joann. 1. *Verbum caro factum est.* Consequentia probatur. Aqua, quæ in nuptiis Canæ facta est vinum, non remansit aqua; quia per Evangelium facta est vinum: ergo pariter si Verbum factum est caro, non remansit in sua propria specie, sed mutatum est in carnem. III. S. Cyrillus in ep. ad Successum docet, in Christo non reperiri duplicem naturam, sed unam. En sua verba: *Post unitionem non dicimus naturas a se mutuo, neque in duo secamus Filium illum, qui unus est, & individuus. Sed unum dicimus Filium, & quemadmodum loquuti sunt Patres, unam naturam Dei Verbi incarnatam.* IV. Cyrillus quoque in eodem loco docet, duas in Christo naturas post unitionem sola cogitatione distingui; sed quæ distinguuntur sola cogitatione, non sunt duo realiter, sed unum: ergo in Christo post unionem non sunt duæ realiter distinctæ naturæ, sed una, quæ in duas sola cogitatione distinguitur. Major constat ex verbis Cyrilli: sed ignorant (Nestoriana mente intelligi) *quamquam non sola mentis contemplatione distingui soleant, ea prorsus atque in diversitatem distincta, omnifariam, &c.*

pri-

privatim a se mutuo segregari. V. In Christo duæ naturæ sunt permistæ: ergo confusæ: ergo non distinctæ. Antecedens est doctrina Patrum, qui de Incarnatione loquentes, mixtionis adhibent vocem. Tertullianus apolog. 21. *Nascitur homo Deo mixtus*. Augustinus in ep. ad Volusianum docet, Christum *esse misturam Dei, & hominis*. Consequentiæ bene inferuntur; quia mixtio tollit distinctionem, & parit confusionem. VI. S. Justinus in Apologia II. facit comparationem inter Incarnationem, & Eucharistiam, docens, Verbum factum fuisse carnem modo eodem, quo panis in Eucharistia fit corpus Christi; sed panis in Eucharistia fit corpus Christi per conversionem: ergo &c. Major probatur verbis Justini: *Quemadmodum per verbum Dei caro factum Jesus Christus Servator noster & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit; ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso perfecti gratiæ sunt actæ, alimoniam . . . Incarnati illius Jesu carnem, & sanguinem esse docti sumus*. VII. Patres loquentes de naturis Christi Domini adhibent particulam *ex*; sed hæc importat resultantiam unius naturæ ex duabus: ergo post unionem non sunt duæ naturæ in Verbo, sed una. VIII. In Concilio Lateranensi sub Martino I. dicitur anathema non confitentibus naturam Verbi incarnatam: ergo ex hoc Concilio una est natura, non duæ in Incarnatione. IX. Nanzianzenus in epist. ad Chelidonium; & ex Athanasio, & Cyrillo, Damascenus lib. 3. de fide c. 6. & 7., dicunt, *carnem deificatam*; sed hoc est idem ac dicere divinitatem incarnatam: ergo &c. X. Julius, Romanus Pontifex in ep. ad Dionysium, Episcopum Corinthiorum ait: *Necesse est eos, cum duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare; ac in divinam quidem baptizari, in humanam vero non baptizari*; sed hoc est convellere duarum naturarum professionem: ergo &c.

Respondemus ad I. Si Eutyches, aut ejus Sectatores, sensissent, quod Vasquez, & Gabriel, autumant, quæstio inter Catholicos, & Hæreticos, fuisset de solo. Fuisset enim hæc; an Christus, seu compositum resultans ex unione substantiali Verbi cum humana natura, dici debeat una simplex natura, an vero duplex? Et si hoc fuisset, Concilium Constantinopolitanum sub Flaviano, Concilium Chalcedonense œcumenicum, & S. Leo, non damnassent hæresim in Eutyche, sed tantum minus proprium loquendi modum prohibuissent. Hoc autem omnino falsum reputari debet: ergo falsum est quoque, quod Eutyches contenderit, duabus naturis, divina, & humana, remanentibus in propria specie post unionem, Christum debere dici unius tantum naturæ; ut Vasquez, & Gabriel, dicebant.

Ad II. Distinguitur antecedens: Verbum factum est caro per unionem, conceditur; per conversionem, negatur. Qui fit aliquid per conversionem non remanet in propria specie, secus vero, qui fit per unionem. Aqua in nuptiis Canæ fuit facta vinum per conversionem, & ideo in propria aquæ specie, seu natura, non remansit. Verbum vero factum est caro per unionem; & proinde Verbum, & caro, etiam post unionem, in propria specie, seu natura, remanserunt. Et ut hoc expresse videatur, Evangelium postquam dixit: *Verbum caro factum est*; statim subdit; *& habitavit in nobis*. Quæ quidem verba significant, nullam confusionem, aut mutationem contigisse in Verbo, quando factum est caro. Audiatur Chrysostomus hom. 11. in Joann. *Quid enim subjicit? Et habitavit in nobis, tanquam sic te alloqueretur: Vide ne quid absurdi suspiceris ex illa voce. Non enim mutationem illam immutabilis illius naturæ significavi, sed habitationem, & commorationem. Porro id, quod habitat, non est idem cum eo, quod habitatur, sed diversum.*

Ad III. Dicimus verba illa Cyrilli, *natura incarnata*, intelligi de hypostasi, seu persona, non vero de natura, prout est ab hypostasi virtualiter distincta. Eam enim loquendi formam adhibet Cyrillus ut probet contra Nestorium, non esse in Christo duos Filios, quod quidem probatur probando in Christo esse unam hypostasim; quia filiationis unitas non sumitur ex natura, sed ex hypostasi. Ulterius alii dicunt, quod natura est una unitate suppositi, non autem una unitate substantiæ. Et hoc est etiam contra Nestorium, qui contendebat, esse in Christo duas naturas, quarum quælibet per se subsisteret; & huic errori se opposuit Cyrillus dicens: *Una est Dei Verbi incarnata natura*.

Ad IV. Verba illa, *sola cogitatione*, & sumi possunt, prout opponuntur realitati, & prout realitati non opponuntur. Prout realitati non opponuntur sunt illa, quæ realiter distinguuntur, sed realiter sepa-

rari

sui non possunt. Duæ naturæ in Christo realiter distinguuntur, sed realiter separari non possunt, quum unam habeant subsistentiam. Et in hoc sensu dicit Cyrillus, eas sola cogitatione distingui. Exemplum, quod affert de anima, & corpore, rem clariorem reddit. Hæc enim realiter distinguuntur; attamen quia non sunt ab se invicem separata, & per se subsistentia, sola cogitatione distincta dicuntur. En sua verba: *Sic rursus nobis in exemplum hominis nostri simile: duas namque in eo naturas intelligimus, unam animæ, alteram corporis. Sed cum sola discreverimus intelligentia, & differentiam subtili contemplatione, sua mentis imaginatione; conceperimus, non tamen seorsum ponimus naturas, neque illis in totum per divisionem virtutem imposuimus, sed unius hominis esse intelligimus, itaut illæ duæ jam non sint duo, sed utraque animal unum absolvatur.*

Ad V. Mixtio intelligi potest & per mutationem unius in alterum, & per unionem tantum. Patres, qui de Incarnatione loquentes, mixturæ vocem usurpant, intelligendi sunt de secunda, non de prima unione. Porro Augustinus unionem animæ, & corporis per commixtionis vocem explicat, & tamen neutra convertitur in alteram. Sic enim ait ep. ad Volusianum: *Sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit: ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animæ, & corporis; in hac vero persona mixtura est Dei, & hominis.*

Ad VI. Justinus facit comparationem inter Incarnationem, & Eucharistiam quantum ad aliqua, non quantum ad omnia. Et paritas, quam affert, intelligenda est, quod sicut Verbum per Incarnationem realiter factum est caro, ita panis in Eucharistia realiter fit corpus Christi. Attamen hæc paritas licet valeat quoad realitatem, non tamen valet quoad modum; quia non eodem modo Verbum fit caro, ac panis fit corpus. Nec Justinus hoc unquam asserere voluit, quum de realitate tantum loqueretur, non vero de modo.

Ad VII. An adhibenda sit particula *ex*, an vero particula *in*, quoad naturas Christi Domini, in Chalcedonensi Concilio fuit acriter altercatum. Episcopi Orientales stabant pro *in*; Ægyptii pugnabant pro *ex*. Legati tamen Apostolicæ Sedis usurparunt *in*, non *ex*, in fidei definitione, quæ legitur in actis his verbis: *Unum eumdemque Christum, Filium, Dominum, unigenitum in duabus naturis, inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter, agnoscendum.* Igitur quamvis utriusque partis Patres sibi suam fidei formulam, ac sensum interpretationis intelligerent, pacta tamen Legati adhibuerunt in, eandem quoque adhibuit Dioscorus apud Flavianum, quæ legitur in actis, quemadmodum Gregorius Reschinius, & Lucentius, *reverendissimi Episcopi, & Bonifacius Presbyter, Vicarii Sedis apostolicæ Romæ, dixerunt: Simon consentiens ejusdem sanctæ apostolici, & beatissimi viri Papæ Leonis, jubete nobis conscripta dari, ut revertamur, & ubi Synodus celebratur.* Quibus quæ diximus enarrantur.

Ad VIII. Concilium Lateranense intelligit naturam Verbi incarnatam, non quod sit incarnata per conversionem in carnem, sed per unionem cum carne in una Verbi hypostasi; quemadmodum diximus in responsione ad tertium argumentum.

Ad IX. Ex Gregorio Nanzianzeno ep. 1. ad Chelidonium, carnem deificatam per Incarnationem intelligi, quod facta sit caro Dei per unionem cum Verbo, non vero facta sit Deus per conversionem in divinitatem; ut legitur apud Bellarminum; qui sic etiam intelligendum esse Damascenum, affirmat.

Ad X. respondet Leontius lib. de Sectis act. 6. Epistolam illam non esse Julii, Romani Pontificis; quod & multis conjecturis probat hisce verbis: *Si quis eam subtiliter consideret, nihil Julii nomine dignum habeat. Deinde quod in eadem epistola, corporis mentione facta, usquam ad mentem præditum, vel animatum dixerit. Erat autem in more Patrum illius seculi, ut si cubi corporis mentionem facerent, id ipsum mente præditum, animatumque dicerent. Quod quidem usquequaque verum est, ut reformidantibus eis hoc crimen; idcoque deinceps illas voces, mente præditum, & animatum adjicientibus, nulli posteriorum libri reperiantur, qui hanc Veterum appendicem non habeant. Præterea inde etiam non B. Julii, sed Apollinaris esse demonstratur, quod Nyssenus ille Gregorius in opere contra Apollinarem, aperte multa recitet, quæ hac epistola continentur, eaque velut prava refutet. Potest & aliunde convinci, quod B. Julii non sit. Ajunt enim, Actis Synodi Ephesinæ sub B. Cyrillo insertam; quod quidem aperte mentiuntur. Nam ibi nihil tale in textu reperitur: sed alia quædam inserta est epistola velut a Julio scripta, nec ipsa Julii, sed Thimo-*

Incerti, quemadmodum de multis eiusdem nominis intelligi potest. Hic Timotheus erat Apollinarista, & quod omnes Apollinaristæ pro more haberent esse Patrum depravatores, & falsificatores, sic in alio fragmento apud Nicetam Alexandrinum legimus: Quidam ex hæresi Apollinaris, vel Eutychis, vel Dioscori, cum vellent ipsam hæresim confirmare, quasdam Orthodoxorum Apollinarii Gregorii Thaumaturgi, aut Athanasii, aut Julii, inscripserunt, ut simplicium fidem caperent. Et apud eundem de recta Trinitatis fide liberum, Apollinarii, cujusdam, Fides quicunque, inscriptum Gregorio, & quasdam ejus epistolas inscripsit Julio. Edidit autem Grennadius in catal. Virorum illustrium epistolam, de qua loquimur, Julio adscribens.

DISSERTATIO CLXXIV.

De Symbolo, quod dicitur S. Athanasii; an ad confodiendam utranque Nestorii, & Eutychetis, hæresim aptum? Quemnam habeat Auctorem? Et quonam tempore in lucem venerit?

SYMBOLUM *Quicunque vult salvus esse*, quod canitur ad ecclesiasticas preces dominico die, & quod S. Athanasii, Episcopi Alexandrini, nomen præfert, plerique laudant, ut hæreses Nestorii, & Eutychetis, apertissima verborum perspicuitate, & inconcussa auctoris doctrina, ac dignitate, confodiant. Et revera testimonium nequiret esse manifestius, ac luculentius, ad catholicum dogma firmandum, si æque de testis sinceritate, ac genuitate, constaret. Quibus enim verbis intimius utraque hæresis innotescit, ac apertius explicatur, quam illis, quæ in præfato Symbolo leguntur? *Qui licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus, & homo unus est Christus.* At hæc eadem verborum perspicuitas contra Auctoris veritatem pugnat; & illum non esse, qui communiter creditur, si non probat, dat tamen locum, ut dubitetur. Athanasius præcessit Nestorium, & Eutychetem; & nihilominus de illorum hæresibus ita loquitur, ut videatur eas digito ostendere. Qui hæreses illas impugnarunt hoc invictum Athanasii testimonium nunquam attulerunt in lucem; & tamen fuisset omnium aptius ad catholicam doctrinam firmandam, ac contra Heterodoxos probandam. Additur, quod Athanasius, qui fuit acerrimus consubstantialitatis propugnator contra Arianam hæresim, & in Concilio Nicæno, & extra ipsum, in hoc Symbolo nullam de hac voce mentionem facit. Quæ omnia videntur Symbolum Athanasio abjudicare; & propterea illius testimonio non utuntur plerique, qui utramque hæresim impugnant, quia de vero illius, ac indubitato auctore non constat.

Non inficias imus, usque ad superiora tempora compertum omnino fuisse, Athanasium fuisse Symboli auctorem; & quia Athanasii nomen in fronte habet, & quia sub Athanasii nomine ab Ecclesia adhibetur, & quia ut Athanasii fœtus a Baronio, a Bellarmino, plerisque aliis, eruditionis, ac doctrinæ laude conspicuis, laudatur. At quia noviſſimis deinde temporibus, juxta Criticæ æquiores leges, alii æque præstantiores, ac docti viri invenerunt, pluribus nec levibus argumentis, Symbolum Athanasio esse abjudicandum; ideo perpensis ex utraque parte rationum momentis, modo quasi apud omnes, qui Eruditi vocantur, constat sine hæsitatione, Symbolum non esse Athanasii, etsi Athanasii nomen ostentet. Inter hos adnumeramus doctrina, & dignitate eminentes. Vincentium Mariam Ursinum, Cardinalem antea, & dein-

deinde Pontificem summum sub Benedicto XIII. nomine; Josephum Mariam Thomasium, Cardinalem, eundemque doctissimum, & sanctissimum; Joannem Bona, Cardinalem quoque, si non negantem, saltem non leviter de eo dubitantem. Clarissimi deinde, ac eruditissimi Viri subduntur, qui sunt Joannes Gerardus Vossius in Dissert. de tribus Symbolis, Natalis Alexander in select. hist. eccl. dissert., Daniel Papebrochius tom. 1. Maii, Ludovicus Ellies Dupinius in bibliot. Scriptor. Eccl. ad S. Athanasii opera; Godefridus Hermantius in observat. ad vitam S. Athanasii, Joannes Mabillonius, Guilielmus Cave, Casimirus Oudinus, in supplement. de Scriptor. Eccl. ad Bellarminum, Cabassutius, Quenellius, Joseph Antelmius, Bernardus de Montfaucon, & novissimis temporibus, claritate, eruditione, ac doctrina omnigena præstantissimus Italus noster Ludovicus Antonius Muratorius tom. 2. Anecdotorum, Disquisitione ad Laurentium Alexandrum Zacagnium, Vaticanæ Bibliotecæ Præfectum, inscripta.

Igitur, ut Dissertationis titulo faciamus satis, dicimus, aptissimum quidem esse Symbolum, *Quicumque*, ad utramque hæresim, Nestorianam, & Eutychianam, confodiendam, si illud Athanasii indubitatum opus esse sciremus. Hoc tamen deficit ad auctoritatem testimonii elevandam, quum alias ejus firmitas, & perspicuitas, ut diximus, tanta sit, ut major desiderari non possit: Quod Athanasii præseferat nomen, nemo negabit, saltem temporibus nostris, & multis ab hinc seculis; quanvis antea aliter ostendemus. Quod vero Athanasii non sit, conjecturis plurimis evincere conantur auctores eruditissimi, quas afferemus. Et ultimo loco varias videbimus opiniones, quibus Scriptores uni, aut alteri, ex antiquis Auctoribus idem Symbolum adscribunt. Quo etiam fiet, ut tempus perquiratur, quo illud ipsum venerit in lucem.

Prima igitur ratio, quæ Athanasio Symbolum abjudicat, est: Auctor operis, in quo expressissime exponuntur hæreses, & confutantur, nequit esse, qui præcesserit hæreses easdem, sed vel qui cum illis pari tempore fuerit, vel qui post illas floruerit; sed in Symbolo exponuntur, & confutantur hæreses Macedonii, Nestorii, & Eutychetis, quos non sequutus est tempore Athanasius, sed præcessit: ergo Auctor Symboli non est crendus Athanasius. Secunda; Si Symbolum cognitum fuisset in Ecclesia, & ab Ecclesiasticis, & doctis viris, & opus Athanasii fuisse, scivissent, utique contra hæreses prædictas pugnantes, illius testimonio usi fuissent; sed non fuerunt usi: ergo non cognoverunt illud: ergo non erat. Major est certa; tum propter testimonii perspicuitatem, tum propter Auctoris doctrinam, dignitatem, ac in Ecclesia famam, ut dictum est. Minor experientia probatur; nemo enim ex Impugnatoribus Macedonii, Nestorii, & Eutychetis, Symbolum Athanasii laudavit, quanvis alia Athanasii Opera plerique persæpe laudassent. Tertia; Inter Opera S. Athanasii tom. 3. invenitur Sermo de sanctissima Deipara Maria, de quo hæc pronunciat Bellarminus: „ Sermo „ de sanctissima Deipara non videtur esse „ S. Athanasii, sed alicujus posterioris, qui „ post Concilium tertium, & quartum, „ immo etiam sextum, floruerit; ita enim „ accurate disputat de unione divinæ, & „ humanæ naturæ in una hypostasi, nec„ non de appellatione Deiparæ, quod Virgini ea appellatio jure conveniat, & de„ nique de duabus voluntatibus & operationibus unius volentis & operantis „ Christi, ut dubitari non possit, quin iste „ Auctor viderit decreta Conciliorum con„ tra Nestorium, Eutychetem, & Mono„ thelitas. At, ut recte ratiocinatur Car„ dinalis Baronius tom. 1. annal. ad ann. „ Christi 48., si hic sermo esset Athanasii „ sine dubio citatus fuisset a S. Cyrillo, & „ a Patribus tertiæ, quartæ, & sextæ Synodi, ad convincendos Hæreticos. Vi„ demus autem non citari unquam hunc „ sermonem, sed libros de Incarnatione, „ ubi non tam aperte Athanasius loqui„ tur.„ Hæ eadem verba applicentur Symbolo, de quo loquimur, quum ei omni ex parte conveniant, ut in prima, & secunda ratione dictum est; & statim apparebit contra Bellarminum, & Baronium, argumento, ut dicunt, ad hominem, Symbolum illud esse Athanasio abjudicandum. Quarta; non solum altum est silentium de hoc Symbolo apud Nazianzenum, Hieronymum, Augustinum, Cœlestinum Pontificem, Leonem magnum, Cyrillum Alexandrinum, Cassianum, aliosque, qui debuissent illo uti, ut fortius Hæreticos, contra quos pugnabant, debellarent; verum quoque tempore Schismatis Photii nullus illius meminit, ut probaret, Spiritum Sanctum a

Digitized by Google

Filio quoque procedere. Quod quidem silentium per tot annos, immo secula, observatum apud illos, qui alia Athanasii opera noverant, non leve facit indicium, ut judicemus, Symbolum Athanasii non esse. Quinta; ut dicebamus nuper, Athanasius fuit acerrimus consubstantialitatis Verbi propugnator, & supra omnes pro voce ὁμοούσιον, *consubstantialis*, decertavit; Et nihilominus in hoc Symbolo vox hæc non invenitur. Hæc sane vox erat tanquam tessera, qua Catholici ab Hæreticis dignoscebantur; hujus fuit Athanasius præcipuus defensor; illam Nicæna Synodus adhibuit, & pro ea stabilienda omnem operam navavit. Et credibile est, ut eam Athanasius omisisset in Symbolo, in quo opportunitas erat summa illam adhibendi, si ipse fuisset Symboli auctor? Sexta; Seculo IV. quum multæ in lucem venissent Fidei catholicæ Expositiones, nullam tamen ex illis adhibuit Athanasius, ut fidem suam probaret, sed illa solum usus est, quam Nicænum Concilium in suo Symbolo comprehendit, putans illam tantum sufficere, & alias necessarias non esse. Unde ipsemet Athanasius Joviniano Augusto scribebat: *Quum igitur pietas tua cognoscere e nobis cupiat Ecclesiæ Catholicæ fidem, nihil nobis consultius visum, quam ut fidem, pro qua Patres Nicæa propugnarunt, tuo religioso animo recitaremus.* Subdens præterea, Ecclesias Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ, aliarumque Provinciarum, solam fidei formula, quæ in Nicæno Concilio confecta est, contentas esse: *Huic autem fidei, Auguste, omnes acquiescant, atque in ea maneant, uti divina atque apostolica, oportet, ut nil ex ea immutare per contentiones, pugnasque verborum, liceat.* Et in ep. ad Antiochenos scribit, se semper esse alienum a nova fidei formula condenda; quum sit illa Nicæni Concilii, quæ pro omnibus valeat. Esset igitur alienum, immo contrarium, Athanasii menti, novum fidei symbolum condere, quod esset præter illud, quod in Nicæna Synodo conditum est. Septima; legitur in t. 1. Operum S. Athanasii *Expositio fidei*, sed eam Bellarminus Athanasio abjudicat quoque, scribens: „ In eodem primo tomo est quædam Expositio fidei, de qua, „ num sit Athanasii, ambigo; tum quia „ diversa est a Symbolo Athanasii, nec scio „ cur duas expositiones fecerit; tum maxime, quia hæc videtur illi contraria; „ in hac enim dicitur, tres Personas divinas non esse tres subsistentias, seorsim „ distinctas: in illo autem Symbolo dicitur, „ alia est Persona Patris, alia Filii, alia „ Spiritus Sancti; & Græce, alia hypostasis, idest subsistentia. „ Si ergo Bellarminus abjudicat hanc fidei expositionem Athanasio, quia non erat necessaria præter Symbolum, quod credit legitimum, & de quo Athanasius nihil dixerat, quanto magis nos abjudicabimus Symbolum Athanasio, quum nec necessarium fuerit, & Athanasius dixerit, alienum se esse a nova fidei expositione condenda, quia satis erat Symbolum in Nicæna Synodo conditum? Octava; quia nulla fuit causa, ob quam debuerit Athanasius hoc Symbolum condere. Dicit Baronius, causam fuisse, ut Athanasius fidei sui rationem Julio Pontifici redderet. At hæc causa nulla fuit; tum quia numquam Athanasius in hæresis suspicionem venerat, ut deberet integro Symbolo fidem suam probare; tum etiam, quia infensissimi Athanasii hostes minime illum hæresis accusarunt, quanvis accusassent magiæ, avaritiæ, ac in Imperatores perduellionis; tum denique, quia si hoc fuisset, debuisset quoque hæc fidei ratio ab Athanasio reddita, omnibus innotescere, & non latere ut omnibus fuerit, & tunc temporis, & posterioribus quoque seculis, incognita, & occulta.

Rationes alias alii reddunt, quæ quidem non ita firmiores putantur, ut illæ, quæ fuerunt modo a nobis exhibitæ. Natalis Alexander illam reddit, quæ petitur ex stylo, & contextu sermonis, qui non est Græci hominis, sed Latini. Putat autem latini sermonis Athanasium fuisse ignarum; nec illum discere potuisse, quando per biennium Treviris vixit, vel dum profugus Mediolani, Aquilejæ, & Romæ, commoratus est; quia in ætate erat provecta, & ad discendum linguas nequaquam apta; tum etiam, quia in illis locis erant Græci, qui potuissent Symbolum latinum reddere; tum denique quia in Symbolo nullus græcismus invenitur, quod perdifficile videtur in homine Græco latine scribente. At Muratorius Alexandri conjecturæ non acquiescit, dicens „: Conceptum latine Symbolum „ hoc primum fuisse, fateor & ego; etenim „ primigenium quendam latinitatis con„ textum præfert; deinde græca exempla„ ria MS. omnia fere inter se dissident, la„ tina vero secum concordant; postremo „ Latinis antiquitus Symbolum innotuit,

„ sero

Digitized by Google

„ fero autem Græcis. Ego vero inter tot „ græca volumina MS., quibus Ambrosiana affluit, nullum unquam Symboli hujus exemplar græcum offendi; contra „ vero nonnulla e Latinis, eaque vetustissima, ut infra ostendam. Sed cur Athanasius latino quoque sermone in hac formula condenda uti non potuit? An quia „ latinæ linguæ ignarus foret? Minime „ sane. Quandoquidem latini non minus „ quam græci sermonis Athanasium fuisse „ peritum, Marcellinus, & Faustinus, Presbyteri antiquissimi, in suo libello precum, fatentur; quum ab ipso in græcam „ linguam translatos Luciferi, Calaritani „ Episcopo, libros affirmant. „

Aliam reddit rationem laudatus Alexander, quod scilicet in antiquis, & probatæ fidei Codicibus MSS. pene omnibus Operum S. Athanasii, hoc Symbolum desideretur. Immo S. Hieronymus in Catal. de scrip. Eccl. omnia Athanasii Opera recensens, profunde de Symbolo silet; sed non silviffet, si vere Symbolum Athanasii fuisset. Attamen ad primum respondent Athanasiani Symboli defensores, Symbolum non fuisse ab Athanasio scriptum, ut ederetur; sed ut per ipsum fides ejus illi, qui de fide omnium potestatem habet inquirendi, & judicandi, innotesceret; quod postquam factum fuit, fuit Symbolum in Archiviis asservatum, & inter Athanasii Opera haud insertum. Pro altero vero, quod dicitur de S. Hieronymo, respondet Petrus Annatus, quod S. Hieronymus non recenset ibi omnia S. Athanasii Opera; ut ipsemet Hieronymus fatetur, post varia enumerata ipsius Opera, concludens: *Et multa alia, quæ enumerare longum est.*

Tertiam addit rationem, quam idem Alexander petit ex varietate locorum, temporum, & occasionis, quibus dicunt Defensores Symboli, fuisse illud ab Athanasio compositum. Quidam enim volunt, quod Trevitis composuit; ubi ostenditur puteus, in quo latitans Symbolum efformavit. Sed opponitur, quod Treviris Ahanasius non latuit, nec fuit ibidem exceptus ut exul, sed ut Confessor. Treviris tunc erat Episcopus Maximinus, qui Arianorum hostis, & Athanasii amicus habebatur. Illuc miserat Athanasium Constantinus, ut eum ab Arianorum insidiis in tuto poneret. Tandem silent de hoc puteo Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Metaphrastes, aliique vitæ Athanasii græci Scriptores. Verum est, quod Ruffinus lib. 1. hist. eccl. c. 18. narrat, Athanasium *sex annis continuis ita latuisse in lacu cisternæ non habentis aquam, ut solem nunquam videret*: Attamen hoc narrat factum in Ægypto, non Treviris, nec Constantini magni tempore, sed post Constantinum juniorem jam peremptum; & quando Constans Occidentis, & Constantius Orientis, tenebant imperium. Denique hoc Ruffinus nec pro certo adfirmat, sed ad incertam famam refert; ait enim: *Latuisse fertur in lacu cisterna*. Nec edidit Romæ, illud offerens Julio, Romano Pontifici; propter rationes, quas nuper attulimus. Unde concludent, quod quum non constet de tempore, de loco, de occasione, quibus Athanasius hoc Symbolum condiderit, est omnino Symbolum Athanasio abjudicandum. Verum occurrit Petrus Annatus dicens, quod multa sunt, quæ oveniisse non dubitatur, & tamen de loco, tempore, & occasione non constat. Doctores non conveniunt de loco, & tempore, quibus Apostoli Symbolum condiderunt; & nihilominus, si Vossium demas, de Apostolico Symbolo vix invenies qui dubitet, Apostolos habuisse Auctores. Sic pariter nec inter Scriptores constat, quo tempore Petrus Romam venerit, & tamen inter Catholicos, immo etiam inter Hæreticos, qui non rancidæ, sed emunctæ sint naris, compertum modo est, Petrum Romam venisse.

Arguunt modo qui pro Athanasiano Symbolo certant I. Antiqua Ecclesiæ traditio docet, Symbolum *Quicunque*, Athanasium habere auctorem; tum quia in ecclesiasticis precibus sub Athanasii nomine illud recitat; tum etiam quia Ecclesia id facere non solet sine antiquorum Patrum suffragio; tum denique, quia per tot secula sub eodem nomine semper adhibuit, & modo adhibet. II. S. Augustinus pro Athanasio auctore stat; tum in Psal. 120. explicans: *Per diem sol non uret te*; & addens: *De hoc sole Pater Athanasius, Alexandrinus Episcopus, ita pulcre loquutus est: Filius, inquit, Dei a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus*: tum lib. 5. de Trinit. c. 8. *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus*: tum ser. 195. *Rogo vos, & admoneo, charissimi Fratres, ut quicunque vult salvus esse, fidem rectam & catholicam discat; ut credat Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Deus, non tamen tres Dii, sed unus est Deus; qualis Pater, talis*

lis Filius, talis Spiritus Sanctus .... Filius æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem, spiritus vero ab utroque procedens: tum denique in Enchiridio ad Laurentium c. 36. *Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus, & homo unus est Christus*. Quæ omnia sunt ipsissima Athanasiani Symboli verba ab Augustino sub Athanasii nomine laudata. III. S. Gregorius Nazianzenus in orat. de laudibus Athanasii dicit, Athanasium *Imperatori donum vere regium, & magnificum obtulisse, scriptam nimirum fidei confessionem*. Quod autem hæc fidei scripta confessio fuerit Symbolum ab ipso compositum, asserit Genebrardus in præfatione ad suum Commentarium Athanasiani Symboli; asserit & Jacobus Billius in translatione Operum Nazianzeni. IV. Doctor Angelicus sub Athanasii nomine pluribus in locis Symbolum laudat; nimirum p. p. q. 10. ar. 2. *Sed contra est, quod dicit Athanasius, æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus*. Et p. p. q. 29. ar. 3. *Sed contra est illud, quod dicitur in Symbolo S. Athanasii, alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti &c.* Et p. p. q. 36. ar. 2. *Sed contra est quod dicit Athanasius, Spiritus Sanctus a Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens &c.* Et p. p. q. 41. art. 1. *Sed contra est quod Athanasius dicit, quod tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales*: In quibus videtur constans S. Thomæ opinio in asserendo S. Athanasio Symbolo, quod ipsius nomen ostentat. Attamen expressior S. Thomæ mens habetur 2. 2. q. 1. ar. 10. ad 3. ubi dicit: *Athanasius non composuit manifestationem fidei per modum Symboli, sed magis per modum cujusdam doctrinæ; sed quia integram fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, auctoritate summi Pontificis est recepta, ut quasi fidei regula habeatur*. V. Summi Pontifices Romani plures Symbolum S. Athanasio tribuunt; & inter illos præcipui videntur Gregorius IX., qui per suos Legatos, quos miserat pro Græcorum cum Latinis unione, Symbolum sub Athanasii nomine proposuit ann. 1233., & Eugenius IV. qui ann. 1439. in decreto de Armenorum unione in Florentino Concilio, Armenis commendat Athanasianum Symbolum, dicens: *Sexto compendiosam illam fidei regulam per beatissimum Athanasium editam ipsis præbemus; videlicet: Quicunque vult salvus esse &c.* VI. Concilium Augustodunense in Gallia citat Symbolum sub Athanasii nomine; quod quidem Concilium celebravit Leodegarius Episcopus sub Adeodato, Romano Pontifice, ann. 670. VII. Hincmarus, Remensis Archiepiscopus, circa ann. 852. præcepit Rectoribus Ecclesiarum, ut docerent ministros earundem explicationem Symboli Apostolorum, Orationis Dominicæ, & Symboli S. Athanasii. VIII. S. Hilarius in Fragmentis tribuit etiam Symbolum Athanasio; in Codice enim Dervernensi legitur *Fides dicta a S. Athanasio*, quæ fuit a S. Hilario scripta; hæc autem alia non est a Symbolo, de quo loquimur. IX. Usserius, Pseudo-Archiepiscopus Armacanus, in epistola ad Gerardum Joannem Vossium scribit, se vidisse duo exemplaria latina MSS., in quibus utrumque Symbolum, Apostolicum scilicet, & Athanasianum, antiquissimis apicibus descriptum legebatur; in quorum uno, quod S. Gregorii magni tempora præseferebat, ut ex antiquo picturæ stylo, & ex characterum forma colligebatur, Athanasianum habebat nomen *Fidei Catholicæ*; Apostolicum vero *Symboli Apostolorum*; in altero vero, quod apparebat fuisse exaratum Æthelstani regis ævo, qui floruit ann. 930. Apostolicum simpliciter *Symbolum* dicebatur, Athanasianum vero *Fides S. Athanasii Alexandrini*. X. Anno millesimo Abbo, Florensis Abbas in Gallia, in Apologetico ad Reges Francorum Hugonem, & Robertum, Symbolum sub Athanasii nomine laudat: *Primitus de fide dicendum credidi, quam alternantibus choris, & in Francia, & apud Anglorum Ecclesiam, variari audivi. Alii enim dicunt, ut arbitror, secundum Athanasium: Spiritus Sanctus a Patre, & Filio, non factus, non creatus, sed procedens. Qui dum id, quod est, nec genitus, subtrahunt, nec Synodicum Domini Gregorii sequi se credunt: ubi ita est scriptum, Spiritus Sanctus nec ingenitus est, nec genitus, sed procedens.* XI. Anno etiam 1233. floruerunt Rodulphus, & Aymo, ex Minorum familia, & Hugo, & Petrus, ex Prædicatorum Ordine; qui ad Græcos Latinis conciliandos missi, hæc in eorum definitione statuerunt; ut legitur apud Bzovium tom. 13. annal. eccles. *Propterea quicunque non crediderit, Spiritum Sanctum a Filio procedere, in via perditionis est. Unde S. Athanasius, dum in partibus occidentalibus exulabat, in Expositione fidei, quam Latinis verbis reddidit, sic ait:*

Pa-

Digitized by Google

Pater a nullo est factus. XII. Concilium Toletanum IV. ann. 633. multa habet in Confessione fidei, quæ ex Symbolo hoc videntur desumpta; Confessio autem fidei legitur in ejus cap. 1. Mittimus alios plures, qui Symbolum Athanasio adscribunt; scilicet Ratramnus lib. 11. cont. Græcos; Æneas, Parisiensis Episcopus, lib. 1. c. 19. Ahyto, Basileensis Episcopus, in suis Capitularibus; Manuel Calceа lib. 2. cont. Græcos c. 20. Guillelmus Mimatensis in rat. div. offic. lib. 4. c. 24., Joannes Belethus in explic. divin. offic. c. 40. Gennadius Scholarius in defensione Conc. Florent. c. 1. qui omnes si antiquissimi non sunt, certe non sunt recentiores.

Respondemus ad I. cum Cardinali Vincentio Maria Ursino, postmodum Benedicto XIII. in Dissert. de S. Bartholomæi reliquiis Benevento vindicatis, quæ legitur fol. 56. Synodici Beneventani ar. 7., ubi connumerans nævos aliquot, quos Romano Breviario ineſſe demonstravit, hunc etiam de Athanasiano Symbolo inter illos recensens, ait: *Symbolum Quicunque vult salvus esse S. Athanasio in Breviariis hodiernis adscriptum, quod illius non esse eruditissimi plerique sentiunt, quanquam cujus determinate sit auctoris non ita inter se congruant. Qua de re legendus Quesnellius dissert. 14. in Opera S. Leonis, & alii plures*. Et revera quæ in Romano Breviario leguntur summam faciunt fidem humanam, quæ aliquando errori potest esse obnoxia; ut videre est in multis, quæ prius in eodem Breviario legebantur, & quæ postmodum expuncta sunt. Ecclesia igitur in re, non ad fidem, sed ad nudam historiam, pertinente, sequuta est appellationem, quam Symbolum, non ex Patrum suffragio, sed ex consuetudine Scriptorum, habebat.

Ad II. Verba illa, quæ dicuntur Augustini, in Psal. 120. legebantur olim, attamen postea Lovanienses Doctores, & postmodum Patres Benedictini ex Congregatione S. Mauri, in suis Operum S. Augustini editionibus adnotarunt, verba eadem ab omnibus Codicibus MSS. abesse. Muratorius quoque testatur, in vetustissimo Ambrosianæ Bibliothecæ exemplari desiderari. Unde Bernardus de Montfaucon, aliique Socii Benedictini, in novissima editione Operum S. Athanasii ann. 1698. Symbolum, de quo loquimur, S. Athanasio suppositum affirmarunt. Natalis Alexander vera Augustini verba in loco illo affert, & hæc sunt: *Ergo alium solem fecit Deus, qui oritur super bonos, & malos, præter istum, quem vident boni, & mali. Alius autem est ille sol, non factus sed genitus; per quem facta sunt omnia*. Alia Augustini verba, quæ opponuntur, conveniunt cum Symboli verbis; quod non est perdifficile, quando verba sunt pauca, & de re sunt, quæ apud Scriptores catholicos non controvertitur; at nulla in iisdem est mentio Athanasii.

Ad III. Nazianzenus asserit, Athanasium obtuliſſe Imperatori scriptam fidei confessionem; at non declarat, hanc fuisse Symbolum ab Athanasio compositum. Fuit quidem Symbolum Nicænum, quod semper in ore, semper in scripto, Athanasius habebat; & præter quod omnem aliam fidei confessionem, & professionem superfluam asserebat, ut dictum est. Sane Natalis Alexander putat, hanc fidei confessionem, ab Athanasio Imperatori Joviniano oblatam, fuisse epistolam synodicam, quam ipsemet Athanasius Joviniano scripserat nomine omnium Episcoporum Ægypti, Thebaidos, ac Lybiarum; quæ quidem epistola Nicænum Symbolum complectebatur, & aliqua continebat, quæ ad confutandam novam hæresim Pneumatomachorum apta videbantur.

Ad IV. Doctor Angelicus non instituit Disquisitionem, in qua ex professo ageret, an Symbolum, quod dicitur Athanasii, fuerit vere ab Athanasio compositum? Sed obiter illud citans, sub nomine laudavit, quo suo tempore habebatur. Quod autem dixerit, Athanasium composuisse Symbolum per modum doctrinæ; non probat illum ita revera intellexisse, sed exposuisse tantum illud, quod tunc communiter credebatur. Et si ex illius verbis auctoritas aliqua desumenda est, potius facit pro Symbolo, quam pro ipsius auctore. Symbolo autem nos omnem concedimus auctoritatem, & vere credimus esse illibatam fidei regulam; at tantum auctorem ejus negamus fuisse illum, qui tunc communiter credebatur.

Ad V. Summi Pontifices proponendo doctrinam Symboli non errarunt, quia vere, ut dictum est, doctrina est orthodoxa vera; usi autem sunt nomine Athanasii, quia hoc nomen tunc temporis Symbolum habebat. Nusquam tamen definierunt, Symbolum revera fuisse ab Athanasio compositum; quod necessarium omnino

Digitized by Google

nino fuisset, ut ex illorum assertione Athanasium illius auctorem crederemus. Cæterum Apocrisarii Gregorii IX. fuerunt, qui Symbolum sub nomine Athanasii citarunt, non fuit ipsemet Gregorius; ut ex Bzovii verbis nuper allatis innotescit.

Ad VI. Synodus Augustodunensis in Gallia, sub S. Leodegario Episcopo celebrata, non nominat Symbolum, sed Fidem S. Athanasii. Verum etsi Symbolum diceret, & illud sub Athanasii nomine exprimeret, illud recitando, non definiendo diceret. Sic enim, ut dictum est, tunc temporis credebatur, & Patres illi usi sunt nomine, quod vulgo receptum habebatur. At revera Daniel Papebrochius in respons. ad exhibitionem errorum p. 2. ar. 13. nu. 36. asserit, per verba illa, *Fidem S. Athanasii*, non intelligi Athanasianum Symbolum, sed Symbolum Nicænum, in quo elaborando plurimum Athanasius desudavit. Tunc enim Athanasiani Symboli nullus erat usus in sacris, nulla cognitio in Ecclesia, immo nec fortassis cognitum per tempora, quæ præcesserat, ejus nomen, fuerat. Quis ergo credet, post Symbolum Apostolorum poni Athanasianum, & non Nicænum? Denique canon laudatus refertur quidem a Papebrochio ad Augustodunense Concilium, sed non ad illud sub S. Leodegario celebratum.

Ad VII. eadem est responsio; Hincmarus enim adhibuit canonem Concilii prædicti Augustodunensis, in quo sic legitur: *Si quis presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus, Symbolum, quod sancto inspirante Spiritu Apostoli tradiderunt, & fidem S. Athanasii Præsulis, irreprehensibiliter non recensuerit, ad Episcopo condemnetur.*

Ad VIII. respondemus verbis Natalis Alexandri, quæ hæc sunt „. Nec verius est, „ quod alii dicunt, S. Hilarium in *Fragmentis*, hoc Symbolum tribuisse S. Athanasio. Licet enim Pithœanus Codex moneat, in Codice quodam Devernensi, „ post Symbolum Nicænum, & damnationem Arii in Concilio Ariminensi a Catholicis exaratam, sequi *Fidem dictam a S. Athanasio*, sive Symbolum, quod ejus „ nomen præfert: non propterea certum „ est, quod Symbolum istud S. Hilarius „ ipse descripserit: sed verisimilius est, „ fuisse fragmentis Hilarianis additum. „ Maxime cum recentiori manu scriptus „ esset Codex Pithœanus, ex quo fragmenta illa edita sunt; ut testatur Vir clarissi„ mus & doctissimus Nicolaus Faber in „ præfatione.„

Ad IX. Responsio datur, quæ data est aliis argumentis in oppositum productis sub non dissimili ratione. Vel enim dicitur, quod intelligebant, non Symbolum, sed fidem, S. Athanasii, quæ erat Symbolum Nicænum, ut diximus; vel quod nomine Symboli Athanasii usi fuerint, quia tunc credebatur Symbolum habuisse auctorem Athanasium; unde sub ejus nomine laudabatur. Error autem communis non facit legem, quando clariora sunt argumenta, a quibus error detegitur, & manifestatur.

Ad X. Jam anno millesimo inoleverat opinio, qua credebatur, Symbolum fuisse ab Athanasio compositum; unde quicunque tunc temporis scribebant, illud sub ejus nomine laudabant. Quid igitur mirum, si Florienſis Abbas, sequens usum loquendi jam introductum, Symbolum quoque sub Athanasii nomine appellavit?

Ad XI. Eadem est responsio, quia Apocrisarii illi post millesimum, & ducentesimum annum loquebantur, & scribebant; & proinde vulgato nomine, Symbolum nominantes, utebantur. Verum observat Natalis Alexander, quod post Photianum Schisma Apocrisarii isti primum hujus Symboli auctoritate ad convincendos Græcos usi sunt; quum alias annis prope quingentis controversia illa perdurasset.

Ad XII. In Toletano Concilio, quod habitum est ann. 633., videntur quidem aliqua descripta ex isto Symbolo, & quæ leguntur in Confessione fidei, quæ habetur c. 1. ejusdem Concilii. Sed hoc tantum probat, tunc temporis fuisse inventum Symbolum, ex quo verba illa Concilium desumpsit; at non probat Concilium citasse Symbolum sub nomine Athanasii, cujus in illo capite, immo in toto Concilio, profundum est S. Athanasii, ut Symboli auctoris, silentium.

Demum tempus est, ut ad hujusce Symboli auctorem perquirendum deveniamus; & quia multæ sunt multorum opiniones, eas omnes referre volumus, & ex illis probabiliorem seligere. Prima est Quenelli in appendice ad Dissert. 14. in Opera S. Leonis magni, putantis Auctorem Symboli fuisse Vigilium Tapsensem in Africa Episcopum. His rationibus movetur. Congruit huic Auctori tempus, quo Symbolum scriptum fuisse creditur; ipse enim floruit post hæreses Arianam, Nestoria-

Digitized by Google

florianam, & Eutychianam, quas pluribus libris confutavit. Ulterius, Vigilius pro more habuit libros, quos contra Hæreticos edebat, sub antiquorum Patrum, & præcipue sub Athanasii nomine publicare. Præterea, collatione facta inter Symbolum, & inter tres libros de Trinitate, a Vigilio contra Marioadum, seu Varimadum, scriptos, non pauca sensa inventa sunt inter se consimilia convenire. Denique in Codice Thuanæo reperitur Dialogus adversus Arianos, Sabellianos, ac Photinianos, editus a Vigilio sub Athanasii nomine, & invenitur quoque Symbolum Athanasianum hanc præseferens epigraphen: *Fides dicta a S. Athanasio.* Secunda est opinio Petri Pithoei in lib. de Proceſſ. Spirit. Sanct. tribuentis Symbolum Gallo cuidam Scriptori; ejusque sententiam magni fecit Gerardus Joannes Vossius in appendic. ad Differt. de tribus Symbolis. Tertia est Josephi Antelmii, qui ann. 1693. de auctore Symboli Athanasiani novam publicans disquisitionem, illum asseruit esse Vincentium Lirinensem. Congruentis hisce nititur. Vincentius Lirinensis in Galliis natus est, hoc est Treviris, vel in Belgia prima, ut testatur S. Lupus; Auctor Symboli Gallus fuit, ut asserunt Pithoeus, Vossius, aliique plures: ergo Vincentius fuit. Tum etiam, quia Vincentius easdem hæreses in libris suis confutavit, quæ in Symbolo perstringuntur; ut ex ejus Commonitorio innotescit. Præterea, Viacentio mos etiam fuit libros suos sub alienis nominibus publicare; ut patet in Commonitorio prædicto, quod sub nomine Peregrini evulgavit. Demum, quia conveniunt Symbolum, & Commonitorium, in loquutionibus, & formulis, & præsertim in cap. 19. Commonitorii. Quarta est Guillelmi Baldesani in Historia Pedemontana MS. volentis, Eusebium, Vercellensem Episcopum, fuisse Athanasio adjutorem in hoc Symbolo adornando; ut scribit Cardinalis Bona in divina Psalmodia c. 16. §. 18.; immo aliqui arbitrati sunt, solum Eusebium Vercellensem fuisse Symboli auctorem; ut testatur Vossius in fine Dissert. 2. de tribus Symbolis. Quinta est aliorum credentium, Symboli auctorem fuisse Anastasium Synaitam. Sexta est quorundam putantium, fuisse Athanasium Spirensem hujuscemodi opusculi parentem. Septima est Muratorii, qui probat, Symbolum fuisse compositum a Fortunato, hoc est Venantio Fortunato, Pictavensi in Gallia Episcopo, sed nato in Gallia Transpadana, non longe a Castro Ceretensi, vel a Tarvisina civitate; Ravennæ autem educato, multisque disciplinis imbuto; in Germania vero, & in Galliis, commorante, ubi Pictavorum episcopalem sedem ascendit.

Antequam ad examen opinionum, quas retulimus, deveniamus, operæ pretium etiam ducimus aliquid investigare de tempore, quo Athanasianum Symbolum, vel editum fuit, vel publicatum. Et pariter in hoc non una est Scriptorum opinio; nos vero omnes, quas potuimus colligere, hic adjicimus. Prima est illorum sententia, qui referunt illud ad tempora, quæ S. Augustinum præcesserunt. Sed quum isti fundentur in auctoritate Augustini in Psal. 120., & nos supra probavimus, illam fuisse laciniam Augustini libro assutam; nil amplius de hac sententia dicendum remanet. Secunda ponit ad ann. 670., quia hoc tempore celebrata est Synodus Augustustodunensis, quæ Athanasiani Symboli meminit. At quia nos etiam supra cum Papebrochio diximus, in ea Synodo non nominari Symbolum Athanasii, sed fidem; cujus nomine venit Symbolum Nicænum; addentes quoque, quod in altera Synodo Augustodunensi, sed non in illa sub Leodegario, facta illa mentio fuerit; hinc est, quod nil etiam certi ex hoc canone de tempore Athanasiani Symboli possumus eruere. Tertia adsignat tempus Concilii Toletani IV., quia in professione fidei ejusdem Concilii c. 1. Athanasiani Symboli verba recitantur. Attamen replicamus quæ diximus supra in responsione ad argumentum ex hoc Concilio deductum; & verbis pariter Muratorii confirmamus. Ait enim: „ Verum ne majoris quidem momenti sunt verba illa, quæ in „ Concilii Toletani Quarti Professione fidei leguntur; quanvis enim phrases non„ nullæ ibidem inveniantur Symboli phra„ sibus oppido similes, attamen ejusmodi „ non sunt, ut iis Patribus Symbolum „ jam innotuisse demonstrent. Quin ex „ eodem Concilio has formulas quis deli„ basse videri potest, ut inde Symbolum „ istud conflaret. „ Quarta ad nonum seculum Athanasiani Symboli antiquitatem extendit. Hujus sententiæ fuerunt Agobardus Lugdunensis, Fridericus Ultrajectinus, Anscharius Hamburgensis, Rathramnus Corbejensis, Æneas Parisiensis, Abbo Floriacensis, Ratherius

Leo-

Digitized by Google

Leodicensis, aliique plures apud Vuilhelmum Ernestum Tentzelium in Dissertatione, quam inscribit: *Judicia Eruditorum de Symbolo Athanasiano studiose collecta, & inter se collata; ann.* 1687. Et pro hac sententia afferuntur Theodulfus, Episcopus Aurelianensis, qui vixit sub Carolo magno, & in libro, quem scripsit de Spiritu Sancto n. 8. aliqua citat ex hoc Symbolo, & Athanasio tribuit; & Hincmarus, Remensis Episcopus, qui etiam nono seculo floruit, contra Gotescalcum c. 35., & alibi quoque, Symboli auctorem Athanasium appellans. Quinta est Gerardi Joannis Vossii, qui Symboli ortum ad Christi seculum decimum tertium protrahit; quanvis postmodum ob rationes in contrarium ab aliis allatas, ad annum millesimum retraxerit, Hæc autem opinio ex præcedentis sententiæ explicatione impugnata remanet; quia si nono seculo Symboli mentio habetur, non est ratio, ut usque ad decimum extendatur. Sexta est Usserii reducentis Symboli nativitatem vel ad tempora S. Gregorii magni, vel etiam antea; ratione Psalterii Latino-Gallici, quod ait in Cottoniana Bibliotheca asservari, & ex characterum forma, & ex picturæ genere, judicat, Gregorii magni ævo recentius non esse. Septima est Antelmii producentis Codicem in Colbertina Bibliotheca asservatum, in quo fuit Symbolum absque Athanasii nomine scriptum; qui quidem Codex, asserit, quod Cottonianum antiquitate præcedat. Verum utraque hæc sententia cadit, si observentur quæ asseruit Bernardus de Montfaucon Muratorio; geminos nimirum Codices ab Antelmio memoratos, fuisse scriptos tempore Caroli magni; unde non illam habent antiquitatem, quam Antelmius intendebat. Octava profert Codicem MS. e Bobiensi Bibliotheca in Ambrosianam allatum, in quo legitur Symbolum sine inscriptione. Hic quidem Codex antiquissimus est, nempe ante annos mille, & plures exaratus, ut Muratorius testatur. Quod si Codici huic danda fides esset, Symbolum haberemus nono seculo antiquius. Ex his opinionibus magis nobis arrident quarta, & octava; quas hoc pacto conciliamus, Admittimus ante mille, & plures annos fuisse Symbolum inventum, ut in Codice Ambrosianæ Bibliothecæ, sed absque nomine; nondum enim ei fuerat Athanasii nomen affutum. Nono deinde seculo, temporibus Theodulphi Aurelianensis, & Hincmari Remensis, jam obtinuisse Athanasii nomen; unde sub illo nomine laudabatur; ut vidimus. His præmissis de tempore, & quo Symbolum exortum est, & quo Athanasianum appellari cœpit; nunc tempus est ad Auctorem ejus perquirendum, in tanta opinionum varietate, probabilioribus conjecturis non destitutos, devenire.

Seligimus Muratorii sententiam, & nostro Italo Venantio Fortunato Symbolum adjudicamus; & quidem iisdem moti rationibus, quas Muratorius nobis proposuit. Prima est; Symbolum Athanasianum e Gallis prodiit primum, & quia a Gallis Scriptoribus præ omnibus laudatum, & quia a Synodis, & Episcopis Gallis, receptum, ac commendatum: hæc autem omnia optime aptantur Fortunato nostro, qui longam in Galliis moram duxit, qui Episcopus in Galliis fuit, & tandem in Gallis mortuus est. Secunda; quod credatur Symbolum Treviris fuisse compositum, quæ quidem Treviris erat Galliarum metropolis; unde Pithoeus, & Vossius, aliique, moti sunt, ut dicerent, Symboli auctorem fuisse Gallum; & Antelmius hac etiam ratione ductus, dixit, auctorem non fuisse Vigilium, in Africa Episcopum, sed Vincentium Lirinensem. Fortunatus noster Gallus habitatione, Episcopatu, morte denique fuit; fuit etiam Treviris, quia intimam coluit amicitiam cum Nicetio, Episcopo Trevirensi, & cum ejus successore Magnerico; quod evidenter apparet ex Fortunati carminibus 9. 10. 11. lib. 3. Tertia; quia Symbolum credendum est conditum post damnatas Nestorii, & Eutychetis hæreses; Fortunatus sexto Christi seculo floruit, adeoque post illa tempora, quibus in Conciliis Ephesino, & Chalcedonensi, hæreses illæ damnatæ sunt. Quarta; quia quando Symbolum scriptum est jam Spiritus Sancti a Filio processio in Ecclesia aperte asserebatur; in Symbolo autem a principio hæc processio posita est; ut probat Muratorius ex Codice Ambrosianæ Bibliothecæ; at quando Vincentius Lirinensis mortuus est, non ponebatur passim inter fidei dogmata; quia Vincentius mortuus est Theodosio, & Valentiniano regnantibus, ut testatur Gennadius in Catal. illustr. viror., hoc est circa ann. 445. Seculo autem Christi sexto usurpari cœpit: unde probabiliter conjicere possumus, Symbolum a Fortunato, non a Lirinensi, fuisse exaratum.

Quin-

Digitized by Google

Quinta ; quia Symboli ſcriptor Latinus quidem fuit, non Græcus ; præcipue vero, quia omnia græca exemplaria inter ſe non conveniunt, latinum vero ubique eſt idem; unde ait Muratorius: „ Conſtans enim Eruditorum huc uſque ſententia fuit, omnino inter ſe latina Symboli exemplaria concordare; græca vero „ multis in locis inter ſe diſſidere. „ Poſt quæ ſex Symboli formulas ex græco affert, quas dicit inter ſe eſſe valde diſcordes ; quod & dixerunt alii Scriptores, quos recitat. Noſter autem Fortunatus latinus eſt Scriptor, & latine ſcripſit ; ut dictum eſt . Sexta ; affert Muratorius membranaceum Codicem, manu deſcriptum annis ab hinc ferme ſexcentum, in quo tres Symboli Athanaſiani Expoſitiones continentur ; quarum prima pro titulo habet: *Expoſitio fidei Catholicæ* ; ſecunda nullum habet titulum; tertia hunc oſtendit : *Expoſitio fidei Catholicæ Fortunati.* Quanvis in dubio remaneat, an Fortunatus ſit expoſitionis, an vero Symboli, auctor, ut fatetur Muratorius ; adhuc tamen hæc altera conjectura aliis jam dictis adjuncta, non parum rationis pondus noſtris addit argumentis.

Denique, ut Diſſertationi finem imponamus, opinionum de Auctore Symboli Athanaſiani, quas attulimus, examen aggredimur . Prima corruit ; quia quum nullum Scriptorem in particulari nominet, & ſolum dicat, illum fuiſſe Gallum, noſtræ etiam ſententiæ aptari poteſt, qua dicimus, actorem fuiſſe Fortunatum, habitatione, Præſulatu, & morte, Gallum. Secunda de Vigilio Tapſenſi confutatur ; tum quia, ſtyli ſimilitudo, & phraſium conformitas, magis eſt inter Symbolum, & Auguſtini opera, quam inter Symbolum, & Vigilii opera ; & nihilominus nemo uſquemodo dixit, Symboli auctorem fuiſſe Auguſtinum ; tum etiam, quia libri contra Varipandum, ut Antelmius probat, Vigilium non habent auctorem; tum denique, quia a vero abeſt ab initio fuiſſe Symbolo præfixum Athanaſii nomen a Vigilio ; quum nullius nomen a principio Symbolum habuerit ; ut diximus . Tertia de Vincentio Lirinenſi ſuas etiam patitur difficultates; & præcipue de proceſſione Spiritus Sancti a Filio, quæ diſtincte, & expreſſe in Symbolo dicitur; & nihilominus Vincentii tempore adhuc non erat in Eccleſia diſcuſſa; ut dictum eſt nuper . Quarta de Euſebio iiſdem ſubjacet argumentis, quibus illa Athanaſii confutatur ; eodem enim tempore florebant Athanaſius, & Euſebius; unde illæ eædem temporum incongruentiæ, quæ contra Athanaſium militabant, contra Euſebium pugnant . Quinta de Anaſtaſio Sinaita confoditur iiſdem argumentis, quibus tertia de Vincentio Lirinenſi impugnata fuit ; ac aliis quoque peculiaribus rationibus ; & quia Anaſtaſius Græcus fuit, Auctor vero Symboli Latinus Auctor ; ut præmiſimus, & probavimus ; & quia Anaſtaſius, nec natione, nec domicilio, fuit unquam Gallus; & auctor Symboli, ut probatum eſt, Gallus fuit, vel nativitate, vel habitatione. Sexta de Athanaſio Spirenſi ſola nominis ſimilitudine fulcitur; proindeque a nemine recepta, & ab auctore ſuo vix defenſa, illico corruit, ac lucem incæpit aſpicere. Si plura deſiderant Legentes, eruditiſſimum Muratorium conſulant, a quo plurima, quæ ſcripſimus, mutuati ſumus, & alia apud ipſum legenda relinquimus.

Digitized by Google

DISSERTATIO CLXXV.

De Communicatione Idiomatum in Chriſto; an ſit admittenda? In quo conſiſtat? de regulis in ipſa obſervandis; & de propoſitionibus ſecundum ipſam regulandis; & an Chriſtus dici poſsit Perſona compoſita?

IDioma græca vox eſt; ἴδιωμα; & ſignificat proprietatem, præſertim linguæ; adeoque pro ipſa lingua ponitur; ut ait Mortier. A verbo ἰδιόω derivatur, quod idem eſt ac approprio; & præcipue a prima perſona præteriti paſſivi ἰδίωμαι; hoc eſt, appropriatus ſum. Unde apud Grammaticos idiomata ſunt certæ linguæ proprietates, ut dicebat Auguſtinus apud præfatum Mortier: *Locutiones Scripturarum, quæ videntur ſecundum proprietates, quæ idiomata græce vocantur, linguæ hebraicæ, vel græcæ.* Apud Theologos autem idioma accipitur pro proprietate naturæ; & hæc eſt communicatio idiomatum, de qua loquimur, in Chriſto, quæ dicitur a Græcis κοινωνία τῶν ἰδιωμάτων, & de qua ſcripſit Damaſcenus lib. 3. de fide orthod. c. 6. *Deus ſuſcepit ea, quæ ſunt carnis idiomata, ideſt proprietates, dum Deus paſſibilis nominatur, & Deus gloriæ crucifixus eſt.* Igitur Idioma, & proprietas in præſenti idem eſt; & communicatio idiomatum idem ac communicatio proprietatum. P. Magnanus de Deo-Homine Chriſto c. 21. prop. 1. hæc habet. „Proderunt præterea hæ ipſæ ſi„militudines, ut commode intelligatur, „quomodo ex eo, quod Chriſtus idem ſit „Deus-Homo, ac viciſſim Homo-Deus; „conſequenter eſſe debeat inter Deum, „& Hominem id, quod Theologi vocant „communitatem, vel communicationem „idiomatum; ideſt, Deo tribuenda ſint, „quæ humana ſunt, & homini, quæ divina: ſeu potius, vel magis directe, Chriſto „tribuenda ſint hinc, quæ ad Deum, hinc „quæ ad hominem pertinent; ideoque „poſſit ac debeat reciproce dici, Deus eſt „homo, & homo eſt Deus; vel Chriſtus „eſt Deus, & Chriſtus eſt homo. Item „Chriſtus eſt æternus, immortalis, infinitus, quod ex parte Dei eſt; & Chriſtus „eſt mortalis, temporalis, finitus, quod ex „parte humanitatis eſt; & alia hujuſmodi:„ Quæ omnia optime explicantur a S. Maximo martire in diſputatione cum Pyrro, in qua ſic loquitur: *Quando illa, quæ utrivis Chriſti parti naturaliter competunt, viciſſim alterius propria redduntur propter inexplicabilem unitionem, nulla unius in alteram, ſecundum naturalem rationem, mutatione, confuſioneque facta.*

Neſtorius omnino negavit hanc idiomatum in Chriſto communicationem; hæc enim ſupponit in Chriſto hypoſtaticam Verbi cum humanitate unionem; & quia Neſtorius unionem hac ſubſtantialem negabat; ideo pariter idiomatum communicationem inficiabatur. Ipſemet Neſtorius in epiſtola ad Cyrillum hæc ſcribebat: *Rectum, & evangelicæ traditionis conſentaneum eſt, ut Chriſti corpus Divinitatis templum eſſe fateamur .... Verum propter illud communicationis nomen, nativitatem, paſſionem, mortem, cæteraſque carnis proprietates, Divino Verbo adſcribere, id demum mentis eſt Ethnicorum more errantis, aut certe inſani Apollinarii, & Arii, aliorumque Hæreticorum morbo, aut alio etiam graviori laborantis.* Igitur dogma catholicum eſt, dari in Chriſto realem communicationem idiomatum, ſeu proprietatum, contra Neſtorium; & hoc in prima Concluſione firmamus; quomodo autem hæc idiomatum communicatio ſit intelligenda, & in quo conſiſtat; hoc contra recentiores Sectarios in altera Concluſione ſtatuemus.

Dicimus I. Admittendam eſſe in Chriſto realem idiomatum communicationem.

I. Probatur ex Scripturis. Tribuuntur Deo, quæ propria ſunt hominis; & ſignanter ſanguis Actor. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*; atque etiam anima,

ſeu

Digitized by Google

seu temporalis vita ; 1. Joann. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*. Et viciſſim tribuuntur homini, quæ propria ſunt Dei; nimirum diſcenſus de Cœlis, & exiſtentia in cœlis; Joann. 3. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo*; Et ibidem; *Filius hominis, qui eſt in cœlo*; & pariter æternitas; Joann. 8. *Antequam Abraham fieret, ego ſum*. Apoſtolus etiam ad Romanos ſcribens eundem vocat Filium Dei, & Filium Davidis; unde S. Cyrillus ad Theodoſium Imperatorem ſcribebat: *Segregatum ſe eſſe in Evangelicum Dei de Filio ſuo*; hoc eſt: *factum eſſe ei de ſemine David ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute &c.* Et ad Hebræos ſcribens c. 1. nominavit eundem *Filium Dei, ſplendorem gloriæ, figuramque ſubſtantiæ ejus, qui omnia portat Verbo virtutis ſuæ*; & in ſequenti ait, *Jeſum paululum ab Angelis minoratum, propter paſſionem mortis, gloria, & honore coronatum, ut præ omnibus guſtaret mortem.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. S. Leo Papa in epiſtola ad Flavianum, quæ eſt 10. *Propter hanc unitatem Perſonæ in utraque natura intelligendam, & Filius hominis legitur deſcendiſſe de cœlo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine, de qua eſt natus, aſſumpſerit; & rurſus Filius Dei crucifixus ac ſepultus, cum hæc non in divinitate ipſa, qua Unigenitus conſempiternus, & conſubſtantialis eſt Patri, ſed in naturæ humanæ ſit infirmitate perpeſſus: Unde Unigenitum Filium Dei crucifixum & ſepultum omnes etiam in Symbolo confitemur; ſecundum illud Apoſtoli; ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum majeſtatis crucifixiſſent.* Hormiſda ep. 76. ad Juſtinum Imperatorem: *Ipſe Dei Filius, Deus & homo; ideſt virtus, & infirmitas; humilitas, & majeſtas; redimens, & venditus; in cruce paſſus, & cœli regna largitus; ita noſtræ infirmitatis particeps, ut poſſit interimi; ita ingenita potentiæ Dominus, ne poſſit morte conſumi.* Gregorius magnus in Job. lib. 18. c. 27. *Unde & impaſſibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante ſecula temporalis poſſet eſſe in fine ſeculorum.* Hadrianus 1. in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ de errore Elipandi, Epiſcopi Toletani: *Scimus, quia non traditus eſt ſecundum divinitatem, ſed ſecundum id, quod homo verus erat; illum nimirum, qui traditus eſt, ideſt hominem ipſum, Apoſtolus proprium Dei Filium proteſtatur.*

III. Probatur ex Conciliis. Nicænum 1. in Symbolo: *Jeſum Chriſtum Filium Dei unic cum, ex Patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero ... propter nos homines, & propter noſtram ſalutem incarnatum. natum de Virgine, paſſum, mortuum, ac ſepultum.* Quæ reſpiciens Cyrillus in ep. 2. ad Neſtorium ſcribebat: *Sacra nanque, & magna illa Synodus tradit, ipſum unigenitum Dei Filium naturaliter ex Deo Patre natum, Deum verum de Deo vero; lumen de lumine, per quem Pater omnia condidit, deſcendiſſe, incarnatum, & hominem factum, tertia die reſurrexiſſe, & ad Cœlos aſcendiſſe.* Concilium Calcedonenſe act. 5. *Sequentes igitur Sanctos Patres, unum eundemque confiteri Filium, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, conſona voce omnes docemus, eundem perfectum in deitate, eundem perfectum in humanitate, Deum vere, & hominem vere, eundem ex anima rationali, & corpore, coeſſentialem Patri ſecundum deitatem, coeſſentialem nobis eundem ſecundum humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato.* Concilium Conſtantinopolitanum generale V. c. 3. *Si quis dicit, alium eſſe Deum Verbum, qui miracula fecit, & alium Chriſtum, qui paſſus eſt; vel Deum Verbum cum Chriſto eſſe naſcente de muliere, vel in ipſo eſſe, ut alterum in altero, & non unum eundemque Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Dei Verbum, incarnatum, & hominem factum, & ejuſdem ipſius miracula, & paſſiones, quas voluntarie carne ſuſtinuit; talis anathema ſit.* Concilium Toletanum 1. in aſſertione fidei: *Hunc Filium hominis, etiam Filium Dei, & Filium Dei, etiam hominis filium appellamus &c.* Concilium Toletanum IV. c. 1. *Unus eſt enim Chriſtus, Deus & homo, caro & Verbum; ſed unde Deus, inde habet immortalitatem; unde homo, inde pertulit paſſionem; & unde caro, inde mortuus; & unde Verbum, inde æternus.*

IV. Probatur ex Patribus. Origenes in Epiſt. ad Romanos: *Per indiſſolubilem unitatem Verbi, & carnis, & omnia, quæ carnis ſunt, adſcribuntur & Verbo; quomodo & quæ Verbi ſunt, prædicantur in carne.* Nyſſenus lib. 5. cont. Eunomium: *Sic mortis perpeſſio ad eum, qui patibilis naturæ particeps fuit, refertur propter hominis cum ipſo copulationem, & ſublimia Deoque digna nomina in hominem deſcendunt; adeout ille, qui in cruce conſpectus eſt, Dominus gloriæ nominetur, ob ejus cum eo, quod abjectum eſt, & humile, commixtionem; nominum quoque gratiæ in humanam ſimul tranſeunte natu-*

Digitized by Google

rem. Ambrosius lib. 2. de fide c. 4. *Unde illud, quod rectum est, Dominum majestatis crucifixum putemus? Sed quia idem Deus, idem homo, Christus Jesus Dominus majestatis dicitur crucifixus; quia consors utriusque naturæ, ideſt humanæ, atque divinæ, in natura hominis subiit passionem, ut indiscrete, & Dominus majestatis dicatur esse qui passus est, & Filius hominis; sicut scriptum est; qui descendit de cœlo.* S. Athanasius ser. 4. com. Arianos: *Decuisse Dominum humanam carnem induentem, totam hanc cum propriis ipsius affectionibus induere; ut quemadmodum proprium ipsius corpus esse dicimus, sic & corporis affectiones ipsius esse tantum proprie dicantur.* Cyrillus ep. ad Valerianum: *Cujus proprium est corpus, huic merito, quæ hujus propria sunt, adscribuntur omnia, uno excepto peccato.* Hilarius lib. 4. de Trinit. *Qui erat, nascitur; qui indemutabilis est, crescit ætate; qui impassibilis, patitur.* Augustinus lib. cont. sermonem Arianorum c. 7. *Qui est ille, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse æqualis Deo? Respondetur voce apostolica, Christus Jesus. Ergo & illa divinitas hujus humanitatis nomen accepit. Item si quæramus, quisnam sit factus obediens usque ad mortem crucis? Rectissime respondetur, ille, qui cum in forma Dei esset: Ergo & ista humanitas illius divinitatis nomen accipit.* Cyrillus Alexandrinus anathematismo 4. cont. Nestorium: *Si quis duabus personis, vel hypostasibus eas voces attribuit, quæ in evangelicis & apostolicis Scripturis passim occurrunt, quæve tanquam a Sanctis de Christo, aut ab ipso quoque Christo de seipso dictæ sunt, & alias quidem homini seorsim a Dei Verbo considerato adscribit, alias vero, tanquam in divinam majestatem convenientes, soli Verbo, quod ex Deo Patre est, accomodat, anathema sit.*

V. Probatur Rationibus. I. Communicatio idiomatum est communicatio attributorum, seu proprietatum, seu prædicatorum, inter duas res, duasve naturas; sed hæc datur in Christo: ergo &c. Probatur minor. Si non daretur, vel ideo esset, quia esset una natura, vel quia non esset una Persona; sed primum dicere est hæresis Eutychetis, dicere vero alterum est hæresis Nestorii: ergo datur communicatio illa in Christo. Probatur minor. Ubi non sunt duæ naturæ, non habet locum communicatio, quæ pluralitatem supponit; & ubi sunt duæ personæ, neque locum habet, quæ supponit unionem naturarum in unam personam. II. Inter divinam naturam; & humanam fuit vera, & substantialis unio, ut in superioribus probatum est: ergo est vera idiomatum communicatio. Probatur consequentia. Ubi est vera, & substantialis unio, est unitas; sed ubi est unitas, est vera idiomatum communicatio: ergo si inter divinam, & humanam naturam est vera, & substantialis unio, est vera idiomatum communicatio. Probatur minor. Si non est idiomatum communicatio, est idiomatum distinctio; sed ubi est distinctio, non est unitas: ergo ubi est unitas, est vera idiomatum communicatio. III. Si esset in Christo unio metaphorica, & impropria, esset pariter inter Verbum, & humanitatem impropria, & metaphorica idiomatum communicatio: ergo si est in Christo unio vera, & realis, est etiam in ipso vera, & realis idiomatum communicatio; atqui est in Christo vera unio, & realis: ergo etiam est vera, & realis idiomatum communicatio. Minor subsumpta patet, quia Nestorius admittebat metaphoricam unionem, & ideo admittebat metaphoricam etiam communicationem. Et revera sic idem Nestorius Cyrillo scribebat: *Corpus divinitatis templum esse fateamur, illudque nexu adeo sublimi, divino & admirabili, ipsi conjunctum esse statuamus, ut divina natura ea sibi vindicet, quæ corporis alioqui sunt propria.* IV. Humanitas, ratione unionis hypostaticæ, facta est humanitas propria Verbi: ergo est inter Verbum, & humanitatem vera idiomatum communicatio. Antecedens patet; quia humanitas ubi fuit Verbo conjuncta, statim desiit esse sui juris: ergo facta est humanitas propria Verbi. Consequentia sequitur; Consequens enim est ex eo quod facta est humanitas propria Verbi humanitas, ut quæ humanitati conveniunt, proprie etiam Verbo tribuantur. Unde Athanasius or. 4. cont. Arianos dicebat: *Verbum enim caro factum est, necesse est, passiones carnis ejus quoque dici, cujus est illa caro:* V. probant ex immeatione naturæ alterius in alteram, seu commixtione; ut argumentabatur Cyrillus Thesauri fol. 235. *Commiscuit se nobis Deus Verbum; commixtus nobis, factusque homo, omnes infirmitates nostras gestavit, & ipse passus esse censetur, cum omnes templi, quod inhabitavit, proprietates sibi vindicasset.* VI. Una est hypostasis, quæ reperitur in Christo: ergo hujusmodi unitatis ratione dicendum est effici, ut uni Verbo, seu prout Verbum, seu prout incarnatum est, tribuantur omnia.

nia. Unde Cyrillus in Evangelium Joann. fol. 667. dicebat: *Uni igitur personæ attribuendæ sunt evangelicæ voces, hypostasi nimirum Verbi incarnati. Dominus enim unus Jesus Christus secundum voces.*

Obstant I. Admissa Idiomatum communicatione, vera debet esse hæc propositio: Unus de Trinitate passus est; sed hæc propositio damnata est a Felice III. Papa in Petrum Cnapheum, seu Fullonem, ann. 483., quod patet ex Felicis epistola ad eundem Cnapheum: ergo &c. II. Posita etiam communicatione idiomatum, vera esse debet hæc altera propositio: Unus de Trinitate est crucifixus; sed hæc propositio damnata est ab Hormisda, Romano Pontifice, contra Monachos Scythas, qui dicebantur, Acemetæ, circa annum 519.: ergo &c. III. Impium est dicere, Deum esse mutabilem; sed mutabilitas est prædicatum naturæ humanæ: ergo non omnia prædicata naturæ humanæ possunt Deo attribui. IV. Prædicata, quæ important imperfectionem, non possunt de Deo dici; sed sunt aliqua prædicata in natura humana, quæ important imperfectionem: ergo non possunt de Deo dici. Probatur minor. Esse natum, esse passum, esse mortuum, sitire, esurire, lugere &c. important imperfectionem: ergo sunt aliqua prædicata in natura humana, quæ important imperfectionem. V. In triduo mortis Christi erat unio inter divinitatem, & cadaver Christi; & tamen inter illa non erat idiomatum communicatio: ergo non est verum, quod propter unionem humanitatis, & divinitatis in Christo sit idiomatum communicatio. Probatur secunda pars antecedentis. Cadaver non poterat dici vivens, intelligens, amans &c.: ergo inter divinitatem, & cadaver Christi non erat idiomatum communicatio. VI. Si esset admittenda hæc idiomatum communicatio, verificarentur in Christo contradictoria; sed hæc nullo modo possunt verificari: ergo non datur idiomatum communicatio. Probatur major. Si esset admittenda idiomatum communicatio, idem Christus esset passibilis, & impassibilis, mortalis, & immortalis, æternus, & temporalis, mortuus, & vivens &c.; sed hæc sunt contradictoria: ergo &c. Et quidem essent de eodem; quia idem Verbum, quod esset æternum per divinitatem, diceretur per humanitatem temporale; idem Deus, qui qua Deus esset impassibilis, qua homo passibilis esset.

Respondemus ad I. Propositionem illam fuisse damnatam a Felice Papa, non in sensu obvio, & quem verba præseferebant, sed in sensu Petri Cnaphei, Cnapheus enim eam dixerat in sensu Eutychianorum, e quorum numero erat; Hæretici enim illi, quia post unionem, dicebant, sola natura divina remansisse, humana penitus absorta; hinc etiam inferebant, quod unus de Trinitate fuisset passus. Non damnavit autem illam Felix in sensu obvio; consideratis enim terminis, ex quibus constat, non aliud per ipsam importatur, quam quod una persona de Trinitate passa fuisset in carne. Et hinc est, quod Joannes II. Papa in Ep. ad Avienum, & alios Senatores, ut in superioribus dictum est, docuit, catholice, & orthodoxe loqui, quicunque dixerit, vel unum de Trinitate passum esse; vel unam de Trinitate personam passam fuisse.

Ad II. Sunt qui respondent, Monachos Scythas fuisse Eutychianos; & ideo in sensu illorum fuisse propositionem damnatam ab Hormisda, sicut contra Cnapheum damnaverat eandem Felix Papa. Attamen sunt alii, qui sentiunt, Monachos Scythas fuisse catholicos, sed temerarios, quia contendebant, fidei professionem in Concilio Chalcedonensi editam fuisse mancam, si ei non addebatur clausula: Unus de Trinitate crucifixus est. Unde Hormisdas in ep. ad Possessorem, Episcopum Africanum, nulla alia nota Scythas Monachos inurit, quam temeritatis, novitatis, ac superbiæ. *Contemptores auctoritatum veterum, novarum cupidi quæstionum, solam putantes scientiæ rectam viam, qualibet conceptam facilitate sententiam. Eo usque tumoris elati, ut ad arbitrium suum utriusque orbis putent inclinandum esse judicium; nec in nomen fidelium deputantes sequacem traditionis paternæ, si suæ viderint credere nolle sententiæ.* Igitur non ob aliam rationem proscripsit tunc propositionem illam, quam quia nova erat; & quia diceretur necessaria ad fidei professionem in Concilio generali editam; & adeo necessaria, ut sine ipsa fidei professio diceretur manca, & imperfecta.

Ad III. dicitur, esse æque verum, si designato Christo, dicatur, Deus est mortalis, Deus est passibilis, Deus est mortuus, ac si dicatur, Deus est mutabilis. Verum propter erroris periculum, & ut fugiamus errandi occasionem, non sunt faciendæ propositiones illæ, nisi cum additio, & cum reduplicatione: Deus, ut homo

mo

Digitized by Google

mo; Deus secundum humanitatem; est mutabilis &c.

Ad IV. Prædicata illa essent Deo inhonorifica, si Deo ratione deitatis convenirent; at quia conveniunt ratione humanitatis, honorifica potius Deo sunt; quum commendent eximiam Dei erga homines charitatem, & extollant summam ejus erga peccatores clementiam. Cæterum suo loco videbitur, quæ prædicata nequeant Deo convenire, & quæ possint; & quæ imperfectionem dicant Deo incompatibilem, & quæ imperfectionem, quæ sit cum Deo conciliabilis.

Ad V. Cadaver poterat dici vivens, amans, intelligens, per idiomatum communicationem; per hanc enim importatur, quod suppositum terminans naturam humanam cadavericam sit intelligens, sit amans, sit vivens; & quod Suppositum divinitatem habens, terminet naturam cadaveris; quæ omnia sunt vera.

Ad VI. Prædicata illa non sunt rigorose contradictoria, quia etsi sint de eodem, non sunt tamen secundum idem. Insuper, temporalis, immortalis &c. non accipiuntur negative, sed positive, sicut accipitur in Bruto irrationalis. Si enim negative acciperentur, falsæ essent propositiones. Hoc est: Christus est non æternus; est non mortalis; est non corporeus &c. Et Ratio est, quia negatio tollit formam a toto subjecto, cui tribuitur; unde per illam importaretur, quod non esset in Christo corpus, æternitas, mortalitas &c.

Pro secunda vero Dissertationis parte; hoc est, in quo consistat Idiomatum communicatio? Primo Lutherani volunt, in eo consistere, quod attributa unius naturæ in Christo communicentur alteri naturæ, non solum consideratæ in concreto, sed etiam in abstracto. Quapropter non solum per ipsos est vera hæc propositio, quæ dicit formam, & subjectum simul: Christus est ubique; sed etiam hæc alia, quæ dicit formam a subjecto abstractam: Humanitas Christi est ubique. Et ratio ipsorum est; quia si inter divinitatem, & humanitatem, communicantur idiomata, hoc est attributa, sive divina, sive humana: ergo etiam communicatur immensitas, quæ est attributum divinum. Et ideo Lutherani hoc sentientes dicuntur Ubiquistæ, Ubiquetarii; quia ubique volunt esse Christum ut hominem, seu Christi humanitatem. Catholici autem docent, attributa unius naturæ in Christo non communicari alteri consideratæ in abstracto, scilicet sine supposito, aut sine persona, in qua subsistit; & hinc concludunt, quod de humanitate considerata in abstracto non possit prædicari immensitas; unde Christi humanitas non est ubique.

Secundo Brentius, & Smidelinus, collocarunt communicationem idiomatum in eo, quod divinitas in humanitate Christi, tanquam in proprio corpore inhabitet, atque reluceat omni sua majestate, potentia, sapientia, justitia &c.; nec non in ipsa, & per ipsam, omnia operetur; sicque idiomatum communicationem, quam etiam a formali unione hypostatica non distinxerunt, voluerunt esse ipsammet specialem divinitatis cum humanitate unionem, accidentalem tamen, & similem ei, qua agens principale unitur instrumento, per quod, & in quo operatur. Et hæc sunt formalia verba, per quæ Cacherarus explicat hanc hæresim; quam quoque Bellarminus innuit; eamque dicit, esse Nestorianæ hæresi omnino affinem.

Tertio Kemnitius, Vvadingus, Selneverus, aliique Novatores, præsertim ex Lutheranis, alium excogitarunt errorem a Nestoriano diversum, & ab Eutychiano, quem quoque Cacherani verbis explicamus. Admittunt veram unionem duarum naturarum in eadem persona, quæ quidem unio sit distincta ab idiomatum communicatione; & docent hanc communicationem consistere in reali communicatione divinorum attributorum in se formaliter acceptorum; adeout humanitas Christi non minus proprie, & realiter sit omnipotens divina omnipotentia, omnipræsens divina immensitate, quam subsistens divina personalitate; & sicut in hoc, quod sit divina personalitate subsistens, consistit unio hypostatica; ita in hoc, quod sit omnipotens, omnipræsens &c. consistat idiomatum communicatio, quæ ad unionem hypostaticam est consequens. An autem hoc modo fuerint communicata naturæ humanæ omnia attributa divina; & naturæ divinæ omnia prædicata naturæ humanæ; inter se non conveniunt. Aliqui de neutro tractant; aliqui vero pro primo cum limitatione loquuntur, excipientes rationem actus puri, rationem æternitatis, rationem creatoris; quæ dicunt communicari humanitati Christi ad summum verbaliter. Pro altero vero negant communicationem mutuam proportionaliter, & eodem modo factam; admittunt tamen aliquam com-

Digitized by Google

communicationem, cujus ratione recte dicatur Deus natus, passus, mortuus, & sepultus. Si vero ab iis interrogetur, in quo consistat diversa communicatio humanorum prædicatorum facta Divinitati? Nihil respondent, & dicunt tantum, factam esse modo ineffabili. Et inter hos connumerantur Ubiquistæ, vel Ubiquetarii; quia quum tribuant humanitati immensitatem inter cætera alia divina attributa, deducunt, Christum etiam ut hominem vere, & realiter ubique existere.

Quarto ponimus alios errores ex hac male intellecta ab Heterodoxis idiomatum communicatione progenitos. Siquidem Jacobus Andreæ lib. de Ubiquitate contra Jacobum Valentia fol. 14. ait: *Constanter affirmamus, humanam naturam ad æqualitatem gloriæ & potentiæ cum divino Verbo exaltatam esse.* Et pag. 109. *Postquam per resurrectionem exaltatus est, secundum carnem etiam ut homo, sive secundum humanam naturam, ubique præsens cum Patre, & Spiritu Sancto æquali potentia regnat.* Jacobus Faber, Stapulensis ad c. 2. prioris ad Corinth. *Corpus Christi, idest assumpta humanitas, cœlum implet, ac terram. Est enim ubicumque Verbum Dei est; quia Verbum caro factum est; quare Verbum nusquam est sine carne.* Et ad c. 14. Joannis: *Cum Filius sit in Patre, & in omnibus Sanctis, qui sunt in cœlo, & in terra, an etiam corporaliter sit? Quidni; sed absque modo, nisi dicas divino, & incomprehensibili modo, qui non tam modus, quam non modus dici debet.* Gaspar Svenckfeldius lib. de duplici statu ar. 17. & 18. *Christi corpus in cœlum assumptum plane Deum esse factum; & ita in Cœna adesse, quod jam sit divina essentia; & propterea illum esse blasphemum, qui humanam Christi naturam creaturam nominet.* Et lib. de divina majestate humanitatis Christi: *Christi humanitatem post Ascensionem non esse creaturalem, sed supernaturalem, & ipsum Christum etiam eadem ratione humanitatis esse verum Deum.* Et lib. de collatione Statuum Christi collat. ultim. *Christus nunc juxta naturam suam humanam deificatus, Deo incorporatus, ac omnino totus gloriosus, spiritualis, ac divinus factus est; etiam juxta corpus perfectus Deus, imo etiam corporalis Deus est.* En quot portenta, & impia, & spurca, & immania, ex male intellecta idiomatum communicatione, vel ex ea, aut perperam negata, aut fine discrimine admissa. Nos modo contra Heterodoxos hosce ostendimus, in quo idiomatum communicatio vere consistat, & in quo, ut catholice loquamur, sit collocanda? Postmodum dicturi regulas, quibus observatis in idiomatum communicatione errare nemo poterit.

Dicimus II. Idiomatum communicationem non esse realem respectu naturarum; quasi Divinitas ipsa realiter sit facta passibilis, & humanitas realiter sit facta omnipotens; ut Lutherani asserunt; neque esse plane verbalem; ut volunt Beza, Brentius, & Petrus martir; sed esse realem quidem, at respectu hypostasis utriusque naturæ, non vero respectu ipsarum naturarum; ut docent Patres apud Bellarminum. Itaque communicari idiomata nil aliud esse, quam proprietates utriusque naturæ applicari communi hypostasi; & proinde ipsis naturis in concreto; quia nomina concreta accipi possunt pro supposito, licet formaliter significent naturas. Ita in terminis Bellarminus.

I. Probatur ex Concilio Francofordiensi in epistola synodica, in qua legitur: *Personæ unitas facit, ut quod homo pertulit, Deum pertulisse legatur.* Ex quibus verbis deducit Cacheranus, idiomatum communicationem in Christo haberi ex unione duarum naturarum in una, eademque persona, & consequi unitatem personæ; atque ex eo præcise, quod detur illa unio in personæ unitate, verificari proprie in Christo mutuam prædicationem divinorum de homine, & humanorum de Deo. Sed hæc eadem sunt, ac illa, quæ nos cum Bellarmino in nostra Conclusione exposuimus: ergo auctoritas Concilii pro utrisque valet. Probatur minor. Habemus unitatem, de qua loquitur Concilium, in nostra Conclusione per verbum illud, *communi hypostasi*; quæ quidem communis hypostasis est una; habemus proprietates utriusque naturæ applicari, in Conclusione; quæ exprimuntur per verba Concilii; *ut quod homo pertulit, Deum pertulisse legatur*; & apud Cacheranum sonant verba illa; verificari proprie in Christo mutuam prædicationem divinorum de homine, & humanorum de Deo: ergo hæc eadem sunt, ac illa &c.

II. Probatur a Damasceno lib. 3. de fide orthodoxa c. 3. *Verbum, & quæ humanitati conveniunt, sibi vendicat, ac vicissim carni, quæ sua sunt, impertit; communicationis videlicet ratione, ob mutuam partium inter se communicationem, ac personalem unionem.* Quibus verbis exprimitur perfona-

Digitized by Google

sonalis unio ; per quam proprietates utriusque naturæ applicantur communi hypostasi; exprimitur quoque communicatio proprietatum, non naturarum ; dicitur enim ; quæ humanitati conveniunt ; & quæ Verbi sunt ; hæc autem non sunt ipsa humanitas, nec ipsa Verbi divinitas,sed proprietates utriusque. Hinc fit, quod communicatio non fit realis respectu naturarum, sed respectu proprietatum, ut diximus ; nec sit solummodo verbalis ; aliter Verbum non sibi vendicaret realiter quæ humanitati conveniunt ; nec impertiret carni realiter,quæ sua sunt.

III. Probatur a S. Bernardo in lib. de consideratione ad Eugenium III. apud Cacheranum : *Tantam, tamque expressam unionis vim in se præfert ea persona, in qua Deus, & homo unus est Christus,ut si duo illa de se invicem prædices, non erraveris.* Idiomatum communicationem tribuit Bernardus expressæ vi unionis, quam præsefert unitas Christi:ergo semper stat, quod communicationis fundamentum sit unitas ; & quod communicatio fiat per proprietates, non per naturas ; quia naturæ uniuntur,ut proprietates naturarum communicentur ; unde communicatio non consistit in ipsa unione,sed ad unionem consequitur.

Obstant I. Unio hypostatica considerata secundum essentiam non importat idiomatum communicationem ; sed considerari debet secundum essentiam, ut exprimat unitatem, ex qua dicitur, emanare communicationem : ergo non dicit communicationem proprietatum. Probatur major. Unio hypostatica considerata præcise secundum essentiam dicit communicationem solius Personæ Verbi factam humanitati : ergo non dicit communicationem idiomatum. II. Communicatio idiomatum non consistit in unione; at neque consequitur ad unionem : ergo nullo modo explicatur. Major admittitur a Catholicis contra Sectarios. Minor probatur. Post unionem naturarum naturæ ipsæ, proprietates, & operationes,remanent in Christo distinctæ:ergo non communicantur. III. Damascenus lib. 3. de fide orthod. c.2. docet: *Non hominem deificatum dicimus, sed Deum humanatum:* ergo communicatio idiomatum non est mutua, sicut a nobis est assertum. IV. Concilium Francofordiense in epist. ad Episcopos Hispaniæ, hæc habet: *Mansit persona Filii in S. Trinitate, cui personæ humana accessit natura ; ut esset & una Persona Deus & homo ; non homo deificus, & humanatus Deus ; sed Deus homo, & homo Deus* ; sed hæc verba important communicationem non proprietatum, sed naturarum; & communicationem substantivorum tantum, non vero etiam adjectivorum ; contra a nobis dicta: ergo &c.

Respondemus ad I. Idiomatum communicatio non est ipsa formaliter unio, sed consequitur ad unionem ; quatenus fundatur in unitate hypostasis, quæ duas naturas connectit ; unde & supponit unionem, & exprimit unitatem ; ex qua deinde unitate personæ in unione naturarum provenit communicatio proprietatum utriusque naturæ, quæ conveniunt inter se per unitatem personæ.

Ad II. negatur minor ; ad cujus probationem dicitur, quod esto remaneant inter se distinctæ, sunt tamen uni hypostasi addictæ taliter, ut ratione unitatis illius possint inter se invicem communicari,

Ad III. dicitur, quod illa esset communicatio naturarum, non vero proprietatum; communicatio autem idiomatum est proprietatum,non naturarum. Insuper, verum est, quod Deus factus est homo ; at falsum est, quod homo factus sit Deus ; & hæc diversitas ex parte naturæ, non vero ex parte proprietatum se tenet.

Ad IV. responsio patebit ex dicendis mox, quando regulas enumerabimus, quæ observari debent in propositionibus regulandis, quæ juxta idiomatum communicationem fieri possunt. Ad quas quidem regulas adducendas, & propositiones examinandas, accedimus modo.

Prima Regula est. Non possunt prædicari de natura divina sumpta in abstracto, quæ conveniunt Filio hominis ; nec possunt prædicari de natura humana accepta etiam in abstracto ; quæ conveniunt Filio Dei. Unde falsæ sunt sequentes propositiones: Divinitas est nata de Virgine, est mortalis, est passa, est crucifixa, est mortua &c. Humanitas est Deus, est creator, est omnipotens, est immensa &c.

Secunda regula. Non possunt prædicari abstracta unius naturæ, vel de illa natura, vel de proprietatibus alterius naturæ, sive in concreto, sive in abstracto. Falsæ proinde sunt hæ propositiones : Homo est divinitas, Deus est humanitas. Humanitas est divinitas, Divinitas est humanitas. Homo est æternitas, Deus est mortalitas, mortalitas est immortalitas. Rationem petunt ex eo, quod ea, quæ sunt

pro-

Digitized by Google

propria uni, affirmari non possunt, nisi de eo, quod est idem cum illo, Duæ naturæ in Christo, quamvis conveniant in eandem hypostasim, inter se ratione sunt realiter distinctæ, & una non est alia; & idem dicitur de proprietatibus earundem. Unde, ut ait Jueninus, nec una natura, nec ejus proprietates, possunt in abstracto affirmari de altera, vel de ejus proprietatibus; neque concreta unius de abstractis alterius; quia abstracta significant ipsam naturam, seu formam abstractim, & simpliciter, & non supponunt hypostasim, in quam conveniant, neque significant naturarum conjunctionem in illa. Verba sunt Jueneni.

Tertia regula. Tantum in Concretis facienda est communicatio idiomatum. Rationem addit idem Jueninus his verbis: „ „ Quia sola concreta supponunt hypostasim, in quam duæ naturæ conveniunt: „ communicatio autem idiomatum fit „ propter convenientiam naturarum in „ unam hypostasim. Cum enim sit eadem „ hypostasis utriusque naturæ, eadem hy„ postasis supponitur nomine utriusque „ naturæ. Sive ergo dicatur homo, sive „ Deus supponitur hypostasi, & divinæ, „ & humanæ naturæ; & ideo dici possunt „ & homine ea, quæ sunt divinæ naturæ, „ tanquam de hypostasi divinæ naturæ; „ & de Deo dici possunt ea, quæ sunt hu„ manæ naturæ, tanquam de hypostasi hu„ manæ naturæ.

Quarta regula. Quod dicitur essentialiter de Deo, & de Verbo essentialiter, vel personaliter, simpliciter potest prædicari in concreto de hoc homine; hoc est de Christo. Unde vera est hæc propositio: Hic homo est æternus, omnipotens, immensus, naturalis Filius Dei &c. Exempla nobis dant Scripturæ, in quibus huic homini tribuuntur, quæ conveniunt tum Deo, tum Dei Verbo. Et rationem habemus, quia hic homo est vere Deus, & Verbum: ergo illi revera competunt absoluta Dei attributa; non vero relativa aliarum personarum; quia hic homo nec est Pater, nec est Spiritus Sanctus; ut discurrit idem Jueninus.

Quinta regula. Quod dicitur essentialiter de homine, vel absolute de hoc homine Christo, vere prædicari potest de Deo, & Dei Filio. Valent proinde hæ propositiones: Deus & Dei Filius est animal rationale, est natus de Maria Virgine, est passus, est mortuus &c. Scripturæ hoc testantur; dicitur enim in illis, quod Deus acquisivit Ecclesiam sanguine suo; & rationes confirmant; quia fide catholica credimus, Deum & Dei Filium per incarnationem vere esse hominem.

Sexta regula. Ea, quæ prædicantur de Christo, licet non distinguantur quantum ad id, de quo prædicantur, scilicet quantum ad suppositum; distinguuntur tamen secundum id, secundum quod prædicantur. Ea enim, quæ sunt divinæ naturæ, prædicantur de Christo secundum divinam naturam; ea vero, quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de Christo secundum humanam naturam. Sic Jueninus; qui subdit, cavere oportere, nec id, quod convenit supposito ratione unius naturæ, dicatur convenire ratione alterius. Unde quando de Christo dicuntur prædicata divina, non est facienda reduplicatio supra humanitatem; & quando dicuntur humana prædicata, non est facienda reduplicatio supra deitatem. Sicque dicere non possumus: Christus quatenus homo est immensus; Christus quatenus Deus, est passus, est mortuus. Per hujusmodi enim reduplicationem significatur, quod attributa conveniunt subjecto alia ratione, quam revera possint convenire. Cavendum quoque vult idem Jueninus, ne prædicatio importet attributum, quod requirat, aut involvat suppositum creatum. Fide enim certum habemus, illud non fuisse in Christo; unde falsæ hæ propositiones redduntur; uti sunt sequentes: Christus est persona creata, Christus est purus homo; Christus est Filius Dei adoptivus.

Septima regula. Attributa, quæ non sunt mere humana, nec mere divina, sed conveniunt Christo ratione utriusque naturæ simul, si prædicentur absolute, regulariter possunt prædicari de Christo, de hoc homine, & de Verbo, seu Dei Filio. Sic sunt veræ propositiones: Christus est redemptor, & mediator noster. Verbum nos redemit, ac satisfecit Patri ex rigore justitiæ. Si vero assumantur prædicata, quæ determinent hoc subjectum, Christus, pro composito in quantum est tale; ut esse compositum, esse terminum &c.; in hoc casu attributum non potest absolute prædicari de Verbo, vel Dei Filio; & ideo in regula diximus regulariter. At si hujusmodi attributa prædicentur non absolute, sed cum reduplicatione, illa reduplicatio non debet cadere super unam naturam solam, sive divinam, sive humanam;

Digitized by Google

neque super solum suppositum; sed super utrumque. Unde falsæ sunt propositiones hæ: Christus solum quatenus homo, vel solum quatenus Deus, est redemptor, vel mediator noster, vel ex rigore justitiæ satisfecit. Vera autem est hæc: Christus quatenus Deus homo est redemptor noster; vel hæc alia: Christus quatenus Deus homo est mediator noster; vel hæc alia: Christus quatenus Deus homo ex rigore justitiæ satisfecit. Jueninus, ex quo hæc omnia exscripsimus, quia nobis visa sunt clariora cæteris, & aptiora ut facilius intelligantur, fatetur, & ait: Vide Sylvium, ex quo quæ huc usque dicta sunt, de verbo ad verbum exscripsimus.

Veniunt modo propositiones, quæ debent secundum has regulas vel concedi, vel negari, ut sane in idiomatum communicatione, & catholice loquamur. Primo igitur, hæc propositio: Deus factus est homo; est vera in sensu proprio, & literali. Ratio est; tum quia sic legitur in Evangelio: *Verbum caro factum est*; & legitur quoque ad Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*; tum etiam, quia ille dicitur fieri, qui præextitit illi, quod de ipso prædicatur de novo; sed Deus & Verbum præextitit humanitati; quæ prædicatur de illo de novo: ergo &c. Hæc autem propositio: Homo factus est Deus: in proprio sensu falsa est; & disparitas in eo consistit, quia, ut diximus, ut una res fiat alia, opus est ut illi præexistat; sed humanitas Christi non præexitit suæ unioni cum Deo; Verbum autem extitit realiter antequam cum humanitate uniretur. Si vero hæc ultima propositio sumeretur improprie, & in hoc sensu: Factum est, ut homo fieret Deus; tunc poterit admitti.

Secundo, hæc altera propositio: Christus est creatura, simpliciter sumpta, & absque aliqua additione, est falsa, & vitari debet. Quod vitari debeat, patet; quia favere videtur Arianis, qui volebant, Verbum, ac proinde Christum, esse creaturam; unde ne detur scandalum audientibus vitari debet. Quod sit falsa, etiam constat; quia creatura prædicatur de hypostasi Christi, quæ est ipsummet Verbum; nomen enim Christus pro hypostasi supponit; sed falsum est, quod Verbum, seu hypostasis Christi, sit creatura: ergo &c. Sic pariter admitti non possunt simpliciter hæc aliæ propositiones: Christus incepit esse; Christus non semper fuit. Potest nihilominus; tam una, quam altera, esse vera cum humanitatis additione; sic dicendo: Christus, prout homo, est creatura; Christus, prout homo, incepit esse; Christus, prout homo, non semper fuit. Et ratio est, quia in his propositionibus additio facit, ut subjectum supponat pro natura humana, non vero pro illius hypostasi. Et ita Augustinus ep. 57. scribebat: *Quod ad Verbum attinet, creator est Christus; quod ad hominem, creatura est.* Si vero quæratur, quare hæc propositio: Christus mortuus est; simpliciter prolata est vera; non vero sic hæc alia: Christus est creatura? Dicimus, disparitatem in eo esse, quia mori est proprietas naturæ, non vero suppositi; unde in propositione illa mors cadit supra humanitatem, non supra Verbum; prædicatum vero creaturæ cadit supra hypostasim; quia creatura dicit esse subsistens.

Tertio, hæc propositio; iste homo, demonstrando Christum, incepit esse; non debet admitti. Ratio datur, quia per verbum, incepit, negatur existentia æterna; sed non potest negari existentia æterna de illo homine demonstrato, qui est Deus, & habet existentiam æternam; quia de fide habemus, illum hominem, demonstrando Christum, esse Deum, & esse æternum: ergo &c. Si vero propositio cum reduplicatione fiat sic: Iste homo, secundum esse hominis, incepit esse; vera est propositio.

Quarto, hæc propositio: Christus, secundum quod est homo, est Deus; admitti non debet. Ratio est, quia reduplicatio restringit Christum ad naturam humanam; sed Deus prædicari nequit de natura humana. Si vero propositio fiat: Christus, in quantum iste homo, est Deus; tunc est vera; & ratio est, quia Deus prædicatur de Christo, ut habente hypostasim; pronomen enim, *iste*, determinat vocem, *homo*, ad hypostasim; sed verissimum est, quod Christus quantum ad hypostasim sit Deus: ergo propositio hæc: Christus in quantum iste homo, est Deus; est vera.

Quinto, hæc propositio: Christus, secundum quod homo, est persona; potest admitti. Ratio est, quia sensus obvius hujus propositionis hic est: Christus, quatenus est suppositum humanæ naturæ, est persona; sed hic sensus est omnino verus: ergo pariter propositio illa est vera.

Se-

Digitized by Google

Sexto, propositio hæc: Christus est homo Dominicus; non debet admitti. Ratio est, quia dominicus denominative dicitur a Domino; & ideo distinguitur a Domino, sicut denominans a denominato; sed Christus non distinguitur a Domino, quia ipse est Deus: ergo &c. Verum est, quod Patres quidam Christum dixerunt hominem Dominicum; ut Athanasius in expos. fidei; Chrysostomus hom. de cruce; Augustinus in Psal. 2., attamen hoc facit, ut propositio illa admitti possit aliqua ratione, non vero simpliciter, & absolute. Ideo enim Patres propositionem illam usurparunt, quia vox *homo* apud illos pro natura humana supponebat; & in hoc sensu voluerunt, naturam humanam esse dominicam, quemadmodum caro dicitur deificata in Synodo VI. Unde sicut caro dici potest deificata, quia per unionem in persona Verbi facta est caro Dei; ita etiam dici potest dominica, quia cum Domino est unita. Augustinus lib. 1. retract. c. 19. verum est, quod retractavit, quæ scripserat in Psal. 2., verum addidit quoque: *Quamvis nonnulla possit ratione defendi*.

Septimo, propositio hæc: Christus est homo Deifer; est falsa; Ratio est, quia vox *homo* vel accipitur pro natura humana, vel pro persona humana, vel pro persona divina. Accepta vox illa pro natura humana falsam reddit propositionem; quia natura humana in Christo non sustentat Deum, sed Deus potius sustentat naturam humanam; quia subsistit hæc per subsistentiam Verbi: ergo non verificatur in hac acceptione, quod Christus sit homo Deifer. Accipi pro persona humana non potest, quia in Christo non est hypostasis humana; ut fide docemus contra Nestorium. Accepta demum pro persona divina vox illa, *homo*, reddit pariter falsam propositionem; quia Verbum non fert deitatem, quum ipsemet sit Deus: ergo non est homo Deifer.

Octavo, hæc propositio: Deus est carnifer, est vera; quia Deus sumitur pro persona Verbi, quæ sustentat humanam naturam, & quæ ab ea realiter distinguitur. S. Cyrillus in anathematismo 5. sic docet: *Si quis dicere audet, Christum esse hominem deiferum, & non potius Deum verum, utpote unum naturalemque Filium, quatenus nimirum Verbum caro factum, carni, & sanguini perinde, ac nos, communicavit; anathema sit*. Verum est, quod Basilius dixit Christus Deiferum; at in hoc sensu; prout nimirum vox illa significat, Christum habere unitam sibi eoram Filii deitatem. Sensus autem a Cyrillo damnatus erat sensus Nestorii, qui volebat, humanam naturam in Christo gestasse divinitatem; sicut bajulus gestat onus suum, sicut templum continet habitatorem suum. Et ex his patet responsio ad IV. argumentum, quam hunc transmisimus dandam.

Pro ultima tandem Dissertationis parte, Scotus cum suis tuetur, personam Christi nec esse, nec dici posse compositam; & hujus sententiæ est etiam S. Bonaventura. S. Thomas 3. p. q. 2. ar. 4. vult cum Suis etiam, personam Christi esse, & debere dici compositam. Typhanius apud Joeninum distinguit Christum ab hypostasi; & vult hypostasim esse simplicem, Christum vero compositum. Advertit nihilominus Cacheranus, hoc Scholasticorum dissidium esse quasi de nomine; quia pendet ex diversa explicatione compositionis propriæ, & veræ. Antiqui putabant, non posse illam esse sine componentium imperfectione; Recentiores vero contra docent, posse illam esse sine imperfectione componentium. Et per hoc Recentiores vocant compositionem propriam, & sine addito, illam, quam Antiqui volebant, aut non esse compositionem, aut esse, sed improprie, & cum addito, quo excludi imperfectionem significaretur. Attamen his non obstantibus

Dicimus II. Personam Christi esse Personam vere, & proprie compositam.

I. Probatur ex Conciliis. Concilium Constantinopolitanum II. generale V. act. 8. c. 4. loquitur de Nestorianis: *Sed non confitentur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali, secundum compositionem, sive secundum subsistentiam, factam esse, sicut sancti Patres docuerunt; & ideo unam ejus subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Jesus Christus, unus de sancta Trinitate.* Post quæ Nestorii, & Eutychetis, hæreses denuo confodiens, inquit: *Sancta Dei Ecclesia utriusque perfidiæ impietatem rejiciens, unitionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur*. Concilium Lateranense sub Martino I. can. 8. damnat *qui non confitetur proprie, & vere secundum compositionem, idest secundum subsistentiam naturarum unitionem, ex quibus unus, & solus extitit Christus*. Concilium Constantinopolitanum III. generale VI. act. 2. *Unam ejus subsistentiam compositam dicimus*.

II. Probatur ex Patribus. Augustinus in Enchiridio c. 35. *Cum enim esset unicus Dei Filius non gratia, sed natura; ut esset etiam plenus gratia, factus est & hominis Filius; idemque ipse utrumque ex utroque unus Christus*, Damascenus lib. 3. de fide c. 4. *In Domino duas quidem naturas, at unam duntaxat personam, ex utriusque compositam agnoscimus.* Auctor libri de ecclesiastica hierarchia c. 3. circa finem: *Unum illud, & simplex Jesu divini Verbi nostra humanitatis assumptione ad compositum, atque visibile, sine immutatione sui, per summam clementiam processit.*

III. Probatur Rationibus. I. Ubi est unio, ibi est compositio; sed in persona Christi est unio: ergo est compositio. Major est certa, quia unio est plurium; & ubi est unum, non est unio, sed unitas. Minor ex dictis negari a Catholicis non potest. Consequentia est legitima. II. In persona Christi duæ naturæ subsistunt: ergo persona Christi est composita. Antecedens est doctrina catholica contra Nestorianos, & Eutychianos. Consequentia probatur. Ubi est pluralitas, ibi est compositio; sed duæ naturæ faciunt pluralitatem: ergo faciunt compositionem. III. In Christo natura divina, & natura humana, sunt mediate unitæ; & personalitas Verbi, & natura humana, sunt immediate unitæ: ergo ratione utriusque unionis in persona Christi est compositio vera, & realis. Probatur consequentia. Realis, & vera est unio, sive mediata, sive immediata: ergo vera, & realis est compositio. IV. In persona Christi distinguuntur realiter ab invicem & natura divina, & natura humana; & natura humana, & personalitas Verbi: ergo Christus est persona vere, & realiter composita, tum mediate, tum immediate. V. Compositum est aliud cum alio positum, & compositio est positio alterius cum altero; sed hoc est idem ac unum constans ex duobus, aut pluribus: ergo si in persona Christi est unum constans ex duobus, est compositum; atqui est hoc unum, ex probatis: ergo est compositum: ergo est compositio.

Objiciunt I. Auctoritates a nobis allatas vel intelligi debent in sensu improprio, vel indigent aliquo additamento; sed utroque modo pro nostra Conclusione non faciunt: ergo frustra afferuntur. II. Repugnat naturæ divinæ, & personalitati Verbi, ratio partis componentis: ergo repugnat Christo ratio compositi. Probatur antecedens. Repugnat ratio incompleti: ergo repugnat ratio partis componentis. III. Persona Christi si esset composita, Christus esset perfectior natura divina seorsim sumpta; sed hoc est absurdum: ergo & illud. Probatur major. Compositum quodlibet perfectius est rebus, ex quibus constat: ergo Christus, si esset compositus, esset perfectior natura divina, ex qua constaret. IV. Componentia, quotcumque se habeant, sive per modum partis, sive per modum numeri, semper præcedunt compositum, quod resultat ex illis; sed natura divina in Christo non præcedit personam Christi, quia sunt unum, & idem: ergo in persona Christi non est compositio. V. Admitti non debent hæ propositiones: Filius Dei est compositus: Verbum divinum est persona composita: ergo nec debet admitti hæc altera: Persona Christi est composita. VI. Quicquid in Deo est, simplex est; sed persona Christi est persona divina: ergo simplex est; atqui quod est simplex, non potest esse compositum: ergo persona Christi non est composita. VII. Dicendo Personam Christi esse compositam ex deitate, & humanitate, potest etiam dici, quod duæ naturæ, divinitas, & humanitas, sunt unus Christus; sed hæc propositio fuit damnata in Concilio Constantiensi sess. 15. inter alias Joannis Hus: ergo nec illa, ex qua sequitur, admittenda est. VIII. Ex natura divina, & natura humana, in Christo non fit quid unum: ergo non fit compositum. Antecedens est certum; aliter incideremus in hæresim Eutychetis. Consequentia probatur. Compositio ex suo conceptu importat unionem: ergo si ex natura divina, & natura humana, in Christo non fit quid unum, non fit compositum.

Respondemus ad I. cum Cacherano, quod Concilia, & Patres intelligi debent in sensu absoluto, proprio, & rigoroso, quando loquuntur in materia fidei explicando contra Hæreticos alicujus mysterii veritatem. Et ratio est, quia aliter Hæretici possent facile eludere omnes definitiones Conciliorum, & auctoritates Patrum, vel apponendo eis aliquod additamentum, vel dicendo quod loquuti sunt improprie, & lato modo. Concilia autem, & Patres, in re nostra loquentes, loquuntur in materia fidei, explicando mysterii Incarnationis veritatem contra Nestorianos, & Eutychianos: ergo intelligendi sunt in sensu absoluto, proprio, & rigoroso.

Ad

Digitized by Google

Ad II. Idem Cajetanus negat, in ratione partis consistere veram & propriam rationem componentis; negat item, omne compositum esse vere, ac proprie totum, quatenus hoc sumitur stricte, & per respectum ad partes; negat denique, quod omne componens ad compositum se habeat ut incluſum ad includens, & verificari id solum, quando componens est pars, aut saltem quid finitum. Post quæ concludit, quod respectu componentis simpliciter infiniti sicut compositum non est quid majus, nisi extensive, ita non se habet ut includens, nisi extensive. Unde ex his habemus, quod natura divina, & personalitas Verbi, possunt habere rationem componentis, absque eo quod habeant rationem partis; insuper personam Christi esse vere compositam, sed non per hoc debere dici totum; denique, naturam divinam, & personalitatem Verbi posse habere rationem includentis, sed tantum extensive.

Ad III. negatur, quod natura divina in Christo se habeat per modum partis, quia pars dicit imperfectionem; sed se habet per modum numeri. Unde Augustinus lib. 3. contra Maximinum c. 11. *Christus una persona est gemina substantiæ, quia & Deus, & homo est; nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest.* Igitur natura divina, & humana, in Christo se habent per modum rerum, quæ constituentes numerum, in una persona conjunguntur. Patres qui vocant eas partes, intelliguntur de partibus per modum numeri.

Ad IV. dicitur, quod Persona Christi non dicit Personam Verbi, prout in se sumitur tantum, sed dicit ulterius Personam Verbi, prout terminat naturam humanam. Persona Verbi prout terminat naturam humanam est posterior Persona Verbi; sumpta in se, & absolute, seu cum ordine ad naturam divinam, non vero ad naturam humanam: unde non mirum, si natura divina præcedit Personam Verbi prout terminat naturam humanam, non vero prout in se, & absolute, & cum ordine ad ipsam naturam divinam Persona Verbi consideratur.

Ad V. assignatur disparitas in propositionibus illis; quæ quidem est, quia in duabus illis propositionibus, Filius Dei, & Verbum divinum, supponunt pro persona, quæ terminat unam tantum naturam, hoc est divinam. At in altera propositione: Persona Christi est composita: subjectum, hoc est, Persona Christi, supponit pro persona, quæ terminat utramque naturam, divinam, & humanam.

Ad VI. utique Persona divina, si sumatur in se, non est composita, sed simplex; at si sumatur in se, & in ordine ad humanitatem, non est simplex, sed composita; quia hoc posteriori modo accepta conjungit duas naturas, cum quarum una identificatur, & cum altera unitur.

Ad VII. aliqui dicunt, quod propositio illa fuerit damnata, non in sensu obvio, & quem verba præseferunt, sed in sensu ab illius auctore, hoc est Joanne Hus, intento. Et revera Hus contendebat, propositionem illam esse veram in sensu diviso; scilicet, divinitatem seorsim sumptam, humanitatem seorsim sumptam, esse unum Christum. Quod quidem hæreticum est; quia Christus dicit utramque naturam in Persona Verbi conjunctam. Et quod hæc esset mens Hus, evincunt, quia Hus erat discipulus Vicleſi; Vicleſus autem illam eandem propositionem in sensu diviso admittebat; ut testatur Thomas Valdensis lib. 2. c. 42. Alii respondent cum Silvio apud Jueninum, negando majorem; & ratio apud eundem Jueninum est, quia vox, Christus, plus dicit, quam natura divina, & humana; dicit enim personam Verbi, de qua prædicari non possunt abstracta humanitatis, sed concreta. Si opponantur verba Augustini in Enchiridio c. 38. *Utraque substantia, divina, & humana, Filius est unicus*: dicunt, quod vel intelliguntur in sensu causali, quatenus natura divina, & humana, sunt causæ intrinsecæ Christi, quia sunt res, ex quibus Christus intrinsece constat; vel quod intelliguntur de natura divina, & humana in concreto, scilicet prout unitis cum Verbo, non vero in abstracto, prout intellectis sine unione cum persona Verbi. Et ita etiam intelligi volunt hæc alia Augustini verba tract. 78. in Joann. *Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, qua æqualis est Patri; humanam, qua major est Pater; utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus.*

Ad VIII. Ad rationem compositi sufficit unitum, non requiritur unum; & si volunt requiri unum, dicitur sufficere, quod sit unum unitate compositionis, non vero unum unitate identitatis. Unio autem importat quidem unitatem compositionis, sed non requirit unitatem identitatis, at illam excludit; quia qua unio est dicit plura, non unum, ut dictum est superius.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CLXXVI.

De Hæresi Ubiquetariorum, seu Ubiquistarum, ex mala intelligentia Communicationis Idiomatum exorta. Qui fuerint primi amplectentes illam, & qui modo amplectantur? Et de Auctoritatibus, ac Rationibus, quibus est profliganda.

IN præterita Dissertatione diximus, ex male intellecta Idiomatum communicatione proveniſſe Lutheranorum errorem, quo dicebant, illam conſistere, quod attributa unius naturæ in Chriſto communicentur alteri naturæ, non ſolum conſideratæ in concreto, ſed etiam in abſtracto. Unde per ipſos veræ erant propoſitiones, non ſolum quæ dicunt formam, & ſubjectum ſimul: Chriſtus eſt omnipotens, Chriſtus eſt æternus, Chriſtus eſt immenſus: ſed etiam illæ, quæ dicunt formam a ſubjecto abſtractam: Humanitas Chriſti eſt omnipotens, eſt æterna, eſt immenſa. Et ratione immenſitatis deinde dixerunt, quod etiam humanitas Chriſti eſſet ubique, quia Chriſtus eſt ubique, ratione immenſitatis, quæ quum ſit attributum divinum, communicatur etiam, ſicut cætera communicantur, humanitati: Et ob hoc Lutherani, qui hoc ſentiebant dicti fuerunt Ubiquetarii, & Ubiquiſtæ; quia volunt, Chriſtum ut hominem, ſeu humanitatem Chriſti, eſſe ubique. Diximus quoque, Catholicos contra docere, attributa unius naturæ in Chriſto non communicari alteri conſideratæ in abſtracto, nimirum ſine ſuppoſito, aut ſine perſona, in qua ſubſiſtit; & propterea ſuſtinent, de humanitate in abſtracto conſiderata non poſſe prædicari immenſitatem; ac per conſequens, Chriſti humanitatem non eſſe ubique.

Joannes Brentius dicitur, qui huic errori primum dederit ortum. Is patria Sueuus, primum Sacerdos, ac Canonicus Vvirtembergenſis, poſtmodum apoſtata, & uxoratus, ſub Luthero Magiſtro tantum profecit, ut Magiſtri erroribus alios quoque adjecerit. Inter alios dixit, corpus Chriſti ex vi unionis perſonalis eſſe ubique; adeoque eſſe etiam in pane ante conſecrationem; & verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum:* eſſe verba diſpenſationis, quæ ſignificent diſpenſationem, ſeu diſtributionem corporis, & ſanguinis Chriſti jam ante præſentis. Teſtatur Natalis Alexander, Brentium errorem hunc primo docuiſſe in Colloquio de Cœna Domini cum Joanne a Laſco, Vvirtembergæ habito ann. 1556., ac inſuper propugnaſſe in libro de perſonali unione duarum naturarum in Chriſto, & Aſcenſu Chriſti in Cœlum, & Seſſione ejus ad dexteram Patris: Et in Reſponſione ad Libellum Bullingeri, cui titulus eſt, Tractatio verborum Domini; in domo Patris mei &c. Et in libro de majeſtate Domini noſtri Jeſu Chriſti contra Martirem, & Bullingerum: Et in Recognitione propheticæ, & apoſtolicæ doctrinæ de vera majeſtate Domini noſtri Jeſu Chriſti, contra librum Bullingeri, habentem titulum: Fundamentum &c. Hoſpinianus in Hiſtoria Sacramentaria p. 2. de hoc Brentii errore ſic loquitur: *Corpus Chriſti ex vi unionis perſonalis eſſe ubique; adeoque & in pane ante conſecrationem: & verba Chriſti: Hoc eſt corpus meum; eſſe verba diſpenſationis, ſignificantia diſtributionem corporis, & ſanguinis jam ante præſentis.*

Martinus Kemnitius poſt Brentium dicitur a Sandero hæreſ. 205. primus, qui hanc hæreſim amplexus fuerit. Fuerunt etiam Succenturiati, qui, teſte Natali Alexandro, Brentio acceſſerunt; quemadmodum Jacobus Schmidelinus, Nicolaus Selneccerus, aliique. Verum hæc eſt differentia inter Brentium, Ubiquetariorum antefignanum, & Ubiquetarios diſcipulos, atque ſequaces, ex Dominico Bernini, qui eam hauſit ex probatis Auctoribus,

Digitized by Google

bus, Resctio de Sectis, verb. Ubiquistæ; Florimo Remundo lib. 2. c. 14., & aliis. Brentius nesciens, vel nolens, aut intelligere, aut credere, ineffabile transubstantiationis modum; & ex una parte non volens illam admittere, & ex altera nec volens realitatem corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento negare, hunc novum modum præsentiæ invenit, qua Christi corpus post suam in cœlum Ascensionem, ubique esset. Ubiquetarii vero postmodum ipsius impium dogma ampliarunt, asserentes, non solum post Ascensionem, quod dixerat Brentius, sed ab Incarnatione ipsa, Christi corpus fuisse ubique, sicut ubique Divinitas erat: *Itaut Christi corpus per unionem ad Verbum semper re ipsa, & de facto sit ubique, nec possit redigi ad unum locum, non magis quam Divinitas*; referuntur hæc verba a Bernino. Hic idem Scriptor asserit, hanc latuitatem fuisse & a Lutheranis, & a Catholicis rejectam; & confutat pariter Zuinglium, eundem errorem Catholicis tribuentem. Re vera ex Lutheranis quamplures Brentio adhæserunt, præsertim transubstantiationem negantes, & corporis Christi realem in Sacramento præsentiam admittentes. At quia fortassis aliqui ex illis hunc novum errandi modum non probarunt, de his intelligendum putamus Berninum. Zuinglius deinde erat turpiter in illo, quod per invidiam Catholicis tribuit. Catholici enim neutiquam asserunt, Christi corpus esse ubique, sed pluribus in locis, at non omnibus, & ubique; similiter non dicunt esse pluribus in locis, in quibus consecratio peragitur, & esse ex sui natura, sicuti est divinitas; sed esse sacramentatum propter rationes varias, quas Scriptores nostri adducunt, & præcipue Bellarminus lib. 3. de Christo; quas hic referre, alienum a nostro instituto putamus; referemus tamen suo loco, quando de Eucharistiæ Sacramento erit agendum.

Alii postmodum fuerunt Hæretici, qui Ubiquetariorum insaniam amplexi sunt, quos pariter in præcedenti Dissertatione enumeravimus. Et viget etiamnum inter Sectarios hæc hæresis, ut Scriptores passim asserunt. His positis sic illam impugnamus.

I. Ex Scripturis: Joann. 11. *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.* Joann. 6. *Cum vidisset turba, quia Jesus non esset ibi.* Matth. ult. *Non est hic, sed surrexit.* Ad hæc Ubiquetarii respondent; Christum non fuisse ubique localiter, sed fuisse divino modo. Verum Bellarminus sic illos impugnat. In cœna corpus Christi neque est localiter, & tamen revera ibi est; & nemo ex Lutheranis absolute dicere auderet: Corpus Christi non est hic, idest in Cœna. Ulterius; Deus non est in mundo localiter; & nihilominus non toleraretur qui diceret; Deus non est in cœlo, nec in terra. Eodem igitur modo, prosequitur Bellarminus, si Christi humanitas vere est ubique, quocunque modo ibi sit, falsum erit absolute quod Scripturæ dicunt: *Non est hic; non eram ibi.* Respondent quoque, præfatis Scripturæ locis significari, Christi humanitatem non esse ibi, vel hic modo sensibili. Sed confutat illos Jueninus; quia quando substantia est alicubi modo aliquo reali, sive modus ille sit sensibilis, sive sit insensibilis, non potest dici absolute, & sine explicatione, quod in eo loco non sit. Unde nemo potest dicere, quod Christus non sit in Eucharistia, quod Deus non sit in mundo, quanvis Christus in Eucharistia, & Deus in mundo, non sit vel locali, vel sensibili, vel corporeo, modo. Ulterius Scripturæ tribuunt Deo immensitatem tanquam characterem, quo distinguatur a creaturis. Jerem. 23. *Cœlum, & terram ego impleo.* Psal. 138. *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades*; & sequentibus. Ex quibus Patres, & præcipue Augustinus lib. 3. cont. Maximinum c. 21. probant, Spiritum Sanctum esse Deum, quia Scripturæ testantur, Spiritum Sanctum esse ubique. Nec dicant Ubiquetarii, quod Deo sit propria immensitas tantum essentialis, non autem participata, qualis est illa humanitatis Christi, quam consequitur, & participat ex unione cum Verbo. Etenim immensitas hæc participata si dari posset, male Scripturæ discernerent Deum a creaturis per immensitatem, non explicando, cujusmodi sit illa immensitas; & multo fortius dicimus, quod admissa hac Adversariorum responsione corrueret argumentum Catholicorum contra Arianos, & Macedonianos, quo probant, Filium, & Spiritum Sanctum, esse Deum, quia sunt immensi; quia possent Ariani, & Macedoniani, respondere, esse immensos immensitate participata, & non essentiali, quali solus Deus est immensus. Hoc autem dici nullo modo potest, nec debet: ergo vana, & futilis est distinctio hæc immensitatis

tatis in essentialem, & participiam.

II. Ex Conciliis. Concilium Nicænum I. in Symbolo fidei, comprehendit articulos de Christi conceptione, nativitate, morte, sepultura, descensu ad inferos, resurrectione, ascensione, & descensu ad judicium universale; qui quidem omnes supponunt, Christi humanitatem fuisse tantum aliquando in Virginis utero, in spesu Bethleem, in Calvariæ monte, in sepultura, in Sanctorum Patrum limbo, & in aliis locis. Concilium Constantinopolitanum I. in eodem Symbolo auctius edito, eadem docet, ac Ecclesia proponit. Concilium Chalcedonense action. 5. *Nusquam sublata essentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ . . . . sicut ante Prophetæ dicebant, & ipse nos Jesus Christus audivit, & Patrum nobis Symbolum tradidit.* Concilium Hispalense II. c. 13. *Caro enim habuit vagitus infantiæ, non divinitas; caro est pannis involuta, non deitas; caro habuit alimenta, caro portavit ætatum commercia. Nam & quod fatigatus est, quod esuriit, quod dormivit, quod flevit, quod passioni proximus tristis fuit, quod postremo ipsam passionem, & mortis conditionem sustinuit, totum hoc ad infirmitatem pertinet humanitatis, non ad incomprehensibilem substantiam Deitatis.*

III. ex Patribus. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 14. in fine: *Non enim, quia nunc non adest in carne, ex eo putes, quod spiritu medio hic non adsit, audiens quæ de illo dicuntur, & videns quæ tu cogitas, & scrutans renes, & corda.* Chrysostomus in illud Joann. 3. *Filius hominis, qui est in cœlo*: inquit: *Non carnem, sed a minori substantia totum seipsum denominat.* Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Joann. c. 21. *Quare cum Deus, & homo, Christus vere sit, oportuit* (de Apostolis loquitur) *intelligere, ineffabili Dei potestate una cum eis semper futurum, etiam si carne abesset.* Ambrosius lib. 2. de fide c. 4. *Neque enim Deus de loco ad locum transit, qui ubique semper est: ut homo, est qui vadit, ipse qui venit; denique & alibi dicit: Surgite, eamus. In eo ergo vadit, & venit, quod est communis nobiscum.* Ruffinus in Symbolo: *Ascendit ergo ad Cœlos, non ubi Verbum Deus ante non fuerat, quippe qui erat semper in cœlis; sed ubi Verbum caro factum antea non fuerat.* Augustinus tract. 78. in Joann. *Sed a quibus homo abscedebat, Deus non derelinquebat, & idem ipse Christus, homo, & Deus. Ergo & ibat, per id, quod homo erat; & manebat, per id, quod Deus erat. Ibat per id, quod unus esse erat; manebat, per id, quod ubique erat.* Ep. 57. ad Dardanum: *Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus: Nam & de nobis venatissima Scriptura dicit, quod in illo vivimus, movemur, & sumus; nec tamen, sicut ille, ubique sumus; sed aliter homo ille in Deo, quoniam & aliter Deus ille in homine, proprio quodam, ac singulari modo. Una enim persona Deus, & homo est, & utrumque unus Christus Jesus, ubique per id, quod Deus est, in cœlo autem per id, quod homo.* S. Leo magnus ser. 2. de Ascensione: *Ineffabili modo cepit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior.* S. Gregorius magnus hom. 29. quæ est de ascensione: *Illo revertebatur, ubi erat; & inde redibat, ubi non manebat; quia cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per divinitatem suam & terram pariter continebat, & cœlum.* Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum c. 17. *Unus idemque secundum humanam substantiam absens cœlo cum esset in terra, & derelinquens terram cum ascendisset in cœlum, secundum divinam vero immensamque substantiam, nec cœlum dimittens, cum de cœlo descendit, nec terram deserens, cum ad cœlum ascendit.*

IV. Rationibus. I. Brentius invenit ubiquitatem pro stabiliendo Sacramentum Eucharistiæ modo suo; sed ubiquitas opponitur Sacramento Eucharistiæ etiam modo suo: ergo ubiquitas est vana, & insulta. Probatur minor. Tunc opponeretur ubiquitas Sacramento Eucharistiæ, quando ipsa posita, Eucharistia evanesceret; sed ubiquitate posita, Eucharistia evanescit: ergo &c. Probatur minor. Tunc evanesceret Eucharistia, quando ipsa nullo modo indigeremus; sed ubiquitate posita, Eucharistia non indigemus: ergo &c. Probatur minor. Posita ubiquitate, frustra accipimus panem consecratum, vel benedictum; frustra pergimus ad templa, in quibus Eucharistia ministratur; quia semper, & in quocunque pane, etiam non benedicto, & consecrato, & non tantum in templis, verum quoque domi, Christi præsentiam, quam Brentius per ubiquitatem intendit, habemus. II. Posita ubiquitate Brentii Eucharistiæ Sacramentum reducitur ad hæresim Calvini; sed hoc nec Brentio placet: ergo &c. Probatur major. Hæresis Calvini in eo stat, quod in Sacramento Eucharistiæ non sit realis præsentia Christi, & sacramentalis virtute verborum; sed

hoc

Digitized by Google

hoc non solum non pugnat cum ubiquitate, sed maxime cum illa compatitur: ergo posita ubiquitate Brentii Eucharistiæ Sacramentum reducitur ad hæresim Calvini. Probatur minor. Brentius solum ponit præsentiam realem Christi ratione ubiquitatis: ergo non ponit præsentiam realem sacramentalem virtute verborum, quam negat Calvinus, & fatentur Catholici; ergo hanc negat: ergo quod negat Calvinus de reali præsentia Christi in Eucharistia, non solum non pugnat cum ubiquitate, sed maxime cum illa compatitur. III. Non est major ratio, quare humanitati Christi communicetur immensitas, & non communicetur æternitas; sed non communicatur æternitas etiam per Adversarios: ergo neque communicatur immensitas. Neque dicant, ideo non communicari æternitatem, quia illius humanitas erat incapax; contra vero, humanitas incapax non erat immensitatis. Ne dicant hoc; tum quia incapacitas ideo est, quia tempore facta fuit humanitas, atqui poterat ab æterno creari; tum etiam, quia humanitas ex propria natura est adhuc immensitatis incapax; quum ex propria natura sit alligata loco, sit finita, &c. IV. Quando Judæi Christum Hierosolymis crucifigebant, Christus ratione ubiquitatis etiam Romæ, Parisiis, Athenis, crucifigebatur; ut Adversarii fatentur. Hoc posito, vel Christus Romæ crucifigebatur ab iisdem Judæis, qui Hierosolymis ejus erant tortores, vel ab aliis? Si ab iisdem; non solum Christus, verum quoque Judæi, ubiquitatis privilegio gaudebant. Si ab aliis; ergo præter Judæos; alii quoque fuerunt in mundo Christi tortores; quod nemo hucusque dixit. Neque dicant, illud idem, quod Hierosolymis fiebat, factum fuisse alibi, sed cum hac differentia, quod Hierosolymis fiebat visibiliter, alibi vero invisibiliter: Etenim ex hoc sequeretur primo, quod etiam fiebat in cœlo, & coram Angelis; etiam in inferno, & coram Dæmonibus; secundo, redit argumentum, inquirendo, quinam erant tortores illi invisibiles? Tertio, cur devastatio in solam Judæam ob immane facinus, & non in totam terram, comminata, & exequuta?

Arguunt I. Matth. 26., Actor. 2., Ad Ephes. 1. Christus ut homo, seu humanitas Christi, exaltatur ad dexteram Dei; sed dextera Dei est ubique: ergo Christus ut homo, seu haminitas Christi, est ubique. Probatur minor. Dextera Dei non intelligitur corporaliter: ergo non intelligitur ut certo loco definita: ergo est ubique. II. Omnipotentia data est Christo ut homini: ergo immensitas pariter data est Christo ut homini. Antecedens probatur. Matth. ult. ipsemet Christus asserit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*. Consequentia sequitur; quum non sit major ratio de una, quam de altera. III. Si Christus ut homo non est in uno tantum loco, est ubique; sed non est in uno tantum loco: ergo est ubique. Probatur minor. Matth. 28. Christus dixit, se futurum nobiscum *usque ad consummationem seculi*: Et ad Ephes. 4. Apostolus scripsit: *Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia*. IV. Quando unum est alteri unitum nexu inseparabili, ubi est unum, ibi est alterum; sed Verbum est unitum humanitati inseparabili nexu: ergo ubi est Verbum, ibi est humanitas; atqui Verbum est ubique: ergo humanitas est ubique. V. Christus est ubique; est verissima propositio: ergo humanitas Christi est ubique; non est falsa propositio. Probatur Consequentia. Non intelligitur Christus sine humanitate, nec accipitur humanitas alterius, sed Christi: ergo si Christus est ubique, ubique etiam est humanitas Christi. VI. Kemnitius, ut Patrum testimonia eludat, illos, asserit, loquutos fuisse contra Manichæos, & Eutychianos, qui volebant humanitatem Christi fuisse factam immensam, seu conversam in immensam, & in localem, ex confusione, & conversione naturarum. VII. Asserit ulterius, Patres velle, quod Christi humanitas non sit ubique secundum naturales suas proprietates; quod quidem est a sua conclusione diversum. VIII. Ad Coloss. 2. *In Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Adduc: *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*; sed non esset communicata omnis plenitudo, nec essent omnes thesauri, si non esset humanitati participata immensitas: ergo &c. IX. Quæ sunt indivisa, sunt semper in eodem loco; sed natura divina, & humana in Christo sunt indivisæ: ergo sunt semper in eodem loco; atqui divina est ubique: ergo pariter humana. Minor probatur ex Concilio Chalcedonensi act. 5. ex Concilio Constantinopolitano VI. act. 17., ex Leone magno ep. 83. Monach. Palæst., ubi habetur, quod Incarnatio sit facta ex duabus naturis indivisis inseperabiliter,

ter, & inconfuse. X. Chrysostomus hom. 17. in ep. ad Heb. de Christo ait: *Quid dicis, nisi intraverit in cœlum non apparebit, qui ubique est, & omnia replet?* Cyrillus ep. 1. ad Successum: *Dei, ut dixi, proprium corpus existens, omnia humana transcendit*. Hieronymus in lib. cont. Vigilantium dicit, agnum Dei, hoc est Christum, esse ubique. Denique Scholasticorum Coriphæos opponit Brentius, Magistrum, S. Thomam, S. Bonaventuram, hoc ipsum de Christi humanitatis ubiquitate docuisse.

Respondemus ad I. Patres communiter exponunt, dexteram in loco illo metaphorice accipi; nimirum pro honoris, dignitatis, ac potestatis, æqualitate; ad quam fuit sublimatus Christus ut homo, sed ratione suppositi, non vero ratione humanitatis. Sensus igitur est, Christum gaudere eodem honore, eadem dignitate, eadem potestate, quibus fruitur Pater; & hoc ex eo quia ratione suppositi non minus sit Deus, quam ipse Pater. Quod confirmatur ex illo Psal. 100. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*; quæ verba usurpantur in eo sensu, in quo nos loquimur, & a Christo Matth. 22., & ab Apostolo ad Hebr. 11.

Ad II. Scholastice respondendo, negatur suppositum; supponit enim, potestatem, de qua Matth. ult. fit sermo, esse omnipotentiam; quum non sit aliud, quam potestas, quæ tradita est Christo, tanquam capiti Ecclesiæ, a Patre in res omnes creatas; quam quidem potest absque dubio exercere, etsi ubique non reperiatur, & omnipotens ut homo non sit.

Ad III. Christus est, & erit nobiscum usque ad consummationem seculi, virtute, & auxilio, non autem præsentia, quæ corpori conveniat. Insuper Christus implevit omnia, vel quia ascensio ejus in cœlum fuit oraculorum omnium, quæ Prophetæ fecerant, complementum; vel quia replevit omnia loca, sed successive, quatenus Christus in terris suam potestatem miraculis probavit, & cœlum ascendit, ut illud sua gloria, & majestate, impleret.

Ad IV. distinguitur major: Quando unum est alteri unitum nexu inseparabili, ubi est unum, ibi est alterum; si sit unitum adæquate, & totaliter, conceditur; si inadæquate tantum, & non totaliter, negatur major. Igitur Verbum est unitum humanitati non adæquate, & totaliter, sed inadæquate, & non totaliter; & proinde non est humanitas, ubicumque est Verbum. Exemplum afferunt de pede, vel de manu, cui anima rationalis unita est; & tamen non est pes, neque manus, in aliis corporis partibus, in quibus anima est.

Ad V. Assignatur disparitas, quæ est, quia subjectum propositionis hujus: Christus est ubique: supponit pro duabus naturis; & proinde prædicatum ubique verificatur de Christo, prout habet naturam divinam. Attamen subjectum alterius propositionis. Humanitas est ubique; pro sola humana natura supponit, cui repugnat esse ubique, & proinde non verificatur.

Ad VI. Verum est, quod Patres intendunt refellere Eutychianos; sed ut illos refellant, hoc argumento utuntur: Christi caro non est ubique, sicuti est divinitas: ergo non sunt confusæ naturæ illæ, nec una conversa est in aliam, sed sunt necessario distinctæ. Hoc argumentum inutile reddunt Ubiquetarii, quia illud suo fundamento destituunt; quum asserant, Christi carnem esse ubique. Favent ergo Ubiquetarii Eutychianis, ac Patribus repugnant; a quibus proinde optima ratione confutantur.

Ad VII. negatur quod a Kemnitio gratis asseritur; Patres nimirum disputare tantum de proprietatibus naturalibus carnis. Immo potius simpliciter, & absque hæsitatione, negant, Christi humanitatem esse ubique. Augustinus præ cæteris in ep. ad Dardanum tractat ex professo de omni eo, quod convenit carni, non ex se, sed ex unione cum Verbo; & constanter asserit, quod etsi Verbum sit ubique, non per hoc tamen caro unita Verbo est ubique; quum unum ex altero non sequatur.

Ad VIII. Non dixit Apostolus, quod humanitati Christi communicata fuerit divinitatis plenitudo, & thesauri sapientiæ pariter communicati; sed dixit, divinitatem inhabitare, & thesauros latere scientiæ, in Christi humanitate. Hæc autem duo sunt inter se valde diversa; nam primum importat, Christi humanitatem esse Deum, quod est falsum; alterum vero dicit, in Christi humanitate habitare Divinitatem corporaliter, scilicet non umbratice, ut in Angelis, & Prophetis, sed vere; itaut ille homo vere fuerit Deus; & illa humanitas vere fuerit Dei humanitas.

Ad IX. dicit Bellarminus, quod unio inse-

para-

Digitized by Google

parabilis, & indistans, non requirit, ut unum sit ubicumque est aliud, sed tantum ut alicubi sint simul; nam si nusquam simul essent, tunc vere inter se distarent. Hæc Bellarminus; quæ confirmat exemplo Solis; dicens, quod Sol est unitus inseparabiliter, & indistanter, suo orbi; & tamen orbis solis totum orbem inferiorem ambit, & est simul in occidente, & oriente, quod solis globo non convenit. Igitur salvatur loquutio Conciliorum, & Patrum, per hoc, quod duæ naturæ nunquam separentur, nunquam dividantur; quum in eo loco, in quo sunt unitæ, semper sint unitæ, unde non est necessitas, ut ubique etiam utraque existat; quia quum una ubique est, ab altera non separatur; & si separatur; igitur non est ubique.

Ad X. Chrysostomus ad allata verba addit: *Intueris, quia carnis sunt hæc omnia?* Igitur S. Doctor primis verbis docuit, Christum ut Deum esse ubique; secundum carnem vero debuisse intrare in cœlum; quia secundum carnem in cœlo non erat ante ascensionem in cœlum. Cyrillus docet, quod corpus dominicum sit dignius omnibus humanis; sed ex hoc inferri non potest, quod sit ubique. Quod autem Cyrillus intendat quod dicimus, Bellarminus ex præcedentibus, & ex sequentibus verbis recte colligit. Hieronymus intelligitur, quod Christus successive possit esse ubique, non simul. En sua verba: *Si agnus ubique: ergo & hi, qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt.* Sancti autem non sunt ubique simul, sed successive: ergo pariter agnus. Demum Scholastici vel loquuntur de esse definitive in loco, prout distinguitur ab esse in loco circumscriptive; vel intelliguntur de modo loquendi, & denominandi, non de modo essendi; vel discrepant, non de re ipsa, sed de modo tantum. Cæterum S. Thomas 3. p. q. 52. ar. 3. in corp. dicit, in triduo mortis animam Christi fuisse in inferno, corpus in sepulcro, deitatem ubique. S. Bonaventura in 3. dist. 22. q. 2., clarissime docet, nullam esse quæstionem, quod Christus non sit ubique, ut homo, & quæstionem tantum esse de modo.

DISSERTATIO CLXXVII.

De Divinitate Christi contra Gentiles, contra Mahumetanos, contra Judæos, contra Heterodoxos, auctoritatibus, & rationibus, propugnata.

CONTRA Christi Domini divinitatem primo pugnarunt Gentiles, & pugnant qui modo sunt Pagani; secundo Mahumetani, omnesque alcoranicam superstitionem profitentes; tertio Judæi, quorum in Dominum Jesum inextinguibile est odium; quarto Hæretici, sive priorum seculorum, Ebion, Cerinthus, Paulus Samosatenus, Photinus, Apollinaris &c.; sive nostrorum temporum, Sociniani cum aliis. Verbi divinitatem suo loco propugnavimus; ibidemque animadvertimus, aliud esse probare divinitatem Verbi, aliud probare divinitatem Christi; illud explevimus ibi; hoc aliud spopondimus hoc in loco nos expleturos fore. Quod ibi promisimus, hic observamus. Et quia contra Gentiles, & Mahumetanos, idem est agendi, ac procedendi modus; ideo contra utrosque una Conclusione procedemus; altera deinde contra Judæos, & tertia demum contra Heterodoxos, quos ibidem exactius enumerabimus.

Dicimus I. Christum esse verum Deum, probari posse contra Gentiles, & Mahumetanos.

I. Probatur. Christum in rerum natura fuisse, vel Adversarii nostri concedunt, vel negant? Si negant; tot sibi hostes congerunt, quot Scriptores, sive pagani, sive Judæi, sive Christiani, post Christi ævum fuerunt; omnes enim, vel quasi omnes, de Christo loquuti sunt. Si concedunt; vel ejus mirabilia, admittunt, vel inficiantur. Mahumetani non inficiantur; Gentiles si negant, adversarios

Digitized by Google

etiam habent ex Judæis, ex Gentilibus, unum aut alterum, & ex Christianis omnes. Si admittunt; opus est ut concedant, Christum fuisse Deum; non enim mirabilia illa operari quis poterat, nisi Deus. Si dicant, etiam Sanctos viros operatos fuisse mirabilia, quorum tamen nemo fuit Deus; etiam Magos eadem perpetrasse, qui Dii non fuerunt; sic ita dicentes refellimus. Non potuit esse Christus, qui per magiam mirabilia operaretur; siquidem Dæmones non adhibebat, sed persequebatur. Non operatur Dæmonum ope, qui Dæmonum destruit regnum. Si Christi mirabilia recensentur, nullum illorum invenietur fuisse pro Diabolo, sed omnia contra illum. Verum est Sanctos Viros operatos fuisse mirabilia, sed nemo illorum dixit, se illa operari ut talem hominem, sed Deum in illo operari; Christus autem dicebat, se illa operari uti Deum, & virtute, quam ut Deus habebat: ergo vel illa falso operabatur, vel uti vere Deus operabatur.

II. Probatur. Si Christus non fuisset Deus, Religio ab ipso instituta non potuisset habere felicem illum progressum, quem habuit, nec gloriosum statum, quem modo habet. Quod quidem sic probatur. Media adhibita ad illam propagandam, si humanæ prudentiæ regulis considerentur, fuerunt prorsus ad finem obtinendum extranea, immo contraria; & nihilominus finis obtentus est. Pauperculi piscatores ad illam disseminandam electi, non sapientes viri, non fortes, non divites, non potentes. Præcepta, quæ continebat, humanæ concupiscentiæ contraria. Mysteria, quæ docebat, naturali rationi apparebant non conformia. In ejus propagatores undique supplicia, undique clades, undique mortes. Et his nihilominus minime obstantibus religio illa, tam sæve a Principibus infectata, tam implacabiliter a Populis odio habita; religio illa, quam sensus execrabatur, quam ratio humana non excipiebat; religio illa, quam dignitatum privitatio, divitiarum amissio, propriæ vitæ dispendium, omnino fugiendam persuadebant; postmodum temporum successu eo devenit, ut populos sibi devinciret, Philosophos traheret, potentes deprimeret, divites conculcaret, ac de Regibus triumpharet. Modo, mirabile quidem dictu! In illo eodem solio Romæ regnat, a quo fuit per tot secula persecutionum rabie expulsa; illis iisdem Principibus adorabilis redditur, a quibus fuit per tot tempora in suis professoribus mulctata; ab iisdem illis populis colitur, a quibus tot, tantisque injuriarum exemplis despecta fuit. Si Deus non erat cum Jesu, qui ejusdem Religionis auctor fuit, quis poterat per media tot contraria, per tempora tot adversa, per exempla sic invia, felicem, triumphalemque exitum, quem habemus, expectare?

III. Probatur. Christus dixit, se esse Deum: ergo vere Deus est. Antecedens ex plurimis Scripturarum oraculis probatur, quæ in probationibus contra Heterodoxos adducemus. Consequentia probatur etiam. Quum Christus dixerit, se esse Deum, si Deus non fuisset, fuisset quidem scelestissimus omnium, qui in mundo sunt, & in mundo fuerunt, hominum; atqui hoc nec Adversarii nostri audent dicere: ergo si dixit, se esse Deum, vere est Deus. Probatur major. Nullum est tam immane facinus, quam divinitatem sibi arrogare, qui non Deus, sed purus homo est; siquidem est Deo detrahere quod Deum facit; Deus enim si unus non est, Deus non est: ergo si Christus Deus non fuisset, dicendo se esse Deum, fuisset scelestissimus omnium hominum, qui in mundo sunt, & in mundo fuerunt. Minor ejusdem argumenti probatur. Nostri Adversarii, & præcipue Mahumetani fatentur, Christum fuisse Prophetam, probum hominem, miraculorum patratorem, quanvis non dicant fuisse Deum. Ulterius ex testimonio Josephi Hebræi, quod Scriptores nostri genuinum, & non supposititicium probant, habemus, Christum non fuisse hominem improbum, nec scelestum. De Gentilibus Scriptoribus nil addimus, vel quia ad illos Christi cognitio non pervenit, vel quia futile illam historiis suis inserere judicarunt: ergo vere Adversarii nostri non audent dicere, Christum scelestissimum omnium fuisse: ergo vere fuit Deus, quum ipse, dixerit, se esse Deum.

IV. Probatur. Miracula, quæ operatus est Christus, quæ operati sunt discipuli, & sequaces Christi, vel fuerunt vera miracula, vel ficta? Si vera: ergo Christus est Deus. Ad hoc enim Christus, & ejus discipuli, & sequaces, miracula operabantur, ut ejus divinitatem comprobarent. Per vera autem miracula nequit falsitas comprobari; & impium est credere,

Digitized by Google

dere, Deum permittere miracula, quæ sint vera, & quæ proinde sint suæ veracitatis signa, & suæ omnipotentiæ characteres, ut falsum aliquod comprobetur. Si ficta: Quodnam eximius, excellentius, ac majus miraculum, quam propagatio Religionis Christi, humanæ rationi adversantis, carnali concupiscentiæ contrariæ, hominum sapientiæ difformis, sine ullo miraculo? Si igitur Adversarii miracula nostra eunt inficias, hoc ipso coguntur admittere miraculum, quod miraculorum omnium sit mirabilius. Et si miracula concedunt, effugere non possunt, ut concedant pariter, veram esse Religionem nostram, quæ est tot, tantorumque miraculorum radiis illustrata. Et si vera est Religio nostra, vere Deus est Christus, qui illam instituit, qui illam propalavit, & qui illam sanguine suo obsignavit, præcipue quum ipsemet dixerit, se Deum esse.

V. Probatur. Qui amplexi sunt Christianam Religionem, post ipsam ab Apostolis, rudibus quidem hominibus, prædicatam, non omnes rudes fuerunt, non omnes indocti, non omnes analfabeti. Exhibemus inter priorum seculorum proceres, Athanagoram, Justinum, Tertullianum, Cyprianum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Chrysostomum, Ambrosium, Hieronymum, & qui præ cunctis, in pretio est, Augustinum. Quis negabit, hos homines fuisse doctos, æque in profanis, ac sacris libris, ac insuper Philosophos expertissimos, & Theologos profundissimos, sive humanæ rationis argumenta, sive divinorum oraculorum dicta, perpendantur? Et nihilominus his omnibus compertum omnino fuit, Christum esse Deum. Veniant modo Alcoranici omnes, quorum professio est ignavia; Pagani omnes, quorum studium est nihil discere, & nihil scire; & se cum Doctoribus nostris comparent, atque experimentum faciant, quis eorum in divinitate Christi prævaleat? De Gentilibus, qui fuerunt, nihil addimus; nihil enim ipsi contra Christi divinitatem scripto reliquerunt; non argumenta, non exempla, non testimonia. Solum opponere nobis possunt sequaces eorum, eorundem incredulitatem, & obstinationem; quæ profecto argumentum est potius insciitiæ, quam doctrinæ ipsorum, quando videmus ipsis doctiores, ac sapientiores, amplexatos fuisse, quod ipsimet respuebant. Quis igitur confiteri renuat, quod confessus est Tertullianus, Origenes, Augustinus? Hi confessi sunt, Christum esse Deum: ergo & post illos hoc idem confiteri debent Gentiles, & Alcoranici.

VI. Probatur. Si Christus non est Deus, vel ideo est quia est homo; vel quia est alia persona realiter distincta a persona patris; vel quia impossibilis judicatur conjunctio illa inter naturam divinam, & humanam; vel quia alia congeruntur ab Adversariis, quæ vocant absurda, ne in Christo divinitatem agnoscamus; sed hæc omnia nulla sunt: ergo &c. Probatur minor. Nullum esse inconveniens, Christum esse Deum, & hominem, cum de Incarnationis possibilitate agebatur, dictum, atque probatum est. In natura divina dari tres personas realiter distinctas, quæ eandem omnino habeant naturam, quando de Trinitatis possibilitate tractavimus, nullum esse absurdum ostendimus. Impossibilem non esse conjunctionem illam inter naturam divinam, & humanam, pluries in præteritis Dissertationibus diximus, atque probavimus. Demum quæcumque ab Adversariis, sive Gentilibus, sive Mahumetanis, & ab eorum quoque sequacibus, si qui sunt sub christiano nomine latentes, congeruntur absurda ad Christi divinitatem evertendam, sequentibus objectionibus proponimus, & respondentibus responsionibus confutamus.

Objiciunt I. Quum Averroes, vel quis alius, Religionem Hebræorum nominasset Religionem Superstitiosorum, illam Mahumetanorum Religionem Porcorum, illam denique Christianorum appellavit Religionem impossibilium; nequit autem esse, ut Religionis impossibilium auctor sit Deus: ergo Christus, qui auctor fuit Religionis Christianorum, non fuit Deus. II. Fuerunt etiam qui Christi historiam dixerunt fabulam; unde quidam socio dicere non erubuit: Vides ne, quantum nobis profuit fabula Christi? ergo signum est, quod Christus in rerum natura non fuit: Non fuit igitur Deus, qui semper est. III. Afferuntur a nobis Sybillarum testimonia ad probandam Christi divinitatem; sed Sybillarum vaticinia suppositia sunt, & fictitia: ergo nihil probant pro Christi humanitate. IV. Affertur quoque silentium Apollinis; sed de hoc apud nostros profundum est silentium: ergo nutat quoque pro Christi divinitatem Apollinis silentium. V. Evangelistæ in rebus Christi enarrandis non conveniunt inter se:

ergo

ergo signum est, quod non pro veritate, sed pro arbitrio, scribebant: ergo nec pariter fidem merentur de illis, quæ de Christo narrant. VI. Multa vaticinia, quæ nos de Christo exponimus, Gentiles de suis Numinibus accipiebant: ergo quemadmodum illi errabant, ita & nos fallimur. VII. Christus ipse fassus est, se non esse Deum; quum enim quidam vocasset eum Magistrum bonum, ipse respondit ei, se non esse bonum, quia non erat Deus. Marc. 10. 17. *Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam genuflexo ante eum, rogabat eum: Magister bone quid faciam, ut vitam æternam percipiam? Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus.* VIII. Quid de Christo scribunt, solum Christiani sunt, non Gentiles, non Hebræi: ergo quæ de illo narrantur, quum a domesticis tantum referantur, suspecta sunt.

Respondemus ad I. dicteria non esse argumenta, potiori jure blasphemias non esse rationes; maxime quando eas evoment ora impia, & sacrilega illorum, qui nec Christum, nec Deum, corde, & opere profitentur. Etsi enim Averroes, vel alius ex eadem sua Secta, Alcoranum ore tenus sequeretur; nullam tamen habuisse religionem, vel ex eo patet, quod non solum contra Religionem Christi, & Moysis, verum quoque contra superstitionem Mahumeti sui, impiis illis verbis debacchatus fuerit. Cæterum in Concionibus nostris quadragesimalibus, ad feriam quintam post cineres, nos ostendimus, nostræ fidei mysteria vel ex eo potissimum esse vera, quia impossibilia apparent. Non enim nos pares sumus ad intelligenda, quæ Deus operatur; quod si essent hominum inventiones, utique intelligeremus. Ideo igitur nobis impossibilia apparent, quia a nobis non percipiuntur; a nobis non percipiuntur, quia Dei sunt; quia autem sunt Dei, vera sunt: ergo vera sunt vel ex eo magis, quod nobis impossibilia apparent.

Ad II. Nefanda, & sacrilega altera vox illa Atheorum est, vel Deistarum; quorum quanta, & qualis sit insania, omnes norunt. Quis enim sanæ mentis homo fabulam dicet, quam totus pene orbis sequitur, & ut verissimam historiam confitetur? Igitur pro fabula Principes coronas suas Sacerdotum pedibus projecerunt? Mille millium Martires sua capita ferro tradere non dubitarunt? Doctores, Philosophi, hujus mundi Sapientes, abjectis superstitionibus, in quibus nati erant, & educati, sua nomina Crucifixo dederunt? Et hæc fabula post mille, & septingentos annos adhuc occulta remanet tot populis, tot Sapientibus, tot Regibus, & dumtaxat paucissimis quibusdam homunculis, sine pietate, sine humanitate, sine morum honestate viventibus, est revelata? Audiat qui potest delira hæc, & non commoveatur in illos, qui spurcissima lingua, etsi in abdito, prodere non sunt veriti.

Ad III. Sybillarum vaticinia non omnia ab eruditis Criticis rejiciuntur, sed illa solum quæ interpolata, & ficta a Consarcinatoribus comperiuntur. Unde Auctores nostri recipiunt illa, quæ ab antiquis Patribus, & Scriptoribus ecclesiasticis laudantur, & eadem Christianorum figmenta non esse, defendunt; quamvis etiam velint, Sybillarum carmina, quæ libris octo continentur in Bibliotheca Patrum, non esse prorsus genuina, & incorrupta. Utrumque assertum tuetur strenue Natalis Alexander, ad quem Legentes remittuntur. Porro librorum Sybillinorum lectio ab Ethnicis Imperatoribus vetita fuit Christianis, eo quod ab illis testimonia pro Christo sumerent; quod nobis etiam argumento esse potest, non fuisse a Christianis conficta. Quod prælaudatus Alexander infert ex Lucii Domitii Aureliani Imperatoris Rescripto ad Senatum, ann. 271. *Miror vos, Patres sancti, tandiu de aperiendis libris sybillinis dubitasse, perinde quasi in Christianorum Ecclesia, & non in Templo omnium Deorum tractaretis.*

Ad IV. Refert Nicephorus lib. 1. hist. eccl. c. 17., quod Octavianus Augustus, Imperator, ad Oraculum Pithii Apollonis venit; & post oblatum sacrificium, quod erat omnium sacrificiorum maximum, Hecatombe dictum, hoc est sacrificium centum hostiarum, Oraculum interrogavit, quis post eum in Romano Imperio regnaturus esset? Nihil respondit Oraculum. Alterum obtulit sacrificium Augustus, illudque rogavit, cur filuisset? Tunc Oraculum respondit.

Me puer Hebræus, Divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub Orcum,
Aris ergo dehinc tacitus abscedite nostris.

Verum quidem est, quosdam ex nostris severioribus Criticis de hoc facto dubitasse; ea ratione motos, quod de illo nemo vete-

Digitized by Google

veterum Historicorum, non Eusebius, non Justinus, non Athanagoras, qui pro Christiana Religione Apologias Imperatoribus obtulerunt, memoriam fecerit. At nos dicimus, potuisse Augustum præcepto cavere, ne responsio illa ad Christianorum aures perveniret; & ob inde qui Apologias scripserunt, Imperatores alloquentes, siluerunt. Quod deinde quum Nicephori ævo detectum esset, & nulla esset Imperatorum prohibitio, facile fuit literis, & historiæ commendata. P. Boucat dicit, de hoc Oraculo, & de ejus responsione ad Augustum, testes nos habere vel ipsos Paganos. At qui sint, non exprimit.

Ad V. Dissensus Evangelistarum in aliquibus non essentialibus potius est argumentum pro Evangeliorum veritate, quam contra illam. Si enim Evangelistæ, antequam scriberent, inter se convenissent de eo, quod scripturi erant, in nullo prorsus dissensissent. Signum est ergo, quod inter se non convenerunt, sed Spiritu Sancto dictante scripserunt. Illa vero, in quibus dissentire videntur, a nostris etiam Scriptoribus ita conciliantur, ut nullus appareat discrepantiæ locus. Cæterum in eo, quod de Christi divinitate, miraculis, virtutibus, aliisque essentialibus narrant, omnino conveniunt. Quare ergo Adversarii ab eorum consensione argumentum non ducunt pro Christi divinitate, & ab illis ducunt, quæ contra Christi divinitatem non faciunt, sed leviora quædam respiciunt, quæ ad rem nostram non spectant?

Ad VI. P. Boucat dicit, mirabilia, quæ Gentilium Scriptores de suis Diis memorarunt, mera fuisse figmenta; idque probari a S. Justino, qui vera esse miracula Christi, & non Deorum, ostendit, & ex eo, quod oracula Prophetarum multis seculis Christum præcesserunt, quando historia Deorum Gentilium illis est posterior; & ex eo, quod Scriptores antiquissimi, veluti Moyses, scripserunt de Christo, & de ejus mirabilibus; adeoque sunt cæteris veraciores. Veritas enim mendacio antiquior est; ut ait Tertullianus.

Ad VII. Vocaverat ille Christum *Magister bone*; & Christus respondit, neminem esse bonum, nisi Deum. Hoc est, Deum tantum esse bonum bonitate essentiali, & non participata; bonitate perfectissima, in qua consistit essentia Dei, & non bonitate peculiari alicujus generis, qualis est illa Magistri. Christus autem non respondit: *Nemo bonus, nisi solus Deus*; sed: *Nemo bonus, nisi unus Deus*. En quomodo bonitatem referebat ad unitatem Dei; quam proinde de se non negabat, uti Deus est, sed illum increpabat, qui se vocabat Magistrum bonum, & Deum non confitebatur. Quasi diceret ei; si me bonus dicis, debes etiam dicere Deum; nemo enim bonus, nisi unus Deus; & hæc est altera ad eandem objectionem responsio.

Ad VIII. Christiani scripserunt de Christo temporibus a Christo non remotis, sed proximis. Qua igitur fronte poterant de Christo narrare, quæ si falsa fuissent, facile potuissent illos mendacii accusare quotquot Gentiles, & Judæi tunc temporis in mundo vivebant? Si non sunt Ethnici, & Hebræi, qui pro Christo scripserunt; neque sunt, qui contra Christum calamum tractarunt. Signum igitur, quod nihil haberent, quod Christianorum Scriptis opponerent. Cæterum falsum est, quod Hebræi nihil de Christo scripserint. Josephus Hebræus luculentum pro Christo exhibet testimonium; de ejus autem existentia nemo Judæorum dubitat, quanvis omnes divinitatem, & mirabilia, inficientur. Gentiles nihil de Christo viderunt, quum ab eo longe distarent; ac proinde nihil de ipso scripserunt. Scripserunt tamen illi, qui tempore, quo Christi religio propagabatur, florebant; ut apud illos quisque inveniet testimonia, quæ pro nostra Religione, etiam inviti, exhibuerunt.

Dicimus II. Christum esse verum Deum, probari posse contra Judæos.

I. Probatur. Ex veteri lege probatur, Messiam esse verum Deum; sed Christus est Messias lege promissus: ergo probatur, Christum esse verum Deum. Minor supponitur probata suo loco; quando scilicet ex veteri lege probavimus multipliciter, Christum esse Messiam. Major probatur. Rabbini etiam fatentur, Psalmum secundum intelligendum esse de Messia; sed ex Psalmo secundo habemus, Messiam esse verum Deum: ergo &c. Probatur minor. Psal. 2. dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: ergo est ejusdem naturæ cum Patre; generatio enim importat eandem naturam in Patre, & Filio. Ibidem: *Et nunc Reges intelligite, apprehendite disciplinam*; in textu hebræo legitur: *Osculamini Filium*. Si Filius est a Regibus omnibus adorandus, & in adorationis, & subjectionis signum, manus ejus, vel pes

oscu-

Digitized by Google

oſculari debet: ergo Filius eſt Deus. Ibidem: *Cum exarſerit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo*; fiducia in Filium præcipitur; fiducia autem noſtra, & quidem ultima, in creatura non eſt ponenda, quia maledictus eſt, qui confidit in homine: ergo in Creatore: ergo in Deo.

II. Probatur ex Prophetis. Iſai. 35. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos; tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & ſoluta erit lingua mutorum.* Verba hæc de nullo Propheta verificata ſunt: ergo de ſolo Meſſia ſunt vera: ergo Meſſias eſt Deus. Iſai. 45. Hæc dicit Dominus: *Viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt, poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur: tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus: Vere tu es Deus abſconditus: Deus Iſrael Salvator.* Verba iſta ſunt verba Dei; dicit enim: *Hæc dicit Dominus:* Ille, ad quem loquitur, eſt etiam Deus; *Tantum in te eſt Deus*; ſed hic eſt Meſſias; quia alius, juxta Hieronymum, eſſe non poteſt: ergo Meſſias eſt Deus. Baruch 3. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum: hic adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit eam Jacob dilecto ſuo: poſt hæc in terra viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Idem eſt, qui prædicitur Deus, & dicitur videndus in terris, & cum hominibus converſaturus; non autem poteſt alius eſſe quam Meſſias, quam Chriſtus. Zachar. 2. *Hæc dicit Dominus exercituum: Poſt gloriam miſit me ad gentes, quæ ſpoliaverunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Ecce ego levo manum meam ſuper vos, & erunt prædæ his, qui ſerviebant ſibi: & cognoſcetis, quia Dominus exercituum miſit me.* Prophetæ non mittebantur ad gentes: ergo qui mittitur ad gentes, Meſſias eſt. Gentes non erant futuræ in Populum Dei, niſi per Meſſiam. Sed hìc dicitur Deus: ergo Meſſias eſt Deus. Ad quæ verba Auguſtinus lib. 20. de civ. Dei c. 30. *Ecce dicit Dominus omnipotens a Domino omnipotente ſe miſſum. Quis hìc audeat intelligere, niſi Chriſtum loquentem; ſcilicet ovibus, quæ perierunt domus Iſrael, quas hìc comparat pupillæ oculi Dei, propter excellentiſſimum dilectionis affectum?* Zachar. 12. *Effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Hieruſalem, ſpiritum gratiæ, & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt.* Deus eſt, qui loquitur verba hæc; ſed qui loquitur ille eſt, quem Judæi confixerunt; & hic eſt Chriſtus: ergo Deus eſt Chriſtus. Propterea Joann. 19. hoc vaticinium dicitur adimpletum, quando Chriſtus a Judæis confixus eſt cruci.

III. Probatur. Meſſias eſt Deus; Chriſtum probavimus fuiſſe Meſſiam: ergo Chriſtus eſt Deus; Probatur major. Numer. 21. *Loquutus eſt populus contra Dominum, & Moyſen, & ait: Cur eduxiſti nos de Ægypto.... Quamobrem Dominus immiſit in populum ignitos ſerpentes.* Qui hæc loquitur eſt Deus; ſed qui immiſit ſerpentes ignitos in populum fuit Verbum, adeoque Chriſtus futurus; dicitur enim 1. ad Cor. 10. 9. *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt, & a ſerpentibus perierunt*: ergo Chriſtus eſt Deus. Pſal. 67. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina, in Sancto. Aſcendiſti in altum, cæpiſti captivitatem, accepiſti dona in hominibus*; ſed qui apparuit in Sina in ſancto fuit Verbum, quod erat incarnandum; quod aſſeritur. Ad Epheſ. 4. *Unicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, propter quod dixit: Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*: ergo Chriſtus, qui eſt Verbum incarnatum, eſt Deus.

IV. Probatur. Pſal. 109. Pater æternus ſic æternum Filium alloquitur: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te.* Pſalmum hunc ſcriptum fuiſſe de Chriſto, teſtantur ipſemet Chriſtus Matth. 22., Apoſtolus Paulus I. ad Corinth. 15., & ipſiuſmet Pſalmi initium: *Dixit Dominus Domino meo*; quæ verba niſi de Chriſto intelligi non poſſunt. Ex his autem verbis aperte conſtat, Chriſtum eſſe Filium Dei, eſſe Dominum, eſſe Deum: ergo &c.

V. Probatur. Malachiæ 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & angelus teſtamenti, quem vos vultis: Ecce venit, dici Dominus exercituum.* Dominus iſte quum dicatur venturus in templum ſanctum ſuum, non alter, quam Deus, eſſe poteſt; templum enim Dei erat. Rabbini ex P. Benettelli prophetiam hanc recipiunt: ergo pariter recipere debent, Meſſiam eſſe Deum.

VI. Probatur argumento S. Auguſtini in orat. cont. Judæos, apud Petrum Annatum: *Vos convenio, o Judæi, qui uſque in hodiernum diem negatis Filium Dei. Nonne*

vox

Digitized by Google

vox vestra illa est, quando eum videbatis miracula facientem, atque tentantes dicebatis: Quousque animas nostras suspendis? Si tu es Christus, dic nobis palam; ille ad considerationem miraculorum vos mittebat, dicens: Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium de me perhibent; ut Christo testimonium dicerent non verbo, sed facto: Vos autem non cognoscentes Salvatorem, qui operabatur salutem in medio terræ vestræ, adjicientes in malo, aistis: Tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum: sed ad hæc ille quid vobis responderit, advertere noluistis: Nonne scriptum est in lege vestra, quod duorum hominum verum sit testimonium? Prævaricatores legis intendite legem; testimonium quæritis de Christo, & in lege vestra est scriptum, quod duorum hominum testimonium verum sit; procedant de lege vestra non tantum duo, sed etiam plures testes Christi, & convincant auditores, non factores.

Arguunt I. Judæi. Deus est omnis materialitatis expers: ergo impossibile est, ut cum corpore materiali uniatur. II. Deus, & homo inter se infinite distant: ergo nullo modo possunt inter se uniri. III. Corpus est corruptibile, Deus autem est purissimus spiritus: ergo est pariter impossibile, ut in unum conveniant. IV. Deus est immensus, ac proinde ubique existens: ergo non potuit in Virginis visceribus claudi, ut inde nascceretur, & egrederetur. V. Deus est omnium dominus: ergo non potuit formam servi accipere in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. VI. Contraria sunt, & omnino disparata, Deus, & homo; Infinitum, & finitum; impassibilis, & passibilis; æternus, & temporalis; immensus, & loco circumscriptus: ergo non potuerunt convenire in unum.

Respondemus ad I., & etiam ad alia, quæ sequuntur, cum Josepho Ciantes, Episcopo Marsicense, in suo Discursu de Incarnatione, quam clarissimis Hebræorum doctrinis defendit, & ab eorumdem argumentorum oppositionibus evidenter vindicat, omissis quidem aliis responsionibus, quas nos alibi dedimus, sed his adhibitis, quæ ad hominem contra Rabbinos ab Illustrissimo Auctore adhibentur. Sed prius supponere oportet, Hebræos videntes, quod sacræ literæ diversa de Deo proferunt, attribuendo nimirum ei motus contrarios, secundos, & adversos casus, ex quibus Deus mutabilis apparet; ut hanc mutationem a Deo avertant, multa speculantur, & commentantur. Inter alia autem hanc excogitarunt commentationem. Tradunt, ut ajunt, ex antiquorum inter ipsos doctrina, Deum produxisse Hierarchiam decem Spiritum, seu intelligentiarum separatarum, & simplicium, ante omnem quidem creaturam; quibus utitur ad producendos effectus omnes in hoc mundo. Hæ quidem intelligentiæ a Deo sunt omnino distinctæ; sed sunt superiores creaturis omnibus: Utitur illarum ministerio, ut peragat quæcumque spectant ad providentiam, & regimen universi. Unde dicuntur instrumenta suæ virtutis infinitæ, quibus ad operandum innititur. Harum autem immutatione ipse Deus se eximit mutationibus omnibus, quæ ipsimet Deo tribuuntur, & quas sine illis evitare non posset. Cum his autem decem intelligentiis, quas Sefiras appellant, se conjungit Deus; & proprio nomine eas vocans, primam dicit Cheter, secundam Cocma, tertiam Bina, quartam Chesed, quintam Chevura, sextam Tipheret, septimam Netzech, octavam Hod, nonam Jesod, decimam Malcut. Quum igitur Deus his utatur ut instrumentis ad producenda quæcumque producit, inferunt Hebræi, ut effectuum diversitas, & eorundem imperfectio, non sit referenda in Dei virtutem unam, perfectam, immutabilem, sed ad eadem instrumenta omnis imperfectio, varietas, & mutatio, referantur. Sic Rab. Jeudà Chajat lib. Maharechet haelaut in suo comment. tract. hascemot fol. 35., & Rab. Moyses Cordoverus lib. Pardes nimonim tract. Gasmut vechelim. cap. 1. similitudinem afferunt ad hæc explicanda, quæ est: *Regi sunt duo servi, quorum alteri Rex mandat, ut hominem recte facientem muneribus ornet; alteri, improbe facientem puniat; cum ab iis, quæ Dominus imperaverit, fiant, nullam prorsus in Regem, varietatem, immutationemque, immittunt, quamquam eam in se, ipsi accipiant.* Rex autem, absque eo quod moveatur, respicit sua mandata, & per ministros suos agit opera sua, & regnum suis influentiis moderatur. Sic Deus, ajunt communiter Rabini, per has decem Intelligentias, seu Sefiras, mundo præest; quarum uni præscribit, æquitatem servare, alteri misericordiam exercere, alii bellum regere, alii elementorum, & humani generis curam gerere. Et ob id videt Deus mutationes, quæ fiunt; sed ipse non immutatur; ut ajunt Rabini

Digitized by Google

præcitati: *Ita Deus benedictus, in Sefiras, ut operationes perficiant suas influit, neque ipse suas immutat.* Addunt denique, influxum, quem Deus exercet in Sefiras, nullam importare distinctionem neque in ipsomet influxu, neque in Deo; sed esse eandem infinitam essentiam divinam, quæ conjungitur, & astringitur, summæ conjunctionis vinculo, intelligentiis, & Sefiris illis; quæ sunt veluti effluxus virtuum effectricum, & validissimarum, emanantes ab efficacissima potentia divinæ essentiæ. „ Sicut flamma, ajunt apud „ præfatum Ciantes, est ignis e pruna surgentis effluvium, quæ est ita cum ea conglutinata, ut flamma nequaquam a pruna „ disjungi, multo minus operari sine ea „ possit; & quemadmodum ad ligni excussionem per flammam necessario prunæ „ concurrerent, ita ad effectum Sefiræ per necessarius est essentiæ & influxus divini concursus, cujus influxus diversitas attendenda est secundum diversitatem earundem Sefirarum. „

His positis, sic respondet Hebræis insultantibus Ciantes: Quodnam est discrimen inter homines, & Sefiras, & Deum? Sefira etsi magna, non est tamen quid magni in ordine ad Deum, etiam per vos ipsos. Sefira igitur est creata, vel genita, vel producta; & per hoc magis distat a Deo, quam a sole distet lutum, & ab Angelo sublimissimo animal vilissimum; siquidem hæc finite distant, illa vero infinite. Ex Rabinis autem, si dicitur de Deo corporis prædicatum, dimensionis, situs, loci, mutationis motus; intelligenda sunt de Sefiris, quæ omni imperfectioni subjacent. Ulterius, per eosdem suscipiunt Sefiræ peccati maculam, quatenus dicunt, per peccatum non solum hominem deturpari, sed ipsam quoque Sefiram deformem reddi. Unde Cordoverus lib. pardes tract. gasmut vechelim cap. 9. *Homo peccando, Superis, ideſt Sefiris, labem, & cicatricem infert*; & cap. 5. ejusdem tractatus: *Ipsa peccati macula in Sefiris est.* „ Si„ ergo Deus non horret, se se cum Sefiris „ unione intima conjungi, ait Ciantes, „ quinam horror ei esse potest, assumere „ sibi carnem cum anima rationali, cujus „ delicta expiet, & mundet, eamque sanctificet, & gratia cumulet. dignamque efficiat, ut a se diligatur, & miram „ assequatur secum unionem „. Quod idem est ac dicere; si incongruum per Hebræos non est Deo, si non est suæ omnipotentiæ superius, si non est suæ majestati indecens, quam sit ipse omnino immaterialis, cum Sefira materiali, & corporea se unire; sic necesse per Christianos humanæ naturæ per hypostaticam unionem se conjungere.

Ad II. Etiam Deus, & Sefira, ut dictum est, infinitam inter se habent distantiam; quatenus Sefira finita, & limitata est, Deus autem infinitus, & illimitatus. Et nihilominus per Hebræos arctissima est unio inter Deum, & Sefiram, inter infinitum, & finitum; & quare pariter esse non poterit inter Deum, & hominem; quamvis Deus sit infinitus, homo verofinitus?

Ad III. Pariter Sefira est corpus, est res materialis; & Deus est purissimus spiritus, omni materialitate carens; & tamen per Hebræos uniuntur simul unione, qua in creatis non est arctior, neque intimior. Quid igitur mirum si in Incarnatione Deus, & homo; Spiritus, & corpus; hypostatica unione stringantur, & copulantur?

Ad IV. Ciantes hæc reponit: „ Quod & si „ vobis recte dicere videmini, dum Deum „ in Sefiris se coarctare, seque coangustare „ asseritis etiam ubique existat. Dicere „ nolite, fieri non posse, quod Deus ubique manens, se in purissimæ Virginis visceribus claudat, ut inde nascatur, & „ egrediatur, cum homo extare processerit „ ad latitudinem amplioren. Et si propter amorem erga creaturas a Sefiris se „ coercere patitur, cum sine ipsis ad esse „ producere illas non possit, cur inconveniens esse asseretur & promulgabitur, „ ejusdem charitatis abundantia excitatum, sine ulla suæ immensitatis diminutione, non creandi, sed redimendi humana omnia per suam sapientiam divinam recreandi, & reficiendi, genusque „ humanum servandi causa, humanitate „ vestiri, quæ ei ut vestimentum, ac instrumentum deserviat, ad præclarissimum „ misericordiæ facimus efficiendum suæ „ creaturæ beneficio, quam ex nostra, vestraque sententia, antequam creasset, „ unice summeque dilexit? „ Quæ denique confirmantur Rab. Cordoveri testimonio, dicentis lib. pardes tract. in haesof hucheuer c. 4. & tract. gasmut vechelim c. 6. *Hac virtus, atque vis magnitudinis nostri Creatoris, qui cum terminis nullus comprehendatur, ob solam inferiorum creaturarum utilitatem, quæ terminatæ, ac finitæ sunt, se definit, ac circumscribit, neque ob id sapientum oculorum acies tenebris obducantur, idem a ratione non est alienum,*

Digitized by Google

num. Maximum enim pondus habet quod scriptum est; si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi; Et tamen inter duo arca ligna divinitatem suam coërcere non abhorruit, ut nostri Sapientes confirmarunt.

Ad V. Dicimus quidem nos Christiani, Deum humanitate fuisse indutum, & humani generis causa servum effectum. At Hebræi dicunt etiam, quod Sefira polluitur, & eodem flagitio deturpatur, si quæ culpa ab homine committitur; quod ejus lumen obscuratur, quanvis nomen a saphiri splendore mutuetur. Hæc scribit Rab. Cordoverus lib. pardes tract. quasmut. vechelimi c. 4. *Et cum illa Sefira macula sit affecta ex pravis hominum actibus, avertit faciem suam, ne videat locum propter pudorem, & turpitudinem suam ex pravitate filiorum hominum contractam. Propterea lux recedit.* Dicunt pariter Rabini, Deum, qui ab ipsis vocatur Ensof, & qui plenissimus est gloria, gloriam aliquando deperdere; unionem suam cum Sefira amittere; & Sciechinam, scilicet Divinitatem, conglutinatam Sefiræ, quam dicunt Malcut, detineri in carceribus una cum populo in mundo. Quæ monstra sunt hæc a Magistris Hebræorum devoranda; & quorum absurditas insolentior est illa, quam sibimet ipsi fingunt, dum nobis opponunt, Deum factum esse servum, & habitu inventum ut hominem.

Ad VI. dicit Rab. Chajat, quod quando in Scripturis leguntur Deo tributa prædicata disparata, immo contraria, intelligi debent modo congruo; quatenus scilicet prædicata illa, quæ dicunt perfectionem, intelligi debeant ratione divinitatis, quam habet Deus; prædicata vero illa, quæ important imperfectionem, sint intelligenda ratione Sefiræ, cum qua divinitas est conjuncta. En sua verba lib. maharechet haelaut tract. ascemot fol. 39. apud Ciantes; *In hoc sunt omnia, quotiescumque reperies Rabinos locutos fuisse de Sefiris ingerendo quæ Deum dedecent.... Ea omnia quantum ad Sefiras, sin autem honorifica dixisse, quantum ad creatorem in illis existentem, intelligenda sunt.* Post quæ laudatus Episcopus Ciantes sic Hebræos alloquitur: „ Nil aliud a vobis desidero, nisi „ ut credatis, dum Christiani, Christum „ esse Deum, & vitam, atque æternum „ esse possidere confitentur, vos id ratione divinæ naturæ dici, animo percipere; „ & cum ad vos illorum sermo perfertur, „ Deum esse hominem mortalem, & in „ eorum ore esse, Deum limitibus temporis circumscribi, rationem eandem habendam esse, causamque cognoscendam; „ nimirum, quod secundum humanam naturam id dicatur. „

Hæ quidem responsiones a nobis datæ sunt, & pariter dantur ab illis omnibus, qui cum Hebræis, & cum Rabinis ipsorum, disputant; ut illos propriis ipsorum armis conterant, argumentando scilicet, ut dicitur, contra eos ad hominem. Cæterum firmiores, ut diximus, sunt nobis rationes, quibus facillime expedimur ab iis omnibus, per quæ Adversarii nostri contendunt nos implicare. His autem alibi addeximus, vel quum de possibilitate Incarnationis loqueremur, vel quum de ejusdem existentia, contra Gentiles. Quibuslibet enim danda sunt responsa juxta propria ipsorum principia, ut facilius convincantur; unde non mirum, si cum Rabinis Hebræorum dimicantes, usi sumus ipsorum ineptiis, ut ipsos possemus, quod Deus faciat, ad meliorem frugem revocare.

Modo deveniendum est ad probandam Christi divinitatem contra Hæreticos; at prius oportet Hæreticos ipsos recensere, & numerare, ut historiæ partem adimplentes, possimus pariter observare, qua diversitate modi in eundem errorem conspiraverint; scilicet, quum Hæretici plures Christo divinitatem denegaverint, & non quilibet ob eandem rationem; palam fiet, qua ratione peculiari quisque errorem suum adinvenerit, ac propugnaverit.

Primo enumeratur Cerinthus, qui fuit Simonis Magi discipulus, Apostolorum coæraneus, & pessimis moribus deturpatus. Is ann. 69. sub Petro, Christi primo Vicario; & Nerone Imperatore, descendens de Judæa, Antiochiæ circumcisionem docebat; Act. 15. *Fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem Moysis, non potestis salvari.* Fuit etiam unus ex Chiliastis, seu Millenariis, de quibus alibi loquuti fuimus. Et insuper docuit, ut testatur S. Augustinus lib. de hæres. c. 8. *Christum purum hominem fuisse, eunque nondum resurrexisse, sed aliquando resurrecturum.* Mortuus est in balneo oppressus a domo subito collapsa; in qua cum inveniretur S. Joannes, Apostolus, & Evangelista, & advertens in eadem esse Cerinthum, statim inde abiit, & di-

xit: *Fugiamus hinc, ne balneum, in quo Cerinthus, veritatis inimicus, moratur, subito corruens nos opprimat.* Ex traditione S. Polycarpi, Smyrnensis Episcopi, refert S. Irenæus lib. 3. adverſ. hæreſ. c. 3. Ab hoc dicti ſunt ejus Aſſeclæ Cerinthiani.

Secundo fuit Ebion, ann. 72. ſub Cleto, Romano Pontifice, & ſub Tito Imperatore, qui Cerinthi errori, quo dicebat, Chriſtum purum eſſe hominem, & non Deum, de ſuo addebat; hominem eſſe non ex Virgine, ſed ex viro, & femina natum. Ebionæi, ab ipſo dicti, non omnes errorem ſuum eodem modo amplexati ſunt; aliqui enim ex ipſis fatebantur, Chriſtum fuiſſe conceptum ex Virgine, & Spiritu Sancto; attamen negabant, eum eſſe Deum, Verbum, & Sapientiam Patris, quæ extitit ante ſecula; ut teſtatur Euſebius lib. 3. hiſt. eccl. c. 21. Et hunc errorem fuiſſe omnibus Ebionitis communem, aſſerit Hieronymus in catal. Script. Eccleſiaſt. in Joanne, dicens de hoc S. Evangeliſta: *Noviſſimus omnium ſcripſit Evangelium adverſus Cerinthum, alioſque Hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt, Chriſtum ante Mariam non fuiſſe.* Quæ diximus de congreſſu in balneo S. Joannis cum Cerintho, ex S. Polycarpo, & S. Irenæo, S. Epiphanius narrat de Ebione.

Tertio Menander, Samaritanus patria, magus profeſſione, & Simonis magi diſcipulus, non ſolum omnes Magiſtri ſui errores amplexus eſt, ſed inſuper addidit ſupra illos hunc alium omnibus peſſimum, ut teſtatur S. Epiphanius hæreſ. 22. Chriſtum non fuiſſe Servatorem, cœlitus demiſſum ad hominum conſervationem, & ſalutem, ſed fuiſſe potius ipſummet Menandrum; quod teſtantur Irenæus lib. 1. c. 21., & Euſebius lib. 3. hiſt. eccl. c. 20. Sub Lino, Rom. Pont., & Veſpeſiano Imper. floruit ann. 74. apud Natalem Alexandrum; ann. 80. apud Petrum Annatum. Verum alii dicunt, Menandrum negaſſe humanitatem Chriſti, quum dicatur apud S. Epiphanium loc. cit. *Chriſtumque Dominum verum hominem fuiſſe, negaret, ſe autem mundi Salvatorem deſtinatum*; at uno, eodemque tempore potuit Chriſto, & divinitatem, & humanitatem auferre; non enim poterat Deum dicere, quem negabat de cœlo veniſſe, ut diximus. Ab eo dicti ſunt Menandriani; de quibus Ignatius ad Trallenſes ſcribens.

Quarto fuit Apollinaris, cujus impium dogma primo fuit, *Chriſtum corpus ſumpſiſſe quidem ex B. Virgine, ſed ſine anima*; & poſtmodum addidit: *Sumpſiſſe quidem & animam, ſed quæ mente careret, Verbumque divinum ei fuiſſe mentis loco.* In patriam habuit Laodiceam, Rhetoricam docuit, filius fuit alterius Apollinaris, Grammatici, & Presbyteri; & tandem Laodicenæ pariter urbis Epiſcopus electus eſt; alii autem volunt, quod fuerit ſolummodo Lector. Floruit ann. 367. ſub Damaſo Papa, & ſub Valentiniano Imperatore. At ex his, quæ diximus de ejus erroribus, non videtur inferri poſſe, ipſum Chriſto divinitatem abſtuliſſe, attamen quia ipſe duas partes in anima cognovit, quarum unam vivificantem, alteram intelligentem dixit; & in Chriſto animam tantum vivificantem agnovit, & intelligentem explicavit per hoc, quod Dei Verbum ejus loco aſſiſtens animæ lumina intelligendi conferebat; & in hoc demum hypoſtaticam unionem naturæ divinæ cum natura humana conſiſtere aſſerebat; hinc eſt, quod poteſt etiam ex illo inferri, quod in Chriſto Verbi divinitatem, ſaltem modo illo, quo nos Catholici unionem illius cum humana natura explicamus, non agnoſcebat.

Quinto Paulus Samoſatenus, Hæreticorum, qui dicti ſunt Paulianiſtæ, Pater extitit, ann. 262. Antiochenus Epiſcopus eſt factus, ſub imperio Valeriani, & Gallieni. Fuit natione Syrus, pauper, & inops ante Epiſcopatum, & moribus non purus; ut ait S. Auguſtinus lib. de hæreſ. c. 44. Sub Felice I. Rom. Pont. & Aureliano Imperatore, ſuſcitavit extinctam hæreſim cujuſdam Artemonis ann. 273. aſſerens: *Chriſtum non ſemper fuiſſe, nec ante Mariam Virginem extitiſſe, ſed ex eo quo ex Maria natus eſt initium habuiſſe, ac proinde non Deum, ſed purum hominem eſſe.* De hoc Samoſateni errore ſcribit Athanaſius lib. de ſalutari adventu Filii Dei: *Paulus Samoſatenſis Deum ex Virgine confitetur, Deum Nazarethi in lucem editum, & inde exiſtendi primordium, regnique conſecutum. Verbum tamen efficax e cœlo, & ſapientiam in eodem agnoſcit, ac prædeſtinatione quidem ante ſecula fuiſſe putat, ſed Nazarethi primum extare cœpiſſe: ut unus ſupremus ſit Deus Pater.* Euſebius quoque lib. 7. hiſt. eccl. c. 22. aſſerit de illo: *Abjectam, & humilem nimis de Chriſto contra doctrinam eccleſiaſticam habebat opinionem; nempe quod ſolum communi natura erat cum homine præditus.*

Sexto Photinus fuit, natione Pannonius, homo ingenii, & eruditionis non vulgaris,

Digitized by Google

ris, Episcopus Sirmiensis, & antea Samosateni discipulus; floruit sub Julio I. Rom. Pont. & sub Constantio Imperatore, ann. 347. De ejus errore testatur Augustinus lib. de hæres. c. 35. quod diceret: *Christum purum hominem esse, nec ante Mariam extitisse, sed ex quo de Maria natus est, initium habuisse.* Damnatus est in Synodo Mediolanensi ann. 347., & in Sirmiensi Synodo depositus ann. 351., ac demum a Constantio Imperatore in exilium damnatur.

Septimo Nestorius, de quo plura in præcedentibus diximus, negavit Christo divinitatem, admittendo duas in Christo personas, & docendo, duos esse Christos, unum Filium Dei, & Filium hominis alterum; ac per consequens B. Mariam semper Virginem non esse dicendam Dei matrem, sed hominis tantum.

Octavo ponitur Socinus, de quo alibi diximus, & a quo Socinianismus est ortus. Socini errorem asserit P. Boucat primo natum ex Judæis, qui Christum Fabri filium reputabant; secundo ab Ebionitis, qui purum hominem esse dicebant; tertio a Nestorio, qui voce tantum dicebat Deum; proprie autem Auctor postremis temporibus erroris hujus fuit Lælius Socinus, qui ann. 1557. ætatis suæ vigesimo Italiam deseruit, Galliam, Britanniam, aliaque Europæ regna peragravit. Tigurim perveniens, ibidem fixit domicilium, & familiaritatem iniit cum Calvino, Melanctone, Beza, &c. Ab Hæreticis hisce hausit errorum virus, & supra illos addidit alias contra sanctissimam Trinitatem hæreses; sed eas non publicavit, Michaelis Servoi supplicio perterritus. Mortuus est Tiguri ann. 1562. ætatis suæ 37. Faustus deinde Socinus, ejus nepos, Lælii scripta publici juris fecit suo, non Patrui, nomine. Errores autem contra Christi divinitatem sunt qui sequuntur; quod Christus secundum personam sit verus homo, non tamen dicitur purus homo, quia ope Spiritus Sancti conceptus ex Virgine natus est; quod Deus naturæ humanæ non sit hypostatice in Incarnatione unitus; quod divinus cultus sit Christo exhibendus, sed mediate tantum, itaut Deus adoretur in Ministro. Dicitur, quod Lælius Socinus aliquot Italos infecit, qui per Germaniam, & Poloniam diffusi sunt; verum postmodum Edicto promulgato in Poloniæ comitiis Sociniani omnes ejecti sunt e regno, & Amstelodami in Batavia præcipuas sedes fixerunt. Subdit P. Boucat, licitum non esse illis palam suam nefandam Religionem exercere; adeoque invisi sint Catholicis simul, & Hæreticis.

Dicimus III. Christum esse verum Deum, probari omnimode contra Heterodoxos.

I. Probatur ex Scripturis veteris testamenti. Scripturæ tribuunt Christo Dei nomen, attributa, operationes, æqualitatem cum ente supremo, & adorationem debitam soli Deo; ergo Scripturæ docent, Christum esse verum Deum. Antecedens probatur primo de nomine. Isai. 9. *Vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus, fortis, princeps pacis.* Exodi 3. *Hæc dices populo Israel, qui est misit me ad vos*; quod quidem nomen tribuitur etiam Christo Apocal. 1. *Qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Secundo de attributis; Genes. 21. æternitas; *invocavit ibi nomen Dei æterni*; Et Joann. 8. Christus se dicit æternum: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Omnipotentia; Exod. 15. *Omnipotens nomen ejus*; & Apoc. 4. de Christo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens.* Scrutatio cordium; Hierem. 17. *Pravum est cor hominis, & inscrutabile*; *quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, & probans renes*; & Joann. 21. de Christo: *Tu scis, quia amo te.* Principium, & finis; Isai. 41. *Ego Dominus primus, & novissimus*; & Apoc. 1. de Christo: *Ego sum alpha, & omega, principium, & finis, dicit Dominus Deus qui est &c.* Tertio de operibus: Isai. 44. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum*; & 1. ad Cor. 8. *Unus Deus Pater, ex quo omnia: Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.* Et hæc de creatione; de conservatione pariter, & de redemptione; Isai. 44. *Hæc dicit Dominus rex Israel, & redemptor ejus..... Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex utero*; Ose. 13. *Ego sum Dominus Deus, & Salvator non est præter me*; Et Matth. 1. de Christo: *Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum.* Miracula; psal. 135.: *Qui facit mirabilia magna solus*; & Matth. 8. de Christo: *Quis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Adoratio; Deuter. 29. *Adorate Dominum Deo tuo*; & Matth. 4. de Christo: *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Æqualitas cum Patre; Isai 44. *Quis similis mei?* & Joann. 5. de Christo: *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqua-*

æqualem se faciens Deo; & ad Philippens. 12. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu; qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.*

II. Probatur ex Scripturis novi testamenti: Quod Christus præextiterit Mariæ; Luc. 2. *Qui post me venit, ante me factus est*; quod sit Dominus; Joann. 13. *Vocatis me Magister, & Domine; & bene dicitis; sum etenim*; quod sit Rex gloriæ; 1. ad Cor. 2. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*; quod sit altissimus; Luc. 1. *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis*; quod sit mirabilis; ad Philippens. 2. *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genuflectatur*; quod sit immutabilis; Ad Hebr. 1. *Omnes ut vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*; quod sit immensus; Matth. 18. *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; quod sit omnipotens; Apoc. 4. *Sanctus Dominus Deus omnipotens*; quod sit sapientia; ad Colos. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ*; quod sit bonitas; Matth. 20. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* quod sit adorandus; Ad Hebr. 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, & dicit: & adorent eum omnes Angeli ejus*; quod sit æternitas; Joann. 1. *In principio erat Verbum*; quod sit creator; Ad Colos. 1. *In ipso condita sunt universa in cælis, & terra, visibilia, & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*; quod sit conservator; Act. 17. *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus*; quod sit vivificator; Joann. 10. *Veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*; quod sit Salvator; Ad Philippens. 3. *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum*; quod sit sanctificator; Ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret*; quod sit vivificator mortuorum; Joann. 5. *Pater suscitat mortuos, & vivificat .... Sic & Filius, quos vult, vivificat*; quod sit adorandus; Joann. 5. *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*; quod sit invocandus; Ad Roman. 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum Christum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris .... Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*; quod sit Filius Dei; Joann. 20. *Quem Pater sanctificavit, vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Et Matei 14. *Rursum summus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Christus, Filius Dei benedicti? Jesus autem dixit illi: Ego sum*; quod sit æqualis; ad Philippens. 2. *non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*; & Joann. 5. *Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.*

III. Probatur ex Romanis Pontificibus. Damasus in professione fidei, quam scripsit ad Paulinum, Episcopum Thessalonicensem: *Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationali, & intelligibili dicunt Dei Verbum in humana carne versatum, cum ipse Filius sit Verbum Dei, & non pro anima rationali & intelligibili in suo corpore fuerit; sed nostram, idest rationalem & intelligibilem sine peccato animam susceperit, atque salvaverit .... Si quis dixerit, quod in passione crucis dolorem sustinuit Filius Dei Deus, & non caro cum anima, quam induerat in forma servi, quam sibi acceperat, sicut ait Scriptura; anathema sit.* S. Leo magnus ser. 1. de nativit. Domin. c. 2. *Deusque verus, & verus homo, in unitatem Domini temperatur, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei, hominumque, mediator, & mori posset ex uno, & resurgere posset ex altero.* Et ser. 3. de passion. Dom. c. 1. *Nec Deum illum sine hoc, quod homo est; nec hominem sine hoc liceat cogitare, quod Deus est.* Et epist. 10. ad Flavianum c. 4. *Unus enim, idemque est vere Dei Filius, & vere hominis Filius. Deus per id, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Homo per id, quod verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Deus per id, quod omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: Homo per id, quod factus est ex muliere, factus sub lege.* Hormisda ep. 76. ad Justinum Imperatorem: *Idem enim Deus & homo; non, ut ab Infidelibus dicitur, sub quartæ introductione personæ; sed ipse Dei Filius, Deus, & homo; idest virtus, & infirmitas &c.* Joannes II. ep. 3. ad Avienum, Liberium &c. de duabus in Christo naturis: *Justinianus Imperator, filius noster, ut ejus epistolæ tenore cognovistis, de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse significavit. Utrum unus ex Trinitate Christus & Deus noster dici possit; hoc est, una de tribus Personis sanctæ Trinitatis sancta persona? An Deus Christus carne pertulerit impassibili deitate? An proprie & veraciter Mater Domini Dei nostri Christi*

Digitized by Google

si Maria semper Virgo debeat appellari? Probavimus in his catholicam Imperatoris fidem, & ita esse prophetici, & apostolici, vel Patrum exemplis evidenter ostendimus. Gregorius magnus in Job lib. 18. c. 27. *Ipse, qui fecit, ipsa, qui factus est; ipse speciosus forma præ filiis hominum per divinitatem, & ipse, de quo dictum est: Vidimus eum, & non erat aspectus, & non est species ei, neque decor, per humanitatem. Ipse ante sæcula de Patre sine Matre; ipse in fine sæculorum de Matre sine Patre: Ipse Conditoris templum, ipse conditor templi &c.* Agatho epist. ad Constantinum, Heraclium, & Tiberium: *Ipse idem Dominus noster Jesus Christus & Deus perfectus est, & homo perfectus est, ex duobus, & in duobus naturis; & post admirabilem Incarnationem existens, nec deitas sine humanitate, nec humanitas ejus sine deitate posset intelligi.* Hadrianus I. epist. ad Episcopos Galliæ de errore Elipandi, Toletani Episcopi: *Scimus, quia non traditus est secundum divinitatem, sed secundum id, quod homo verus erat: illum enimvero, qui traditus est, idest hominem ipsum, Apostolus proprium Dei Filium protestatur.* Leo IX. in epist. ad Petrum Antiochenum: *Deum verum, & hominem verum; proprium in utraque natura, atque perfectum; non commixtionem, atque divisionem passum, non adoptivum, neque phantasticum; unicum & unum Deum, Filium Dei in duabus naturis, sed in unius personæ singularitate; impassibilem, & immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis & pro nostra salute passum vera carnis passione.* Clemens VI. qui refertur Extra lib. 5. tit. 9. de pœnitentiis, & remissionibus c. 2. *Unigenitus Dei Filius de sinu Patris in uterum dignatus est descendere Matris, in qua, & ex qua, nostræ mortalitatis substantiam divinitati suæ in suppositi unitate ineffabili unione conjunxit, id quod fuit permanens, & quod non erat assumens; ut haberet, unde hominem lapsum redimeret, & pro eo satisfaceret Deo Patri.*

IV. Probatur ex Conciliis. Concilium Antiochenum I. congregatum contra Paulum Samosatenum, quem & damnavit, Scripturæ loca, quibus divinitatem Christi nos probamus, intelligi asserit non tantum de Verbo, ut sic, sed de Verbo incarnato: *Hominem autem præfiguratum dicimus esse Filium, quem ipsa Scriptura Deum esse declaravit; quin etiam legem similiter datam esse Moysi dicimus ministrante Filio Dei, sicut Apostolus docet, cum ait: Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat ordinata per Angelos in manu Mediatoris. Mediatorem autem alium Dei & hominum nescimus præter hunc.* Et insuper: *Qui autem contradicit Filium Dei non esse ante constitutionem mundi . . . Qui Filium Dei non esse Deum prædicat, hunc alienum esse ab ecclesiastica regula arbitramur.* Concilium Nicænum I. dicit, Filium Dei esse Patri consubstantialem, & coæternum, ante sæcula genitum; dicit pariter in Symbolo, eundem esse factum hominem: ergo qui factus est homo est Patri consubstantialis, & coæternus, & ante sæcula genitus: ergo est Deus. Concilium Ephesinum contra Nestorium definivit, Christum esse Deum, non solum affective, ut sunt omnes Justi, sed vere & substantialiter; ac per consequens fuisse ante Mariam Virginem. Unde in Epistola ad Cœlestinum, Romanum Pontificem, Patres scripserunt, omnes terrarum Orbis Episcopos Christum vocare Deum: *Sciat nihilominus & hoc quoque pietas tua, idem sentire cunctos etiam Orientales Episcopos . . . . Et quia hoc Nestorius non ignorat, se omnibus sapientiorem existimat, se solum divinæ Scripturæ scopum attigisse, se solum Christi mysterium agnovisse, opinatur. Atqui quomodo non magis oportuit illud pro certo habere, cum omnes per terrarum orbem sparsi orthodoxi Episcopi, & Laici, Christum Deum, Virginem vero, quæ illum genuit, Deiparam esse confiteantur?* Concilium Chalcedonense generale act. 5. *Sequentes igitur Sanctos Patres unum eundemque confiteri Filium & Dominum nostrum Jesum Christum, consona voce omnes docemus, eundem perfectum in deitate, eundem perfectum in humanitate, Deum vere, & hominem vere, eundem ex anima rationali, & corpore, coessentialem Patri secundum deitatem, coessentialem nobis eundem secundum humanitatem &c.* Concilium generale V. cap. 3. *Si quis dicit, alium esse Deum Verbum, qui miracula fecit; & alium Christum, qui passus est; vel Deum Verbum cum Christo esse nascente de muliere, vel in ipso esse, ut alterum in altero, & non unum eundemque Dominum nostrum Jesum Christum, Dei Verbum, incarnatum, & hominem factum, & ejusdem ipsius miracula, & passiones, quas voluntarie carne sustinuit; talis anathema sit.* Concilium generale VI. act. 17. *Profitemur Christum consubstantialem Patri secundum deitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato, ante se-*

te secula quidem ex Patre genitum secundum deitatem, in ultimis diebus autem eundem propter nos, & propter nostram salutem de Spiritu Sancto, & Maria Virgine proprie & veraciter Dei genitrice secundum humanitatem, unum eundemque Christum Filium Dei unigenitum &c. Concilium Toletanum I. in assertione fidei: *Hunc ergo Filium Dei, Deum natum a Patre, ante omne omnino principium, sanctificasse uterum Virginis Mariæ, atque ex ea verum hominem, sine virili generatum semine, suscepisse, duabus dumtaxat naturis, ideſt deitatis, & carnis, in unam convenientibus omnino personam, ideſt Dominum nostrum Jesum Christum, credimus.* Concilium Hispalense II. cap. 13. *Unus est enim Christus, Deus, & homo, caro, & Verbum; sed unde Deus, inde habet immortalitatem; unde homo, inde pertulit passionem; & unde caro, inde mortuus; & unde Verbum, inde æternus.* Concilium Tolenum IV. cap. 1. *Natura enim in illo duæ, Deus, & homo; non autem duo filii, & Dii duo, sed idem una persona in utraque natura, perferens passionem, & mortem pro nostra salute, non in virtute divinitatis, sed in infirmitate humanitatis.* Concilium Toletanum VI. cap. 1. *Ut idem Filius Dei Patris esset Filius hominis, Deus perfectus, & homo perfectus; ut Deus perfectus, & homo esset unus Christus, naturis in duabus una persona, ne quaternitas Trinitati accederet, si in Christo geminata persona esset.* Concilium Arelatense IV. in confessione fidei: *Natura enim in illo duæ, Deus, & homo. Non enim duo filii, & Dii duo, sed idem una persona in utraque natura &c.* Concilium Vormatiense in confessione fidei: *Dei enim Filius non personam hominis accepit, sed naturam. Naturam quippe nostram in unitatem suæ personæ assumpsit, & idcirco filius Dei, & filius hominis unus est Christus. In eo namque, quod filius Dei est, æqualis est Patri; & in eo, quod est filius hominis, minor est Patre. Qui etiam ex quo homo est, pro delictis nostris passionem sustinuit; mortique addictus, & cruci, veram carnis mortem accepit.*

V. Probatur ex Patribus Græcis. Ignatius in Epist. ad Smyrnenses: *Glorifico Jesum Christum Deum, qui sic vos sapientes fecit.* In salutatione epist. ad Ephesios: *Ex voluntate Patris, & Jesu Christi Dei nostri;* & in corpore epistolæ duplicem Christi nativitatem, & duplicem naturam distinguit: *Unus est medicus carnalis, & spiritualis; factus est, & non factus in carne Deus; in morte, vita vera; & ex Maria, & ex Deo.* Polycarpus hanc orationem pronunciavit martirium subiturus, ut testatur Eusebius lib. 4. hist. eccl. c. 15. *Quamobrem de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico, per supremum Pontificem Jesum Christum, dilectum filium tuum, per quem tibi una cum ipso, in Spiritu Sancto, gloria nunc, & in secula seculorum, amen.* Justinus dialog. cum Tryphone infectatur Judæos, qui negabant, *Christum Deum esse, utpote singularis, & ingeniti, ineffabilisque Dei filium.* Irenæus lib. 4. c. 11. *Ipse igitur Christus cum Patre, vivorum est Deus, qui locutus est Moysi, qui in Patribus manifestatus est.* Et lib. 3. c. 18. probat adversus Hæreticos: *Non alium Jesum, alterum Christum fuisse, sed unum & eundem Deum esse;* ubi etiam epistolam Pauli ad Romanos citat, in qua Christus manifeste dicitur Deus: *Et iterum ad Romanos scribens, de Israel dicit: Quorum Patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus super omnes benedictus in secula.* Clemens Alexandrinus in admonition. ad Gentes: *Crede, homo, homini, & Deo: crede homo ei, qui passus est, & ei, qui adoratur, Deo viventi; credite servi mortuo; credite omnes homines ei, qui solus Deus est omnium hominum.* Et in Pædagog. lib. 1. c. 7. *Noster autem Pædagogus sanctus Deus Jesus, Verbum quod est omnis humanæ naturæ dux, ipse hominum amator Deus est pædagogus.* Origenes lib. 1. cont. Celsum de Magis Christum adorantibus ait: *Ferentes dona ei, qui componebatur, ut sic loquar, ex Deo, & homine mortali, symbola obtulerunt, aurum tanquam regi, ut moriturο myrrham, ut Deo thus.* Et lib. 3. respondens Celso, qui opponebat, quod Christiani Jesum mortali corpore constanter credant esse Deum, ait: *Sciant ipsi criminatores, hunc Jesum, quem ab initio Deum, Deique filium esse credimus, ipsum esse Verbum, ipsam veritatem, ipsam sapientiam; cæterum mortale ejus corpus, & humanam in eo animam illius Verbi non solum communicatione, sed etiam unione, & permixtione, maxima quaque dicimus accepisse, & divinitatem ipsius participantia in Deum evasisse.* Dionysius Alexandrinus in ep. adv. Paulum Samosatenum, asserit Christum *increatum & creatorem . . . . illum, qui natura Dominus est, & Verbum Patris, quem sancti Patres consubstantialem Patri dixerunt.* Athanasius in ep. ad Epictetum: *Quomodo autem quidam, qui inter Christianos censentur in quæstionem vocare audent; dominusne, quem*

Mu-

Digitized by Google

Maria in lucem edidit, natura quidem & essentia Dei filius existat, secundum carnem vero ex semine David, & sancta Maria carne ortum ducat? Quidam vero in eam temeritatem prolapsi sunt, ut dicere audeant, Christum, qui carne passus & crucifixus est, nec Deum esse, nec Dominum, nec Salvatorem, nec Patris filium. Et hi quidem sunt Patres, qui scripserunt ante Concilium generale Ephesinum, & qui Nestorium præcesserunt; si illos vero afferre animus esset, qui fuerunt ante Socinum, omnes quidem videremus unius esse sententiæ, ut fateantur, Christum esse Deum.

VI. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus lib. 3. cont. Marcionem c. 6. inquit, Christum esse spiritum, & substantiam Creatoris; & lib. de carne Christi agnoscit in Christo duas naturas, divinam, & humanam; ait enim c. 5. *Itaque utriusque substantiæ census hominem, & Deum exhibuit; hinc natum, inde non natum; hinc infirmum, inde præfortem;* & lib. 4. cont. Marcionem c. 25. asserit, quod Deus Pater omnia tradidit Christo *non minori se.* Et lib. 5. cont. Marcionem c. 9.

Hic Deus, hic & homo verus, verumque locutus:
De Patre principium, genitum de lumine lumen:
Spiritus & Verbum, Patris sub imagine virtus:
Cum Patre semper unitus erat cum gloria, & ævo &c.
Inque creatura portans hominemque, Deumque.

Cyprianus de Idolorum vanitate: *Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia ejus, & gloria: Hic in Virginem illabitur, carne Spiritu Sancto cooperante induitur, Deus cum homine miscetur: Hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum hominem induit, quem perducat ad Patrem. Quod homo est, esse Christus voluit, ut & homo posset esse quod Christus est. Sciebant & Judæi Christum esse venturum; nam hic illis semper, Prophetis admonentibus, annuntiabatur; sed significato duplici ejus adventu; uno, qui exercitio & exemplo hominis fungeretur; altero, qui Deum fateretur, non intelligendo primum adventum, qui in passione præcesset occultus; unum tantum credunt, qui erit in potestate manifestus.* Lactantius lib. 4. instit. c. 13. *Factus est Dei filius per Spiritum, & hominis per carnem; idest, & Deus, & homo.* Hilarius de Trinit. lib. 9. *Nescit plane vitam suam, nescit qui Jesum Christum ut verum Deum, & ita & non verum hominem ignorat. Et ejusdem periculi res est Christum Jesum vel spiritum Deum, vel carnem nostri corporis denegare.* Marius Victorinus Afer, qui floruit ann. 360. lib. 1. *Non solum homo est Christus, sed etiam Deus in homine. Secundum carnem Salvator passus est, secundum spiritum autem quod erat sine passione. Nos impassibilem & Filium dicimus, quod juxta quod λόγος est: juxta quod autem caro factus est, passibilem.* Ambrosius lib. 1. de fide c. 6. *Cum in Evangelio, in Apostolo, in Prophetis, generationem Christi legerimus, unde audent dicere creatum esse, vel factum? Et quidem in quo creatum legerint, in quo factum, considerare deberent. Edoctum est enim Dei filium de Deo esse genitum, de Deo natum. Factum autem, in quo legerint, diligenter advertant. Non enim Deus factus, sed Deus Dei Filius natus est. Postea autem secundum carnem homo factus ex Maria est.* Hieronymus ad c. 2. epist. ad Titum: *Neque vero alium Christum Jesum, alium Verbum dicimus; sed eundem & ante secula, & post secula, & ante mundum, & post Mariam; immo ex Maria magnum Deum appellamus Salvatorem nostrum Jesum Christum.* Augustinus in Enchiridio c. 35. *Christus Jesus, Dei Filius, & Deus, & homo est. Deus ante omnia secula, homo in nostro seculo. Deus, quia Dei Verbum: Deus enim erat Verbum: homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro. Quo circa in quantum Deus est, ipse & Pater unum sunt; in quantum autem homo, Pater major est illo .... Unus Dei Filius, idemque hominis filius; unus hominis filius, idemque Dei filius: Non duo filii Dei Deus, & homo, sed unus Dei Filius: Deus sine initio, homo a certo initio, Dominus noster Jesus Christus.*

VII. Probatur ex Rabinis Hebræorum, qui fatentur, Messiam futurum esse Deum, & Hominem; unde, quum probaverimus superius, Messiam jam advenisse, & hunc esse Christum, liquido sequitur, Christum esse Deum, & Hominem. Horum autem testimonium æque valet contra Judæos, & contra Heterodoxos, qui decipiuntur credentes, in Scripturis veteris testamenti Christi divinitatem non contineri. Rabini etenim illam, vel ex Verbo Dei scripto, vel non scripto, quod est traditio, inferunt; ac proinde nos quoque confirmant ut credamus, non novam fuisse Judæis nostram fidem de divinitate Messiæ, quanvis non credant, Messiam fuisse Christum. Igitur Rab. Haccados in Gale raze-

Digitized by Google

mazeya hæc habet: „ Quemadmodum „ litera He componitur ex Daled, & Vau, „ ita Rex Messias componitur ex divinita„ te, & humanitate, & sicut hæc duo He „ sunt duo Dadei, & ab his procedunt duo „ Vau; tanquam duo filii, qui ab ipsis ori„ untur, ita in substantia Regis Messiæ in„ veniuntur duæ filiationes, quarum una „ est divinitatis, qua Dei Filius est; altera „ erit humanitatis, qua erit filius Prophe„ tissæ, de qua dixit Esaias cap. 8. *Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit* „ *filium*. Et sicut harum literarum Daled, „ & Vau, quæ conficiunt He, unaquæque „ distincta est ab altera, quamquam ambæ „ sint una litera, ita in Messia substantia „ divinitatis distincta erit a substantia hu„ manitatis, & contra, quæ duo simul jun„ cta sunt Messias &c „ Rab. Simeon filius Johai, in Zoar, super illud: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. „ Traditum est in libro Seniotha „ vesiphra, idest pudoris, & occultationis: „ Postquam in supernis determinatum est „ in universum de hominis formatione, „ sanctum corpus, & fœmina incorporata „ sunt. In tempore autem tertio (quod vi„ delicet consequitur primum sanctorum „ Patrum tempus, & secundum tempus „ Prophetarum) completa est hæc maxima „ copula, & conjuncti sunt, atque incorpo„ rati mundi superiores, & mundi inferio„ res. Ab hinc vero incorporatus est mun„ dus superior mundo inferiori, mediante „ corpore sancto. Quodammodo vero ri„ debant, & congratulabantur simul, effi„ ciebanturque unum corpus: quoniam „ quod erat superius erat & inferius. Deus „ sanctus, & benedictus superius: & Deus „ sanctus & benedictus inferius. Et profi„ liens Spiritus de vagina, venit in unum „ corpus, & in his omnibus unus tantum „ videbatur; ille nimirum, cui dicitur: „ *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Deus exercituum,* „ implet terram totam gloria sua. Et hoc to„ tum unum est corpus. Traditum item „ est: Postmodum conjunxerunt se veluti „ duo corpora, quando unum penetrat „ aliud, hoc & illud. Sicut scriptum est: „ *Torquem auream faciemus tibi cum notis* „ *argenteis*. Colligatæ sunt justitia, & mi„ sericordia, & unitæ sunt Verbo; nec al„ tera sine altera discedit. Quapropter sic „ nobis traditum est: Quando dividitur „ corpus a mundo hoc, idest, quando in „ universum moriuntur homines, totum, „ quod est hominis nequaquam superius „ ascendit; quemadmodum ascendit hoc, „ quod sanctum vocamus corpus, tanæ „ certæ, dignitatis, quod non vocatur „ Adami, idest homo terrestris; & in hoc „ unque differt a cunctis aliis corporibus. „ Legimus quoque, *Torquem auream, & no„ tas argenteas*. Quoniam unum sunt ju„ stitia, & misericordia. Et propterea se„ quitur: *Pulchra facta est gena tua propter* „ *torquem, & collum tuum pulchrum factum* „ *est propter margaritas. Torquem*, sicut di„ ctum est, *Torquem auream cum margaritis*. „ Etiam scriptum est. *Notæ argenteæ collum* „ *tuum*. Quoniam inter cunctas fœminas, „ in matrona hac reperitur sanctitas, imo „ divinitus, quæ consueverat descendere „ super Hierusalem, superque Sanctuarium. „ Et omnia hæc, postquam Verbum in ea „ corpus assumpsit, factumque est de ho„ minum universitate, idest, homo plenus „ fide. Et quid est plenus fide? quoniam „ scilicet in illo invenitur tota fides „.

VIII. Probatur Rationibus I. Judæi Christum persequentes, ac damnantes, vel juste, vel injuste, hoc fecerunt? Si injuste: ergo Christus est Deus: Si juste: ergo Adversarii non sunt Christiani, quum sint contra Christum. Probatur prima consequentia. Judæi accusarunt Christum, quia se faciebat Deum; si ergo Judæi persequebantur, & damnabant, injuste: ergo vere Christus est Deus. II. Vel Christus est Deus, vel est Impostor, fallax, ac perjurus; quemadmodum etiam sunt Apostoli; non secundum: ergo primum. Probatur major. Christus vel aperte, vel saltem tacite, se dixit Deum; item Apostoli vel apertis, vel ad minus implicitis verbis Christum prædicarunt Deum hominibus: igitur vel vere Christus est Deus, vel est impostor, fallax, ac perjurus; uti etiam esse debent Apostoli. III. Quæcunque a Scripturis, & a Patribus de Incarnationis mysterio dicuntur, ruunt, si Christus non est Deus; sed hoc non est dicendum: ergo nec illud. Probatur major. Commendatur in Incarnatione eximia Dei charitas, per quam Filium suum misit, ut nos redimeret; Si Christus non est Deus, non est filius Dei naturalis; unde non redditur Dei charitas commendabilis, si miserit filium adoptivum, ut sunt cæteri homines, ad homines salvandos. Iterum; sublimitas mysterii Incarnationis posita in conjunctione Dei cum homine; Si Christus non est Deus, non est amplius conjunctio Dei cum homine; & per consequens non est sublimitas in mysterio. Insuper; Incarnationis mysterium divinum

reddit,

Digitized by Google

reddit, quod ab hominibus non percipitur; si Christus non est Deus, jam ab hominibus percipitur: ergo non est amplius admirabilis: ergo non est divinum. IV. Si Christus non est Deus, deficiunt ei dotes, quæ maxime ipsum commendant, & in persona, & in munere; sed hoc non est asserendum: ergo neque illud. Probatur major. Deficit filiatio divina, per quam Christi persona supra cæteros homines extollitur, & quæ in Scripturis prædicatur, dicendo Christum esse Filium proprium, verum, unigenitum, qui est in sinu Patris. Si enim non est Deus, est filius adoptivus, ut sunt alii homines. Deficit dignitas Salvatoris; quia quum non sit Deus, non potuit pro peccatis hominum condigne satisfacere; & tantum nobis profuit, ut profuerunt cæteri Martires, nos doctrinis instruendo, & confirmando exemplis suis. V. Vanæ, & futiles redderentur sacræ paginæ, si Christus non esset Deus; quum enim in illis multa contineantur, quæ Christi divinitatem præseferunt, si Christus non esset Deus, illa omnia essent mendacia; quod non est penitus dicendum, nec cogitandum. VI. De fide est Christum esse Deum: ergo vere Christus est Deus. Antecedens negant Calviniani, quia Calvinus lib. contr. Valentinum Gentilem asserit, Dei nomen tantum Patri convenire; convenit etiam cum Calvino Beza lib. cont. Brentium; insuper Remonstrantes qui dicuntur apud Batavos, & sunt Arminiani, negabant, esse de fide, Christum esse Deum; verum sic probatur. Ecclesia anathematibus damnat errorem, quo dicitur, Christum non esse Deum: ergo de fide est, Christum esse Deum. De Antecedenti non dubitatur, quum pateat in suprarecensitis Conciliis; consequentia autem bene infertur. VII. Ecclesiæ Doctores vel non perceperunt Scripturas, vel illas assequuti sunt? Si primum: ergo non Doctores, sed imperiti: Si Secundum: ergo quum ex illis probaverint, Christum esse Deum, vere Christus est Deus. VIII. Christus præextitit Mariæ: ergo est Deus. Probatur antecedens. Christus exivit a Patre, antequam in Mariæ uterum veniret; erat, priusquam a Patre mitteretur; descendit de cœlo, quando in Mariæ uterum venit; ergo præextitit Mariæ. Antecedens est clarum in Scripturis.

Opponunt Ebionitæ, Pauliciani, Nestoriani, Sociniani, aliique ejusde furfuris homines, nobis omnes Adversarii; I. In verbis illis Ad Romanos 9. *Qui est super omnia Deus benedictus in secula*, vox illa *Deus* non est Scripturæ, sed fuit addita, vel a Commentatoribus, vel a Librariis, & probant, quia S. Cyprianus lib. 2. cont. Judæos c. 6., & S. Hilarius in psal. 122. citant verba illa, sed sine eadem voce. II. Christus non se dixit Deum proprie, sed metaphorice, & per participationem, ut sunt illi in dignitate positi, qui jus aliis dicunt; quod probant ex verbis Joann. 10., ubi Christus dixit Judæis, qui ei respondebant; Responderunt ei Judæi: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. Respondit, eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra; Quia ego dixi, Dii estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est; & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis; quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* III. Christo fuit exhibita adoratio relativa, non absoluta; hoc est, in Christo adorabatur Deus, cujus Christus gerebat vices in terra: ergo ex adoratione exhibita Christo non colligitur Christi divinitas. IV. Divinitas Christi non legitur explicite in Scripturis; atqui legi deberet, quum sit ad fidem necessaria fides de Christi divinitate: ergo Christus non est Deus. V. Nec reperitur implicite; quia loca illa a nobis exhibita ab Adversariis explicantur vel de homine appellativo, sicuti Moyses dictus est Deus Pharaonis, vel de attributis per participationem, vel per communicationem; unde opponunt illud Joann. 5. *Non potest Filius a se facere quicquam*. VI. Joann. 17. Christus sic loquitur Patrem: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*: ergo solus Pater est Deus verus. VII. Quando Scripturarum verba repugnant rectæ rationi, non debent literaliter, sed metaphorice, intelligi; sed dato quod Scripturæ dicant, Christum esse Deum, hoc repugnat rectæ rationi: ergo verba illa, si sunt in Scripturis, non debent literaliter, sed metaphorice, intelligi. Probatur minor: Repugnat rectæ rationi, quod nulla creata mens intelligere valet; sed nulla creata mens intelligere potest Hominem Deum: ergo repugnat rectæ rationi &c. VIII. Ex Justino in Apologia I. habemus, Dei nomen non significare vere supremum Numen: ergo quamvis tribuatur Christo Dei nomen,

non per hoc Christus est Deus. Probatur antecedens ex verbis Justini: *Ipsum nomen est, significationem minime notam complectens; quemadmodum & Dei appellatio nomen non est, sed ineloquibilis naturæ hominum insita opinio, Jesus vero & hominis, & Servatoris nomen ac designationem habet, nam & homo, sicut prius diximus, est factus, & Dei, & Patris consilio, ac voluntate, partu editur.* IX. Christus sic dicitur in Scripturis Deus, sicuti dicitur Leo, vitis, petra &c., sed dicitur Leo, vitis, petra &c. per metaphoram: ergo sic pariter dicitur Deus. Probatur major. Christus dicitur in Scripturis Leo, vitis, petra &c., & postea negatur, quando dicitur homo; sed pariter dicitur Deus, & postea negatur, quando dicitur homo: ergo sic dicitur Christus in Scripturis Deus, sicut dicitur Leo, vitis, petra &c. X. Christus vocat Deum suum eodem modo, quo vocat Deum nostrum: Joann. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum:* ergo eodem modo respectu sui se habet Deus, ac respectu nostrum; sed respectu nostrum est creator, & Deus solus præter nos: ergo etiam respectu ipsius. XI. Angeli fuerunt, qui Patriarchis in veteri lege apparebant, & cum illis loquebantur: ergo ex apparitionibus illis non deducitur efficax argumentum ad probandum Christi divinitatem. XII. Plura sunt in Scripturis, quæ Christi divinitatem non solum non astruunt, sed destruunt; utpote illa; *Pater major me est;* ex quo deducitur, Christum esse creaturam: *Nemo bonus, nisi unus Deus;* ex quo infertur, Christum non esse Deum: *Jesus proficiebat sapientia, ætate, & gratia;* ex quo colligitur, Christum fuisse mutationibus subjectum, adeoque non fuisse Deum: Diem judicii neminem scire, *neque Filium;* ex quo habetur, Christum ignorasse illum, & ideo Deum non fuisse; & similia alia.

Respondemus ad I. Vocem illam, *Deus*, inveniri apud Patres etiam vetustiores; ut videre est apud Tertullianum lib. de Trinit. Quod attinet ad Cyprianum, diximus, Pamelium testari, se invenisse vocem illam in duobus Codicibus MSS. illius, quibus usus, ut faceret suam Cypriani editionem. Ulterius, ex Cypriani contextu patet, vocem illam fuisse; quia aliter verba illa Apostoli, quæ ab ipso citantur, nihil facerent ad suum intentum probandum. Ipse enim probare intendit, Christum esse Deum, contra Judæos; ut patet ex illius capitis titulo, in quo dicitur; *Quod Deus Christus.* Quod vero respicit Hilarium, diximus, quod in psal. 122. non citet integrum textum, quem tamen citat lib. 4. de Trinit. Denique, etsi in Scriptura deficeret vox illa, Deus, adhuc tamen subintelligeretur; quia soli Deo convenit, esse super omnia benedictum; ut dicit ibi Apostolus.

Ad II. Dicimus, in multis aliis locis Christum se dixisse simpliciter, & sine ulla restrictione, Deum & Filium Dei, & hoc etiam coram ipsismet Judæis. Non possunt autem Adversarii dicere, quod illa multa loca intelligi debent ex loco Joann. 10., quem objiciunt; sed potius nos possumus respondere, locum illum Joann. 10. explicari debere ex multis illis locis, quæ nos exhibemus. Quæ enim ratio est, ut unus locus det intelligentiam multis, & non potius multa dent unis? Argumentum, quo Adversarii utuntur, est a minori ad majus; illud vero, quo nos utimur, est a majori ad minus. Cujusdam sit amplior probandi vis, ipsimet Logici fateantur.

Ad III. Scripturæ perhibent, Christo dandam adorationem ut Deo; Deo autem non tribuenda est adoratio relativa, sed absoluta. Ulterius, Christus petiit ad hominibus adorationem mentis, oris & operis. Mentis, dum dixit Marc. 8. *Si quis vult me sequi, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Operis, quia dixit Luc. 5. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Oris denique, quia ait Matth. 10. *Qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Hæc autem triplex adoratio est certe absoluta, non relativa. Denique dum Apostolus dixit ad Hebr. 1. *Et adorent eum omnes Angeli ejus,* significavit, voluisse Deum, ut Christus ab omnibus Angelis, hoc est ab omnibus creaturis, adoraretur, non quidem relative, sed absolute; ut verba ipsa præseferunt.

Ad IV. negatur major; tum quia Dei nomen expresse in Scripturis tribuitur Christo; tum etiam quia Filius Dei nominatur passim in iisdem, & quidem per anthonomasiam; quod idem est ac dicere filius naturalis Dei. Si enim esset de filio adoptivo intelligendus, non esset quid peculiare ipsi, quum omnes homines simus filii Dei adoptivi.

Ad

Ad V. negatur pariter assumptum; ratio est, quia tribuuntur Christo attributa, quæ soli Deo conveniunt; opera, quæ a solo Deo prodire possunt; cultus, qui soli Deo exhiberi debet. Nunquam autem in Scripturis tribuitur creaturis, neque Moysi, nomen Dei cum additione vel restrictione prolatum. Moyses enim non absolute dicitur Deus, sed Deus Pharaonis. Nomen Dei autem simpliciter, & absolute prolatum soli Deo tribuitur. Denique nec Dei attributa, quæ Christo in Scripturis dantur, aliquando creaturis tribuuntur; nullibi enim creatura dicitur æterna, omnipotens, æqualis Deo, sicut dicitur Christus; nullibi legitur, creaturam operari quæcunque operatus est Deus, sicut de Christo legitur. Christus autem recepit esse a Patre, ut Filius; & cum esse recepit scientiam, omnipotentiam, æqualitatem &c. Ex hoc vero non sequitur, quod non sit illi consubstantialis; immo contrarium sequitur.

Ad VI. dicitur, verborum illorum Joann. 17. triplicem esse posse sensum; primus hic est: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te esse solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*; & in hoc sensu Pater non dicitur Deus cum exclusione Filii, quia per illa verba divinitas utrique tribuitur; & verbum *solum* est prædicatum, non subjectum; quod quidem prædicatum de utroque dicitur; hoc est: te solum esse Deum verum, & solum Jesum Christum esse Deum verum. Secundus est: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te esse illum Deum, qui solus est verus Deus, & quem misisti Jesum Christum*; & sic explicantur in hoc sensu. Ut cognoscant te esse illum Deum, qui solus est verus Deus, & quem misisti Jesum Christum, esse illum Deum, qui solus est verus Deus. Tertius est: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, & quem misisti Jesum Christum, esse solum Deum verum*: Et ita explicamus: Ut cognoscant te, & quem misisti Jesum Christum, esse solum Deum verum.

Ad VII. dicimus, aliud esse, quod mysterium aliquod sit præter, sit supra, creatæ mentis captum, aliud quod sit contra, creatæ mentis rationem. Concedimus, in secundo casu Scripturas intelligi debere, metaphorice, non proprie; at negamus in primo casu. Ratio est, quia potentia Dei quum sit infinita, non potest ab humana mente exæquari, quæ finita est; unde manifestum est, plura posse Deum operari, quam possit humana mens concipere. Scripturæ autem, quæ Christo tribuunt divinitatem, non dicunt aliquid, quod sit contra creatæ mentis rationem, sed quod sit supra; vel præter, creatæ mentis captum: unde non debent metaphorice intelligi.

Ad VIII. P. Boucat respondet, quod apud Justinum nomen Dei significare, rem ineloquibilis naturæ verificatur respectu hominum, non vero quoad se. Nomen enim Dei dupliciter considerat, & quoad nos, & quoad se; primo modo significat rem ineloquibilem, quia nec possumus concipere, nec dicere, quid sit Deus; secundo modo, concludimus, illum esse Deum, cui competit nomen Dei. Quum ergo Christo conveniat nomen Dei, patet ex Justino, Christum esse Deum.

Ad IX. dicitur, quod quando prima propositio non potest habere sensum obvium naturalem, tunc accipi debet in sensu metaphorico, si contrarium asseratur. At si propositio potest habere sensum obvium naturalem, etiam si contrarium asseratur, quod erit omnino falsum in sensu illi opposito, tunc sumi debet in sensu non metaphorico, sed proprio. Sic in casu; vitis, lex, petra, non præseferunt sensum obvium, & naturalem; unde metaphorice accipiuntur; & contrariæ propositiones veræ sunt in sensu proprio. Deus autem in Christo præsefert sensum obvium, & naturalem; ac proinde non est necesse, ut ad sensum metaphoricum recurramus.

Ad X. Christus loquebatur ut homo, & non ut Deus. Christus enim ut homo ascendebat ad Deum ut illi subjectus. Attamen ut persona facit, ut verba illa intelligantur secundum distributionem accomodam, non vero omnimodam. Post illa verba dixit Christus: *Vado parare vobis locum*: Quem locum erat Christus discipulis suis paraturus, nisi gloriam, quam ipsis, ut & cæteris hominibus, proprio sanguine promeruerat? Hæc autem dicere non poterat, nisi Deus; qui solus gloriam parat, & confert hominibus in cœlo.

Ad XI. Qui loquutus est in veteri lege Patriarchis dictus est aliquando in Scripturis Angelus, sed non natura, bene autem officio; quatenus scilicet Angeli officium exercebat. Non fuit igitur unquam Angelus purus; quod patet Gen. 31. ubi dicitur n. 11. *Dixitque Angelus Dei ad me in somnis: Jacob; & ego respondi: adsum*: Et in eodem capite n. 13. dixit idem, qui

voca-

Digitized by Google

vocatus fuerat Angelus, ad Jacob: *Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, & votum vovisti mihi.* En quomodo idem dicitur Angelus, & Deus. Et c. 32. n. 10. idem Jacob dixit: *Vidi Deum facie ad faciem, & salva facta est anima.* Quod expressit Concilium Antiochenum I. *Qui implens voluntatem paternam Patriarchis apparet, & cum eisdem loquitur in eisdem clausulis, & in eisdem capitibus, aliquando quidem tanquam Angelus, quandoque vero tanquam Dominus, quandoque autem Deus esse affirmatur.*

Ad XII. Verba illa: *Pater major me est*: intelligenda sunt de Christo, ut homo, non ut Deus est. Alia verba: *Nemo bonus, nisi Deus*; intelliguntur etiam de homine, seu de Christo, ut est homo; ille enim confitebatur Christum ut magistrum bonum, sed non adhuc ut Deum bonum; ut autem duceret eum Christus ad cognitionem sui, non solum ut magistri, sed etiam ut Dei; dixit verba illa: *nemo bonus, nisi unus Deus.* Et ita verba illa interpretantur Athanasius lib. de nat. hum., Hilarius lib. 9. de Trinit., Basilius lib. 4. cont. Eunomium; Nyssenus lib. 1. cont. Eunomium; Nazianzenus or. 36., Ambrosius lib. 2. de fide; quod nos quoque in hujusce Dissert. initio diximus. Marc. 10. Insuper Christus diem judicii nesciebat ut homo, non ut Deus; alii dicunt, dixisse ignorare, ut revelaret. Audiatur S. Cyrillus lib. 9. thes. c. 4. *Eam ignorare dispensando dixit, ut homini, quem assumpsit, congruentia diceret.* Et infra: *Patet, quia ipse ut Deus scit, ignorat, autem in quantum servi formam assumpsit.* Denique Jesus proficiebat quoad nos; quatenus scilicet per temporis successionem suam sapientiam manifestabat; non autem quoad se, novam scilicet sapientiam acquirendo, & comparando. S. Cyrillus lib. 10. thes. c. 7. ait: *Verbum igitur Dei, quod factum caro describitur, quamvis sapientia & virtus Patris sit, tamen quoniam se vere factum hominem oportebat ostendere, non præter naturam hominum, sed secundum naturam paulatim crescente corpore, paulatim quoque sapientior videbatur; occultam igitur sapientiam suam paulatim revelabat, legem naturæ nostræ sequutus.*

DISSERTATIO CLXXVIII.

De veritate Corporis Christi; an scilicet fuerit verum, vel phantasticum? an terrenum, vel cœleste? an corruptibile, vel incorruptibile? Ac de ejusdem integritate quoad partes, & præcipue quoad sanguinem.

PRIMO contra veritatem corporis, seu carnis, Christi debacchatus est Simon Magus, qui primus in Hæreticorum grege adnumeratur. Hic Gethis ortus, qui est vicus Samariæ, Magiam professus, se ipsum ut Numen aliquando præbuit adorandum. Baptismum deinde a Philippo Diacono accepit; sed christianam fidem perdidit, quando potestatem conferendi Spiritum Sanctum pecunia emere voluit. Hinc fide Christi abjecta, & sacrilega instituta Simonia, alios quamplures docuit errores; inter quos adnumerant, quod Christi carnis veritatem negaverit. Hunc errorem ei tribuit Justinus, qui testem affert S. Augustinum lib. de hæres., at Natalis Alexander nihil de eo memorat.

Secundo dicitur Saturninus, qui hanc Simonis blasphemiam amplexus est. Is in Syria scholam aperuit, postquam Antiochiæ patriam sortitus est; Simonis errores propagavit; inter quos docuit: Christum fuisse incorporeum, & informem, & specie potius, quam reipsa, hominibus apparuisse; & omnia, quæ de eo narrantur, specie tantum tenus fuisse peracta; uti fuit nasci, vivere, comedere, ambulare, pati, mori &c. Testantur Epiphanius, Irenæus, Theodoretus, Augustinus, Philastrius, in libris, quos de hæresibus ediderunt.

Ter-

Digitized by Google

Tertio Basilides, Menandri discipulus, Saturnini socius, Alexandriæ nativitatem habuit, & errores propagavit. Inter hos adnumeratur, quod Christus specie tenus mortalibus apparuerit, nec revera homo fuerit, nec veram carnem induerit. Hinc quoque docebat, Christum nec passum fuisse, nec mortuum; sed tantum Simonem Cyrenæum, qui crucem Domini bajulavit, in cruce expirasse, sub figura tamen Jesus, quam Jesus ipse immutavit. Ita recensiti Auctores, qui de hæresibus tractant.

Quarto dicitur, Marcum hanc insaniam asseruisse, a quo dicti sunt Marcitæ, vel Marcosii. Quum plures fuerint Marci, qui hæreses venditarunt, illos erudite distinguit Cardinalis Cozza; asseritque Marcum, de quo loquimur, fuisse Ægyptium, quanvis Scriptores de ejus patria, & genere non loquantur expresse. Fuit etiam Valentini discipulus, vel, ut alii dicunt, Basilidis; a quo hæresim, de qua tractamus, accepit.

Quinto Cerdon asseritur hujusce hæresis sectator, quum asseruerit, Christum non fuisse a Maria genitum, & specie tenus tantum fuisse hominem; ut testatur S. Epiphanius hæres. 41. Is e Syria Romam venit, sub Pontificatu Hygini; quod ex Irenæo refert Eusebius lib. 4. hist. eccl. c. 10.

Sexto habetur Marcion, qui fuit patria Ponticus, doctrina Stoicus, & filius Episcopi, catholici quidem, & pientissimi. Scripsisse eum contra veritatem carnis Christi, testantur plures; & præcipue Tertullianus lib. de carne Christi c. 1. & 5. lib. 5. contra Marcionem c. 9. Qui & ulterius lib. 3. c. 8. hæc habet: *Desinat nunc hæreticus a Judæo, aspis, quod ajunt, a vipera mutuari venenum. Evomat jam hinc proprii ingenii virus, phantasma vindicans Christum.*

Septimo fuit Manes, a quo dicti sunt Manichæi, & de quo scribit Augustinus lib. de hæres. c. 46. *Dicit, Christum nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præstitisse: ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem similiter mentiretur.*

Octavo recensentur Priscillianistæ, de quibus ait S. Leo magnus ep. 93. *Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt; sed per quandam illusionem ostentata videri volunt, quæ vera non fuerint, sequentes dogma Cerdonis, & Marcionis.*

Nono novi Manichæi dicunt apud Coccium, Christum non habuisse verum corpus, nec veram carnem, sicuti habent cæteri homines; nec vere fuisse passum, & mortuum in cruce; nec vere resurrexisse a mortuis; nec vere ascendisse ad cœlum in corpore, & carne humana, sed omnia in similitudine facta fuisse. Testis est Nicolaus Eymericus par. 2. director. q. 13.

Decimo Albanenses asserunt, quod Filius Dei Christus non assumpsit naturam humanam in veritate, sed similem in B. Virgine; & quod Christus non vere comedit, nec vere bibit, nec vere passus est, nec vere mortuus est, nec vere resurrexit, sed putative tantum. Testantur Guido de hæres. S. Antoninus 4. p. summ. tit. 11. c. 7. §. 5. apud Coccium.

Undecimo de Anabaptistis narrat idem Coccius, quod doceant, Christum non habuisse veram carnem ex Maria assumptam, nec fuisse verum hominem, sed habuisse corpus phantasticum; nec vere, sed tantum per phantasma, mortuum esse. Cochlæus de erroribus Anabaptistarum Monasterienfium; Calvinus de Libertinis c. 17. Testatur quoque Petrus Canisius lib. 1. de corruptelis Verbi Dei, ann. 1571. prope Heidelbergam publice facta esse Anabaptistis potestatem disputandi illam quæstionem, an Christus ex Virgine carnem assumpserit, an aliunde?

Duodecimo Gaspar Suvenckfeldius tom. 2. ep. 72., & 77. scribit: Carnem Christi nullo modo fuisse similem carni Adami, sive ante, sive post lapsum; addens insuper; hoc dogma æque inviolabile esse, ac sacrosanctum videri, ac Christum de Spiritu Sancto fuisse conceptum. Insuper p. par. Confessionis fol. 9. 19. &c., & par. 3. fol. 175., & ep. 78. ad Augustanos, & lib. de totalitate Christi, asserit latiori calamo: Christi carnem, vel humanitatem, non esse creatam, nec creaturam. Quæ quidem monstra sive antiqua, sive recentia, conabimur præ viribus disperdere, & in cineres redigere.

Dicimus I. Christum habuisse verum, & reale corpus, non vero phantasticum.

I. Probatur ex Scripturis. Isai. 50. *Corpus meum dedi percutientibus.* Joann. 2. *Solvite templum hoc . . . . . Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Joann. 8. *Quæritis me interficere, hominem, qui veritatem loquutus sum vobis.* I. Joann. 4. *Multi Pseudo prophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei. Omnis Spiritus, qui con-*

confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Jesum (græce autem sic scribitur) *qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo non est, & hic est Anticristus.* Matth. 20. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur, & occidetur, & tertia die resurget.* Luc. ult. *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum.* Ad Hebræos 2. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem.* Et n. 16. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: unde debuit per omnia fratribus assimilari.* Ad Galat. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Lucæ 2. *Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret; & peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. S. Leo magnus in solemnitate Nativitatis Domini ser. 1. c. 1. *Dei Filius secundum plenitudinem temporis, quam divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandam auctori suo naturam generis assumpsit humani; ut inventor mortis Diabolus per ipsam, quam vicerat, vinceretur.* Et ser. 3. de Epiphan. c. 3. *Unigenitus Dei sub una majestatis suæ inclinatione suscepit, ut & homo vellet nasci, & ab hominibus posset occidi.* Gregorius magnus lib. 4. moral. c. 12. *Idcirco Redemptor noster non Angelus, sed homo factus est, quia hoc procul dubio fieri debuit, quod redemit: ut & perditum Angelum non apprehendendo desereret, & hominem in semetipso apprehendendo reseraret.* Et lib. 17. c. 18. *Ut rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus: ut vero a peccatis mundaret hominem, homo, & sine peccato. Sed quis esset sine peccato homo, si ex peccati commixtione descenderet? Proinde venit propter nos in uterum Virginis Filius Dei, ibi pro nobis factus est homo. Sumpta est ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine peccato, quæ & humanitate mori, & justitia mundare potuisset.* Agatho in epist. ad Constantium Imperatorem, quæ legitur in actis Concilii VI. Constantinopolitani act. 4. *Confitemur unum ejusdem sanctæ coessentialis Trinitatis Deum verum, qui ante sæcula de Patre natus, est, in ultimis sæculorum temporibus pro nobis, nostraque salute descendisse de Cælis, & incarnatum de Spiritu Sancto, & Sancta Virgine Maria, vere, ac proprie Dei genitrice; secundum carnem scilicet ex ea natum, & vere hominem factum.* Gelasius Papa, ut legitur tom. 4. Biblioth. Patrum col. 417. *Maluisse Spiritum Dei dicere, Verbum carnem factum, cum in carnem Verbum non fuerit omnino conversum; dummodo principalis unitionis naturaliter in eodem divinitatis, humanitatisque significaret præsius veritatem, cum scilicet appareret, ipsum Verbum in utero matris virginis operans, ex eadem susceptæ sibimet tuendæ substantiæ fœcunditatis illius excitasse conceptum.* Innocentius III. ser. 1. de adventu Domini: *Cur in similitudine carnis peccati de muliere corpus assumpsit, & non potius ex alia sibi materia novum corpus formavit; ut sicut primus Adam factus est a Deo, ita fieret & secundus? O altitudo divitiarum &c. Rom. 11. Disposuit enim altitudo cælestis consilii, ut sicut per mulierem mors intraverat in orbem, ita & per mulierem vita rediret in orbem; ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. in Symbolo: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus, & sepultus est.* Concilium Constantinopolitanum I. in eodem Symbolo auctius edito. Concilium generale V. act. 4. *Si quis non confitetur eum, qui est ante sæcula, & sine tempore, ex Patre natus, esse Deum Verbum, in ultimis diebus descendisse de cælis, & incarnatum esse de sancta & gloriosa Dei Genitrice, & semper Virgine, Maria, & hominem factum, natum ex ipsa; anathema sit.* Concilium Bracarense c. 2. *Si quis Christum in vera hominis natura esse non credat, sicut Cerdon, Marcion, Manichæus, & Priscillianus, dixerunt; anathema sit.* Concilium Lateranense sub Martino Papa ann. 650. consult. 5. c. 2. *Si quis secundum Patres sanctos non confitetur, proprie & vere ipsum unum sanctæ, & consubstantialis, & venerandæ Trinitatis Deum Verbum e cælo descendisse, & incarnatum ex Spiritu Sancto, & Maria semper Virgine, & hominem factum, crucifixum carne, propter nos sponte passum, sepultumque, resurrexisse tertia die, & ascendisse in cælos, atque sedentem in dextera Patris, & venturum iterum cum paterna gloria, cum assumpta ab eo intellectualiter animata carne, judicare vivos, & mortuos; sit condemnatus.* Concilium Vvormatiense in confessione fidei: *De his tribus personis*

sola

Digitized by Google

sola Filii persona hominem verum sine peccato, pro liberatione humani generis, ex Maria Virgine, novo ordine, novaque nativitate, assumpsit. Concilium Toletanum I. in assertione fidei: *Nec imaginarium corpus aut phantasmatis alicujus in eo fuisse, sed solidum atque verum: hunc & esuriisse, & sitisse, & doluisse, & flevisse, & omnes corporis injurias pertulisse.*

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Ignatius in ep. ad Trallianos: *Vere genitus est ex Deo, & ex Virgine: non tamen eodem modo. Nec enim idem sunt Deus, & homo. Vere corpus assumpsit. Quippe Verbum caro factum est.* Et post paucà: *Vere Maria corpus genuit, quod in se Deum inhabitantem habuit: Et vere genitus est Deus Verbum ex Virgine.* Irænеus lib. 3. c. 32. *Errant igitur, qui dicunt, eum nihil ex Virgine accepisse, ut abjiciant carnis hæreditatem, abjiciant autem & similitudinem &c. Si non accepit ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis: & si hoc non factus est, quod nos eramus, non magnum faciebat quod passus est, & sustinuit &c. Quid in Mariam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab ea? Aut si nihil sumpsisset ex Maria, nunquam eas, quæ a terra erant, percepisset escas, per quas id, quod a terra sumptum est, nutritur corpus.* Et lib. 5. cap. 1. *Vani sunt qui putative dicunt eum apparuisse: non enim putative hæc, sed in substantia veritatis fiebant. Si autem cum homo non esset, apparebat homo, neque quod erat vere perseveravit Spiritus Dei: quoniam invisibilis est spiritus; neque veritas quædam erat in eo: non enim illud erat, quod videbatur. Prædiximus autem, quoniam Abraham, & reliqui Prophetæ, prophetice videbant eum, id, quod futurum erat per visionem prophetantes. Si igitur & nunc talis apparuit, non existens quod videbatur, quædam prophetica visio, facta est hominibus, & oportet alium expectare adventum ejus, in quo talis erit, qualis nunc visus est prophetice. Ostendimus autem quoniam idem est, putative dicere eum visum, & nihil ex Maria accepisse. Neque enim esset vere sanguinem, & carnem habens, per quam nos redemit, nisi antiquam plasmationem Adæ in semetipsum recapitulasset. Vani igitur qui a Valentino sunt, hoc dogmatizantes, uti excludant salutem carnis, & reprobent plasmationem Dei.* Cyrillus Hierosolymitanus catech. 4. de generat. Filii: *Credo quod hic unigenitus Dei Filius propter peccata nostra, de Cœlo descendit in terram, & earundem affectionum cum nobis assumpsit humanitatem, & natus est ex Maria Virgine, & Spiritu Sancto. Non opinione, non phantasia humanitatem assumpsit, sed in veritate: & non tanquam per canalem transiens per Virginem, sed vere incarnatus ex ipsa, lacte nutritus vere, vereque comedens, sicut & nos. Si enim phantasma erat illa incarnatio, phantasma & salus.* Et catech. 13. Illuminatorum: *Passus est Jesus pro hominibus vere: non enim apparentia est crux, neque opinio redemptio: non imaginaria mors, & fabulatoria salus. Si enim imaginaria esset mors, veri essent illi, qui dicebant: Recordati sumus, quod seductor ille dicebat adhuc vivens. Passio itaque vera: vere enim crucifixus est, & non confundimur, neque negamus; sed potius in eo gloriamur.* Cyrillus Alexandrinus de recta in Deum fide ad Theodosium: *Si Verbi incarnatio umbra est, aut res tantum imaginaria est; ergo vera non est, neque Virgo Filium Dei vere enixa est, neque Verbum, quod ex Deo Patre prodiit, semen Abrahæ vere complexum est, neque fratribus vere assimilatum est. Etenim quæ in nobis cernuntur, ea nec typus, nec umbra, nec spectrum sunt; sed veritas, & res ipsa &c. Si nunquam vere in carne apparuit, quale, quæso, dorsum pro nobis cædendum præbuit? aut quales percutientibus genas exhibuit? Si Verbum Dei vere incarnatum non esset, nec vere quoque pro nobis mortem oppetiisset, neque Christus Dominus ex mortuis vere exsuscitatus esset &c. An non apertissimum est, obsecro, unigenitum Dei Filium similem nobis, hoc est hominem factum esse, quo nimirum terrenum hoc nostrum corpus, vitæ propriæ per œconomicam unionem illi immissa, ab inducta corruptione liberaret? animam rursum humanam, posteaquam illam propriam sibi reddidisset, suaque naturæ firmitate, ac immutabilitate perinde ac vellus colore imbuisset, peccato superiorem declararet?*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus lib. de carne Christi c. 1. *Examinemus corporalem substantiam Domini; de spiritali enim certum est. Carnis quæritur veritas, & qualitas ejus retractatur, an fuerit, & unde, & cujusmodi fuerit. Renuntiatio dabit legem nostræ resurrectioni. Marcion ut carnem Christi negaret, negavit etiam nativitatem; aut ut nativitatem negaret, negavit & carnem: scilicet ne invicem sibi testimonium redderent, & responderent nativitas, & caro. Quia nec nativitas sine carne, nec caro sine nativitate: quasi non eadem licentia hæretica & ipse potuisset aut admissa carne, nativitatem negare, ut Apelles discipulus, & postea desertor ipsius: aut & carnem, & nativitatem confessus aliter illas interpreta-*

si, ut condiscipulus, & condesertor ejus Valentinus. Sed & qui carnem Christi putativam introduxit, eque potuit nativitatis quoque phantasmata confingere, ut & conceptus, & prægnatus, & partus Virginis, & ipsius exinde infantis ordo τὸ δοκεῖν haberetur. Hieronymus ad cap. 14. Matth. *Si juxta Marcionem, & Manichæum Dominus noster non est natus ex Virgine, sed visus in phantasmate, quomodo nunc Apostoli timent, ne phantasma videant &c. Qui putant Domini corpus non ideo esse verum, quia super molles aquas, molle, & aereum incesserit; respondeant, quomodo ambulaverit Petrus; quem utique verum hominem non negabunt.* Petrus Chrysologus ser. 144. *Ecce, inquit, concipies in utero. Propter reverentiam dixisse sufficerat concipies; quod exaggerat, in utero, quid est? ut conceptus esset veritas non figura: ut partus esset proprietas, non imago: ut sicut de Deo vero verus Deus natus est, sic de vero conceptu veritas humani corporis nasceretur. In ortu Christi, humani corporis injuria sublata est, non natura; nec est creatura deleta, sed culpa damnata. Est ergo hæresis, quæ Christum aerium corpus assumpsisse mentitur, nec habuisse carnem, sed hominem simulasse confingit.* Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. *Sic Christum verum hominem crede, ut ejus carnem non cœlestis, non aeriæ, non alterius cujusquam putes esse naturæ, sed ejus, cujus est omnium hominum caro, ideſt, quâ ipse Deus homini primo de terra plasmavit, & cæteris hominibus plasmat, quos per propagationem ex hominibus creat. Sed licet caro Christi, & omnium hominum unius, ejusdemque naturæ sit, hæc tamen quâ Deus Verbum ex Maria Virgine sibi unire dignatus est, sine peccato concepta, sine peccato nata est.* Beda ad c. 11. Lucæ: *Alioquin nec vere filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine.* S. Isidorus, Hispalensis Episcopus, de doctrin. & fid. ecclesiast dogm. c. 2. *Natus est Dei Filius ex homine, non per hominem; ideſt non ex viri coitu, sicut Ebion dicit; sed virginem carnem ex Virginis corpore trahens, non de cœlo secum adferens, sicut Marcion, & Eutyches, adfirmant; nec in phantasia, ideſt absque carne, sicut Valentinianus dicit; neque phantastice, ideſt putative imaginatum, sed corpus verum.*

VI. Probatur Rationibus. I. Christus post resurrectionem suam, ut Apostolis, qui illum putabant esse phantasma, ostenderet se non esse phantasma, pro ratione attulit, se manducare, & bibere; sed ante mortem suam manducabat etiam, & bibebat: ergo nec tunc erat phantasma. II. Christus ut probaret, se verum habere corpus, verum sibi corpus attribuit; communicavit carni, & sanguini, ut cæteri homines; vere mortuus est, & resurrexit; se videndum, & palpandum Discipulis dedit: ergo verum, & non phantasticum, habuit corpus. III. Christus ipse, Scriptura, & Patres, testantur, Verbum factum fuisse carnem, verum fuisse hominem: ergo verum habuit corpus, & non phantasticum. Consequentiam probat Tertullianus lib. de carne Christi: *Aliter non diceretur homo Christus sine carne, nec hominis filius sine aliquo parente homine: Quid dimidias cum mendacio Christum? Totus veritas fuit.* IV. Christus progenitus est ex vera Matre, ex veris avis, veris proavis oriundus: ergo verum habuit corpus. Antecedens patet ex Matth. 1., qui recenset Christi avos, & proavos ab Abraham usque ad ipsum; & ex Luc. 1., qui eosdem enumerat ab Adamo usque ad Christum; consequentia sequitur. V. Non fuisset Christus ipsamet veritas, si corpus habuisset non verum; atqui Christus dicit: *ego sum veritas*: ergo verum habuit corpus. Probatur major. Non est veritas in illo, qui veritatem verbis non manifestat: ergo multo minus est in illo, qui veritatem non manifestat facto; sed si Christus habuisset corpus phantasticum, non verum, veritatem non manifestasset facto: ergo non fuisset Christus ipsamet veritas, si corpus habuisset non verum. VI. Christus vere est mortuus, & vere resurrexit: ergo verum habuit corpus. Probatur antecedens. Christus vere redemit nos; sed non vere redemisset, si vere non fuisset mortuus; ergo &c. Ulterius; Christus est vera spes resurrectionis nostræ; sed non esset, nisi ipse vere resurrexisset: ergo Christus vere est mortuus, & vere resurrexit.

Obstant I. Non exprimit Scriptura, an corpus, quod tribuit Christo, fuerit verum, an fictum: ergo ex Scriptura non habetur efficax ratio, ut dicatur, fuisse verum, & non fictum. II. Rationes nostræ vim præcipue desumunt ex cap. 1. Matth.; sed ille non est genuinus Matthæi textus: ergo &c. III. Ad Philippens. 2. dicitur: *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*; & ad Roman. 8. *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati*; sed qui est ad similitudinem, non est proprie, & vere; ergo si Christus est in similitudinem hominis,

Digitized by Google

minis; non est vere, & proprie homo. IV. II. ad Cor. 5. habetur: *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus*; quod idem est ac dicere; quod quamvis aliquando credebamus, Christum verum habuisse corpus, nunc tamen perspicaciores effecti non credimus. V. Christus dicitur; *habitu inventus ut homo*; sed habitus dicit exteriorem apparentiam: ergo Christus exteriorem tantum habuit apparentiam hominis. VI. Christus quoque dictus est, non homo, sed ut homo; sed particula *ut* importat similitudinem, non proprietatem: ergo &c. VII. Non convenit Deo caro humana; & quia a Deo infinite distat; & quia concupiscit adversus Spiritum; & quia a principio nequam est: ergo Christus illius tantum habuit figuram. VIII. Patres docent, antiquis Patribus apparuisse Verbum, sed phantasticum erat corpus, quod Verbum tunc Patribus apparebat: ergo phantasticum etiam fuit illud, quo deinde hominibus apparuit, & cum eisdem conversatus est.

Respondemus ad I. quum non exprimat Scriptura quod fuerit fictum; & quum non aliis verbis potuisset exprimere quod fuerit verum; sequitur ex illis verbis haberi apertissime fuisse omnino verum. Currit enim superius data regula, quod quando Scriptura absque restrictione loquitur, & verba sine inconvenienti possunt in sensu proprio intelligi, proprie sint etiam accipienda.

Ad II. Dicitur, quod quum in omnibus catholicis Ecclesiis Canon librorum canonicorum novi testamenti continuerit integrum Evangelium Matthæi; non est ratio, qua possint Adversarii dicere, primum caput ejusdem Evangelii esse adulterinum, & suppositititium. Sic enim omnia Pontificum, Conciliorum, Patrum; tum Græcorum, tum Latinorum, præseferunt oracula, & suffragia; a quibus discedere non tam est pravi cordis, quam insanæ mentis, argumentum.

Ad III. Distinguitur vox illa *in similitudinem*; quoad statum, in quo sunt homines, conceditur; quoad substantiam hominis, negatur. Revera Christus fuit homo Deus, non purus homo; fuit homo innocens, non peccator; & tamen exterius apparebat ut cæteri homines, qui sunt puri homines, & peccatores; unde in hoc sensu vere dicitur in similitudinem hominum factus; quemadmodum pariter dicitur factus in similitudinem carnis peccati. At quoad substantiam non est factus tantum in similitudinem, seu in speciem externam hominum; verum quoque in internam, & essentialem; quia vere, & substantialiter fuit homo.

Ad IV. Verborum illorum sensus hic est: *Et si cognovimus secundum carnem Christum*; hoc est; quamvis aliquando plus æstimaverimus esse gentilem, & consanguineum Christi secundum carnem: *Sed nunc jam non novimus*; hoc est; modo tamen ita veteris vitæ affectibus mortui sumus, ut putemus de rebus illis gloriandum non esse. Hoc patet, quia verbis illis Paulus fugillat Pseudoapostolos, qui de Christi cognitione gloriabantur. Subdit Augustinus lib. 11. cont. Faustum c. 7. Si Christus numquam fuit in carne per Adversarios, quomodo Apostolus dicit: *Cognovimus Christum secundum carnem?*

Ad V. Habitus idem est, ac figura; in textu græco legitur figura. Figura si est sola excludit quidem realitatem, & veritatem substantiæ; sed quum non dicatur sola, non excludit, immo potius includit substantiam; habuit enim & figuram, & substantiam hominis.

Ad VI. Particula *Ut* in loco illo dicitur nota veritatis, non meræ similitudinis. Exemplum habemus in verbis illis Joannis: *Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti*: ubi particula *quasi* denotat veritatem, non meram similitudinem; unde ibidem dicitur: *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse narravit*.

Ad VII. Primo Christum non dedecet caro humana; quia ipse ut Deus eam condidit, multis beneficiis cumulavit, eam ut Deus homo redemit, pro ea sacramenta paravit, & ab ea virtutes plures exigit; tum etiam quia infinita illa distantia Dei amorem erga illam magis exaltat; caro sine peccato, qualis erat Christi non concupiscit; nec fuit unquam a principio malo, ut Manichæi fabulabantur.

Ad VIII. Non est omnium Patrum sententia apparitiones illas factas fuisse per Verbum. Quanvis autem Verbum illas fecisset, in illo statu conveniebat sic fieri, quia non oportebat illa operari, quæ operatus est postea, quando carnem assumpsit. Possunt etiam apparitiones illæ per actiones objectivas explicari; quemadmodum de apparitionibus Angelorum diximus.

Pro secunda Dissertationis parte, in qua quæritur, an Christi corpus fuerit cœleste, vel terrenum; Primo erravit Valen-

Digitized by Google

rinus, qui Romam veniens sub Hygino Papa, sub aliis deinde Pontificibus errores suos disseminavit. Multitudinem Deorum, ex fabulis Theogoniæ Hesiodi, inter Christianos induxit; scilicet Deos triginta, quos Æonas appellavit. Unus autem ex illis Æonibus, quem dicebat Unigenam, voluit quod creaverit Christum, & Spiritum Sanctum. Jesum vero dicebat ab Æonibus simul omnibus velut ex collatitia stirpe progenitum. Testatur Irenæus lib. 3. de hæres. c. 4., & Epiphanius hæres. 31. *Hunc e cælo detulisse corpus, ac per Mariam Virginem, velut aquam per canalem, transisse, nec ex ejus utero quicquam sumpsisse.*

Secundo Apelles, Marcionis discipulus, sub Sotero Papa, & Marco Aurelio Imperatore, floruit ann. 179., a quo dicti sunt discipuli ejus Apellitæ, vel Apelliani; dicebat, Christum in ipso suo a Cœlis descensu aëriam sibi carnem efformasse, & eandem deinde in ascensu singulis elementis restituisse. Testes sunt Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, de illius hæresi loquentes.

Tertio Secundus, a quo dicti sunt Secundiani, & qui fuit Valentini discipulus, sub Antonino Pio Imperatore, & S. Hygino Papa vixit ann. 150. Sequutus Valentini errores, pari modo effutiebat dicens: Christum e cœlo missum a Patre, secum cœleste detulisse corpus; nihilque de Beata Virgine sumpsisse; sed per eam, quasi per canalem, transisse.

Quarto Bogomili, ut narrat Euthymius in Panoplia p. 2. tit. 23. c. 7., dicunt, Christum descendisse de cœlis, & per aurem Virginis dexteram influxisse, carnem induisse, quæ aspectu quidem videatur ex materia constare, & humani corporis esse similis, quum tamen revera materiæ sit expers, ac divina. Verba sunt eadem apud Coccium. At contra hos omnes

Dicimus II. Christi corpus non fuisse cœleste, sed terrenum, & e Maria desumptum,

I. Probatur ex Scripturis. Multa Scripturarum loca docent, Christum esse Filium hominis; sed nequit esse Filius hominis nisi ex hominis substantia fiat: ergo corpus ex substantia hominis habuit; ergo terrenum, & non cœleste. Scripturæ, quæ in majori propositione memorantur, fuerunt pluries in superioribus allatæ. Insuper; Quod nascitur ex aliquo, fit ex illo, & non solum transit per illum; sed Matth. 1. dicitur Christus natus ex Maria: *Ex qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*: ergo ex Maria factus est Christus, & non tantum per illam transivit. Plures etiam Scripturæ docent, Christum natum fuisse ex semine David; sed David semen importat terrenum corpus, & non cœleste: ergo ex iisdem Scripturis habetur, Christi corpus fuisse cœleste, & non terrenum. Denique Matthæus, & Lucas, Christi genealogiam intexunt; qui autem illam componunt homines sunt, terreni quidem, & non cœlestes: ergo qui ex illis est progenitus, non cœleste, sed terrenum habuit corpus.

II. Probatur ex Pontificibus Romanis. Gregorius magnus lib. 17. moral. c. 18. *Proinde venit propter nos in uterum Virginis Filius Dei, ibi pro nobis factus est homo. Sumpta est ab illo natura, non culpa.* Gelasius Papa, superius laudatus: *Ex te nascetur, ut proprietatem de Matre sumendam nostræ conditionis exprimeret.* Innocentius III. ser. 1. de Advent. Domin. *Cur in similitudine carnis peccati de muliere corpus assumpsit, & non potius ex alia sibi materia novum corpus formavit; ut sicut primus Adam factus est a Deo, ita fieret & secundus? O altitudo divitiarum &c. Rom. 11. Disposuit enim altitudo cœlestis consilii, ut sicut per mulierem mors intraverat in orbem, ita & per mulierem vita rediret in orbem: ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Lateranense sub Martino habitum ann. 650. consult. 5. c. 2. *Cum assumpta ab eo intellectualiter animata carne.* Concilium Constantinopolitanum generale V. confessionis 5. cap. 2. *Qui de cælo descendit, & incarnatus de sancta gloriosa Dei genitrice & semper virgine Maria, natus est ex ipsa.* Concilium Constantinopolitanum generale VI. act. 17. *Et consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato.* Concilium Toletanum I. in assertione fidei: *Sanctificasse uterum Virginis Mariæ, atque ex ea verum hominem, sine virili, generatum semine, suscepisse.* Concilium Hispalense II. c. 13. *Omnes enim in Christo infirmitates humanitas sola portavit. Caro enim habuit vagitus infantiæ, non divinitas; caro est pannis involuta, non deitas; caro habuit alimenta, caro portavit elatum commercia &c.* Concilium Toletanum IV. c. 1. *Sine peccato suscipiens hominem, manens quod erat, assumens quod non erat; æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum*

Digitized by Google

dum humanitatem &c. Concilium Vvormatiense in confessione fidei: *Nova autem nativitate est genitus, quia incorrupta virginitas & virilem coitum nescivit, & facunda per Spiritum Sanctum, carnis materiam ministravit. Dei enim Filius non personam hominis accepit, sed naturam. Naturam quippe nostram &c.*

IV. Ex Patribus Græcis. Irenæus lib. 5. c. 1. *Neque enim esset vere sanguinem, & carnem habens, per quam nos redemit, nisi antiquam plasmationem Adæ in semetipsum recapitulasset. Vani igitur qui a Valentino sunt, hoc dogmatizantes, uti excludano salutem carnis, & reprobent plasmationem Dei.* Origenes lib. 2. in Job. *In novissimo tempore descendens de Cœlis Deus Unigenitus, terreni corporis testa ex Virgine se induens, totius mundi saniem, immunditiem quoque, & putredinem rasit, omnium peccata supportando.* Cyrillus Hierosolymitanus catech. 4. de generat. Filii. *Non opinione non phantasia humanitatem assumpsit, sed in veritate: non tanquam per canalem transiens per Virginem, sed vere incarnatus ex ipsa, lacte nutritus vere, vereque comedens, sicut & nos. Si enim phantasma erat illa incarnatio, phantasma & salus.* Gregorius Nazianzenus orat. 51. quæ est Epist. 1. ad Cledonium. *Si quis Christum per Virginem tanquam per canalem fluxisse, non autem in eo divino modo, quia absque viri operat humano, quia juxta pariendi consuetudinem, formatum esse dixerit, atheus est.* Gregorius Nyssenus orat. 2. de pauperibus amandis; *Ipse Dominus Angelorum, ipse cœlestis beatitudinis Rex propter te factus est homo, & sordidas istas, abjectasque carnis exuviolas, una cum anima, quæ ipsis erat induta sibi circumdedit, ut attactu suo tuis ægritudinibus mederetur.* Cyrillus Alexandrinus de recta in Deum fide ad Theodosium: *An non apertissimum est, obsecro, unigenitum Dei Filium, similem nobis, hoc est hominem, factum esse, quo nimirum hoc nostrum corpus terrenum, vita propria per æconomicam unionem illi immissa, ab inducta corruptione liberaret? animam rursum humanam posteaquam illam propriam sibi reddidisset, suæque naturæ firmitate, ac immutabilitate perinde ac vellus colore imbuisset, peccato superiorem declararet?*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Hieronymus ad c. 4 Ep. ad Galat. *Diligenter attendite, quod non dixerit factum per mulierem, quod Marcion, & cæteræ hæreses volunt, quæ putativam Christi carnem simulant; sed ex muliere, ut non per illam, sed ex illa natus esse credatur.* Augustinus hæres. 11. *Valentinus ait, Christum a Patre missum, id est a profundo spiritale vel cœleste secum attulisse corpus, nihilque assumpsisse de virgine Maria, sed per illam, tanquam per rivum, aut per fistulam, sine ulla de illa assumpta carne, transisse.* Fulgentius de fide ad Petrum c. 2. *Sic Christum verum hominem credas, ut ejus carnem non cœlestis, non aëria, non alterius cujusquam putes esse naturæ, sed ejus, cujus est omnium caro, id est, quam ipse Deus homini primo de terra plasmavit, & cæteris hominibus plasmat, quos per propagationem ex hominibus creat.* Isidorus, Hispalensis Episcopus, de doctrin. & fid. eccles. dogmat. c. 2. *Virginem carnem ex Virginis corpore trahens, non de cœlo secum adferens, sicut Marcion, & Eutyches affirmant.* Eucherius in lib. 1. Reg. c. 25. *Portabat terram Jesus, carnem, quam acceperat de terra.*

VI. Probatur Rationibus. I. quæ est S. Thomæ 3. p. q. 5. ar. 1. Conveniens fuit, ut Christus sumeret humanam naturam; ut ex suo loco probatis: ergo sumpsit humanum corpus; sed humanum corpus est terrenum, non cœleste: ergo Christus sumpsit corpus terrenum, non cœleste. II. quæ est ejusdem cit. loc. Si corpus Christi non fuit humanum, sed cœleste: ergo Christus non vere passus est: ergo non vere humanum genus redemit; sed hæc dici non possunt: ergo neque illa. Consequentiæ probantur a S. Doctore; quia oportet, effectum causæ proportionari. III. quæ est quoque ejusdem loc. pariter cit. Christus eam carnem assumere debebat, quam volebat reparare, & illam assumere in veritate, & non tantum in apparentia; sed sola erat caro humana: ergo Christus solam humanam carnem assumpsit in veritate, & non sub aliena specie, nempe cœlesti.

Arguunt Adversarii I. I. ad Cor. 15. dicit Apostolus: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis*: ergo per Apostolum Adam habuit terrenum corpus, Christus vero habuit corpus cœleste. II. Christus non fuit deterioris conditionis, quam Angeli; sed fuisset, si terrenum corpus habuisset: ergo non habuit. Probatur minor. Angeli fuerunt cœlestes, Christus fuisset terrenus: ergo Christus fuisset deterioris conditionis, quam Angeli, si terrenum corpus habuisset. III. Indecens omnino videtur, ut Verbum Dei uterum Mulieris ingrederetur, & in illo per novem menses ingrede-

Digitized by Google

gredereturr: ergo aliunde habuit corpus suum; non de terra; quia neque hoc ipsum decebat: ergo de cœlo. IV. Tota hominum caro per primi hominis culpam erat inimica Deo; quando igitur Christus sumpsit humanam carnem, vel sumpsit illam cum peccato, vel sine peccato? Non cum peccato, quod omnino sacrilegum esset dicere; neque sine peccato, quia non fuisset hominis caro.

Respondemus ad I. Oppositionem, quam facit Apostolus inter Christum, & Adamum, in eo consistere, quod Adamus habuerit corpus terrenum, Christus vero cœleste, non quidem ante, sed post resurrectionem. Ratio hujus explicationis est, quia Apostolus opponit statum, in quo Christus ad præsens est, statui, in quo erat Adami corpus, quando vivebat; tunc enim corpus Adæ erat passibile, mortale; nunc vero Christi est impassibile, immortale, & gloriosum, & proinde dicitur cœleste. Hoc autem non est tantum ratione beneficii gratuiti, quod Deus omnibus Justis concedet; sed etiam ratione personæ, cui Christi corpus unitum est; ratione enim illius personæ Christus dicitur, quod sit de cœlo; scilicet, quod cœlestem habeat originem in sinu Patris; ut ait Jueninus.

Ad II. Non est absurdum, quod Christus ut homo sit deterioris conditionis, quam Angeli; de Christo enim secundum humanitatem considerato illa psalmi verba intelligenda sunt: *Minoraſti eum paulo minus ab Angelis.* Cæterum verum est, quod Christi humanitas fuerit exaltata supra Angelorum choros; sed hoc non provenit ex physica entitate corporis Christi, sed quod merita humanitatis Christi ex hypostatica unione superaverint in infinitum merita illa omnia, quibus omnes Angeli viatores se commendabiles reddiderunt.

Ad III. Majus apparere deberet inconveniens, Christi corpus tot, tantisque tormentis fuisse in passione obnoxium, ac demum in crucis patibulo contumeliosam, uti dolorosissimam, mortem subjisse; quam in Virginis utero per novem menses permansisse. Quum enim voluerit Deus humanitatis leges in Filio suo non abrogare; consequens erat, ut sicuti cæteri homines nascuntur, ita pariter ipse nasceretur. Quod autem Verbum Virginis uterum ingressum fuerit, & in eo per novem menses permanserit, Patres omnes asseverant; ut suo loco videbitur; & ex hoc magnum Christi amorem exaltant, absque eo quod majestati ejus inferant contumeliam.

Ad IV. Sumpsit quidem humanam carnem Verbum Divinum, ut multoties ex Patribus diximus, sed absque peccato; quum tamen eam cum suis quoque defectibus sumpserit, ut suo loco explicabimus. Caro Adami esset caro a Verbo assumpta, si fuisset per naturalem facta propagationem. At non fuit ita facta, nec fuit ita assumpta; unde non dicimus, sumpsisse carnem peccati, carnem Deo inimicam; sed sumpsisse quidem carnem humanam, at sine peccato. Negari autem non potest, quod caro Christi fuerit sine seminis propagatione; quod Patres omnes uno ore conclamant. Ex purissimo beatissimæ Virginis sanguine caro ejus composita est; quæ quidem sine peccato fuit; modum autem in sequentibus explicabimus.

Pro tertia Dissertationis parte erravit primo Euthycheis fidissimus discipulus, Julianus, Halicarnassi Episcopus, asserens, Christi corpus ante resurrectionem fuisse incorruptibile; & hoc secundum Eutycheris hæresim dicebat; credebat enim, naturam humanam per suam unionem cum Verbo in ipso fuisse penitus absorptam, adeoque etiam ipsius proprietates, quæ ex carne, sive in substantia, sive in statu, promanabant, absorptas fuisse in ipsam divinitatem; unde corruptibilitas corporis Christi transisset in incorruptibilitatem Verbi divini. Contra Severus Monachus, & Eutycheis etiam discipulus, asserebat, quod quanvis naturæ confunderentur, non confundebantur tamen illarum proprietates; ac proinde corpus Christi, dum Christus in terris degebat, fuisse corruptibile.

Secundo ponuntur Gajanitæ, qui, ut testatur Leontius Scholasticus act. 10. lib. de Sectis, apud Fraſſen, confitentur quidem, quod Deus Verbum sumpserit e Virgine naturam humanam perfecte, & vere, sed asserunt, deinde post unionem cum Verbo corpus Christi factum fuisse incorruptibile. Quis fuerit horum Hæreticorum Auctor, Fraſſen non exprimit.

Tertio ejusdem erroris accusatur Justinianus Imperator; qui, teste Coccio, Edictum proposuit, quo sanxit corpus Domini incorruptibile, naturalium, & inculpatarum passionum haudquaquam capax fuisse; ac proinde credendum, Dominum ante passionem comedisse illo

qui-

Digitized by Google

quidem modo, quo post resurrectionem manducavit. Insuper corpus Christi nullam mutationem subiisse ab eo statu, quo in utero formatum est, neque in voluntariis, neque in naturalibus passionibus; & hoc aeque ante passionem, ac post resurrectionem. Huic errori demum Sacerdotes multos coegit subscribere. Attamen contra illum scripsit Anastasius Antiochenus; ut referunt Evagrius lib. 4. c. 39., & Nicephorus lib. 17. c. 29.

Quarto, refert Euthymius in Panoplia p. 2. tit. 20. Armenos dixisse, Christum suscepisse corpus non ejusdem essentiae, cujus nostra sunt corpora, sed incorruptibile, & impatibile, & tenue, & increatum, & coeleste; quod & videre, & comedere, & bibere videbatur, & aliis muneribus humanis fungi, quum tamen nihil horum fecerit. Probamus, hos Armenos Eutychianos esse; quum dicantur, asserere pariter, carnem Christi in divinitatem esse conversam, & factam ejusdem essentiae, cujus est divinitas. Legitur quoque apud Coccium.

Dicimus III. Corpus Christi ante resurrectionem fuisse corruptibile.

I. Probatur ex Scripturis. Quod dicitur in Scripturis infirmum, non potest a nobis dici incorruptibile; sed corpus Christi dicitur in Scripturis infirmum: ergo non potest dici a nobis incorruptibile. Probatur minor. Isai. 53. 3. *Virum dolorum, & scientem infirmitatem*. Matth. 26. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. II. ad Cor. 13. *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*. I. Petri 2. *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu*. Et c. 4. *Christo igitur passo in carne*.

II. Probatur ex Patribus. S. Ignatius martir ep. ad Trallianos: *Revera natus est Deus Verbum ex Virgine, vestitus corpore, obnoxio eisdem passionibus nobiscum: vere natus ex vulva, qui omnes homines in vulva fingit, & corpus sibi fabricavit ex sanguinibus Virginis, hoc solum excepto, quod nulla viri consuetudo intercesserit*. Justinus martir Dialog. cum Tryphone: *Christus in lucem editus, virtutem suam obtinuit, & incrementum capiens, juxta communem mortalium omnium morem, rebus congruentibus usurpandis, suum cuique actui, & aetati tribuit*. Origenes lib. 1. Periarchon: *Christus corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens, quod natum ex Virgine de Spiritu Sancto est*. Isidorus Pelusiota lib. 1. ep. 121. *Christus semen Abrahae apprehendit, & Matrem illinc elegit, & in ea, & ex ea carnem induit, atque homo vere per omnia, excepto peccato, nobis similis factus fuit*. Cyprianus de bono Patientiae: *Immortalitate interim posita, sieri & mortalem patitur, ut innocens pro vocantium salute perimatur*. Petrus Chrysologus ser. 144. *In ortu Christi humani corporis injuria sublata est, non natura; nec est creatura delicta, sed culpa damnata*.

III. Probatur Rationibus. I. Corpus, quod patitur, & flagellatur, & crucifigitur, corruptibile est, non incorruptibile; sed corpus Christi ante resurrectionem passum, flagellatum, & crucifixum fuit: ergo corruptibile, non incorruptibile, fuit. II. Si haec data ratio non probaret, ideo esset, quia, ut dicunt Adversarii cum Juliano, & aliis Incorrupticolis, hoc divinitus, & per Dei dispensationem factum fuit, scilicet, ut corpus Christi pateretur, & moreretur; sed haec evasio nihil concludit: ergo, &c. Probatur minor. Si Adversariorum discursus subsisteret, Deus operatus fuisset in Christo duo miracula contraria, & sine necessitate; hoc non est dicendum: ergo neque illud. Probatur major. Primum miraculum fuisset, dare corpori Christi incorruptibilitatem; secundum vero eandem auferre ab illo; sed haec sunt miracula, & sunt contraria, & sunt sine necessitate: ergo, &c. III. Aptius fuisset, quod Deus impedisset, ne ex unione Verbi cum humanitate oriretur incorruptibilitas, quam facere, ut orta incorruptibilitate ex unione illa, effectus ejus impediretur, & corruptibilitatis exercesetur effectus; sed Deus non praestitit primum: ergo neque secundum dicendum est praestitisse. IV. Nihil Deus facit frustra; sed frustra Deus dedisset corpori Christi incorruptibilitatem, si ab eo mox illam ablaturus fuisset: ergo ne dicamus, Deum illam ei frustra dedisse, debemus potius dicere, quod non dederit. Probatur minor. Illud frustra datur, quod nullum habet, nec habiturum est effectum; sed incorruptibilitas illa, quam Adversarii dicunt Deum dedisse corpori Christi, nullum habuit effectum, nec habitura erat: ergo frustra fuisset data. Probatur minor. Ex Adversariorum sententia impeditus fuit effectus ejus, statim ac Christus conceptus, ac natus fuit; quia illico in conceptione, & in nativitate, incepit dolores experiri, miserias sustinere, adversitatibus subjacere;

re : ergo incorruptibilitas illa, quam Adversarii comminiscuntur, nullum habuit effectum, nec habitura erat.

Opponunt I. Psal. 15. David prædixit, Christum hæc cum Patre loquentem, & ab eo deprecantem: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: ergo vere caro Christi incorruptibilis fuit. II. Caro Adami innocentis erat caro incorruptibilis; sed Christus, quum sit novus Adam, non est Adam peccator, sed innocens: ergo habuit pariter carnem incorruptibilem. Probatur major. Caro Adami innocentis non erat illi doloris occasio: ergo erat incorruptibilis. III. Christi sanguis fuit incorruptibilis: ergo pariter Christi caro. Consequentia sequitur; eadem enim est ratio de sanguine, & carne. Antecedens probatur verbis Dionysii Alexandrini in ep. adv. Paulum Samosatenum, in qua contra illum invehitur, quod dixisset, Christi sanguinem fuisse corruptibilem: *Surrexit itaque primum Samosatenus loquens iniqua, qui diceret esse corruptibilem sanguinem Jesu, qui est Deus Israel, & Jesus, & qui omnem corruptionem, & passionem, & mortem solvit, qui redemit nos a servitute corruptionis, Sanguinem mortalis & patibilis hominis dicit, quia dixit Dominus gloriæ Discipulis: Accipite, & dividite: Novum testamentum est in meo sanguine: & quia dicit idem: Qui pro vobis effunditur*. IV. Christus mortuus est non necessitate, sed potestate; nimirum non vi cruciatuum, sed sed sui plena, ac libera voluntate: ergo non habuit corpus corruptibile. Antecedens probat Augustinus tract. 31. in Joann. *Plus mirati sunt istam potestatem morientis, quam potentiam miracula facientis*; quod quidem probat, quia dum paulo ante mortem, quum pene vires omnes perdidisset, voce magna exclamavit dicens: *Consummatum est*. V. Cyrillus lib. 9. de adoratione in spiritu, & veritate, asserit: *Incorruptibile namque est Christi corpus, & divinam in seipso naturam habet. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Primitia porro nostræ, atque radix nostri generis, Christus est; quod genus hoc ipso quod Deo junctum est, ad incorruptionem recreatur*: ergo per Cyrillum corpus Christi, ratione suæ unionis cum Verbo, fuit incorruptibile. VI. Omnes Græci Patres dixerunt, corpus Christi esse incorruptibile; & ex Latinis etiam S. Hilarius; de quo asserit Claudianus Mamertus lib. de stat. animæ: *Quando B. Hilarius opinionis hujusce vitium virtutem confessionis abdicavit, sic sustinet reprehensionis stylum, quod non patitur detrimenta meritorum*.

Respondemus ad I. Verba Psalmi Davidis intelligenda esse de corpore, & sanguine Christi post resurrectionem, non vero ante illam. Quod mire distinguit S. Fulgentius ep. ad Reginum c. 4. *Christus ergo non vidit corruptionem, quia nullam sensit caro ejus putredinem. Hoc autem non ejusdem carnis incorruptibilitas, sed resurrectionis celeritas fecit*.

Ad II. Falsum esse, quod Verbum assumpserit carnem Adami innocentis; quia sumpsit carnem Adami peccatoris, sed sine peccato. Illam enim carnem sumpsit, quam sanavit; sed non sanavit carnem Adami innocentis, sed peccatoris: ergo non sumpsit carnem Adami innocentis, sed peccatoris. Et quanvis eam sumpserit; sine peccato; hoc tamen tribuitur modo, quo illam sumpsit; non enim illam sumpsit per seminis propagationem, qua peccatum propagatur; sed alio mirabili modo, quo peccatum non contrahitur.

Ad III. Error Pauli Samosateni fuit, quod dixerit, Christi corpus esse corruptibile post resurrectionem; & hunc contra ipsum Dionysius Alexandrinus insectatus est. Et hoc adeo verum est, quod idem Paulus asseruit, sanguinem Christi, etiam in statu, in quo Christus ad præsens est, esse corruptibilem; dicens, quod sanguinis Christi in sacramento sit corruptioni obnoxius. *Sanguinem mortalis, & patibilis hominis dicit; quia dixit Dominus gloriæ discipulis: accipite, & dividite*. Ut autem hoc probaret Samosatenus, duo producebat argumenta; unum, quia Christus est purus homo, & ideo nil divinum sit in sanguine ejus, quod corruptionem impediat; alterum, quod verba illa: *dividite, qui pro vobis effunditur &c.* accipienda sint in sensu literali pro divisione, & effusione, non tantum signi, seu speciei vini, sed etiam sanguinis ipsius: *Quia dixit Dominus gloriæ Discipulis: accipite, & dividite .... Et quia dicit idem: Qui pro vobis effunditur*.

Ad IV. Christus non necessitate mortuus est, sed potestate; at non illa potestate, quæ ex illius carnis conditione dependebat. Dixit enim, Spiritum quidem promptum esse, carnem autem infirmam. At illa potestate, quæ erat infinita Verbi, quod substantialiter carni fuerat unitum. Au-

diatur

Digitized by Google

diatur Augustinus tract. 47. in Joann. *Quando Christus animam posuit? Quando Verbum voluit. Principatus enim in Verbo erat, ibi potestas erat, quando poneret animam, quando sumeret.*

Ad V. dicit Jacuinus, Cyrillum intellexisse corruptibilitatem pro resolutione in prima elementa, non vero pro læsione aliqua, vel alteratione; & sic etiam accepisse incorruptibilitatem pro negatione resolutionis in prima elementa, non autem pro negatione læsionis, & alterationis illius. Quod vel ex eo probatur, quod Cyrillus multoties dixerit, Christum vere esuriisse, vere sitisse, vere dormivisse, vere denique fuisse passum dolores illos, quos corporis corruptibilitatis ratione experimur. Igitur non omnem corruptibilitatem a Christo amovit, sed illam tantum, quæ in resolutione ad prima elementa consistit. Et hanc incorruptibilitatem ideo habere docuit, quod humanitas fuerat cum Persona Verbi unito; asserens: *Incorruptibile namque est Christi corpus, & divinam in seipso naturam habet.*

Ad VI. Patres Græci explicantur, vel ut explicavimus Cyrillum, vel de incorruptibilitate post resurrectionem, vel alio modo congruente ex dictis. Hilarium defendunt S. Thomas in 3. dist. 15., & Philippus Abbas Bonæspei, aliique passim, dicendo, quod ipse tantum a Christo removerit necessitatem patiendi, non vero dolorem: Et hoc patet, quia asserit, Christum nulla necessitate coactum, nec invitum, sed voluntarie, & libenter fuisse passum dolores illos, quos sustinuit. Hæc verba ejus sunt lib. 10. de Trinit. *Caro illa, ideſt panis ille, de cœlis est; & homo ille de Deo est, habens ad patiendum quidem corpus, & passus est, sed naturam non habens ad dolendum. Naturæ enim propriæ ac suæ corpus illud est, quod in cœlestem gloriam transformatur in monte, quod attactu suo fugat febres, quod de sputo suo oculos format.* Igitur non negavit fuisse in Christo dolorem, vel passionem; sed tantum voluit, hæc fuisse non ex necessitate, sed ex voluntate Christi; quia illius caro Verbo unita nullam habebat patiendi necessitatem.

Pro quarta demum Dissertationis parte, primo supponere oportet, ad integritatem corporis humani in Christo pertinere partes essentiales hominis, ut sunt anima, & corpus; & partes integrantes, ut sunt caput, brachia, coxæ, &c., non pertinere autem partes, quas dicunt excrementitias, ut sunt capilli, ungues &c. Alii autem Theologi capillos, ungues, dentes, pilos, non ponunt inter partes excrementitias, sed dicunt illas esse partes, quæ pertinent ad hominis ornatum, adeoque pertinere quodammodo etiam ad corporis integritatem. Partes vero excrementitias volunt esse tantum salivam, sudorem, lacrimas, aliaque vere excrementa. Attamen integrantes quidam distinguunt partes, quæ sunt præcise de integritate; ut caput, ossa, caro &c., & partes, quæ sunt dumtaxat de veritate hominis; ut sanguis, spiritus, & alii humores; quibus secundum alios Theologos, quos diximus, addi possunt partes etiam integrantes, quæ sunt de ornatu hominis; ut capilli, dentes, ungues, pili &c. Certum est apud Theologos, Verbum copulavisse sibi partes hominis, quæ sunt de essentia, ut anima, & corpus; sicut magis in particulari de corpore dictum est, & de anima dicetur; item partes, quæ sunt de integritate corporis; quia aliter corpus humanum non fuisset perfectum, quod in hac Dissertatione probavimus. Solum igitur remanet difficultas de partibus spectantibus ad corporis ornatum, & ad corporis veritatem, & vitam, & præcipue de sanguine. Supponere proinde oportet secundo, Theologos plures cum Cajetano duplicem sanguinem distinguere in homine, nutrimentalem scilicet, & naturalem, quem dicunt esse de veritate naturæ. Primum non dicunt animatum, secundum dicunt, plures Thomistæ cum eodem Cajetano. At Scotistæ cum Doctore subtili opponuntur, dicentes, nullum sanguinem esse animatum. Cæterum conveniunt omnes, quod sanguis saltem naturalis, sit pars corporis humani, ut vere dicatur a divino Verbo assumptus. An autem fuerit assumptus immediate, an vero mediate, mediante scilicet humanitate, nec pariter Theologi conveniunt. Supponere ob hoc oportet tertio, quod Durandus negavit ullum sanguinem, sive naturalem, sive nutrimentalem, fuisse a Verbo hypostatice assumptum. Cajetanus cum pluribus Thomistis docuit, fuisse assumptum sanguinem naturalem, non vero nutrimentalem. Theologi autem reliqui omnes asserunt, omnem sanguinem, qui in Christo vivente fuit, fuisse Verbi subsistentia subsistentem; respuentes proinde distinctionem, quam alii supponunt, inter sanguinem naturalem, &

nutrimentalem.

His ſuppoſitis, enarranda eſt controverſia, quæ retroactis temporibus, ratione ſanguinis Chriſti, inter Scholaſticos quoſdam exarſit. Ann. 1351. Franciſcus Bajuli, Minorum Ordinis Guardianus Barchinonæ in concione dixit, ſanguinem Chriſti in paſſione effuſum fuiſſe a Divinitate ſeparatum; & ob inde non in triduo mortis latriæ cultu adorandum. Quod refert Vvadingus in annal. Minor. ad ann. 1351. n. 3. Inquiſitor Aragoniæ, qui erat tunc temporis Nicolaus Roſſelli propoſitionem detulit ad Joannem Morlandinum, primum Prædicatorum Ordinis Generalem, & deinde Cardinalem creatum a Clemente VI., qui ejus erat avunculus. Morlandinus reſcripſit, ſe habuiſſe a Pontifice vivo vocis oraculo, ut Bajulus ad palinodiam cogeretur, & propoſitionem eſſe pro hæretica habendam. Unde factum eſt, quod in Curia Epiſcopi Barchinonenſis, & Bajulus, & cæteri omnes, qui propoſitionem illam aſſeruerant, eandem publice ejurarent. Et ita abſque rumoribus res habuit finem. Anno poſtmodum 1462. eadem propoſitio prædicata fuit Brixiæ a S. Jacobo de Marchia, Ordinis pariter Minorum. Et quum Inquiſitor Lombardiæ, qui erat tempore illo Jacobus Brixienſis, Ordinis Prædicatorum, contra eam inſurgeret, aſſerendo fuiſſe illam a Clemente VI. damnatam, res delata eſt ad Pium II., qui, ut dicitur, nihil de illa ſtatuit.

Alia inſuper controverſia circa Chriſti ſanguinem eſt hic exponenda; an ſcilicet aliqua ipſius particula revera in terris ſubſtantialiter remanſerit, & adſervetur adhuc? Circa quam plures cum Cardinali Joanne de Turrecremata, Ordinis Prædicatorum, docent, nullam particulam ſanguinis Chriſti in terris manſiſſe poſt illius reſurrectionem; & ſanguinem, qui ſub Chriſti nomine adoratur, non eſſe illum, qui ex ejus corpore fluxit, ſed alium, qui fluxit ex Chriſti imagine a Judæis Berithi percuſſa. Alii autem Theologi docent, aſſervari adhuc in terris particulas Chriſti ſanguinis, nec omnem ſanguinem effuſum a Chriſto Domino in paſſione ſua fuiſſe ab ipſo reſumptum. Unde non ſolum in terris adorari ſanguinem miraculoſum, quem defenſores primæ ſententiæ concedunt, & dicunt illum eſſe a Chriſti imaginibus effuſum; verum quoque pretioſum, quo nomine intelligunt tantum illum, qui a Chriſti corpore fluxit. Quæ nos circa hæc omnia, quæ præmiſimus, intelligamus, ſic ſequentibus aſſertionibus aperimus.

Primo igitur aſſerimus, Verbum immediate hypoſtatice aſſumpſiſſe dentes, ungues, capillos, pilos, quæ pertinent ad corporis ornatum; non vero lacrimas, ſudorem, ſalivam, aliaque excrementa. Prima pars probatur. I. Quia partes illæ ſunt futuræ in corporibus glorioſis: ergo pertinent ad integritatem, & perfectionem, & ornatum corporum: ergo fuerunt immediate a Verbo aſſumptæ. II. Quia non tantum pertinent ad ornatum, verum etiam ad uſum; quia dentes inſerviunt comeſtioni, capilli caput fovent, ungues defendunt manus, & pedes in extremitatibus ſuis, pili corpus contegunt &c. III. Quia partes illas Chriſtus modo habet in Euchariſtia; non eſt enim aſſerendum, quod Chriſtus ſub ſpeciebus habeat caput calvum, os ſine dentibus, digitos abſque unguibus: ergo illas eaſdem partes Verbum aſsumpſit. Secunda Pars probatur etiam; quia partes illæ vere excrementitiæ, puta ſudor, lacrimæ, ſaliva &c. non pertinent ad corporis ornatum, non ad corporis uſum, non ad corporis perfectionem, non ad corporis integritatem; non ſunt in Euchariſtia, nec erunt in corporibus glorioſis: ergo non fuerunt immediate a Verbo aſsumptæ, ſed mediate tantum; ac proinde ſubſtiterunt in Chriſti corpore propria ſubſiſtentia, & non divina.

Secundo aſſerimus, Verbum aſsumpſiſſe etiam immediate ſanguinem ad ſubſiſtentiam divinam. Eſt Concluſio communis inter Thomiſtas, & Scotiſtas, contra Durandum, Richardum, & Gabrielem; & non ſolum ſanguinem naturalem, ut vult Cajetanus; ſed etiam nutrimentalem, ut cum Scoto Scotiſtæ defendunt. Probatur I. ex Scripturis. Matth. 26. *Qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.* Ad Hebr. 2. *Quia ergo pueri communicaverunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem.* I. Joann. 1. *Sanguis Jeſu Chriſti filii ejus emundet nos ab omni peccato.* II. Ex Clemente VI., qui in Extravaganti *Unigenitus* de pœnitent. & remiſs. aſserit, quod parva ſanguinis Chriſti gutta ſuffeciſset pro redemptione totius generis humani, propter unionem, quam habet ſanguis ad Verbum. III. Ex Patribus Ambroſio, Chryſoſtomo, Theodoreto, Dionyſio Alexandri-

Digitized by Google

drino, Beda, Cyrillo Alexandrino, Anselmo &c. Inter quos præcipue Dionysius in ep. ad Paulum Samosatenum habet: *Sanguinem Christi non posse corrumpi, quia est sanguis Dei vivi*. Cyrillus in anathematismo primo: *Participatus est. sanguine, & carne ex S. Virgine*. Beda ad illa verba: *quam acquisivit sanguine suo*, sic scribens: *Non dubitavit Paulus sanguinem Dei dicere propter unionem ad personam*: IV. Rationibus; tum quia totus Christus subsistit subsistentia divina: ergo quælibet pars Christi; sed ex Tridentino sess. 13. c. 3. sanguis est pars Christi: ergo &c. Minor subsumpta patet ex verbis Tridentini, quæ sunt: *Corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis ... animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini ..... inter se copulantur*: Tum etiam, quia in consecratione a Christo facta in ultima cœna sanguis positus est per concomitantiam sub specie panis, non vero illius vestis, aut cibus non dum digestus; sed non ob aliam rationem, quam quia cibus, & vestis, non erant partes humanitatis Christi, bene vero sanguis: ergo &c. Tum denique, quia Fideles eodem modo adorant sanguinem in calice, quo adorant corpus in hostia; sed adorant corpus propter unionem cum Verbo cultu latriæ: ergo propter eandem rationem adorant pariter sanguinem. Ex his sequitur, quod eodem modo fuerint uniti cum Verbo spiritus vitales, & animales; & quia sunt de integritate corporis Christi; & quia sunt necessarii ad operationes vitales exercendas, & corpus sine illis vix potest operari; & quia quodammodo pertinent etiam ad sanguinem: Quod pariter dici debet de cambio, rora, & glute, in quæ transit sanguis, quum transeat in carnem, & ossa; quia immediatius, ut ait Hennus, conferunt ad vitæ conservationem, quam sanguis: Quod denique dicendum putamus de cholera, seu bile atra, pituita, seu phlegmate, & malancholia, seu bile flava; quia requiruntur per se ad corporis statum convenientem; & quia pariter unam massam cum sanguine constituunt, quæ dicitur sanguis ab humore principaliori; ut laudatus Hennus discurrit.

Tertio asserimus, sanguinem in triduo mortis Christi fuisse unitum Verbo; attamen hoc non esse definitum ab Ecclesia; quanvis Theologi communiter contra paucos quosdam illud doceant. Quod probatur I. ex Scriptura Joann. 6. *Qui bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo*: ergo in triduo illo qui consecrasset, & bibisset calicem, habuisset in se Verbum; sed non habuisset Verbum, si in triduo illo sanguis non fuisset Verbo unitus: ergo &c. II. Per Theologos communiter post Damascenum, quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit; sed assumpsit hypostatice sanguinem, ut probavimus: ergo illum nec in triduo mortis dimisit. III. Ex Damasceno lib. 4. de fide c. 12. Crux Christi adoratur, quia sanguinis contactu sanctificata remansit; at non sanctificasset crucem, si sanguis effusus non remansisset Verbo unitus: ergo &c. IV. Caro Christi in triduo illo remansit unita Verbo: ergo etiam sanguis. Probatur consequentia. Ideo caro remansit unita Verbo, quia fuit a Verbo assumpta, & sibi hypostatice unita; sed hoc etiam dictum, & probatum est de sanguine: ergo &c. Quod autem hoc non sit definitum ab Ecclesia, probatur; quia Scripturæ silent, ut ipsemet Adversarii fatentur; Concilia nihil determinant; quia quanvis in Concilio generali VI. fuerit damnatus Constantinus hæreticus, qui dicebat, Christum exuisse carnem, & sanguinem, cum humana voluntate; tamen non constat, quod fuerit damnatus per hoc, & non potius, quia cum Manichæis negabat veram Christi carnem; vel quia cum Monotheliris unicam ponebat voluntatem in Christo: Et licet Concilium Chalcedonense approbaverit Cyrilli epistolam, in qua scripserat, Christum assumpsisse carnem, & sanguinem; nihilominus non declaravit, hoc esse de fide quoad sanguinis assumptionem, & præcipue in triduo mortis Christi; quod denique patet, quia Pius II. declaravit opinionem contrariam non esse hæreticam; quod non fecisset, si Concilium Chalcedonense illud declarasset: Neque a Romanis Pontificibus fuit declaratum; quia Clemens VI. illud non declaravit; si enim declarasset, Pius II., qui post Clementem centum circiter annis floruit, in suo diplomate dato ann. 1464. die prima Augusti, non prohibuisset sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, dici peccatum vel hæresim, sententiam, quæ contrarium docebat. Insuper ipsemet Pius II. eodem anno scripsit S. Jacobo de Marchia, se controversiam illam non diremisse: *Nos enim materiam ipsam hucusque non determinavimus, nec propter varias oc-*

cupationes determinare potuimus. Diploma Pii legitur in Bullario apud Cherubinum, & alios; epiſtola autem fuit a Vvadingo ex autographo exſcripta; ut ipſemet teſtatur.

Quarto aſſerimus, Chriſtum in reſurrectione reaſſumpſiſſe totum moraliter ſanguinem, non vero totum phyſice. Quod probatur pro prima parte; quia Chriſtus quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit; quod non verificaretur, ſi Chriſtus totum moraliter ſanguinem non reaſſumpſiſſet e tum etiam, quia Chriſtus reſurrexit homo perfectus, & integer; ſanguis autem in paſſione effuſus pertinebat ad Chriſti integritatem. Pro ſecunda vero parte probatur etiam: B Virgo revelavit S. Brigittæ, ut conſtat ex lib. 6. Revelationum ipſius: *Cum tempus vocationis meæ inſtaret de hoc mundo, ego ipſam ſacram membranam, nempe præputii, commendavi S. Joanni, Cuſtodi meo, cum ſanguine illo benedicto, qui remanſit in vulneribus ejus, quando depoſuimus de cruce*. Tum etiam, quia in Conventu S. Maximini Patrum Prædicatorum aſſervatur terra collecta a S. Maria Magdalena, in qua ſunt guttæ quædam ſanguinis, qui in Paraſceves die ab omnibus conſpiciuntur; ut nobis ipſis videntibus illam ipſimet Patres Prædicatores teſtati ſunt; aſſervatur etiam Mantuæ ſanguis a Longino collectus, & fuit a Leone III. approbatus; colitur etiam in aliis locis, puta Venetiis, Burgis, Romæ, Neapoli &c. Quod ſi non eſſet ſanguis pretioſus, ſed tantum miraculoſus, eſſet illudere devotioni Fidelium, & ſacrarum Reliquiarum fidem in Eccleſia nutantem reddere. Denique nunc etiam inſtrumenta paſſionis Chriſti videntur ſanguine aſperſa; ut corona ſpinea Pariſiis, Syndon Taurini, Lancea Romæ, & aliæ plures ſpinæ in aliis locis; ut cuilibet eſt manifeſtum.

Objiciunt contra has omnes aſſertiones Adverſarii noſtri I. Textus ad Hebræos 2. fruſtra a nobis intelligitur de aſſumptione, ſeu communicatione immediata, quum intelligi debeat de mediata, ſicut aſſumpta fuit ſaliva. II. Textus Matth. 26. & I. Joann. 1. non tribuit efficaciam illam emundandi a peccato, & remittendi peccata, ſanguini ipſi, ſed Chriſto ſanguinem ipſum offerenti. III. Sanguis non eſt animatus: ergo nec Verbo immediate unitus. IV. Sanguis non eſt pars corporis: ergo non pertinet ad corporis integritatem. V. Sanguis ad corpus vivum ſe habet ut oleum ad lucem; ſed oleum non eſt pars lucis: ergo nec ſanguis eſt pars corporis vivi. VI. Sanguis eſt alimentum corporis viventis; ſed alimentum non eſt pars corporis viventis: ergo neque ſanguis. VII. Ex Tridentino ſanguis eſt in Sacramento Euchariſtiæ per concomitantiam: ergo non vi verborum; ſed ſi eſſet pars corporis vivi deberet eſſe vi verborum, & non per concomitantiam: ergo &c. VIII. Humores, quos nos diximus, fuiſſe a Chriſto immediate aſſumptos, vocantur excrementa a Philoſophis, & Medicis; ſed excrementa non fuerunt immediate unita Verbo: ergo nec humores illi. Et hoc eo magis, quia Chriſtus aliquando phlegma expuit: ergo non erat illi unitum. IX. Quia Verbum erat unitum carni ſepultæ, Chriſtus dicitur ſepultus: ergo etiam quia in triduo mortis erat unitum ſanguini, debuiſſet dici adhærens pavimento, ſpinis, flagellis, cruci, in quibus erat ſanguis; ſed hoc dici non poteſt: ergo &c. X. Caro præputii non manſit unita Verbo, poſtquam ſemel fuit a Chriſti corpore avulſa: ergo nec ſanguis, poſtquam fuit a Chriſti corpore diffuſus. XI. Si in mortis Chriſti triduo Verbum fuiſſet unitum ſanguini, inter Verbum, & ſanguinem fuiſſet communicatio idiomatum; adeoque potuiſſet dici: Verbum eſt ſanguis; & ſanguis eſt Verbum: ſicut poterat dici: Deus eſt homo, & homo eſt Deus. XII. Si remanſiſſet ſanguis non reaſſumptus, ille etiam fuiſſet unitus Verbo; ſi unitus: ergo Verbum non dimiſit illum. XIII. Non eſt ſanguis ille, qui apparet in ſpinis, lancea, terra &c., ſed eſt color ſanguinis; quia non poteſt Verbum dimittere ſanguinem, quem ſemel aſſumpſit. XIV. S. Athanaſius in libello de paſſione dominicæ imaginis c. 7. docet, ſolum eſſe in terris Chriſti ſanguinem, qui effluxit ex imagine Chriſti Beryti in Syria crucifixi, & Chriſti ſanguinem, qui a Sacerdotibus conſecratur: ergo ſolum eſt in terris ſanguis miraculoſus, non vero pretioſus.

Reſpondemus ad I. Apoſtolum eodem prorſus modo loqui de aſſumptione carnis, ac de aſſumptione ſanguinis, ut ex illius verbis patet: ergo ſi carnem aſſumpſit immediate, ita pariter aſſumpſit ſanguinem.

Ad II. Scriptura tribuit efficaciam, & offerenti, & rei oblatæ, quum aſſerat, quod & explicant Patres, ſanguinem, non quemcumque, ſed Chriſti, eſſe noſtræ ſalutis

Digitized by Google

luris pretium. Quod & asseritur I. Petri 1. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati*. Præterea, si Scriptura tribuit nostram salutem potius sanguini Christi, quam sudori, & lacrimis; quia sanguinem dicit a Christo fuisse oblatum Patri, non sudorem, nec lacrimas; signum est, efficaciam esse & ex parte offerentis, & ex parte rei oblatæ.

Ad III. Quanvis secundum Scotum, ut diximus, sanguis non sit animatus; secundum alios tamen est animatus. Et quanvis non sit animatus, adhuc fuit Verbo hypostatice, & immediate unitus; quia ad hoc ut fuerit sic unitus, sufficit, quod sit pars humanitatis, pertinens ad ejus perfectionem, vel integritatem, vel veritatem.

Ad IV. Secundum alios sanguis est etiam pars corporis. Et dato, quod secundum Scotum non sit pars corporis, est tamen pars humanitatis; & hoc sufficit. Ulterius, secundum omnes sanguis est pars corporis vivi; quanvis a Scotistis dicatur, quod non sit pars corporis prout abstrahentis a vivo, & mortuo; seu, ut Scotistæ loquuntur, prout corpus dicit præcise materiam cum forma corporeitatis.

Ad V. negatur major. Ratio est, quia non diverso modo sanguis se habet ad corpus vivum, ac se habet oleum ad lampadem ardentem: Unde sicut oleum est pars lampadis ardentis, ita sanguis est pars corporis viventis. Differentia autem inter lucem, & lampadem ardentem, hæc est; quia lux dicit præcise lumen absque subjecto, quod luceat; lampas vero ardens dicit lumen, & subjectum, quod lucet; sic in casu, aliud est dicere vitam, & aliud corpus vivens; sanguis non est pars vitæ, sed est pars corporis, quod vivit.

Ad VI. Sanguis est alimentum corporis non in omnibus suis partibus, sed in partibus tantum solidioribus; unde in partibus fluidis quum non sit alimentum, nil prohibet, quin dicatur pars corporis. In partibus vero solidis quanvis non sit pars actu, est tamen potentia; quod ad præsens potest satis esse ad rationem partis.

Ad VII. Tridentinum esse intelligendum, quod sanguis sub speciebus vini contineatur vi verborum, sub speciebus tamen panis contineatur per concomitantiam, quam habet cum corpore vivo, quod nequit esse sine sanguine. Hoc autem non impedit, quod Verbum non assumserit immediate sanguinem; quum sufficiat, quod sanguis vi verborum sit sub speciebus vini, quanvis etiam contineatur sub speciebus panis, non vi verborum, sed per concomitantiam.

Ad VIII. dicitur, quod Philosophi, & Medici, vocant aliquando humores illos sub excrementorum nomine; sed non quod sint excrementa rigorose, & proprie loquendo, at vel ideo, quia ex illis excrementa generantur, vel quia purgari videntur ad instar excrementorum; quum tamen proprii ipsorum fontes semper in corpore maneant. Insuper, negatur phlegma, quod expuimus, esse verum phlegma, quum sit potius, ut dictum est, excrementum ex phlegma generatum. Sic in Christo phlegma, quod expuebat, erat excrementum, quod ex vero phlegmate generabatur; at nos non dicimus, hoc fuisse Verbo unitum, sed illud, ex quo hoc proveniebat.

Ad IX. Disparitas assignatur; quia cadaver etiam sine sanguine accipitur pro toto secundum communem nostrum modum intelligendi, & loquendi; sanguis vero non ita, quum sit semper pars. Et in hoc sensu, quando sepelitur, vel comburitur, vel in partes scinditur; caro alicujus hominis, dicitur homo ille sepultus, combustus, & in partes scissus; non vero sic dicitur, quando solummodo sanguis ejus vel sepelitur, vel comburitur, vel in partes scinditur. Sic pariter loquendum est de carne, & sanguine Christi.

Ad X. Disparitas etiam adsignatur, quia sanguis in circumcisione effusus, nunquam restitui debebat; sicut nec erat restituenda præputii caro; sed sanguis effusus in passione erat restituendus; & per hoc non debebat transire a supposito divino ad proprium, & deinde a proprio ad divinum revertere.

Ad XI. Communicationem idiomatum habuisse tantum locum inter Verbum, & naturam completam, non vero inter partes. Et ob hanc etiam rationem dici non potest: Verbum est animal; Verbum est corpus &c., & hoc etiam dum in triduo mortis anima Christi erat a corpore separata. Cæterum argumentum militat etiam pro sanguine, qui in Christi corpore existebat.

Ad XII. Dicitur, quod sicut Verbum non remansit unitum præputio, dentibus amissis in infantia, capillis, unguibus, pilis &c., ita nec remansit unitum sanguini, qui in terris repetitur. Verum enim

enim est, quod Verbum homo factum, seu Christus, modo non in alio loco est, quam in cœlo, & sub speciebus eucharisticis; si autem unitum remansisset carni præputii, sanguini, capillis &c., esset alibi, quam in cœlo, & in eucharistia.

Ad XIII. Gratis dicitur, esse colorem sanguinis in corona spinea, in ampulla, quæ Mantuæ asservatur, in syndone, in terra a B. Magdalena collecta; quia aliter Ecclesia colorem adorandum proponeret; qui quidem non est adorabilis sine sanguinis substantia. Axioma autem theologicum intelligitur moraliter, scilicet de partibus necessariis ad corporis integritatem; non vero physice, hoc est de minimis particulis, sine quibus corporis integritas stare potest.

Ad XIV. Liber, qui citatur, non est Athanasii, Alexandrini Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris, sed alterius Athanasii junioris, ut ait Bellarminus. Miraculum enim illud accidit ann. 766., ut asserit Sigibertus in Chronico, Athanasius autem floruit ann. 340. Et quanvis dicatur citatus in Nicæna Synodo generali II. advertit tamen Bellarminus, verba illa, quæ fovent contrariæ sententiæ, non reperiri in Codice græco illius Concilii, nec in versione Anastasii Bibliothecarii; sed fuisse addita ab aliquo post disputationem habitam de sanguine Christi coram Pio II., alia addit Bellarminus, quæ ad confirmationem nostræ sententiæ plurimum conferunt.

DISSERTATIO CLXXIX.

De sanctitate corporis, quod Verbum assumpsit; an fuerit ex Virgine conceptum? An in Virginis utero, vel corde? Et quas partes in ejus efformatione habuerit Spiritus Sanctus, quas Virgo Deipara? De ejusdem corporis pulcritudine, & naturalibus defectibus, si quos habuit.

PRimo contra sanctitatem corporis a divino Verbo assumpti blasphemant æque impuro, ac sacrilego ore illi omnes, qui dicere audent, Christum non de Virgine fuisse conceptum. Et inter hos primo loco adnumerantur Judæi, qui tam veteres, quam recentes, Christum asserunt ex Maria, & Josepho, natum; dicentes in Evangelio Matth. 13. *Nonne hic est Fabri filius? Nonne Mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas?* Et Lucæ 3. *Ut putabatur, Filius Joseph.*

Secundo Cerinthus, cui impossibile visum est, ut Jesus ex Virgine nasceretur; ac proinde scribebat, Christum esse purum hominem ex Joseph natum. Testatur Irenæus lib. 1. c. 25.

Tertio Ebion, qui putavit, Christum ex Josephi congressu cum Maria fuisse progenitum, proindeque ex libidine conceptum; ut asserunt Irenæus, Epiphanius, aliique passim, qui de hæresibus tractant, & Hæreticos recensent.

Quarto Carpocrates, Christum, dixit, accepisse naturam suam ex semine Joseph, & Mariæ; & hoc quidem eadem lege, qua cæteri homines ex maris, & fœminæ conjunctione nascuntur. Referunt Irenæus lib. 1. c. 24., & Epiphanius hæres. 27.

Quinto Marcion se expressit, ideo dixisse, Christum in hominis forma sine carne fuisse, quia impossibile judicabat, Virginem parere. Ita apud Irenæum lib. 1. c. 29., & apud Tertullianum lib. 3. contra Marcionem.

Sexto Origenes hom. 14. in Lucam innuere visus est, Mariam Virginem indiguisse purgatione post partum, & ejus vulvam in partu reseratam. Coccius testatur, hæc de Origene dixisse Ambrosium ad c. 2. Lucæ, & Hieronymum lib. 2. cont. Pelagium.

Septi-

Digitized by Google

Septimo Julianus Apostata librum edidit adversus Christianos, in quo totus est, ut impuriſſimo calamo suo perpetuam Mariæ virginitatem denigret, deridat, oppugnet. Testis est Coccius.

Octavo Helvidiani ab Helvidio, & dicti etiam Antidicomariani, effutire non erubuerunt, Mariam, postquam Christum genuit, Joseph viro suo fuisse copulatam, & ex eo genuisse filios, qui in Evangelio Fratres Domini dicuntur. Ita Hieronymus contra Helvidium, Epiphanius hæres 48., Augustinus hæres. 84.

Nono Jovinianus fuit perpetuus Mariæ virginitatis oppugnator, indesinenter asserens, Sanctam Dei Matrem pariendo Christum Dominum fuisse corruptam. Sic Augustinus hæres. 82.

Decimo Pauliciani dixerunt, immaculatam, & castissimam Mariam, post partum Domini Jesu, alios peperisse liberos ex maritali concubitu cum Joseph Viro suo. Photius apud Euthymium p. 2. Panopliæ tit. 21., Glycas par. 2. annal. fol. 290.

Undecimo Lollardi dicebant: Si Maria permansit Virgo post partum, non peperit hominem, sed Angelum: Unde deducebant, Virginem post partum haud fuisse. Testatur Trithemius in Chronico Hirsaugiensi de anno 1315.

Duodecimo quedam Joannis Vviclephi discipula Londini asserebat, Beatam Mariam non mansisse virginem post partum; & pro ratione addebat, quia in Scripturis non erat expressum. Refert Thomas Vvaldensis lib. 2. doctrinalis fidei ar. 2. c. 23.

Decimotertio Calvinus in Harmonia Evangelica ad c. 1. Lucæ v. 34. hæc scribit: „ „ Quod suspicati sunt quidam, Mariam „ perpetuæ virginitatis conceptum habuisse votum, nimis infirmum est, imo absurdum. Perfidum enim fuisset se Marito „ collocare, sanctumque conjugii fœdus „ non sine Dei ludibrio spreviſſet. „

Decimoquarto Petrus Martir ad c. 4. Epistolæ ad Romanos, impudenter literis mandavit, Deiparæ uterum post partum non mansisse clausum; quia Christus nascendo maternum uterum aperuit. Narrat Coccius, asserens, quod idem dixerunt Adamus Reisnerus libro germanico de Hierusalem, Molinæus 3. p. evangelicæ unionis, Bucerus ad c. 2. Lucæ.

Decimoquinto Lucas Sternbergius Mariam virginitatis gloria, & omni alio honore spoliare ausus est, asserens eam ex Josepho conjuge multos peperisse filios; & a reliquis mulieribus nuptis nihil differre. Ita Petrus Canisius præfat. in Opus Mariale; qui ulterius asserit, in Polonia, & Hungaria non deesse, qui adversus Virginem nostram illibatam blasphemas eructando voces asserant, Joseph commercium admisisse illam, & operi conjugali vacasse. Canisius lib. 2. c. 8. Marialis prædicti.

Decimosexto Theodorus Beza, Præfat. in novum Testamentum hæc habet: „ Perpetuam Mariæ ad mortem usque virgi„ nitatem etsi pie, & libenter credo; tamen „ nihil hoc ad salutis nostræ mysterium „ pertinet. „

Dicimus I. Christum fuisse genitum, ac natum ex puella, quæ fuit Virgo ante partum, in partu, & post partum.

I. Probatur ex Scripturis veteris, & novi Testamenti. Isai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*. Ezechiel. 44. *Dixit Dominus ad me, Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transiet per eam: Quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi.* Matth. 1. *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto .... Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium.* Luc. 1. *In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel a Deo ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, & ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in utero, & paries filium. Dixit autem Maria: Quomodo fiet istud? Quoniam Virum non cognosco? Dixit Angelus: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo magnus ser. 2. de nativit. Domin. c. 2. *Nova nativitate genitus est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine materna integritatis injuria .... Humano usu, & consuetudine, quod credimus caret, sed divina potestate subnixum est, quod Virgo conceperit, Virgo pepererit, & Virgo permanserit.* Hormisdas ep. 76. *Proprium est Dei filii, ut in novissimis temporibus Verbum caro fieret, & habitaret in nobis: ita intra viscera sanctæ Mariæ virginis, genitricis Dei, unitis utrisque sine aliqua confusione naturis, ut qui ante tempora erat Filius Dei, fieret filius hominis, & nasceretur ex tempore hominis more, matris vulvam natus non aperiens, & virginitatem matris Deitatis virtute non*

sal-

Digitized by Google

ſolvens. Dignum plane Deo naſcente myſterium, ut ſervaret pactum ſine corruptione, qui conceptum fecit eſſe ſine ſemine, ſervans quod ex Patre erat, & repræſentans quod ex matre ſuſcepit, Gregorius magnus in pſal. 4. pœnitentialem: *Sicut Maria Chriſtum peperit Virgo, & poſt partum incorrupta permanſit: ita & Mater Eccleſia filios Dei ſine dolore generat, & virgo ſemper illibata perſeverat.* Innocentius III. in encomio beatiſſimæ virginis Mariæ: *Miranda facunditatis prærogativa, quod talis talem taliter genuit. Talis; Virgo ante partum, & Virgo poſt partum: qualiter; Angelo annuntiante, Spiritu Sancto operante, virtute Altiſſimi obumbrante; qualem; Unigenitum Dei Patris, Deum, & Dominum majeſtatis. O quam bene, quam recte, flos dicitur, qui ex virginali virga producitur, in quo ſemper ſunt, quæ mirentur.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. in Symbolo fidei: *Natus ex Maria Virgine.* Concilium Conſtantinopolitanum I. in eodem Symbolo auctiori. Concilium Chalcedonenſe act. 5. *In noviſſimis autem diebus eundem propter ſalutem noſtram ex Maria Virgine Theotoco ſecundum humanitatem, unum eundem Chriſtum &c.* Concilium Conſtantinopolitanum generale V. confeſſ. 5. c. 2. *Incarnatus de ſancta glorioſa Dei Genitrice, & ſemper virgine Maria, natus eſt ex ipſa &c.* Concilium Conſtantinopolitanum VI. generale act. 17. *Propter noſtram ſalutem de Spiritu Sancto, & Maria virgine, proprie & veraciter Dei genitrice ſecundum humanitatem &c.* Concilium Toletanum I. in aſſertione fidei: *Hunc ergo Filium Dei, Deum natum a Patre, ante omne omnino principium, ſanctificaſſe uterum Virginis Mariæ, atque ex ea verum hominem, ſine civili generatum ſemine, ſuſcepiſſe.* Concilium Toletanum IV. c. 1. *Incarnatus eſt enim ex Spiritu Sancto, & glorioſa ſancta Dei genitrice virgine Maria, & natus ex ipſa.* Concilium Vvormatienſe in confeſſione fidei: *De his tribus perſonis ſola Filii perſona hominem verum ſine peccato, pro liberatione humani generis, ex Maria virgine, novo ordine, novaque nativitate, aſſumpſit. Novo ordine, quia inviſibilis divinitate, viſibilis monſtratur in carne. Nova autem nativitate eſt genitus, quia incorrupta virginitas & virilem coitum neſcivit, & fœcunda per Spiritum Sanctum, carnis materiam miniſtravit.*

IV. Probatur ex Patribus, & Græcis, & Latinis. Juſtinus Dialogo cum Tryphone: *Filium hominis ſeipſum Chriſtus vocavit a nativitate ſua e Virgine, quæ, ſicut dixi, Davidis, & Jacob, & Iſaac, Abrahamique genere fuit .... Chriſtus ex Virgine homo genitus; ut qua via a ſerpente inobedientiæ initium ſumpſit, eadem via etiam exitium caperet. Eva enim cum Virgo eſſet, & incorrupta, ſerpentis verbo concepto, inobedientiam & mortem peperit: fide autem & lætitia concepta Maria Virgo, cum nuntium ei latum Gabriel Angelus attuliſſet: Fiat, inquit, mihi ſecundum verbum tuum.* Irenæus lib. 3. c. 27. *Hic eſt, qui ex Virgine, quæ fuit de genere David, generatus eſt. Propter hoc enim & de fructu ventris ejus regem promiſit, quod erat proprium Virginis prægnantis, & non de fructu lumborum ejus, nec de fructu renum ejus, quod eſt proprium viri generantis, & mulieris ex viro conceptionem facientis.* Euſebius Cæſaræenſis de demonſtratione evangelica lib. 4. cap. 10. *Chriſtus more noſtro eſt editus, & mortalis inſtar hominem indutus, ſed non tanquam homo, verum ut Deus de puriſſima, nullaſque experta Virgine unptias.* Gregorius Nyſſenus orat. in die Chriſti nativitatis: *O rem admirandam! Virgo mater efficitur, & permanet Virgo. Cernis novum naturæ ordinem? In aliis mulieribus quamdiu aliqua eſt virgo, non eſt mater. Nam poſteaquam eſt facta mater, virginitatem non habet. Hic autem utrumque nomen in idem concurrit. Eadem enim & mater, & virgo eſt.* Cyprianus lib. 2. ad Quirinum c. 9. *Quod hoc futurum eſſet ſignum nativitatis ejus, ut de virgine naſceretur homo, & Deus, hominis, & Dei Filius, apud Eſaiam: Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi ſignum a Domino Deo tuo. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum Deum meum. Et dixit: Audite itaque domus David: non puſillum vobis certamen, cum hominibus, quoniam Deus præſtat agonem. Propter hoc dabit Deus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabitis nomen ejus Emmanuel.* Ambroſius de Virgin. inſtit. c. 5. *Et tamen cum omnes ad cultum virginitatis S. Mariæ advocarentur exemplo, fuerunt, qui eam negarent virginem perſeveraſſe. Hoc tantum ſacrilegium ſilere jam dudum maluimus, ſed quia cauſa vocavit in medium, itaut ejus prolapſionis etiam Epiſcopus argueretur, indemnatum non putavimus relinquendum.* Hieronymus lib. 2. adverſ. Pelagianos c. 2. *Solus enim Chriſtus clauſas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ tamen clauſa jugiter permanſerunt. Hæc eſt porta orientalis*

clau-

clausa, per quam solus Pontifex ingreditur, & egreditur, & nihilominus semper clausa est. Augustinus de sancta Virginitate c. 4. *Ipsa quoque virginitas Mariæ ideo gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conservaret ipse, præripuit, sed priusquam conciperetur, jam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit: Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est Viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custoditura, quod illa jam voverat.*

V. Probatur Rationibus. I. Dicere Mariam non fuisse virginem in concipiendo Christum derogat perfectioni Christi: ergo non est dicendum. Probatur antecedens. Derogat sanctitati, innocentiæ, & excellentiæ Christi; quia aliter esset conceptus de muliere non integra, de semine humano, & modo, quo cæteri homines concipiuntur. II. Derogat etiam dignitati Spiritus Sancti: ergo neque per hoc asserendum. Probatur antecedens. Negatur opera Spiritus Sancti in illa admirabili actione, & uterus Virginis non fuisset vere Spiritus Sancti sacrarium. III. derogat sanctitati Matris Dei; tum quia amisisset virginitatis donum, quod plusquam cætera æstimabat; tum etiam, quia non fuisset singularis inter mulieres. Hoc totum docet S. Thomas 3. p. q. 28. ar. 3. *Absque omni dubio detestandus est error Helvidii, qui dicere præsumpsit, Matrem Christi post partum a Joseph esse carnaliter cognitam, & alios filios genuisse. Hoc enim primo derogat Christi perfectioni. Secundo hic error injuriam facit Spiritui Sancto, cujus sacrarium fuit uterus virginalis. Tertio derogat & sanctitati Matris Dei.* IV. Christus in morte dedit Matri suæ filium Joannem Evangelistam: ergo Mater sua alios filios non habebat. Antecedens est certum ex Evangelio; consequentia sequitur; quia si alios filios habuisset, non indiguisset habere Joannem pro filio in sui solatium; ut enim docet S. Bonaventura lib. 4. sent. dist. 30. *Ideo erroneum est, & pernicioſum; & Dominus in morte istum errorem evacuavit, quando eam B. Joanni recommendavit, & dedit sibi in solatium loco filii, nec illum dedisset, si filios habuisset.* V. & est ratio Nicolai Lyrani ad c. 1. Matth. „ Beata Maria fuisset ingratissima, si tanto, ac tali Filio non fuisset „ contenta; & Joseph, qui dicitur Sanctus, „ sceleratissimus, & præsumptuosissimus „ fuisset, si templum Spiritus Sancti, & „ speciale habitaculum Dei, violare, ac „ polluere præsumpsisset „. VI. Conceptus in Christo completus caruit omni corruptione: ergo in concipiendo, & pariendo Virginis uterus permansit intemeratus. Antecedens est certum; quia non conveniebat Christo; immo ipsum maxime dedecebat, corruptionis defectus. Consequentia sequitur. Et est ratio Ivonis Carnotensis ser. de annunc. B. Mariæ: „ Sicut omni corruptione caruit iste „ conceptus, ita, quicquid Hæreticigarriunt, „ in concipiendo, & patiendo, Virginis uterus permansit intemeratus „. VII. Deus fecit primum hominem nec de viro, nec de fœmina: ergo potuit facere hominem de fœmina sine viro. Ratio etiam est laudati Ivonis cit. loc. „ Quæ ratio est, ut „ non credatur Deus hominem posse facere de fœmina sine viro, qui primum hominem nec de viro fecit, nec de fœmina „? VIII. Maria Virgo ante partum debuit Filio nascituro ex ipsa habitaculum præparare; post partum debuit propter reverentiam Filio suo debitam habitaculum ipsi datum omni alteri denegare: ergo Maria Virgo fuit virgo & ante partum, & post partum. Ratio est Joannis Gersonis ser. de Nativ. Mariæ: *Neque enim tibi laus altera præclarior, o Maria dari potest, quam quod ex te natus est Dominus Jesus Christus. Tibi quoque fuit Vir Joseph justus, & Virgo; tuæ testis & custos virginitatis.* Et in Summ. theologica lib. 4. de Sacram. matrimon. *Decuit Virginem gloriosam vovere virginitatem, ut esset mater Christi incorrupta & corpore, & voluntate. Perfecta enim incorruptio consistit in voto virginitatis. Alia causa est, ut esset exemplum mulieribus virginitatis, sicut Christus est exemplum. Tertia causa est propter sanctitatem privilegii, ut quam Altissimus fundavit, esset sanctior, & amabilior universis.*

Objiciunt I. Judæi. In Isaia non legitur *Virgo*, quæ hebraice scribitur *Betbulah*; sed legitur *Puella*, quæ hebraice scribitur *Hahhalmah*; sed puella non significat incorruptionem mulieris, at tantum ætatem: ergo ex illo Isaiæ textu non colligitur Mariæ virginitas. II. Admisso, quod verbum illud hebraicum *Hahhalmah* significet Virginem, significat tamen Virginem, quæ virum non cognovit usq-

ad conceptum, non vero quæ virginitatem in ipso conceptu servaverit: ergo Isaiæ verborum sensus hic est: Virgo, quæ prius fuerat abscondita, nuptui tradetur, & Filium pariet. III. Verba illa: *Ecce Virgo concipiet*: intelligenda sunt de uxore Regis Achaz, & de ejus filio Ezechia, quem parere debebat propediem: ergo nequeunt de B. Virgine intelligi. IV. Cum Ebionitis, & aliis Hæreticis: Paulus ad Galat. 4. ait: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*; Si factus ex muliere: ergo non factus ex virgine. V. Caro Christi vel mundata fuit in Mariæ Progenitoribus, vel in Mariæ utero? Non in Mariæ progenitoribus, quia fuerunt omnes vel peccato originali, vel peccato actuali maculati: Neque in Mariæ visceribus; quia caro Mariæ fuit caro Progenitorum Mariæ: ergo fuit etiam in suis Progenitoribus inquinata. VI. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis c. 25. docet, quod caro Mariæ fuit decimata decimato Levi, non sic autem caro Christi, secundum intelligentiam cap. 7. ep. ad Hebræos: ergo vel caro Christi non est caro Mariæ, vel si una fuit decimata, fuit etiam decimata altera. VII. Matthæus c. 1. asserit, quod S. Joseph non cognovit B. Virginem usque ad partum: ergo post partum cognovit. VIII. Inintelligibile est, quod Christus transierit per clausam Virginis vulvam, & hæc clausa semper fuerit; nec juvat exemplum afferre de eodem, vel quando e sepulcro exivit, vel quando Cœnaculum clausis januis intravit; quia de iisdem eadem est repugnantia; & Hæretici æque unum, ac alia negant. IX. Amphilochius, antiquus Pater, qui floruit ann. 370. in orat. de occursu Domini, Deiparaque, & Anna, docuit: *Cujuslibet Virginis natura ita comparata est, ut uterus illius primo quidem reseretur per Viri coitum, mox vero per partum*: ergo si hæc est natura, & essentia cujuslibet Virginis, & cujuslibet partus; & natura, & essentia mutari non potest, dici non potest, quod B. Virgo Maria conceperit, & pepererit, absque sui virginalis uteri læsione. X. Verba illa: *Ecce Virgo concipiet*: non possunt de Messiæ partu intelligi, sive sit is Jesus Nazarenus, sive alius. Ad quid enim datur signum Achaz, qui non erat Messiam visurus? Sane Christus natus est octingentis annis post Achaz.

Respondemus ad I. Vocem *Habbalmah* non significare puellam ætatis teneræ tantum, sed significare ulterius puellam, quæ virum non cognoverit; quum proprie significet puellam absconditam, hoc est puellam, quæ in publico non comparuerit, & semper domi clausa manserit, ut virginitatem custodiret. Sic Gen. 24. v. 16. ubi Vulgata dicit de Rebecca: *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro*: Hebræus textus habet: *Habbalmah*. Ita etiam Exodi 2. v. 8. ubi Vulgata legit de Maria, Moysis sorore: *Perrexit puella, & vocavit Matrem suam*: textus hebræus scribit: *Habbalmah*. Judæi autem nullum exhibere possunt textum, quo per idem verbum significetur adolescentula, & non virgo. Quæ diximus confirmamus testimonio Hieronymi, qui in Traditionibus Hebraicis hæc habet: *Alma, quod interpretatur abscondita, ideſt, Virgo nimia diligentia custodita, majoris mihi videtur esse laudis, quam Virgo. Virgo quippe juxta Apostolum, potest esse corpore, non spiritu. Abscondita vero qua Virgo est in recessu virginitatis habet, ut & virgo sit, & abscondita: Et qua abscondita est, juxta idioma linguæ hebraæ, consequenter & virgo est: quæ autem virgo, non statim sequitur, ut abscondita sit. . . . Ostendant igitur Judæi in Scripturis alicubi positum Alma, ubi adolescentulam tantum, & non virginem sonet, & concedimus eis illud, quod in Isaia apud nos dicitur: Ecce Virgo concipiet & pariet, non absconditam virginem, sed adolescentulam significare jam nuptam*. Eadem habet S. Doctor lib. 1. cont. Jovinianum, c. 18.

Ad II. Si vera esset altera explicatio, quam dant Judæi, frustra Isaias illud diceret signum, frustra Hieremias illud vocaret novum. At Isaias Regi Achaz prædicit: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. . . . Propter hoc dabit vobis Dominus ipse signum: Ecce Virgo concipiet*; Et Hieremias c. 31. *Creavit Dominus novum super terram: fœmina circumdabit virum*. Quæ enim novitas, quæ admiratio, quod signum, ut sit virgo, quæ non dum passa est virum, & quæ amplius non sit virgo, quando virum jam patitur? Et hoc facto hanc Judæorum imaginationem deriserunt antiqui Patres; & præcipue Justinus in Dialogo cum Tryphone, & Tertullianus in libro adversus Judæos.

Ad III. Judæorum responsio historiæ veritati contradicit. Docet enim Hieronymus in cap. 7. Isaiæ, quod prophetia facta est regnante Achaz, ad quem dirigebatur.

Digitized by Google

batur: Supposito igitur, quod fuerit facta primo anno, quo Achaz regnare cœpit; & tunc dirigi non poterat ad uxorem Achaz, quæ erat paritura Ezechiam; quia quando Achaz regnare cœpit Ezechias erat novem annorum. Quod sic probatur. Achaz regnavit sexdecim annos; quod habemus ex 4. Reg. c. 6. post ejus mortem statim regnavit ejus Filius Ezechias; Ezechias quando regnare cœpit ex 4. Reg. c. 16. erat viginti quinque annorum. Si ab his viginti quinque annis demantur sexdecim, quibus regnavit Achaz, remanent novem; & hi sunt anni, quos habebat Ezechias, quando ejus Pater Achaz regnare cœpit. Qua igitur ratione poterat prophetia dirigi ad uxorem Achaz, quæ erat paritura Ezechiam, quando Ezechias novem annos habebat?

Ad IV. dicit Tertullianus de Virginibus velandis c. 4. quod vox illa, *Mulier*, significet sexum, non conditionem, aut qualitatem sexus; adeoque esse nomen, quod importat fœminam, sive sit virgo, sive non sit. Et hoc probat ex illo Genesis, ubi Eva vocatur mulier, & vocatur a principio suæ formationis, quando scilicet a Viro non adhuc fuerat cognita.

Ad V. dicimus, carnem Christi non fuisse ante Mariæ ortum in Mariæ Progenitoribus mundatam; quia omnes ante Mariam peccaverant. Fuit autem mundata actu in solis Mariæ viscoribus, quæ nunquam peccavit. Caro autem Mariæ quia non contraxit originalem culpam, non participavit de macula nec Adami, nec Progenitorum ejus, qui post Adamum fuerunt. Quum enim fuerit caro Mariæ ab originali labe præservata, ipsius caro sancta erat.

Ad VI. Afferimus verba Augustini cit. loc. quæ hæc sunt: *Secundum rationem seminalem fuit ibi Levi, qua ratione per concubitum venturus erat in Matrem, secundum quam rationem non erat ibi Christi caro, quamvis secundum ipsam ibi fuerit Mariæ caro. . . . Levi in lumbis fuit Abrahæ secundum concupiscentiam carnalem, Christus autem secundum substantiam corporalem.* Igitur ex S. Doctore distinguere possumus tres generandi vias; unam per concupiscentiam carnalem, quæ est in omnibus hominibus; alteram per rationem seminalem, absque concupiscentia, quæ fuit in Genitoribus Mariæ; & alteram per substantiam corporalem, absque concupiscentia, & absque semine, quæ in solo fuit Christo Domino. Unde caro Virginis sanctificata, quia fuit per rationem seminalem absque concupiscentia; subministravit carnem Christo absque concupiscentia, & absque semine; ita quidem ut dici possit caro Virginis sanctificata, & caro Christi sancta.

Ad VII. respondet Hieronymus lib. 1. Comment. in c. 1. Matthæi: *Quod autem dicitur, antequam convenirent, non sequitur ut postea convenerint; sed Scriptura quod factum non sit, ostendit.* Respondet etiam Ambrosius de Virgin. instituc. c. 5. *Secunda quæstio, quia scriptum est: Antequam convenirent, inventa est in utero habens. Consuetudo autem divinæ Scripturæ est, ut causam, quæ suscepta est, astruat, incidentem differat. Quo solvitur etiam tertia quæstio, quo dictum est.* Non cognovit eam, donec peperit Filium. *Quid ergo? Postea cognovit? minime. Denique scriptum est:* Ego sum Deus, & donec senescatis, ego sum? *Nunquid igitur postquam senuerunt, quia, donec dictum erat, Deus esse desivit?*

Ad VIII. respondet Cyrillus Hierosolymitanus catech. 12. *Sed convincere nos studebunt, tam Græci, quam Judæi, & dicunt, quod erat impossibile, Christum de Virgine nasci. Græcis igitur primum ex ipsorummet fabulis os obstruamus. Qui enim dicitis projectos lapides in homines mutari, quomodo Virginem parere posse negatis? Qui ex Jovis cerebro natam filiam fabulamini, quomodo ex utero virginali nasci aliquem impossibile esse dicitis? Qui de femore vestri Jovis prognatum falsè dicitis esse Bacchum, cur nostram veritatem rejicitis? Scio me indigna præsenti auscultatione dicere: Sed ut opportune in Græcos redarguas, hæc attulimus ex ipsorum fabulis, ad eos dicentes. Illis vero, qui sunt de Circumcisione, sic occurrens perquire: Utrum est difficilius, senem, & sterilem (muliebribus jam deficientibus) parere, aut virginem juvenem generare? Sterilis erat Sara, & deficientibus jam muliebribus præter naturam peperit. Igitur quum & sterilem, & virginem parere sit præter naturam; aut utrumque nega, aut utrumque concede. Idem enim Deus utrumque operatus est: Neque enim audebis dicere, quod illic quidem possibile, hic autem impossibile est Deo. . . . O Judæi. Utrum autem difficilius est Virginem parere, aut virgam in animal mutari? . . . . O indoctissimi Judæi! Unde Adam factus est? Nonne Deus accepit pulverem de terra, & creavit creaturam hanc admirandam? Quid igitur? Lutum quidem in oculum mutatur, & Virga non generabit?*

Ad IX. Amphilochius, qui potius floruit ann. 380., non est Auctor, qui citatur. Nullus enim, qui Ecclesiasticos Scriptores recenset, illius meminit. *Verum* dato quod sit, audiantur ejus verba, quæ ad citata subjungit: *In nostro autem Servatore secus res se habet: Ipse enim e Virginis matris utero modo, qui verbis explicari omnino non potest, extra ullum prorsus viri commercium, prodiit. Quare Oraculum illud: Omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur; ad unum, & solum Dominum nostrum spectat. At Virginis naturam quod spectat, portæ virgineæ a quaquam fuerunt reclusæ: Ad nati vero Domini virtutem quod attinet, nihil est illi occlusum, nihil quod illum impediat, nihil quod interturbet; sed omnia sunt illi aperta, & obvia.*

Ad X. dicit Chrysostomus in Comm. Isai. Signum non dari Achaz, sed domui David, quæ permansura erat usque ad Christum, & quæ paritura erat Christum. Principio enim data fuit libertas petendi signum Achaz, sed quum eam neglexisset, vel contempsisset, signum majus promissum non Achaz, sed Davidi; quod & prosequitur in eodem loco Maldonatus.

Ad Secundam modo Dissertationis partem devenientes, præmittimus, circa finem seculi decimisexti fuisse Petrum Lucensem, Canonicum Regularem, qui asseruit, Christum fuisse conceptum, non in Virginis utero, sed in ipsius corde. Hoc autem est contra unanimem antiquorum Theologorum mentem, qui omnes asseruerunt, fuisse Christum conceptum in Beatissimæ Virginis utero. Ideo

Dicimus II. Corpus a Verbo divino assumptum fuisse conceptum in Virginis utero, non in ejusdem corde.

I. Probatur ex Scripturis, Matth. 1. 18 *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*; & v. 23. *Ecce Virgo in utero habebit.* Lucæ 1. 31. *Ecce concipies in utero, & paries Filium*; & v. 44. *Benedictus fructus ventris tui.* Et c. 2. 21. *Priusquam in utero concideretur.* Et c. 11. 27. *Beatus venter, qui te portavit.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Damasus in carminibus de Christo:

Quemque utero inclusum Mariæ, mox numine viso
Virginei tumuere sinus, innuptaque mater
Arcano obstupuit compleri viscera partu,
Auctorem paritura suum.

Hormisdas ep. 76. *Intra viscera S. Mariæ Virginis, Genitricis Dei, unitis utriusque, sine aliqua confusione, naturis.* S. Leo ser. 3. de passione Domini c. 1. *In beata Virginis utero Verbum caro factum est.* S. Gregorius magnus in Job. lib. 18. c. 27. *Sed nunciante Angelo, & adveniente Spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro, & manente incommutabili essentia, quæ ei est cum Patre, & cum Spiritu Sancto coæterna, assumpsit intra virginea viscera* &c. Clemens VI. Extra lib. 5. tit. 9. de pœnitentiis, & remissionibus c. 2. *Unigenitus Dei Filius de sinu Patris in uterum dignatus est descendere Matris.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Toletanum I. in assertione fidei. *Hunc ergo Filium Dei, Deum natum a Patre, ante omne, omnino principium, sanctificasse uterum Virginis Mariæ, atque ex ea verum hominem, sine virili generatum semine, suscepisse, duabus duntaxat naturis, idest, deitatis, & carnis, in unam convenientibus omnino personam, idest Dominum nostrum Jesum Christum credimus.* Concilium Lateranense IV. c. 1., & refertur c. 1. de Summa Trinitate, & fide catholica, decernit, Christi conceptionem veram, & realem fuisse, in utero Virginis factam, & Spiritus Sancti speciali cooperatione. Concilium Romanum III. sub Damaso; & Concilium Chalcedonense generale in ep. ad Joannem Antiochenum, statuentia, Christum non veniisse per Virginem, tanquam per carnalem, de Virginis utero loquuntur.

IV. Probatur ex Patribus Græcis, & Latinis. Irenæus lib. 3. c. 27. *Propter hoc enim & de fructu ventris ejus regem promisit, quod erat proprium Virginis prægnantis, & non de fructu lumborum ejus, nec de fructu renum ejus, quod est proprium viri generantis, & mulieris ex viro conceptionem facientis.* Joannes Damascenus lib. 4. fid. orthod. c. 15. *At conceptio quidem per aurem contigit: procreatio autem per eam partem, qua fœtus in lucem exire consueverunt.* Lactantius lib. de vera sapientia c. 12. *At illa divino Spiritu hausto repleta concepit, & sine ullo attactu viri, repente virginalis uterus intumuit.* Ambrosius ep. 81. ad Siricium Papam: *Hæc est Virgo, quæ in utero concepit; Virgo, quæ peperit Filium.* Maximus Taurinensis hom. 3. de nativit. Domini: *Non putas Deum novum puerum, in alvo Virginis potuisse formare, qui cum primum conderet hominem, nec semen patris, nec viscera materna quæsivit?* Eucherius Lugdunensis hom. 2. de nativ. Dom. *Miramur, Dominum nostrum absque ullius viri semi-*

Digitized by Google

semine intrà virginea viscera hominem consummasse, quem scimus cœli, terræque immensitatem ex nihilo condidisse? His adduntur a Serry in Exercitationibus de Christo exerc. 17. nu. 4. Tertullianus lib. de carn. Christ. c. 4. Origenes hom. 14. in Luc. Gregorius Neocæsariensis or. 2. de Annunciat. Nyssenus or. de Nativ. Epiphanius, quicumque Epiphanius ille sit, orat. de laudib. Deiparæ, Augustinus orat. cont. Judæos & Paganos c. 9. Ambros. de instit. Virgin. c. 14. Hieronymus in psal. 18. Fulgentius ser. de laudib. Deiparæ, Proclus hom. de Christi nativit. Andreas Hierosolymitanus orat. in salutationem Angelicam, Hildephonsus lib. de perpetua virginitate, Petrus Damiani ser. de Annunciat. Bernardus ser. de Assumpt.

V. Probatur Rationibus I. Christus conceptus, & natus est secundum naturæ leges, quæ in aliorum hominum conceptione servantur; sed in corde, aut prope cor, nulla est cavitas, ubi fœtus humanus possit concipi, formari, & foveri; & si quæ esset, non esset ad formandum, & fovendum apta, & a natura determinata: ergo &c. Major est Ambrosii dicentis: *Secundum conditionem naturæ in utero fœminæ fuit*. Minor negari non potest; consequentia sequitur. II. Non sunt miracula nec multiplicanda sine necessitate, nec fingenda sine auctoritate, nec asserenda sine approbatione; sed si corpus Christi formatum esset in corde Deiparæ, illicque per novem menses permansisset, miracula innumera, & continua fuissent, ne fœtus moreretur, ne Mater a fœtu suffocaretur, & ne alia fierent, quæ naturaliter fieri debuissent: ergo &c. III. Signa graviditatis in Virgine apparuerunt in utero, & non in corde: ergo fœtus, qui illa dabat signa, erat in utero, & non in corde. Probatur antecedens. Venter intumescens fuit signum Joseph graviditatis Mariæ; quod si fœtus fuisset in corde, debuisset intumescere pectus, & non venter; & B. Virgo debuisset curari ut ægra ob pectoris tumescentiam, non dimittenda ut prægnans. IV. Mulier prægnans dicitur, quæ in utero gestat infantem proximum egressui suo; non vero quæ gestaret in corde, in stomacho, vel in alia parte corporis; sed Maria dicitur in Evangelio prægnans; Luc. 2. *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*; ergo in utero concepit Christum. V. Illa dicitur Mater, quæ Filium concipit, & quæ in loco a natura destinato concipit; & quæ viis a natura designatis parturit, sed si Virgo Christum concepisset in corde, sic non fuisset: ergo non fuisset vere, & proprie Mater. VI. Adam nec fuit Pater, nec fuit Mater Evæ, & hoc non ob aliam rationem, quia quanvis ex aliqua ejus parte formata sit Eva, non fuit tamen formata in loco a natura deputato; sed locus ad conceptionem a natura destinatus est uterus, ubi existunt naturæ instrumenta, & organa vigent; ergo pariter Christus si ibi efformatus non esset, non posset Virgo Dei mater proprie, & vere dici.

Opponunt I. Magis consulitur dignitati Christi, dicendo, eum fuisse, non in utero, sed in Virginis corde conceptum: ergo hoc est asserendum. II. Legitur revelatio facta divinitus cuidam mulieri, quod Christus conceptus fuerit in corde Virginis: ergo illi adhibenda fides. III. Uterus non semper intelligitur pro illa parte inferiori, quæ est suptus thoracem; sed aliquando latius accipitur pro ventre superiori, seu ipso thorace, & ipso etiam corde, aut certe pro aliqua corporis parte, quæ sit cordi proxima: ergo Scripturæ a nobis allatæ, & auctoritates Patrum, possunt in hoc sensu intelligi. IV. Sanguis, ex quo conceptus est Christus, e Virginis corde affluxit; ergo in eodem corde conceptus est Christus. Antecedens asseritur communiter ab omnibus. Consequentia sequitur; quia ubi erat sanguis, qui ad efformandum corpus requirebatur, ibi corpus efformandum erat. V. Prudentius in carmine contra Humunciatas cecinit:

Virginitas, & prompta fides, Christum bibit alvo
Cordis, & intactis condit parituræ latebris.

ergo ex Prudentio in corde B. Virgo Christum concepit. VI. Ecclesia in Responsorio sexto Officii Circumcisionis Domini pariter canit: *Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria Angelo nunciante suscepit*: ergo mens Ecclesiæ etiam est, quod B. Virgo Christum in corde conceperit.

Respondemus ad I. Quicquid Christi honori magis convenit, nobis constare ex sacris literis, & non ex hominum arbitrio, præsertim quando homines sunt privatæ auctoritatis, & nullam in Ecclesia præeminentiam habent. Ex sacris literis autem non constat, Christum in corde Virginis

ginis fuisse conceptum; immo potius contrarium ex illis habemus, quum asserant, fuisse conceptum in utero, & non in corde.

Ad II. De revelatione, ut probet, necesse est ut constet, & quod sit vera, & non ficta; & quod sit ab Ecclesia approbata. Nihil tamen tale habemus de revelatione illa, quam nimis leviter Petrus Lucensis amplexus est, eamque pro dogmate habuit.

Ad III. Dicitur, quod explicatio illa est nimis remota a propria, & vera illius vocis significatione; & certe B. Virgo ita illam non accepit, quando Angelo dicenti: *Ecce concipies in utero, & paries Filium*: respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Non enim est opus viri opera, ut in corde; vel prope cor concipiatur. Unde si Dei Mater dixit, se concipere in utero non posse, quia virum non cognoscebat, dicendum est, illam pro utero intellexisse, quod omnes intelligunt, illam nimirum corporis partem, in qua fœtus concipitur.

Ad IV. Dato, quod Christi corpus compactum fuerit ex sanguine e Virginis corde effluente, sanguis ille cur non potuit in uterum descendere, ut ibi corpus Christi efformaretur? Et ita fuisse dicendum est, quia si sanguis e corde Virginis effluxit; ergo in corde Virginis non est conceptum, & efformatum corpus Christi; sed in loco illo, in quo sanguis effluxit. Effluere autem non poterat, nisi in utero, qui locus erat inferior ad cor.

Ad V. Vel dicitur, quod figuratis illis locutionibus significatur non literalis, & historialis conceptio Christi, sed potius mystica, & moralis; quum dicatur, quod B. Virgo eum conceperit fide, spe, & charitate: Vel quod B. Virgo duplici modo conceperit, fide primum, & spiritu, quando scilicet Angelo nuncianti fidem dedit; & deinde carne, quando obumbrante Spiritu Sancto corpus Christi in ejus utero efformatum est. Quam duplicem conceptionem expressit Augustinus lib. de Trin. c. 3. *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.... Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quam carne gestasset.* Quod autem Prudentius conceptionem in corde factam intellexerit, uti nos explicamus, constat ex aliis ejus versibus, quibus asserit Christi conceptionem intra Mariæ viscera, adeoque in Mariæ sinu, peractam,

Intactam talami virtus divina puellam
Sincero afflatu per viscera casta maritat.
Ipsa coruscantis monitum sacra Virgo Ministri
Credidit, atque ideo concepit credula Christum.

Ad VI. Verba illa Responsorii explicantur per alia, quæ subsequuntur. Legitur enim: *Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria Angelo nunciante suscepit, quæ speciosum Forma præ filiis hominum castis concepit visceribus.* Verbis hisce comprehenditur conceptio Christi moralis, ac mystica facta per fidem, spem, & charitatem, & facta in corde Virginis, quod confirmatum dicitur, & in quo divina mysteria suscepta dicuntur. Comprehenditur insuper conceptio Christi naturalis, literalis, historialis, quæ dicitur peracta in castis visceribus, hoc est in utero B. Virginis.

Pro tertia Disertationis parte, in qua quæritur, quas partes in Christi corporis efformatione habuerit Spiritus Sanctus, & quas Virgo Deipara? Scire oportet, Patres inter se non convenire, non quidem in dogmatis assertione, sed in ejusdem explicatione. Quidam enim affirmant Spiritum Sanctum in Christi conceptione seminis vices egisse, alii vero negant. Qui affirmant, intelligi volunt tantum de seminis vi activa, atque virtute: qui negant, intelligendi sunt de seminis substantia corporali, quam minime Spiritus Sanctus de suo contulit, sed totam de Virgine sumpsit. Inter primos adnumerantur S. Joannes Damascenus lib. 3 de fide c. 2., & Auctor operis imperfecti; inter secundos vero est S. Augustinus in Enchiridio c. 39.

His positis, sic controversiam explicamus, & dirimimus cum Doctore Angelico apud Serry; dicendo nimirum, quod Spiritus Sanctus deduxit sanguinem Virginis purissimum, quod erat necessarium ad corporis Christi efformationem, in Virginis uterum, tanquam ad naturalem officinam hujusmodi opificii; & illic sacrum corpus effinxit, organis instruxit, & creatam animam corpori aptato, & instructo univit. Beata autem Virgo contulit materiam omnem, substantiam, & operam, quæ præstari solent a cæteris matribus in suorum fœtuum efformatione. Unde fit, quod quicquid solet esse activæ virtutis, & efficaciæ in virili semine, hoc totum præstitit Spiritus Sanctus, excellentiori tamen, atque præstantiori

Digitized by Google

tiori modo: Quicquid vero est corporalis substantiæ in fœtum transformandæ, sumpsit de Virgine, non vero contulit de sua substantia, quia conferre non poterat. In humanitatis vero cum Divinitate unione, vel in humanitatis susceptione a Verbi Persona facta, nil Virgo contulit, quum fuerit solius Dei opus.

Si autem quæratur, cur Spiritus Sanctus, propter hoc, quod egit in Christi corporis efformatione, Christi Pater secundum humanam naturam nec sit, nec dicatur? Dicimus, ideo non esse Patrem, quia nihil contulit de sua substantia ad ejus efformationem; nec fœtum produxit, qui sit secum ejusdem naturæ; quæ quidem duo necessaria sunt ad generationem, ex qua Patris provenit appellatio. Proprie autem, & vere B. Virgo est, & dicitur Christi Mater; quia concursum omnem exhibuit ad Christi corporis efformationem, quem cæteræ matres exhibent; suam substantiam contulit, & fœtum concepit, qui est ejusdem cum ipsa naturæ.

Quum autem omnia externa Dei opera sint totius Trinitatis communia, quando dicimus Spiritum Sanctum Christi corporis conceptionis principium, non ideo excludimus Patrem, ac Filium; at solummodo intendimus, hoc opus quadam loquendi proprietate Spiritui Sancto specialius esse adjudicandum. Et hoc S. Thomas asserit ex triplici ratione provenire, 3. p. q. 32. ar. 1. in corp. Primo, quia Incarnatio tribuitur divino amori; unde Joann. 3. dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: Spiritui Sancto autem tribuitur amor, ut sapientia Filio, & potentia Patri; quod suo loco fusius explicavimus. Secundo, quia Incarnatio est opus maxime gratuitum, scilicet ex sola Dei gratia proveniens: Gratiæ autem Spiritui Sancto adjudicantur; secundum illud Pauli II. ad Cor. 12. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*. Tertio, quia Incarnatio operata est peculiarem humanitatis Christi sanctificationem, quam prædixerat Gabriel Luc. 1. *Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei*; at sanctificatio speciale est opus Spiritus Sancti, ut Scripturæ omnes, & Patres, proclamant.

Et hæc quidem in Christi Domini conceptione respiciunt ipsam corporis formationem, & animationem. Diximus autem suo loco, quæ spectant ejusdem Christi corporis animati cum Dei Verbo unionem, quæ proprie Incarnatio est, nimirum, quod prout est actio ad extra, est opus totius Trinitatis; prout vero est terminatio humanæ naturæ, seu sustentatio, vel scholastice loquendo, suppositatio, hæc nec est Spiritus Sancti, nec Patris, nec totius Trinitatis, sed solius Filii; & ratio est, quia sola Persona Filii humanam naturam terminat, sustentat, supposital; quum solus Filius factus sit homo. Et hæc satis dicta putamus pro tertia Dissertationis parte.

Pro quarta autem, in qua habendus est sermo de Christi pulcritudine, præmittimus quoque, Sacros Evangelistas nihil scripsisse de forma vultus, & corporis Christi, quia toti fuerunt intenti, ad Christi virtutes, sanctissimos mores, cœlestem doctrinam, describendum, & nobis significandum, absque eo quod curarent de corporis, vel faciei descriptione, quæ parum ad nostram institutionem, ædificationemque, faciebat. Ex hoc Evangelistarum silentio orta est Scriptorum opinandi varietas, non dumtaxat recentiorum, ut asserit Serry, verum quoque antiquorum; itaut consideratis illorum assertionibus, quatuor possimus inter se diversas sententias in medium adducere. Quarum Prima est, Christum habuisse vilem formam, & illiberalem; & hujus sententiæ fuit S. Clemens Alexandrinus, qui lib. 6. Stromatum scripsit: *Non sine causa Dominus habere voluit vilem corporis formam*. Et lib. 3. *Quomodo autem, quæ est in Ecclesia, apud nos œconomia accepisset finem absque corpore: cum etiam ipse, qui est caput Ecclesiæ, in carne quidem deformis, & specie carens, transiit, docens nos respicere ad id, quod est divinæ causa inspectabile, & incorporeum.* Et ante Clementem hoc ipsum docuerat Tertullianus lib. de carne Christi c. 9. *Carnis terrenæ non mira conditio fuit. Ipsa erat, quæ cætera ejus miracula faciebat, cum dicerent: Unde huic doctrina, & signa ista? Etiam despicientium formam ejus hæc erat vox. Adeoque nec humanæ honestatis fuit corpus, nedum cœlestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque Prophetis de ignobili aspectu ejus, ipsa passiones, ipsæque contumeliæ loquuntur: passiones quidem humanæ carnem, contumeliæ vero inhonestam probavere.* Quibus etiam concinit Origenes lib. 6. cont. Celsum: *Fatemur scriptum de Jesu corpore despicabili; quamvis non habeatur aperte scriptum, parvum fuisse, ac vile. Est autem locus apud Isaiam prædicentem, venturum eum non supra modum dece-*

ra

ra specie, nec excellenti pulcritudine: Non est species ei, neque decor; sed species ejus sine honore, & deficiens supra filios hominum. Et Athanasius subscribit lib. de humana natura prope finem: *Viderat eum prius Isaias in divina, & superexcellenti forma sedentem in solio edito, & sublimi, cum Seraphini eum glorificabant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Postea vidit eum forma servi indutum, & in similitudinem hominis effigiatum. Ideo dicit, non habebat speciem, neque pulcritudinem; quippe cujus species contemptibilis esset, & subsidens infra omnes homines.*

Secunda sententia est illorum, qui asserunt, Christum fuisse venusta vultus, & speciosa corporis forma præditum. Hujus sententiæ fuit Nicephorus Callixtus, qui seculo decimoquarto scribebat, lib. 1. hist. c. 40. *Egregio is, vividoque vultu fuit. Corporis statura ad palmos prorsus septem. Cæsariem habuit subflavam, & non admodum densam, leviter quodammodo ad crispos declinantem. Supercilia nigra, non perinde inflexa. Ex oculis subflavescentibus mirifica prominebat gratia; acres ii erant, & nasus longior. Barbæ capillus flavus, nec admodum demissus. Capitis vero capillos tulit prolixiores; novacula enim in caput ejus non ascendit; neque manus aliqua hominis, præterquam Matris, in tenera dumtaxat ætate ejus. Collum fuit sensim declive, itaut non arduo, & extento nimirum corporis statu esset. Porro tritici referens colorem, non rotundam aut acutam habuit faciem; sed qualis Matris ejus erat, paulum deorsum versus vergentem, ac modice rubicandam: gravitatem atque prudentiam cum lenitate conjunctam, placabilitatemque iracundiæ expertem præseferentem. Persimilis denique per omnia fuit divinæ & immaculatæ suæ Matri.*

Tertia sententia est Augustini, ac aliorum cum ipso, qui lib. 8. de Trinit. c. 4. & 5. putavit, distinctam, & individuam notitiam de Christi Domini forma, ac B. Mariæ Deiparæ, & S. Pauli, incertam, & ignotam omnino esse; quia illam ab antiquis descriptam non habemus, & nos dum eam concipimus, sic eam fuisse credimus. Concipimus autem mente, quando illorum dicta, vel scripta, audimus, vel legimus, & mente revolvimus; at ne conceptus archetypo respondeant, revera nescimus. En S. Doctoris verba: *Ipsius dominicæ carnis facies innumerabilium cogitationum diversitate variatur, & fingitur: quæ tamen una erat, quæcunque erat. Neque enim in fide nostra, quam de Domino Jesu Christo habemus, illud salutare est, quod sibi animus fingit, longe fortasse aliter, quam se res habeat: sed illud, quod secundum speciem de homine cogitamus. . . . . Neque enim novimus faciem Virginis Mariæ, & ex qua illa mirabiliter natus est. . . . . Idcirco utrum illa facies Mariæ fuerit, quæ occurrit animo, cum ista loquimur, aut recordamur, omnino non novimus. . . . An ea quoque facie fuerint Paulus, quæ nobis occurrit de illo cogitantibus, & hoc penitus ignoramus.*

Quarta sententia denique est illorum, qui Veterum traditione compertum putant, Christum fuisse specie, ut ait Serry, qui hanc sequitur opinionem, non excellenter liberali, vultuque non insigniter venusto, egregrio, & eleganti, qualem & Vulgus existimat, & de more Pictores effingunt: Vel ut asserit Jueninus: Christum formæ venustate non floruisse, at non deformi fuisse specie: Unde Christus nec deformitate, nec pulcritudine, hominum oculos, aut abalienaverit, aut illexerit. Et hanc nos sequimur opinionem.

Dicimus III. Christum nec præcellenti pulcritudine corporis præluxisse, nec notabili deformitate fuisse dehonestatum.

I. Probatur prima pars. Christus hominum oculos, & corda, debebat ad se allicere virtum exemplis, divinæ gratiæ suavitate, & morum comitate: ergo non externa oris forma, & carnalis pulcritudinis venustate. Probatur consequentia. Si enim hac allexisset, naturali modo, & humano potius, quam divino, operatus fuisset: ergo ut dicatur, divina vi, & non humana, supernaturali virtute, & non naturali, homines ad se traxisse, dicendum est illos non allexisse externa oris forma, & carnalis pulcritudinis venustate, sed virtutum exemplis, divinæ gratiæ suavitate, & morum comitate.

II. Probatur. Si Christus in Incarnatione se exinanitum dixit: ergo in omni corporis habitudine hæc exinanitio locum habuit: ergo etiam locum habuit in faciei forma, & in corporis pulcritudine. Probatur consequentia. Si Christi exinanitio locum non habuisset in faciei forma, habuisset Christus quo se hominibus commendasset, unde despectui cuique hominum non esset; sed hoc non possumus affirmare, quia hominibus omnibus despectui

Digitized by Google

ctui fuit, & in opprobrium factus: ergo Christi exinanitio in faciei forma, & in corporis pulcritudine locum habuit.

III. Probatur altera pars. Si Christus notabili deformitate fœdatus apparuisset, sine dubio eam exprobrassent, & non semel Inimici ejus; atqui nunquam exprobrarunt: ergo in Christo non fuit. Minor patet; quia ab Evangelistis non refertur, hanc contumeliam fuisse Christo a Judæis factam. Major autem probatur. Quia putabatur, Christum habuisse infimæ notæ parentes, hanc injuriam ei objecerunt, dicentes: *Nonne est hic faber, & fabri filius?* Ergo pariter si fuisset in Christo notabilis vultus deformitas, illam ei opponere Judæi non omisissent: ergo si non fecerunt, non fuit.

IV. Probatur. Sicut conveniens non fuit, eleganti oris, & corporis specie Christum ad se homines trahere; ita inopportunum quoque fuit, insigni vultus, & corporis deformitate, homines a se alienare: ergo sicut non fuit venustate præcellens, ita nec fuit deformate subobscurus. Probatur antecedens. Christus debebat homines ad Deum trahere, & ad se ipsum allicere; & non debebat hoc humanis modis, & carnalia per media exhibere. Ex quo primum agebat, non debebat esse deformis; ex quo secundum exequabatur, non opus erat, ut esset pulcherrimus.

Obstant I. Psal. 44. dicitur de Christo: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis . . . . Specie tua, & pulcritudine tua, intende, prospere procede, & regna*: ergo Christus ex Davidis vaticinio debebat esse speciosus forma supra omnes filios hominum. II. Hieronymus in epist. ad Principiam Virginem, & in c. 9. Matth. docet, in Christi vultu emicuisse quid sydereum, ac cœleste: ergo supra humanam Christus habuit suam pulcritudinem. Probatur antecedens verbis Hieronymi: *Arguit in hoc loco Porphyrius, & Julianus Augustus, vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum, qui statim secuti sunt Salvatorem, quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti . . . Certe fulgor ipse, & majestas divinitatis occultè, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.* III. Circumfertur Epistola Lentuli, Hominis Romani, in Judæa degentis, ad Romanum Senatum, in qua Christi aspectus, color, pulcritudo, una cum ipsius operationibus, describitur; quæ quidem Epistola a Leziandro lib. 12. hist. univer-

sal. recitatur, & hæc est: *Apparuit temporibus istis, & adhuc est homo magnæ virtutis, nominatus Jesus Christus; qui dicitur a gentibus Prophetæ virtutis; quem ejus Discipuli vocant Filium Dei; suscitans mortuos, & sanans omnes languores. Homo quidem staturæ proceræ, & mediocris spectabilis, vultum habens venerabilem, quem intuentes possunt diligere, & formidare; capillos habens coloris nucis avellanæ præmaturæ, & planos fere usque ad aures; ab auribus vero cincinnos, crispos, aliquantulum cæruliores, & fulgentiores, ab humeris ventilantes. Discrimen habens in medio capitis, juxta morem Nazareorum: frontem planam, & serenissimam, cum facie sine ruga, & macula aliqua, quam rubor moderatus venustat. Nasi, & oris nulla est reprehensio. Barbam habens copiosam, & imberem, capillis concolorem, non longam, sed in medio bifulcatam. Aspectum habens simplicem, & maturum; oculis glaucis, variis, & claris existentibus. In admonitione blandus, & amabilis, hilaris servata gravitate, qui nunquam visus est ridere, flere autem sæpissime. In statura corporis propagatus, rectus, manus, & brachia visus delectabilia. In colloquio gravis, ratus, & modestus, speciosus inter filios hominum.* IV. Isai. 43. legitur hoc de Christo vaticinium: *Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum*: ergo Christus erat sine vultus specie, & sine aspectus decore: ergo erat notabiliter deformis. V. Celsus, homo Gentilis, multa in Christum effutiebat, quorum quædam ex ignorantia, alia ex paupertate, alia ex deformitate, petebat: Origenes in suis libris contra Celsum ad omnia respondet, at ad illa, quæ deformitatem respiciebat, nihil dicit: ergo revera cognoscebat Origenes, Christum fuisse notabiliter, & insigniter deformem. VI. Memorantur ab Eusebio Cæsariensi lib. 7. hist. eccl. c. 18. imagines Christi Domini antiquæ, in quibus oris elegantia, & forma venustatis aspiciebantur; immo numisma profertur, in quo erat Christi effigies, vultu, ut ajunt, severiore quidem, quam blandiore.

Respondemus ad I. cum Chrysostomo, & aliis, Christum fuisse speciosum præ filiis hominum forma interna, non autem forma externa. Sic inquit Chrysostomus in psal. 44. *Hic autem speciosus forma præ filiis hominum, significans gratiam, sapientiam, doctrinam, miracula.* Ita etiam Theodoretus in psal. 44. *Psalmus iste Christi pul-*

critudinem vocat, non corporis, sed virtutis, & totius justitiæ; quæ non admisit labem peccati, sed fuit omnis macula expers. Non diversimode Basilius in psal.44. *Speciosum forma Dominum appellat, ubi in ejus Divinitatem animum intendit.* Et in cap. 53. Isaiæ: *Non in convenientia, & apta figura, neque in bonitate coloris, qui in corpore cum quadam jucunditate efflorescit; sed in divina natura, quæ proprie dicta est pulcritudo, mente sola, atque cum primis purgata, agnoscitur; ut Psalmus habet: Specie tua, & pulcritudine tua &c.* Et omittentes Cyrillum Alexandrinum in cap.53.Isaiæ, Irenæum lib.4.adv.hæres.c.66., Isidorum Pelusiotam lib.3. ep.130. solum præ omnibus inducimus Augustinum, qui in Psal. 103. scribit: *Ecce pulcher ille, & speciosus forma præ filiis hominum, quia justissimus est præ filiis hominum.* Et in psal. 118. *Christus Ecclesia sponsus est, non carne, sed virtute formosus.* Denique S.Thomas in psal.44. coronat opus: *Pulcritudinem Christus habuit, secundum quod competebat ad statum, & reverentiam suæ conditionis. Non est ergo intelligendum, quod Christus habuerit capillos flavos, vel fuerit rubeus, quia hoc non decuit eum.* Et in cap. 53. Isaiæ: *Christo non erat aspectus magnificus, secundum quod dicitur, quod species Priami digna est imperio.*

Ad II. Primo Hieronymus dixit, aliquid sydereum aliquando emicuisse in Christi vultu, non autem semper; si hoc sydereum fuisset oris pulcritudo, emicuisset semper. Secundo sydereum illud importat majestatem Christi, ejusque gravitatem, quæ in oculis, in vultu, in ore ejus aliquando mirabilia exercuerunt; ut quando Discipulos vocabat, quando milites ad terram sternebat, quando quæstuarios de templo ejiciebat. Attamen hæc in quibusdam temporis, & locorum circumstantiis apparebant, non vero semper; quia Christus communem cum hominibus societatem habens, non eis onerosum facere, sed sociabilem se debebat.

Ad III. Illa Lentuli epistola spuria proclamatur a Serry, & quæ omnium Eruditorum sibilis, & cachinnis excipitur. Et revera multa in ea leguntur, quæ nullam præseferunt genuinitatis apparentiam. Homo enim gentilis, qualis erat Lentulus, non poterat verba Psalmi in sua epistola recitare; & nihilominus in illa legitur: *Speciosus inter filios hominum.* Ter legimus in Evangelio Christum fleviſſe; & in Epistola asseritur *sepissime*; & quidem non in occulto, sed palam, quia dicitur, *visus est.* Ulterius, S. Thomas forte assis hanc epistolam respexit, quando dixit: *Non est ergo intelligendum, quod Christus habuerit capillos flavos, vel fuerit rubeus; quia hoc non decuit eum.* Denique, epistolæ hujus nullus antiquorum meminit, & solus Nicephorus Callistus, qui, ut diximus, decimo quarto seculo floruit, eam memoravit.

Ad IV. Isaias loquitur de Christo tempore passionis suæ; hoc est eum descripsit, qualis in passione sua futurus erat. Sic eum intelligit Hieronymus in c. 43. Isai. *Despectus erat, & ignobilis, quando pendebat in cruce, & factus est pro nobis maledictum, peccata nostra portabat, & loquebatur Patri: Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Ita interpretatur Augustinus ser.22. de verbis Apostoli: *Pendebat ergo in cruce deformis, sed deformitas illius pulcritudo nostra erat. In hac ergo vita deformem Christum tenemus. Quid est deformem Christum? Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et in psal.43. *Quis non habebat speciem, neque decorem? Is, de quo etiam dicitur, speciosus forma præ filiis hominum. Ut homo non habebat speciem, neque decorem; sed speciosus forma est, eo quod est præ filiis hominum.*

Ad V. Deformitas Christi, quam Gentiles nobis opponebant, nullam fidei nostræ poterat labem inferre; & ideo Patres, ad Gentilium argumenta respondentes, nihil de illa curarunt. Non ideo Christus Propheta magnus, non ideo Dei filius, non ideo Deus, quia corpore, & vultu, non elegans, nec liberalis? Respondebant autem Patres, si Adversarii opposuissent, Christum non fuisse a Patre missum, non fuisse Filium Dei, non fuisse Deum, non fuisse virtutibus omnibus præditum, non perpetrasse miracula &c.

Ad VI. Nil certi de illis Christi imaginibus asserri potest; incertum quippe an aliquando fuerint, usque ad quale tempus fuerint, ubinam fuerint; incertissimum vero qualiter Christum repræsentaverint. De hoc omnino Eusebius silet. Unde admisso etiam, quod imagines illæ fuerint, nullum tamen ex iisdem colligi potest argumentum, vel pro Christi pulcritudine, vel pro ejusdem deformitate. Idem dicitur ad Numisma, quod ajunt servari Romæ in cimelio Altempsiano. Cæterum non asseritur, in præfato numisma-

Digitized by Google

re; si extat; vel si verum est, Christum esse pulcrum, vel esse deformem; dicitur tantum, esse vultu severiore potius, quam blandiore. Severitas non est vultus deformitas; & pulcritudo major supponit minorem, quæ non potest esse deformitas. Unde ex his etiam infertur, Christum fuisse pulcrum, non deformem; non autem omnibus pulcriorem, nec pulcritudinem fuisse notabiliorem in ejus vultu excellentiam; quum ipsam temperaverint majestas, gravitas, immo etiam aliquando severitas.

Pro ultima tandem Dissertationis parte, scire oportet, præcipuum defectum ex parte corporis esse in hominibus in præsenti statu naturæ lapsæ, quod subjaceat morti, & passionibus, quæ mortem vel præcedunt, vel concomitantur; seu, quod idem est, esse mortale, corruptibile, passibile &c. Hunc autem defectum fuisse in Christo in præterita Dissertatione probavimus contra Incorrupticolas, aliosque Hæreticos. Præter hunc autem adnumerantur, & distinguuntur defectus ex parte corporis, qui consequuntur totam naturam humanam, & proveniunt ex caussis, quæ omnibus hominibus sunt communes; & qui consequuntur particulares personas, & proveniunt ex caussis, quæ non sunt communes omnibus hominibus: Primi generis sunt fames, sitis, defatigatio, gravitas, localis circumscriptio, & aliæ his similes. Secundi generis vero sunt febris, paralysis, asthma, spasmus, morbus comitialis, & alii morbi.

Defectus primi generis, communes scilicet omnibus hominibus, & naturam humanam consequentes, fuisse in Christo, communis est Theologorum omnium assertio; contra Severitas, & alios, quos enumeravimus supra, qui dicebant, famem, sitim, & defatigationem non fuisse in Christo; contra etiam Theodorum quendam, memoratum a Beda lib. 2. in Marc. c. 28., qui gravitatem in Christo negabat; & contra Ubiquistas, qui localem circumscriptionem in Christo inficiabantur, & quos superius etiam impugnavimus. Defectus vero secundi generis, consequentes nimirum peculiares personas, & provenientes ex caussis non omnibus hominibus communibus, non fuisse in Christo, communis etiam est omnium Scholasticorum sententia, contra quosdam antiquos, qui affirmabant, aliquos ex his defectibus fuisse in Christo, quos reprehendit Suarez, illorum sententiam vocans temerariam, & piarum aurium offensivam; immo refert Medina de Concionatore quodam, qui e suggestu prædicans, hos morbos in Christo fuisse, coactus fuit se retractare, & palinodiam canere.

Asserimus nos primo, defectus primi generis in Christo fuisse. Et probamus I. ex Scripturis. Joann. 4. *Fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem*. Joann. 19. ubi Christus dixit: *Sitio*: Matth. 4. *Cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurit*. Ubi videtur, in Christo fuisse defatigationem, fuisse sitim, fuisse famem, fuisse etiam gravitatem, quæ ex defatigatione infertur; si enim Christus ambulando patiebatur, hoc maxime ex corpore gravi, & ponderoso proveniebat; fuisse autem localem circumscriptionem, ex probatis contra Ubiquistas patet. II. probamus ex Patribus. Ignatius Martir ep. ad Trallianos: *Revera natus est Deus Verbum ex Virgine, vestitus corpore, obnoxio eisdem passionibus nobiscum*. Pseudo-Justinus martir in Expositione fidei: *Christus homo ostenditur ex æqualibus, & irreprehensibilibus naturæ nostræ perpessionibus*. Athanasius orat. 4. cont. Arianos: *Ideoque quæ propria sunt carnis, etiam de illo referuntur, nimirum, quia in carne consistebat, qualia sunt esurire, sitire, pati, fatigari, aliaque id genus, quæ caro in se recipit*. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 4. de generatione Filii: *Credo, quod hic unigenitus Dei Filius propter peccata nostra de cælo descendit in terram, & earundem affectionum cum nobis assumpsit humanitatem*. Prosper sent. 64.

Qui genitus puer est intactæ Virginis alvo?
Quæ natura annis crevit, & aucta cibis?

Isidorus Hispalensis de doctrina, & fide ecclesiasticorum dogmatum c. 2. *Sed anima cum ratione sua, & corpus cum sensibus suis, per quos sensus veros in passione, & ante passionem carnis suæ dolores sustinuit*. III. probamus Ratione; quia Christus habuit quicquid pertinet ad humanæ naturæ veritatem, & necessarium est, ut vere dicatur homo; sed quicquid consequitur totam naturam, & provenit ex caussa communi omnibus hominibus, pertinet ad humanæ naturæ veritatem, & necessarium est, ut vere dicatur homo: ergo illud totum assumpsit. Ulterius; fames, sitis, defatigatio, sunt passiones quædam corporis viventis: ergo negandæ non sunt Christo, qui habuit cor-

corpus vere vivens. Denique; Christus habuit corpus passibile, & mortale: ergo habuit passiones, sine quibus esse non potest corpus passibile, & mortale; sed ita sunt fames, sitis, defatigatio, gravitas &c. ergo illas vere habuit.

Asserimus secundo, defectus secundi generis in Christo non fuisse. Et probamus I. Ex nullo Evangelii loco nobis innotescit, Christum aliquando aliquo ex recensitis morbis laborasse: ergo vere nullum ex illis habuit. Consequentia sequitur; quia si aliquem habuisset, Evangelistæ non tacuissent; & quemadmodum dixerunt, habuisse famem, sitim, defatigationem &c., ita etiam dixissent, laborasse febre, vel alio morbo. II. Hujusmodi defectus non requiruntur ad humanæ naturæ veritatem, non sunt necessarii ad patiendum, vel ad satisfaciendum, sine illis potest esse verus homo, & potest etiam sine illis mereri, pati, & satisfacere: ergo nulla fuit necessitas, vel convenientia, ut in Christo fuerint. III. Defectus illi provenire solent, ut plurimum, vel ex vitio temperamenti, vel ex immoderantia cibi, vel ex defectu virtutis formativæ; sed corpus Christi perfectissimam habuit temperantiam, quæ est virtus; fuit formatum a Spiritu Sancto specialiter cum perfectissimo temperamento: ergo nullum ex illis defectum habuit.

Arguunt I. Christus aliquando super aquas ambulavit: ergo non habuit gravitatem corpus ejus. II. Christus jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus; sed hoc naturaliter fieri non potest in corpore, quod fami subjaceat: ergo vere Christus famen non habuit. III. Morbi potuerunt esse in Christo, ut sua patientia illorum tolerantia nobis daret exemplum patienter etiam illos tolerandi: ergo fuit aliqua necessitas, vel congruentia. IV. Morbi possunt quoque provenire ex aliis caussis præter assignatas; nimirum ex aeris inclementia, ex temporum injuriis, ex animalium nocivorum incursibus: ergo potuit ex his caussis Christus pati morbum. V. Defectus primi generis in Christo vel fuerunt necessarii, vel voluntarii? Non necessarii; quia aliter Christus non fuisset liber: non voluntarii, quia proveniebant a natura. VI. Ex dictis a nobis Christus habuit deformitatem; sed deformitas non est defectus totius naturæ, sed peculiarium personarum: ergo Christus non solum habuit defectus, qui sunt communes toti naturæ, sed etiam illos, qui sunt aliquibus hominibus peculiares.

Respondemus ad I. Christum miraculose super aquas ambulasse, vel quia agilitatem ejus corpus obtinuit corporis glorioſi, suo modo, & transeunter; vel quia gravitas corporis sui per miraculum impedita est in illo actu. Hieronymus ad c. 14. Matth hæc scribit: *Qui putant Domini corpus non idcirco esse verum, quia super molles aquas molle, & aëreum incesserit; respondeant, quomodo ambulaverit Petrus, quem utique verum hominem non negabunt.* Concinit Chrysostomus, aliique Patres apud Suarez.

Ad II. Ubi dicitur, Christum jejunasse quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ibidem dicitur, Christum postea esuriisse, Si credunt unum, credant & alteram. Cæterum non est novum, posse hominem vivere sine cibo quadraginta diebus, & quadraginta noctibus divina adjuvante virtute; qua cessante, esurit. Hoc de pluribus Sanctis Viris habemus; & præcipue de Sancto Patre Francisco de Paula Scriptores ejus vitæ testantur, & scripto tradiderunt cuncti, qui ejus gesta narrarunt.

Ad III. Prope innumera dedit nobis Christus patientiæ exempla in aliis tolerandis, quæ graviora quidem cunctis morbis, & infirmitate quacunque fuerunt. Unde non potest nobis esse sufficiens argumentum hoc tolerantiæ exemplum, quod omnino est superabundans, ad tribuendum Christo, quæ eidem Scripturæ, & Patres non tribuunt. In sola sua passione, ne dicamus in tota sua vita, quæ continuatum præludium passionis fuit, scholam patientiæ nobis aperuit, in qua cuncti homines, si volunt, specimina invictæ tolerantiæ indeficientia invenient.

Ad IV. Christus ob causas extrinsecas difficulter in morbum incidisset; tum ob optimam corporis temperiem, qua resistere poterat aeris influentiis, & temporum injuriis; tum ob prudentiam, & providentiam suam, quibus violentas extrinsecas causas valebat facillime declinare. Verum si aliquid passus fuit aliquando ex calore, & frigore, transiens quidem, & breve fuit incommodum, quod quoque fuisset passus in ultima senectute, si diutius vixisset; ut asserit cum Vasquez Cacheranus, etsi neget Suarez.

Ad V. Defectus primi generis fuerunt Christo simpliciter voluntarii, & liberi secundum voluntatem divinam; fuerunt etiam libe-

Digitized by Google

liberi secundum voluntatem humanam; at secundum istam non omni eo modo, quo secundum divina. Ratio est, quia hujusmodi defectus dicuntur assumpti a Christo, vel suscepti, non vero contracti. Si fuissent contracti, necessario contracti fuissent; at quum fuerint a Christo assumpti, vel suscepti, libere assumpti, vel suscepti fuerunt. Traditur hæc doctrina a S. Thoma 3. p. q. 14. ar. 3. Hæc sufficiunt pro responsione ad argumentum propositum; qui plura desiderat, Cacheranum legat.

Ad VI. Nos diximus, Christum nec habuisse eximiam pulcritudinem, nec notabilem deformitatem. Nec eximia pulcritudo, nec notabilis deformitas, est vel donum, vel defectus, naturæ in hominibus. Status autem mediocritatis est communior cæteris hominibus, qui nec præcipue sunt pulcri, nec notabiliter sunt deformes. Hunc statum mediocritatis tribuimus Christo; & hoc vel quia pulcritudinis donum necessarium non erat, ut opus, ad quod missus fuerat, impleret, ut dictum est; vel quia deformitatis defectus impeditivus erat, ut idem opus exercerer. Mediocritas autem oris, & corporis, sicut non faciebat, ut naturæ, non gratiæ vocatio gentium præcipue tribueretur; ita & earundem assensus, si non alliciebatur naturæ subsidiis, ita nec naturæ ostaculis impediretur.

DISSERTATIO CLXXX.

De Anima Christi. An Verbum hominis animam assumpserit? An eam assumpserit mente præditam? An Anima Christi in ara Crucis morte ab ejus corpore separata ad Inferos descenderit? Et ad quid?

PRimo adnumeratur, qui dixerit, Christum non habuisse animam, Saturninus, de quo alibi loquuti fuimus. Is asseruit, ut ex Irenæo, Epiphanio, Philastrio, & Theodoreto, refert Coccius, Salvatorem nec carnem hominis veram, nec animam, suscepisse.

Secundo ponitur Arius, cum Arianis sequacibus, qui voluit, Christum anima humana fuisse destitutum, & animæ vices Verbum impleviſse conjunctum corpori substantive. Hoc autem ideo dicebat, ut Verbi divinitatem facilius negaret; quia attribuendo Verbo affectiones, dolores, aliasque passiones, quæ videbantur in Christo, hoc ipso Verbi cum Patre consubstantialitas negabatur; non enim potest esse Deus, cui conveniant affectiones, quæ solis creaturis sunt propriæ. Hunc errorem in Ario notarunt Athanasius lib. de adventu Christi adversus Apollinarium, & Epiphanius hæres. 60., ut advertit Augustinus lib. de hæres. ad Quodvultdeum: *In eo autem, quod Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt; nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re fuisse certatum.* Rationem affert Juenipus, scribens. „ „ Nec id mirum est; siquidem Patribus in „ more positum est, ut vel omittant, vel „ saltem levius pertractent ea, quæ sunt „ aliorum capitum consectaria, & appendicula quædam. Veteres omnino intenti in asserenda adversus Arium Verbi „ consubstantialitate, dissimularunt, quod „ circa Incarnationem blasphemaverat. „

Tertio Apollinaris dixit aperte, Christum suscepisse corpus sine anima. Testantur Augustinus hæres. 55. Ruffinus lib. 2. c. 20. Socrates lib. 2. c. 46. Et hunc quidem dicunt fuisse Apollinaris errorem palmarium, quem Patres contra ipsum data opera, & ex proposito impugnarunt. Quidam volunt, Apollinaris errorem fuisse, quod Verbum non assumpserit humanam mentem; unde fuerit in Verbo anima, sed non mente prædita. Quicquid sit de hoc, an ad primam, an ad secundam, Dissertationis partem pertineat, parum refert. Attamen nodum solvit Augustinus, qui cit. lib. de Hæres. asserit, Apollinaristas primo dixisse, quod Ariani dixerant; scilicet Verbum assumpsisse carnem sine anima; sed postmodum aper-

tis

tis Scripturarum testimoniis convicti, dixerunt, assumptam quidem a Verbo fuisse animam secundum illam partem, qua vivimus, sentimus, ac illa omnia perficimus, quæ animantia præstant; non vero secundum aliam, qua rationales sumus; scilicet secundum mentem. Unde tribuebant Verbo effectus omnes illos, qui proveniunt ab anima, ut mente est prædita. Inquit igitur Augustinus: *Apollinaristas Apollinarius instituit, qui de anima Christi a Catholicis dissenserunt, dicentes, sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse. In quæstione testimoniis victi, mentem, qua rationalis est anima hominis, non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse, dixerunt.*

Dicimus I. Verbum humanam carnem sumpsisse; adeoque in Christo fuisse, ut veram hominis carnem, ita & veram hominis animam.

I. Probatur ex Scripturis. Joann. 10. Christus ait: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso, & potestatem habeo ponendi eam; & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ad Philippenses 2. *Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam.* I. Joann. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.*

II. Probatur ex Patribus: Epiphanius hæres. 20. *Vere corpus de Maria habuit, sibi ipsique carnem de sancta Matre efformavit, & animam ac mentem humanam accepit, & totum id, quod est homo, excepto peccato, in se ipso per suam deitatem convivit.* Nyssenus or. 2. de pauperibus amandis: *Ipse Dominus Angelorum, ipse cœlestis beatitudinis rex, propter te factus est homo, & sordidas istas, abjectasque carnis exuviolas, una cum anima, qua ipsis erat induta, sibi circumdedit.* Theophilus Alexandrinus lib. 1. Paschali: *Sciendum est, quod ex omni parte temperatum humanæ conditionis exhibens sacramentum, perfectam similitudinem nostræ conditionis assumpserit; nec carnem tantum, nec animam irrationalem sine sensu, sed totum corpus, totamque animam sibi socians, perfectum in se hominem demonstravit, ut perfectam cunctis hominibus in se, & per se largiretur salutem; habensque nostri consortium, qui de terra conditi sumus, nec carnem deduxit de cœlo, nec animam:* Cyrillus Alexandrinus de recta in Deum fide ad Theodosium: *Animam rursum humanam, posteaquam illam proprium sibi vel-* *dedisset, suaque naturæ firmitate ac immutabilitate, perinde ac vestis colore imbuisset, peccato superiorem declararet.* Hilarius lib. 10. de Trinit. *Si igitur homo Jesus Christus per initia corporis atque animæ nostræ, vixit in corpore, & non ita ut corporis sui; sic & animæ suæ princeps Deus in similitudine hominis constitutus, & habitu repertus ut homo, natus est: parem dolorem senserit corporis nostri, animæ nostræ, & corporis, ut conceptu, ita & initio animatus in corpore. Quod si assumpta sibi per se ex Virgine carne, ipse sibi ex se animam concepti per se corporis coaptavit; secundum animæ corporisque naturam, necesse est & passionum fuisse naturam.* Ruffinus in apologia pro fide sua ad Anastasium: *Filium quoque Dei in novissimis diebus natum esse confitemur, ex Virgine, & Spiritu Sancto carnem naturæ humanæ, & animam suscepisse, in qua passus, & sepultus, &c.* Isidorus Hispalensis de doctrina & fide ecclesiast. dogmat. c. 2. *Anima non absque sensu, & ratione, ut Apollinaris; neque caro absque anima, ut Eunomius; sed anima cum ratione sua.*

III. Probatur Rationibus theologicis. I. Anima sanata est a Verbo: ergo Verbum assumpsit animam. Antecedens est certum; quia præcipue ad salutem animæ magis, quam ad carnis salutem Verbum incarnatum est. Consequentia sequitur; Verbum enim illud assumpsit, quod ab eo sanatum est; quod docet Augustinus lib. de fid. & operib. c. 4. *Cavendum est, ne cum crediderit, aliquid nostrum non pertinere ad istam susceptionem, non pertineat ad salutem.* II. Deus dat auxilium tentatis in anima; quia in anima præsertim homo tentationes experitur; sed Deus illud assumpsit, in quo dat auxilium; vel non dat Deus auxilium, nisi in eo, in quo tentatus est: ergo Deus assumpsit animam. Minor probatur ex verbis S. Fulgentii de Incarnatione ad Trasimundum c. 15. *In quo enim passus est ipse, & tentatus, potens est his, qui tentantur, auxiliari. Si ergo in eo, quod tentatus est, tentatis auxilium donat, profecto in quo tentatus non est, tentatis auxilium non ministrat.* III. Christus est verus homo; sed verus homo constat ex anima, & corpore: ergo Christus habet animam, & corpus. Major patet ex Scripturis, & Patribus; ut diximus; minor est evidens; consequentia sequitur. IV. Homo, qui perierat, constabat essentialiter ex anima, & corpore: ergo

Ho-

Digitized by Google

Homo, qui eum redempturus erat, constare pariter debebat ex anima, & corpore. Consequentia bene infertur; Deus enim venit in mundum, ut salvaret totum, quod perierat, & quidem quod essentialiter perierat. V. Christus fuit Pontifex; sed non fuisset Pontifex, nisi animam habuisset: ergo simul cum corpore animam habuit. Probatur minor. Non potest quis fungi munere Pontificis, nisi ratione animæ; anima enim est, quæ orat, & interpellat pro nobis; non corpus, quia non cognoscit; non Verbum, quia Verbum, ut Verbum est, non est inferius Patre: ergo sub illa ratione Deum non orat. VI. Verbum non est unitum corpori sine anima: ergo Christus animam habuit. Probatur antecedens. Si Verbum unitum fuisset corpori sine anima, fuisset unitum naturæ irrationali, non rationali; sed Verbum fuit unitum naturæ rationali: ergo non fuit unitum corpori sine anima. Hoc totum illustrat Dionysius Carthusianus ad c. 1. Joann. ar. 5. *Verbum factum est homo, assumendo simul in eodem instanti animam rationalem, tunc primo creatam, & carnem humanam ex purissimis sanguinibus sanctissimæ atque dignissimæ Virginis sumptam, & a Spiritu Sancto formatam ac organizatam, rationalique anima informatam, sic quod in eodem instanti creata est anima Christi, & caro ejus formata ac animæ copulata, & utrumque simul a Verbo assumptum.*

Obstant I. Joann. I. dicitur, Verbum sumpsisse carnem tantum, non animam: ergo vere Verbum sumpsit carnem, non animam. II. In allatis a nobis Scripturæ locis pro anima intelligitur vita; quod clarum est ex pluribus Scripturæ contextibus: ergo ex illis non probatur, in Christo fuisse animam. III. In Christo non fuit peccatum: ergo non fuit anima. Probatur consequentia. Si fuisset anima, fuisset peccatum: ergo si non fuit peccatum, non fuit anima. Probatur antecedens. Ex anima prodeunt cogitationes; ex cogitationibus oritur peccatum: ergo si fuisset anima in Christo, fuisset peccatum. IV. Christus sumpsit humanam carnem, ut conversaret cum hominibus, eisque viam Salutis ostenderet; sed ad hoc sufficiebat sola caro absque anima: ergo in Christo absque anima sola caro fuit.

Respondemus ad I. Nomine carnis, quæ est pars, venire totum hominem. Et in Scripturis æque habemus animam pro toto homine, ac pro toto homine carnem. Animam pro toto homine legimus, quando Jacob descendit in Ægyptum cum *septuaginta animabus*; quando in Arca Noë *octo solæ animæ salvæ factæ sunt*; quando dicitur de Joseph, quod *ferrum pertransiit animam ejus*. Carnem pro toto homine habemus, quando apud Joannem Christus loquens, dicit: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*. Audiatur Augustinus ep. 120. *More suo Scriptura, ut Christi humilitatem magis ostenderet, ne carnis nomen quasi indignum aliquid refugisse videretur: carnem pro homine posuit. Nec enim, quia scriptum est: Videbit omnis caro salutare Dei: anima ibi non sunt intelligendæ.*

Ad II. Negatur quod asseritur, sed non probatur. In illis enim verbis: *Tristis est anima mea usque ad mortem*: non potest intelligi vita; quia vita non dicitur tristis. Nec in aliis: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam*: quia vita non ponitur, nisi quando ponitur anima; unde etiam quod intelligatur vita, intelligitur pariter anima, quæ in homine principium est vitæ.

Ad III. In Christo fuerunt humanæ cogitationes, quales fuerunt in Adamo innocente, non vero quales fuerunt in Adamo prævaricante. In Adamo innocente nec fuit peccatum, nec fuit concupiscentia, ideſt propensio ad peccatum; bene autem fuit in ipso, quando ad peccatum est lapsus. Christus habuit animam illi similem, quam habuit Adam, antequam peccaret: unde non per hoc quod habuit animam, habuit quoque peccatum.

Ad IV. Verbum factum est homo, ut hominum salutem procuraret. Ad hunc finem assequendum non solum conveniens fuit, ut assumeret carnem, verum quoque ut assumeret animam. Immo magis oportebat assumere animam, quia anima potiori jure salvanda erat, & magis quam caro.

Dicimus II. Animam, quam Verbum assumpsit, fuisse mente præditam.

I. Probatur ex Scripturis. Matth. 27. *Tristis est anima mea usque ad mortem*; sed nequit anima esse tristis, nisi sit mente prædita: ergo &c. Si enim non apprehendit malum imminens, quomodo potest tristitiam concipere? Si autem apprehendit, intelligit; si intelligit, jam mente est prædita. Joann. 10. dicitur: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam*: Hæc verba nequeunt de Verbo intelligi, quod subeat in Christo vices animæ, ut asserunt Apollinaristæ; quia non erat in potestate

Chri-

Digitized by Google

Christi Verbum deponere, & iterum assumere.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Damasus in Apollinarem, & in Vitalem, præcipuum ejus discipulum, excommunicationis fulmem vibravit. Quum enim Vitalis, apud Damasum fuisset hæresis accusatus, Romam venit, & oblata Pontifici fraudulenta fidei formula, in catholicam communionem admissus est. Detegens autem Damasus illius fraudem, eum a communione fidelium segregavit, & ejus subdolam fidei confessionem damnavit. Hoc totum asserit S. Gregorius Nazianzenus ep. ad Cledonium.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium habitum Alexandriæ ann. 362. ab Athanasio Episcopo, post Constantii mortem Apollinaristarum hæresim damnavit, at non expresso Apollinaris nomine. Patet hoc ex Epistola Synodica ad Antiochenses, in qua definitur: *Salvatorem non habuisse corpus inanimum, nec sensus, aut mentis expers.* Concilium alterum Alexandriæ celebratum ab eodem Athanasio ann. 363. edidit fidei formulam, quam Athanasius obtulit Joviniano Imperatori, & in qua decretum de Incarnatione, editum præcedenti Concilio, confirmatum est. Concilium Constantinopolitanum I. ann. 381. habitum eandem hæresim proscripsit: ut legitur in epistola synodica ejusdem Concilii ad Damasum Papam missa. Postremo in aliis omnibus subsequentibus Synodis, quæ fuerunt ob alias causas celebratæ, hæresis hæc rejecta, ac damnata apparuit.

IV. Probatur ex Patribus. Leontius Bizantinus, de Sectis act. 1. *Filius, & Sermo Dei, constituto propter nos in Deipara Virgine domicilio, cum corpus animatum mentem præditum, rationis particeps, & simpliciter, ut loquar, humanum, induisset, eidem humano corpori unitus est, citra confusionem.* Floruit hic Leontius ann. 540. juxta Bellarminum; secundum vero Coccium ann. 600. Maximus Monachus, qui floruit, Coccio teste, ann. 640., cent. 1. c. 9. *Christus Dominus nascitur, assumpta carne animam intellectivam habente.* Joannes Damascenus lib. 1. de fid. orthod. c. 14. *Dei Verbum totum hominem salutis nostræ causa suscepit, hoc est, animam intellectualem, & corpus.* Et lib. 3. c. 2. *Carnem anima rationali, atque intellectuali animatam condidit.* Præter hos addimus Epiphanium hæres. 20. Theophilum Alexandrinum lib. 1. Paschali, Isidorum Hispalensem de doctr. & fid. ecclesiastic. dogmat. c. 2., quorum verba in præcedenti Conclusione recitavimus.

V. Probatur Rationibus. I. Fuerunt in Christo passiones quædam, ut suo loco dicemus, & pro modo has tantum dicimus, metus, & tristitia: ergo fuit in illo anima mente prædita. Probatur consequentia. Principium, & subjectum harum passionum est anima; sed non potest esse anima, nisi sit ratione prædita: ergo si fuerunt in Christo passiones illæ, fuit etiam in ipso anima ratione prædita. II. Passiones illæ fuerunt voluntariæ in Christo; sed nequit dari principium voluntarium, quin sit intellectivum: ergo fuit in Christo intellectus: ergo fuit anima ratione prædita. III. Passiones illæ aliud non sunt, quam affectus, qui proveniunt, & nascuntur ex perceptione imminentis mali: ergo supponunt perceptionem; sed perceptio est actus animæ, quæ sit mente prædita: ergo si supponitur perceptio, supponitur quoque anima mente prædita. IV. Verbum assumpsit animam ex præcedenti Conclusione: ergo assumpsit animam mente præditam. Probatur consequentia. Si non fuit mente prædita: ergo fuit mentis expers. Aut igitur fuit spiritualis, aut materialis? Si materialis: ergo similis illi, quæ est in Brutis: Si spiritualis: ergo inferior Angelis: quia Angeli sunt spirituales, & intelligunt; anima illa esset spiritualis, & non intelligeret; quæ quidem absurda non sunt toleranda.

Opponunt I. Athanasius, Basilius, aliique Catholici passim cum Apollinario communicarunt; sed non communicassent, si eum putassent esse hæresis auctorem: ergo eum non agnoverunt hæreticum, nec hæresim opinionem suam. II. Verbum in Christo vices supplevit animæ: quæ est intellectiva, & rationalis; unde Verbum potest dici, quod sit principium, & subjectum illarum passionum. III. Joann. 7. dixit Christus: *Mea doctrina non est mea:* sed doctrina est actus animæ intellectualis: ergo si doctrina ejus non erat sua, hoc est non erat animæ intellectualis, quam non habebat, erat Verbi. IV. Anima in Christo vel cognoscebat eadem, & modo eodem, quæ, & quo cognoscebat Verbum, vel alia, & diverso modo? Si eadem, & eodem modo: erat superflua in Christo: Si alia, & diverso modo: ergo erat continua pugna in Christo inter Verbum, & animam Christi.

Re-

Digitized by Google

Respondemus ad I. Apollinarium antea occultasse hæresim suam per non parvum tempus; & tunc fuit, quando cum eo Athanasius, Basilius, aliique Catholici communicarunt. At quando hæresim promulgavit, tunc omnes ab eo se separarunt; quod apertissime constat ex tot Conciliis contra ipsum celebratis, quæ nos nuper attulimus; & insuper ex epistolis Basilii 74. & 82.

Ad II. dicitur, quod si argumentum propositum vim haberet, sequeretur, Verbum non esse Deum; esset enim mutabile, quod sufficeret, ut non esset Deus. Et certe subjectum tot passionum, quæ sunt ut plurimum diversæ, diversas etiam mutationes in subjecto supponunt. Et hæc erat fraus Arianorum, ut dictum est; ut dicendo, Verbum in Christo supplere vices animæ, confirmarent errorem suum, quo blasphemabant, Verbum non esse Deum.

Ad III. Christus vocavit doctrinam suam; dixit enim: *doctrina mea*: Et deinde subjunxit: *non est mea*; ut indicaret, illam non habere a se ipso, ut homo erat, sed a Patre: Unde superaddidit: *Sed ejus, qui misit me, Patris*. Cæterum Christus habebat illam ut homo, & docebat ut homo, etsi etiam haberet ut Deus, & doceret ut Deus. At præter doctrinam, de qua loquebatur, alias habebat Christus cognitiones, quæ ad doctrinam, de qua loquebatur, non pertinebant. Et de his cognitionibus argumentum eo modo, quo ab Adversariis proponitur, nequit procedere. Augustinus aliam dat explicationem, quam propriis ejus verbis superaddimus. Ait enim tract. 29. in Joann. sub initium: *Mea, inquit, doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Hæc est profunditas prima: videtur enim paucis verbis quasi contraria locutus. Non enim ait: Ista doctrina non est mea: sed, mea doctrina non est mea. Si non tua, quomodo tua? Si tua, quomodo non tua? Tu enim dicis utrumque: & mea doctrina, & non mea. Si ergo intueamur diligenter quod ipse in exordio dicit sanctus Evangelista: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: indo pendet hujus solutio quæstionis. Quæ est doctrina Patris, nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrina Patris, si Verbum Patris. Sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicujus: & suam doctrinam dixit seipsum, & non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim tam tuum, quam tu? Et quid tam non tuum, quam tu, si alicujus est, quod es?*

Ad IV. Christus in cognitione sua a cognitione Verbi non differebat, in quantum non cognoscebat contrario modo illi, quo Verbum cognoscebat. Differebat autem, quia cognitio Verbi erat infinita, tam intensive, quam extensive, non sic autem cognitio animæ Christi; tum etiam, quia ex cognitione Verbi, quæ erat immutabilis, non proveniebant passiones illæ, quæ provèniebant ex cognitione animæ Christi, quæ erat mutabilis; tum quoque in aliis, quæ conveniebant cognitioni Verbi ut divinæ, & increatæ; & non conveniebant cognitioni animæ Christi, quæ erat humana, & creata. Non per hoc autem cognitio animæ Christi erat superflua; quia non erat in Christo superflua anima, ex qua cognitio proveniebat, & quæ sine cognitione esse non poterat; ut dictum est.

Pro ultima Dissertationis parte, in qua quæritur, an Anima Christi, separata per mortem ab ejus corpore in cruce, ad Inferos descenderit? Et ad quid? Et circa illam variæ, & multiplices sunt Hæreticorum insaniæ, quas primo enumerandas suscipimus, & deinde nostra consueta methodo impugnandas aggrediemur.

Primo igitur Marcion voluit, Christum descendisse ad inferos, ut antiquos Patres liberaret? attamen Abelem, Enoch, Noe, Abraham, & cæteros Patres, non fuisse liberatos, quia noluerunt Christo credere; Cain vero, Nembrot, Sodomitas, aliosque impios feros, & sceleatos homines salvatos fuisse, quia Christo crediderunt. Refert Irenæus lib. 1. c. 29.

Secundo Hæretici quidam innominati dixerunt, Christum utique descendisse in infernum, & omnibus post mortem etiam ibidem renunciasse, ut confitentes ibidem salvarentur. Hos inter Hæreticos recenset, eosdem fine nomine referens, Philastrius de hæres. c. 74.

Tertio sunt Christolytæ, qui effutiunt, Christum Dominum, quando ab inferis excitatus est, relicto ibi corpore simul cum anima, ad cœlum ascendisse cum sola divinitate. Refert Coccius, & testem affert Damascenum scribentem de Hæresibus.

Quarto Martinus Lutherus in psal. 16. asserit pari insolentia, ac impietate, Christum Dominum apud inferos Damnatorum pœnas exolvisse. Testatur Coccius præfatus.

Quinto Erasmus Roterodamus in explanatione Symboli Apostolici cathec. 4. hæc

habet: „ *Descendit ad Inferos.* Hic est articulus, quem Cyprianus in Symbolo Romano non haberi, ait. Ipsa inconnitas verborum arguit, ab alio quopiam intertextum emblema. *Sepultus est*, ad corpus pertinet, quod morte sopitum resurgit. At descendere ad inferos ad animam refertur, quæ nec sepulta fuit, nec resurrexit, sed ad tempus sejuncta, mox ad corpus exanime rediit. An Thomas Aquinas addiderit, sub dubio. Nonnulla suscipio est, hanc particulam ab alio adjectam, vel hoc argumento, quod non est suo loco „.

Sexto Zuinglius in expositione fidei christianæ hæc scribere non erubuit, nec veritus est. „ Patres Apostolici in Symbolo adjecerunt: *Descendit ad inferos*; qua locutione usi sunt vice Paraphraseos, qua & veram mortem significarent: Inferis enim connumerari, ex humanis abiisse, est, & virtutem redemptionis ejus ad inferos quoque perveniisse „.

Septimo Martinus Bucerus, turpissimus Ecclesiæ, & Claustri, desertor, ad cap. 27. Matth. scripsit: „ Si recte accipias vocem *Infernus*, ibi memorant Evangelistæ, Christum ad infernum descendisse, ubi narrarunt mortuum, & sepultum: *Scheol* enim, pro quo nos in Scripturis fere *Inferos* legimus, sepulcrum significat, quod nunquam saturatur. Quæ ergo Theologi superioris seculi de Limbo Patrum, & reali illo descensu Christi, quo etiam ad locum Damnatorum, & Purgatorium, accesserit, disputarunt, vana sunt: Mittenda sunt hæc inventa hominum „.

Octavo Brentius, explicans in suo Catechismo Apostolorum Symbolum, ubi venit ad Christi descensum ad inferos, scripsit, descendere ad inferos nil aliud esse, quam prorsus interire; unde non aliud per ipsum est descensus ille, quam mors.

Nono Henricus Bullingerus decad. 1. in expositione Symboli, de descensu ad Inferos, ait: „ Simplicius videbimur hunc articulum intelligere, si senserimus virtutem mortis Christi etiam dimanasse ad defunctos, & his profuisse; hoc est, propter mortem Christi omnes Patriarchas & fideles homines, ante Christi adventum mortuos, ab æterna morte servatos esse „.

Decimo Calvinus pluribus in locis contra hanc veritatem insaniit. Et præcipue lib. 2. instit. c. 16. §. 9. ait. „ Hæc fabula de Limbo Patrum, ad quos liberandos Christum descendisse narrant, tametsi magnos habeat auctores, nihil tamen aliud, quam fabula est .... Nihil actum erat, si corporea tantum morte mortuus fuisset Christus; sed operæ pretium simul erat, ut divinæ ultionis severitatem sentiret, quò & iræ ipsius intercederet, & satisfaceret justo Judici. Unde etiam oportuit eum cum inferorum copiis, & æternæ mortis horrore, quasi confertis manibus, luctari „. Et ad cap. 30. Job. „ Descendit Christus ad inferos, hoc est, angores, & cruciatus, omnibus peccatoribus debitos, sustinuit „. Et in Catechismo, quem edidit ann. 1562. „ Descensus Christi ad inferos significat, quod Christus non solum naturalem mortem sustinuit, quæ est separatio corporis, & animæ; sed quod anima quoque ejus mirabilibus angustiis adstricta, concluseque fuerit, quos Sanctus *dolores mortis* appellat, idcirco factum hoc est, qui se Deo præsentabat, sistebatque, ut ei peccatorum nomine satisfaceret, necessarium, ut terribiles has conscientiæ angustias experiretur, non secus ac si a Deo derelictus esset, imo vero quasi illi iratus fuisset, atque in illa abysso constitutus exclamavit: „ *Deus meus, ut quid me dereliquisti* „?

Undecimo Augustinus Marloratus ad cap. 2. Actuum Apostolorum, ait, Animam Christi non fuisse in inferno relictam, non aliud importare, quam sub Diaboli tyrannide non mansisse, nec mortis, nec peccati. Cæterum quæ dicuntur, & disputantur de descensu Christi ad inferos, omnia esse superflua, & inutilia; eo quod anima non tam significet spiritum immortalis essentiæ, quam vitam ipsam.

Duodecimo Theodorus Beza ad c. 2. Act. Apost. sic interpretatur illud Davidis: *Non relinques animam meam in inferno*: Non reliques cadaver meum in sepulcro; & a Castaleone reprehensus, dixit. „ Non semere feci, cum præcipue locum a Papistis torqueri ad suum Limbum constituendum videamus. Veteres etiam inde descensum illum animæ Christi ad Inferos excogitarunt „. Idem in magna fidei confessione tam latina, quam gallica, quod nullam faciat mentionem, testatur Coccius.

Decimotertio Erasmus Sarcerius in Catechismo, ubi Symbolum Apostolorum exponit, per descensum Christi ad Inferos intelligit crucem, & pœnas, & cruciatus omnes, quos Christus passus est; immo & passionem ejus inferni vocabulo voca-

si,

Digitized by Google

ri, ait, per exaggerationem.

Decimoquarto Gaspar Olevianus descensum Christi ad Inferos metaphorice intelligit in libro suo, germanica lingua exarato; scilicet per ipsum explicans extremam, & acerbissimam Christi humiliationem, & dolores adeo acerbos, & atrocissimos, ut infernales dixerit.

Decimoquinto Benedictus Aretius in Problematibus Theologicis dixit, quod per descensum Christi ad inferos intelligendum sit, Christi mortem manifestatam fuisse malis Spiritibus, qui in Inferno sunt; ut scirent, jam adveniſſe, quem venturum audierant.

Decimosexto Theologi Vvirtenbergenses lib. 6. concordiæ fol. 750. aliam hæresim amplectentes, dixerunt, non tantum animam Christi, sed totam Personam, Deum, & hominem, ad inferos descendisse: „ Simpliciter credimus, quod tota „ Persona, Deus & homo, post sepulturam „ descenderit ad inferos „.

Dicimus III. Christi animam, morte ab ejus corpore separatam; ad Inferos descendisse, ut Sanctos Patres liberaret.

I. Probatur ex Scripturis. Psal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quæ verba Actor. 2. a S. Luca explicantur de Christo: *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit: Caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno. Providens locutus est de resurrectione Christi: quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Ad Ephes. 4. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* Ad Coloss. 2. *Et Vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo; donans vobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci; & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso.* I. Petri 3. *Mortificatus quidem carne vivificatus autem Spiritu, in quo & his, qui in carcere erant, Spiritibus veniens prædicavit.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Symmachus Papa Apologetico adversus Anastasium Imperatorem: *Christus, Deus veraciter totus, & totus homo est, sic conceptus, sic editus, sic conversatus in seculo, sic passus, sic apud inferos, sic resuscitatus.* Hormisda ep. ad Justinum Imperatorem c. 3. *Sepultus est Christus, juxta id, quod homo voluit nasci; & juxta id, quod Patri erat similis, resurrexit: patiens vulnerum, & Salvator ægrorum: unus defunctorum, & vivificator obeuntium; & ad inferna descendens, & a Patris gremio non recedens.* Gregorius magnus lib. 13. moral. c. 15. & 16. *Dum conditor, ac redemptor noster claustra inferni penetrans, Electorum exinde animas eduxit, nos illo ire non patitur, unde jam alios descendendo liberavit. Hi vero, qui ante ipsius adventum in hunc mundum venerunt, quantumlibet justitiæ virtutem haberent, ex corporibus educti in sinum cœlestis patriæ statim recipi nullo modo poterant; quia necdum ille venerat, qui inferni claustra sua descensione solveret, & Justorum animas in perpetua jam sede collocaret.* Et lib. 6. reg. ep. 15. *Nihil aliud teneatis, nisi quod veræ fides per catholicam Ecclesiam docet; quia descendens ad inferos Dominus, illos solummodo ab inferni claustris eripuit, quos viventes in carne per suam gratiam in fide, & bona operatione servavit.* Pius II. Const. V. *Christus in ligno crucis moriens mortem nostram destruxit, & vitam reparavit, despoliavit inferos, abduxit Sanctos Patres, & victor mortis, & Diaboli triumphator, cœlum jam longo tempore clausum aperiens, ascendit ad Patrem, nobisque viam ostendit, per quam sequi eum possimus.*

III. Probatur ex Conciliis. Synodus Ariminensis apud Athanasium de Synodo Arimini: *Credimus Filium Dei secundum Patris voluntatem crucifixum, & mortuum esse, & ad inferos descendisse; atque ibi quod sui officii erat peregisse: quem janitores inferorum conspicati exhorruerunt, eumque tertio die ab inferis resurrexisse, & versatum cum discipulis fuisse.* Concilium Ephesinum in Definitione fidei; & in Epistola Cyrilli ad Nestorium: *Nam ut mortem ineffabili potentia proculcaret, ac prius in sua carne primogenitus Deus, licet juxta naturam suam mortis expers, ex mortuis fieret primitiæ dormientium, viamque faceret humanæ naturæ ad incorruptionis recursum, gratia Dei pro hominibus gustavit mortem, & tertia die exurgens spoliavit Infernum.* Concilium Toletanum IV. c. 1. *Descendit ad Inferos, ut Sanctos, qui ibi tenebantur, erueret, & devicto mortis imperio, resurrexit. Hæc est catholicæ Ecclesiæ fides, hanc confessionem servamus, atque tenemus.* Concilium Lateranense IV. ann. 1215. celebratum c. 1. de fide, & sum. Trinit. *Unigenitus Dei Filius in ligno cru-*

eis passus, & mortuus, descendit in anima, resurrexit in carne, ascendit pariter in utroque. Concilium Colonienſe II. p. 7. c. 14. *In sepulcro Christi divinitas non fuit separata a corpore.*

IV. Probatur ex Patribus Græcis, Ignatius martir in ep. ad Trallianos: *Vere, & non hominum opinione crucifixus, & mortuus est, videntibus cœlestibus, terrenis, & qui sub terra detinebantur. Cœlestibus quidem, tanquam incorporeis naturis; terrenis vero, ut Judæis, & Romanis; & cæteris, qui tunc temporis crucifixo Domino aderant: Subterraneis autem, eis videlicet, qui plurimi cum Domino resurrexerunt. Descendit ad infernum solus, regressus est autem cum multitudine, & septum illud æternum rupit, & medium parietem illius destruxit, & intra triduum resurrexit.* Irænæus lib. 5. c. 31. *Tribus diebus Dominus conversatus est, ubi erant mortui; quemadmodum Propheta ait de eo* (Jon. 2. 2.) Commemoratus est Dominus Sanctorum mortuorum suorum, eorum, qui ante dormierunt in terram suam, stipulationis, & descendit ad eos, extrahere eos, & salvare eos. *Et ipse autem Dominus* (Matth. 12, 40.) Quemadmodum, *ait*, Jonas in ventre ceti tres dies, & tres noctes mansit, sic erit Filius hominis in corde terræ. *Sed & Apostolus ait;* (Ad Ephes. 4. 9.) Ascendit autem quid est, nisi quia & descendit in inferiora terræ? *Hoc & David in eum prophetans, dixit:* (Psal. 86. 13.) Et eripuisti animam meam ex inferno inferiore. *Resurgens autem tertia die &c.* Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. c. 2. *Si ergo Dominus nulla alia de causa descendit ad inferos, quam ut annunciaret Evangelium, sicut certe descendit,* Origenes hom. 15. in Genes. *In fine seculorum Unigenitus Filius pro salute mundi usque ad inferna descendit, & inde protoplastum revocavit. Quod enim dixit ad Latronem:* Hodie mecum eris in Paradiso: *non illi solum dictum, sed & omnibus Sanctis, intellige, pro quibus ad Inferos descenderat.* Eusebius eccleſiast. historiæ lib. 1. c. 13. *In præsentia, inquit Thadæus, silebo. Sed quoniam ad verbum Dei prædicandum missus sum, cras referam, quo pacto Christus seipsum dejecerit, mortem obierit; qua ratione ad inferos descenderit, maceriemque, qua longo avi spatio integra, & immota constitisset, diruperit; ut surrexerit post triduum; ac mortuos, qui multis seculis obdormivissent, excitaverit; quatenus etiam solus descenderit ille quidem, sed cum ingenti multitudine ad Patrem suum ascenderit.* Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. illuminat. *Descendit Christus ad inferos, ut & illinc justos liberaret. Cur enim vellet viventes quidem frui gratia, quamvis plurimi ex his sancti non essent, qui vero cum Adam a longo tempore concluſi erant, deinceps non potiri libertate? Esaias Propheta tanta de illo prædicavit, & non vis, ut Rex descendens liberet suum præconem? David illic erat, & Samuel, & omnes Prophetæ, ac ipse Joannes, qui ad eum, per suos nuntios dicebat: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Non vis, ut descendens liberet tales?*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Hilarius in psal. 53. *Morte non interceptus unigenitus Dei Filius: ad explendam quidem hominis naturam morti se, ideſt, ad sessioni se, tanquam animæ, corporisque subjecit, & ad infernas sedes, id quod homini debitum videtur esse, penetravit.* Ambrosius de dominicæ incarnat. sacram. cap. 5. *Corpus Christi jacebat in tumulo, ipse autem inter mortuos liber remissionem in inferno positis soluta mortis lege donabat.* Hieronymus ad Eccleſiastis cap. 3. *Ante adventum Christi omnia ad inferos pariter ducebantur. Unde & Jacob pariter ad inferos se descensurum dicit, & Job pios, & impios in inferno queritur retentari, & Evangelium chaos magnum interpositum apud inferos, & Abraham cum Lazaro, & divitem in suppliciis esse testatur. Et revera antequam flammeam illam rotam, & igneam rhomphæam ad Paradisi fores Christus cum latrone reseraret, clausa erant cœlestia, & Spiritus peccoris, hominisque æqualis vilitas coarctabat.* Augustinus epist. 57. ad Dardanum, solut. primæ quæstionis: *Si secundum hominem, quem Verbum Deus suscepit, putamus dictum esse: Hodie mecum eris in Paradiso, non ex his verbis in cœlo existimandus est esse Paradisus. Neque enim ipso die in cœlo futurus erat homo Christus Jesus, sed in inferno secundum animam, in sepulchro autem secundum carnem. Et de carne quidem quod eo die in sepulchro sit posita, manifestissimum est Evangelium. Quod vero illa anima in infernum descenderit, Apostolica doctrina prædicat. Quandoquidem beatus Petrus ad hanc rem testimonium de Psalmis adhibet, ubi de ipso prædictum esse demonstrat: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Petrus Chrysologus serm. 123. *Ipse Dominus quia clausit infernum, ad inferos tota potestate descendit, ut clausa protinus aperiret.* Fulgentius ad Trasimundum regem lib. 3. cap. 31. *In hoc divinitas*

Christi

Christi virtutem suæ impassibilitatis ostendit, quæ ubique semper, atque ineffabiliter præsens, & secundum animam suam in inferno sine doloribus fuit, & secundum carnem suam in sepulchro sine corruptione jacuit: quia nec carni suæ defuit, cum animam suam in inferno dolere non sineret, nec animam suam in inferno deseruit, cum in sepulchro carnem suam a corruptione servaret. Dignum namque fuit, ut carnem sepulchri non corrumperet locus, quam peccati non corrupit affectus: & animam dolor non contingeret inferni, quam servitus nequivit tenere peccati. Propter hoc in Psalmo, cum ex forma servi, in qua Christus nostra peccata portavit, diceret: Quia repleta est malis anima mea, & vita mea in infernum appropinquavit, ut ostenderet eandem animam suam a peccato liberam, in infernum pro nobis peccatoribus descendisse, subdidit, dicens: Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.

VI. Probatur traditione Ecclesiæ Orientalis usque ad præsentem diem, cui etiam in hoc conformantur Schismatici Præsules, & Principes. Zaga Zabo Ethiops ann. 1530. in Confessione fidei æthiopicæ: *Christus descendit ad inferos, ubi erat anima Adæ, & ejus filiorum; atque animam ipsius Christi, quæ est ab Adam, quam animam Adæ ipse Christus accepit ex sancta Maria Virgine, & in splendore, ac potentia divinitatis suæ, & crucis fortitudine fregit æneas, & igneas inferorum portas, & catenas ferreas, Sathanam colligavit, & redemit Adam, & ejus filios.* Moyses Mardenus Assyrius 1552. in tabula lectionum novi Testamenti: *Sabbatum annuntiationis idcirco appellatur, quod eo Christus Patribus apud inferos agentibus annuntiavit, extremo suo supplicio salutem eis partam jam esse.* Siud Sulaka Patriarcha Nestorianorum 1553. in fidei confessione: *Christus passus, mortuus, & sepultus est humanitate sua propter nos, & propter redemptionem nostri descendit ad infernum, & tertio die resurrexit e sepulchro vera resurrectione.* Joannes Basilius Magnus Dux Moscoviæ 1570. responsione ad Johannem Rohitam cap. 12. *Licet quidam usque ad Christi adventum justi fuerint, neque contaminati: nihilominus tamen omnes propter Adami damnationem, moriebantur, ac in Adum, idest, infernum descendebant.* Gabriel Patriar. Alexandrinus 1595. in confessione fidei: *Firmiter credo, & prædico Christum vere passum, vere mortuum, & sepultum, vere cum anima descendisse ad inferos, ad liberandas animas sanctorum Patrum, quæ in Limbo detinebantur, alligato insatiabili homicida.*

VII. Probatur Rationibus. I. De fide credere debemus quodcunque est contentum in articulis Symboli Apostolici; sed descensus ad inferos est de articulis Symboli Apostolici: ergo de fide credere illum debemus. Argumentum est Alberti magni ad c. 11. Matth. dicentis: *Descensus ad inferos est de articulis Symboli Apostolorum &c. Descensus enim completur in liberatione eorum, qui in inferno sunt.* II. Patres, qui in limbo detinebantur, expectabant liberationem a Christo: ergo conveniens erat, ut Christus ad eos liberandos descenderet. Est pariter ratio Alberti magni ad c. 16. Lucæ scribentis: *Dicendum, quod Limbus Patrum erat in tenebris, quoad hoc, quod visionem Dei non habebant, tamen aliquid lucis habuerunt gratiæ interioris, propter felicem fidem, & spem, qua Redemptorem expectarunt.* III. Patres manentes in Limbo solvebant pœnam damni, quæ erat debita peccato totius naturæ; sed hoc debitum solutum est directe per passionem Christi: ergo post passionem Christi liberari debebant, & liberari per Christum. Ratio est Durandi a S. Porciano lib. 3. dist. 22. q. 4. *Christus non descendit ad infernum Damnatorum, nec in Limbum Puerorum. Cujus ratio est, quia descensus Christi in infernum fuit secundum effectum liberationis eorum, qui in inferno detinebantur; sed Damnati pro peccato actuali, & decedentes Pueri in peccato originali, non fuerunt per Christum liberati: ergo Christus non descendit in infernum Damnatorum, nec in Limbum Puerorum &c. De Patribus, qui fuerunt in Limbo, patet, quod per Christum fuerunt liberati: quia tales nulli pœnæ erant obnoxii, nisi soli pœnæ damni debitæ peccato totius naturæ; sed hoc debitum directe per passionem Christi solutum est: igitur per passionem Christi tales fuerunt penitus liberati.* IV. Christus per passionem, & mortem suam clausas cœli portas aperuit: ergo illas ingredi debebant illi, qui detinebantur, ne ingrederentur, quia adhuc clausæ erant; sed isti erant Patres, qui in Limbo erant: ergo Christus ad eos descendit, ut illos in cœlum perduceret, cujus portas jam aperuerat. Est ratio Gabrielis Biel lect. 54. in Canonem Missæ: *Ad inferos secundum animam Christus descendit, ut Sanctos inibi detentos liberaret; Patres scilicet, & Prophetas, in quibus licet nihil purgandum erat, propter peccatum tamen Adæ, portam regni clau-*

claudens, suis meritis beatitudinem attingere non poterant, sed expectabant pretii solutionem, quod fuit in passione Christi sanguis fusus.

VIII. Probatur confessione veterum Judæorum, ac Rabinorum: Rab. Simeon, filius Johai, apud Rab. Haccados: *His auditis cœpit flere R. Hoseas: dixitque: Veh illis, veh illis impiis, iniquis, homicidis Israel; quorum amore, ut peccatum illis dimittat, Deus sanctus, & benedictus mittet filium sanctum suum, & carne humana se induet. Veh illis, quia propter suas pravas operationes erunt rebelles huic Messiæ, & respuent dicta, quibus præcipiet, ut mundificentur aqua mundificationis, ad purganda eorum peccata. Ipsi vero non incedent in viis Deo gratis, nec facient voluntatem ejus, sed ingenti iracundia perciti, eum occident. Tunc anima ejus descendet ad inferos, apud quos triduo morabitur; ut inde omnes animas Patrum, justorumque educat, sicut dictum est Genes. 47. Ego descendam tecum in Ægyptum, & ego inde educam te. Et faciet Deus sanctus, & benedictus, ut eos in Paradisum deducat, sintque læti in gloria Dei, juxta illud Hoseæ 6. Visitabit nos post duos dies in die tertia suscitabit nos, & vivemus ante faciem ejus.* Rab. Haccados, libro, qui inscribitur: Revelator arcanorum: *Hic est Deus sanctus, & benedictus, qui ait: Ego sum vir, qui vidi paupertatem: me minavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem. Hic itidem Deus sanctus, & benedictus est, qui dixit: Decrevi descendere ad inferos, ad redimendas animas justorum, quas in virga indignationis sua Pater meus, qui est in cœlis, illic detrusit, propter peccatum Adæ.* Rab. Moyses Hadarsan in expositione Gen. 24. Et induxit me in tabernaculum. *Dixit R. Josuas filius Levi: Ivi cum Angelo mortis, nomine Kippod, quousque perveni ad portas gehennæ, statimque misi Kippod Angelum, qui scilicet præest gehennæ, ut metiretur gehennam a capite usque ad finem, & non fuit ei hora vacans ad metiendum. Quia tunc occiderunt Rabban Simeonem filium Gamalielis, & volui ire, & non potui. Post hoc autem ivi cum Kippod Angelo, & ibat mecum Messias filius David quousque perveni ad portas gehennæ. Cumque viderent captivi, qui in gehenna erant, lumen Messiæ, gavisi sunt eum recipere dicentes: Hic educet nos de his tenebris, sicut dictum est Hoseæ 13. De manu inferni redimam eos, a morte liberabo illos. Et sic Esaias quoque dicit cap. 35. Et redempti Dei redibunt, & venient, vel intrabunt in Sion, & reliqua usque: Et fugiet dolor, & gemitus. Non dicitur autem Sion in loco isto, nisi Gan Edin, idest, hortus voluptatis, hoc est Paradisus.*

Objiciunt I. Christus si descendit ad inferos, omnes liberavit, qui in inferis reperiebantur; sed non omnes liberavit, qui in inferis reperiebantur: ergo ad inferos non descendit. Major est certa; sicut enim passus est pro omnibus, ita liberare debuit omnes. Minor non negatur; non enim liberavit Cain, Esau &c. Consequentia est legitima. II. Christus descendit ad Inferos secundum animam: ergo anima ejus inferorum pœnas subiit. Probatur consequentia. Ut liberaret, qui erant in terra, passus est in terra: ergo ut liberaret qui erant in inferno, passus est in inferno. III. Christus sanavit in nobis animam, & corpus; sed corpus sanavit per passionem crucis: ergo pariter sanavit animam in inferos descendendo, & patiendo. Hoc idem affert Arnoldus Abbas Bonævallis. IV. Descensu suo ad limbum Christus vel liberavit Justos tantum, vel etiam peccatores? si justos tantum: ergo non fuit copiosa ejus redemptio; si etiam peccatores: ergo non descendit tantum ad limbum SS. Patrum, sed etiam ad infernum Damnatorum. V. Edmundus Cantuariensis scribit, Christum extraxisse secum animas, qui in terra fecerunt suam voluntatem; sed qui in terra suam faciunt voluntatem sunt peccatores: ergo Christus liberavit etiam peccatores, hoc est Damnatos. VI. Clemens Alexandrinus loco a nobis nuper citato docuit, Christum ad inferos descendisse, ut Evangelium prædicaret: ergo non ut liberaret Patres in Limbo detentos. Non est autem assignabile, quibus Evangelium in locis illis subterraneis Evangelium prædicasset. VII. Christus quando expiravit in manibus Patris posuit animam suam, dicens: *In manus tuas commendo Spiritum meum:* ergo ad inferos anima ejus non descendit. VIII. Antiquitus die sabbati non jejunabant fideles, eo quia die illo fuerunt animæ Justorum ab inferis liberatæ; sed hic mos cessavit in Ecclesia: ergo signum est, fuisse inventam insussistentem historiam, cui innitebatur. Antecedens habetur ex Theriano epist. ad Sacerdotes de jejunio Sabbati: *Non jejunant Græci sabbato; quia eo die animæ Justorum, statim post descensum Domini ad inferos, liberatæ fuerunt.* IX.

In

Digitized by Google

In Symbolo Nicæno, quod est Constantinopolitanum auctius, hic descensus Christi ad inferos non legitur: ergo fuit incognitus Patribus Nicæni, & Constantinopolitani Concilii. X. In Symbolo Apostolorum nec pariter legitur apud multas Ecclesias, præter Romanam Ecclesiam: ergo non erat universalis in Ecclesia traditio descensus Christi ad inferos.

Respondemus ad I. cum S. Thoma in expositione Symboli, si ejus legitimus est fœtus, c. 7. *Licet Christus passus sit pro peccatoribus, & ad infernum descenderit, non tamen liberavit omnes, sed illos tantum, qui sine peccato mortali erant. Illos vero, qui in mortali decesserant, dimisit. Et ideo nullus, qui cum peccato mortali illuc descendit, speret veniam.*

Ad II. respondet idem Angelicus Doctor in compendio Theologiæ c. 235. si illi pariter non est suppositum opus: *Anima Christi descendit quidem ad inferos; secundum locum; non autem, ut ibi pœnam subiret, sed magis ut alios a pœna absolveret, qui propter peccatum primi parentis, illic detinebantur, pro quo plene jam satisfecerat, mortem patiendo. Unde post mortem nihil patiendum restabat, sed absque omni pœna passione localiter ad infernum descendit, ut se vivorum, & mortuorum liberatorem ostenderet.*

Ad III. Hæc sunt verba Arnoldi Abbatis Bonævallis de verb. Domini tract. 6. & 7. in quibus nec verbum legitur passionis Christi apud inferos: *Quia & pro carne, & pro spiritu hominis agebatur, & totus homo totum Christum habuit sanatorem, dum & caro in medelam carnis oblata est in ligno, & ad sanctificationem animæ obtinendam, Spiritus ille descendit ad inferos, & ascendit ad Superos, ibi confringens ferreos vectes, hic portas aperiens æternales.* Quibus verbis, descensus quidem animæ Christi Domini ad inferos declaratur, sed nulla de ejusdem passione ibidem mentio habetur, quid potius potentia ostenditur.

Ad IV. Descendit Christus ad limbum tantum Sanctorum Patrum, qui omnes erant justi, & fuit copiosa redemptio, quia ex sola misericordia, non ex illorum merito provenit. Durandus a Sancto Portiano lib. 3. dist. 22. qu. 4. hæc scribit: *Christus non descendit ad infernum damnatorum, nec in limbum puerorum. Cujus ratio est, quia descensus Christi in infernum fuit secundum effectum liberationis eorum, qui in inferno detinebantur; sed damnati pro peccato actuali, & decedentes pueri in peccato originali non fuerunt per Christum liberati. Ergo Christus non descendit in infernum damnatorum, nec in limbum puerorum &c. De Patribus, qui fuerunt in limbo patet, quod per Christum liberati: quia tales nulli pœnæ erant obnoxii, nisi soli pœnæ damni, debitæ peccato totius naturæ. Sed hoc debitum directe per passionem Christi solutum est. Igitur per passionem Christi tales fuerunt penitus liberati.*

Ad V. Dicimus cum Joanne Taulero in Parasceve ser. 1., quod salvavit Christus omnes, qui fecerunt voluntatem Patris, non vero propriam voluntatem: *Cum in cruce mortuus fuisset Christus, sanctissima illius anima divinitati unita ad Limbum descendit, redimens, ac liberans inde, quotquot Patris illius fecerant voluntatem.* Edmundus autem Cantuariensis in speculo Ecclesiæ c. 13. explicatur: *Ut nos redimeret ab infernali captivitate anima sua descendit ad inferna cum deitate, corpore manente in sepulcro, & extraxit secum animas, qui in terra fecerunt suam voluntatem*; hoc est voluntatem Christi, non propriam.

Ad VI. Jacobus Genuensis Dominic. 21. post Trinitatem ser. 3. Causas enumerat, propter quas Christus in infernum descendit: *Voluit Dominus descendere ad inferna; primo propter triumphum: de hoste enim tunc quis perfecte triumphat, quando non solum eum in campo vincit, sed etiam expoliat, & in domo sua eum ligat. Christus Diabolum in cruce vicit, sed in inferno eum spoliavit. Coloss. 3.* Expolians Principatus, & Potestates. *Secundo propter remedium; ut scilicet SS. Patribus subveniret, & eos de limbo educeret. Zachariæ 9.* Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. *Tertio propter exemplum; ut erudiamur, sæpe in infernum mente descendere.* Quarta autem causa potest esse illa, quam innuit S. Petrus, commemorat Clemens Alexandrinus, & explicat Moyses Bar-Cepha de Paradiso p. 1. paulo ante finem: *Cum Christi anima in cruce esset a corpore separata, ipsa Divinitas simpliciter neque corpus, neque animam deseruit, sed & una cum corpore sepulcrum subiit, & simul cum anima inferos correxit; atque ad eas animas, quæ inibi tenebantur, concionem habuit; sicut ait Petrus Apostolus in sua Epistola. Itaque anima Christi eas animas, quæ in se credebant, ab inferis sustulit, subvectasque induxit cum Latronis anima in paradisum, unde expulsus fuerat Adamus.*

Ad

Ad VII. Respondet Michael Glycas par. 3. annalium: *Ad Orcum descendisse cum sanctam Christi audis animam, noli obstupescere, neque dicere: fieri haudquaquam potuisse, ut eadem anima migraret ad Orcum, & paternis in manibus deponeretur. Quippe Dei manus, videlicet illa continens omnia, vis, & potestas, tum in cælo est superne, tum in terris deorsum; neque adeo ipsis ab Orci angulis unquam abest. Quo fit, ut si maxima sancta Christi anima id temporis ad Orcum sit profecta, minime tamen avi, potestateque illa, ceu diximus, omnia continente abfuerit. Imo dicendum potius, potentiam Patris ipsum esse Christum, quemadmodum Paulus loquitur. Deponit igitur animam suam paternas in manus, ut hoc modo cunctis justorum animabus iter ad superna, cælestiaque largiretur. Ad Orcum vero descendit, ut etiam eis, qui isthic detinerentur, prædicaret, ac religiosam illam pietatem docendo commonstraret, quam prius ignorassent, &c.*

Ad VIII. Hunc morem jejunandi die sabbati varium fuisse in Ecclesia, non solum inter Græcos, & Latinos, verum quoque inter Latinos ipsos, etiam inter illos, qui in sola Italia morabantur. Etenim Romæ jejunabant, non sic vero Mediolani; ut patet ex Epistola Augustini ad Decentium. Et inde varietas illa proveniebat, ex quo diversis piis considerationibus aliquod Christi mysterium colere intendebant. Jejunabant enim quidam die sabbati, quia Christus hac die fuit in sepulcro; alii non jejunabant, quia resurrexit. Sic pariter alii non jejunabant, quia Christus ad inferos descendens SS. Patres liberabat; & cæteri jejunabant, quia tempore illo sepultus in tumulo manebat. Ex hac autem diversitate quis non videt nil certi inferri posse, ut quod ad historiam pertinet comprobetur?

Ad IX. Patres Nicæni non posuerunt in Symbolo nisi dogmata, quæ erant contraria hæresibus, quæ tunc temporis Ecclesiam infestabant. Hæc, de qua loquimur, tunc quidem non audiebatur; reservata enim erat recentibus Sectariis, ut illam publicarent, ac propugnarent. Vel si quis eam docuisset, sine nomine, & utique sine successu, fecisset. Cæterum iidem Patres, qui Nicænum Symbolum condiderunt, contra hanc hæresim scripserunt, expresse asserendo nimirum dogma, quod contra ipsam est; ut videre quisque poterit in Athanasio, in Macario Hierosolymitano, in Eusebio Cæsariensi, & aliis. Et quod pluris est, vidimus in Synodo Ariminensi, quam attulimus, & quæ Nicæno Concilio pluſquam affinis fuit.

Ad X. Sat est, quod inveniatur in Symbolo Apostolorum, quod Romæ legitur. Illud enim est, de quo dixit S. Augustinus, fuisse semper intemeratum a Romana Ecclesia servatum. Cæteræ sane Ecclesiæ, vel ob irrepentes hæreses, vel ob Præsulum defectionem, vel alias ob causas, passæ sunt mutationes aliquas in Symbolo, quas Romana, quia nullas amplexa est hæreses, nullum ex Pontificibus suis in fide habuit errantem, non est experta. Sufficit autem sola Romana Ecclesia, quæ est cæterarum magistra, mater, & caput, ut fidei depositum servet, quanvis cæteræ omnes deserant; ut dicatur, Christi fidem non deficere, & inferni portas contra Jesu Christi Ecclesiam non prævalere.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CLXXXI.

De voluntate Christi, in quo positus fuerit error Monothelitarum contra Christi voluntatem, & operationem? Quis fuerit Monothelitarum auctor? Qui fautores? Qui impugnatores? & de ejusdem hæresis impugnatione.

POST controversiam de anima Christi, & de illius intellectu, pertractandam suscipimus illam, quæ est de ejus voluntate; in qua quærimus, an Verbum voluntatem humanam assumpserit? Monothelitæ Hæretici hoc negarunt, asserentes in Christo unicam esse voluntatem, & esse illam Verbi; unde sequitur, per illos Verbum voluntatem humanam non assumpsisse. Dicti sunt Monothelitæ a duabus græcis vocibus; hoc est μόνος, quæ significat, *solus*; ex θελημα, quæ importat, *voluntas*; & hoc ex eo, quia illius hæresis professores unicam in Christo voluntatem propugnarent. Hæc quidem hæresis fuit appendix ad Eutychianam; Eutychiani enim unicam admittebant in Christo naturam, Monothelitæ vero unicam voluntatem. Attamen Vasquez 3.p. disp. 73. c. 1. asserit, & defendere conatur, Monothelitas non negasse duplicem in Christo voluntatem, & operationem, sed in eo solum errasse, quod admitterent affectum divinæ tantum naturæ per exclusionem affectus rationalis, & humani appetitus. Ex quo deinde concludit, Monothelitas admisisse unicam in Christo operationem theandricam. Certe postquam hæresis hujusce relationem ex S. Thoma, & aliis Theologis attulisset, de suo subjungit Vasquez: „ Verum si attente legantur acta VI. Synodi, manifeste apparebit, alium longe diversum fuisse errorem horum Hæreticorum: ... Existimo ergo hos Hæreticos per operationem intellexisse solum affectum voluntatis efficacem, a quo tanquam a primo motore pendent membrorum motus, & actiones; per voluntatem autem intellexisse non facultatem appetitus rationalis, sed hunc motum, & affectum illius; quam quidem solum operationem vocabant. „ Absque dubio attente legit Vasquez totam de Monotheliſmo historiam; acta Synodorum, quæ eam damnarunt; fautores, & impugnatores illius; qui inter Monothelitas, Sergium scilicet, Pyrrum, Cyrum, &c. etiam posuit *Typum*; quod observavit, sed suppresso nomine Vasquez, eruditus Theophilus Raynaudus. Hic præscitis

Dicimus I. Monothelitarum hæresim in eo positam fuisse, quod asererent, unicam in Christo esse voluntatem, divinam scilicet; atque etiam unicam operationem, quam dicebant *theandricam*, hoc est, Dei virilem.

I. Probatur ex asertione, & confessione Monothelitarum. Monothelitarum Auctor, qui fuit, ut dicemus, Theodorus Pharanites, in epistola, quam scripsit ad Sergium Arsenoitam, asseruit apertissime, unicam fuisse in Christo tum voluntatem, tum operationem. Ex ejus verba: *Omnia, quæ velut de Deo, aut humane de ipso dicuntur, una est operatio Verbi divinitatis ... una est voluntas, eaque divina.* II. Pyrrhus, qui fuit acerrimus Monotheliſmi propugnator, ut observabimus, in disputatione, quam habuit cum Maximo, Monacho in Africa, expresse defendebat, *unam esse voluntatem Divinitatis, humanitatisque, Christi.* III. Macarius, alter Monotheliſmi defensor, in fidei professione, quæ habetur in act. 8. Sextæ Synodi, confessus est simpliciter, Verbum per naturam humanam explevisse omnia, quæ carni sunt propria, *unice, & sola voluntate divina.* IV. Heraclius Imperator, præcipuus Monothelitarum fautor, & protector, in Ecthesi, quam publicavit ex illorum consilio, dixit: *Unde Sanctos Patres in omnibus, & in hoc, sequentes, unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi verissimi Dei confitemur.* V. Sergius, Constantinopolitanus Patriarcha, Monotheliſmi etiam fautor, isque ro-

rogatus ab Heraclio, *an unica esset operatio in Christo*? respondit, unicam esse. Et hoc legitur in ejus epistola ad Imperatorem, quæ legitur in Sexta generali Synodo, act. 13. VI. Cyrus, apertissimus quoque Monotheliſmi defensor, in Concilio, quod habuit Alexandriæ ann. 633., professus est, in Christo duas esse naturas, realiter distinctas inter se, & anathematismo 7. definivit, in duabus naturis *Christum unum, & filium, tam illa, quæ Deo conveniunt, quam humana, operari unica operatione theandrica*.

II. Probatur ex Catholicorum contra Monothelitas asſertionibus, & impugnationibus. I. Concilium Lateranense sub Martino, contra Monothelitas habitum, refert Secretario 3. capitulum 7. Concilii Alexandrini sub Cyro, & in eo rejicit, & damnat unicam operationem. II. Idem Concilium refert Epistolam Sergii ad Cyrum, & in ea pariter rejicit, & damnat unicam operationem. III. Idem Concilium anathemate percutit Sergium, Cyrum, Theodorum Pharanitanum, Paulum, Constantinopolitanum Patriarcham, Themestium, Severum, ac denique Ecthesim, & Typum; eo quia illi unicam voluntatem, & operationem agnoscebant in Christo, & in his idem asserebatur. IV. Sexta Synodus generalis sess. 2. exhibet Macarium, Patriarcham Antiochenum, defendentem in Christo unicam operationem; sess. 8. damnat illum sententia interloquutoria, & comminatoria; & deinde sess. 11. illum absolute damnat, & rejicit.

III. Probatur contra Vasquez. Si error, de quo scribimus, non est error palmaris Monotheliſarum, ideo est, quia error palmaris ipsorum situs fuit in uno, & simplici affectu divino in Christo ad operandum; ut Vasquez intendit; sed hoc est falsum: ergo vere error palmaris Monotheliſarum fuit in asserenda in Christo unica voluntate, & operatione. Probatur minor. I. Ex Monotheliſarum nomine; quod, ut diximus, sumptum est non ex unicitate affectus, ad operandum, sed voluntatis. II. Falsum est, quod ait Vasquez, Monotheliſas agnovisse in Christo duas naturas contra Eutychetem; fingebant enim illas agnoscere, ut non apparerent Eutychiani; sed revera unicam voluntatem, & operationem defendebant, ut unicam deinde naturam inferrent; & ideo illorum hæresis dicta est hæresis eutychianæ ramuscula. III. Contra Vasquez, & nobiscum sentiunt, S. Thomas cum suis omnibus; & ex Patribus Societatis Petavius lib. 1. de incarn. c. 20. n. 1. asserit: „ Ut ex Eutychianorum, Severitarum, & ut universe loquar, „ Monophysitarum styrpe, velut propago „ quædam, Monotheliſarum secta propagavit: „ Et n. 3. subdit: „ Pyrrhus item, „ Sergii successor, in disputatione, quam „ cum Maximo Monacho in Africa suscepit, aperte eandem tuetur hæresim, *unam „ esse voluntatem affirmans divinitatis humanitatisque Christi*. Ita unica voluntate, „ tum ante susceptam carnem mundum ex „ nihilo procreare voluerit. „ Ad quæ „ subdit P. Boucat: „ Quis autem cordatus „ dixerit, Verbum per affectionem efficacem, & non per voluntatem creasse mundum? „ IV. Superaddit idem P. Boucat: „ „ Posita opinione Vasquesii, hæresis Mo„ nothelitarum erat imaginaria, quia, ipso „ teste, manebant juxta Monotheliſas duæ „ voluntates in Christo; sed humana non „ operabatur, eo quod affectio efficax Di„ vinitatis prædominaretur, & ideo ope„ rationem Deo-virilem semper haberet. „

IV. Probatur latius ex Ecthesi Heraclii, & ex Typo Constantis. Ecthesis Heraclii, quæ refertur in Concilio Lateranensi Secret. 3. hæc habet: „ Servat quidem „ utraque natura proprietatem .... omnem divinam, & humanam operationem „ uni, eidemque incarnato Deo Verbo „ tribuimus .... Similiter autem & duarum operationum vocem multos scandalizare, utpote a nemine dictum sanctorum, & præcipuorum Patrum, sed & sequi in eo, ut duas confiteamur voluntates .... contraria volentes introduci, „ quod impium est .... Unde SS. Patres in „ omnibus, & in hoc sequentes, unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi, „ verissimi Dei, confitemur, utpote in „ nullo tempore animati intellectualiter „ ejus corporis separati, & ex proprio im„ petu contrario mortui unito ei Dei ver„ bi in una substantia, naturalem ejus pro„ ducere motionem, sed quando, & qua„ lem, & quantam ipse Deus Verbum vo„ luerat „. Typus vero Constantis, qui legitur in eodem Concilio Lateranensi Secretario 4. hæc continet: „ Sancimus „ nobis subjectos, qui consistunt in ortho„ doxa, & immaculata nostra Christianorum fide, qui sunt Catholicæ, & Apo„ stolicæ Ecclesiæ non habere licentiam, „ invicem a præsenti de una voluntate, aut „ una operatione, aut duarum voluntatum,

aut

Digitized by Google

„ aut duarum operationum qualemcumque proferre altercationem, aut contentionem, aut rixam „. Non fuit ergo Monothelitarum palmaris error, quod admitterent affectum divinæ tantum naturæ per exclusionem affectus rationalis, & humani appetitus, ut imaginatus est Vasquez; sed quod negarent duplicem in Christo voluntatem, & operationem; ut fatentur Heraclius in Ecthesi, & Constans in Typo.

Objiciunt I. Nomen Monothelitarum indicat, hæresim eorundem fuisse in voluntatibus, non in operationibus, Christi: ergo falsa secunda pars Conclusionis nostræ. II. Heraclius in Ecthesi, & Constans in Typo, non prohibuerunt, dicendas esse duas operationes, vel unam, sed duas voluntates, vel unam: ergo hæresis fuit circa voluntates, non circa operationes. III. Monothelitæ admiserunt in Christo duas naturas: ergo pariter duas voluntates: ergo duas operationes. IV. Sergius, aliique Monotheliſmi fautores, ac defensores, semper loquuti sunt de voluntate, non de operatione: ergo error erat circa voluntatem, non circa operationem. V. Monothelitæ negaverunt tantum in Christo duos motus voluntatis, qui sint inter se contrarii; sed hoc non est negare duas voluntates: ergo non negaverunt duas in Christo voluntates. VI. Recedebant Monothelitæ a Nestorianis, admittendo unicam Personam; recedebant ab Eutychianis, admittendo duas naturas: ergo catholice loquebantur, nec est credendum, quod admittentes unam personam, & duas naturas, admitterent unam voluntatem, & unam operationem, quia sibi ipsis contradixissent.

Respondemus ad I. Hæreticos hosce, de quibus loquimur, aliquando fuisse dictos Monothelitas, quia unicam in Christo voluntatem ponebant; aliquando Monoergitas, quia unicam ponebant operationem. Nec esse novum, ait Petavius, duplex nomen quandoque eidem Sectæ imponi, pro temporum, & dogmatum diversitate.

Ad II. Quamvis Heraclius in Ecthesi, & Constans in Typo loquuti fuerint, ut in objectione dicitur, aliter tamen Monothelitæ ipsi loquebantur. Ab initio enim unicam in Christo admittebant voluntatem, tractu deinde temporis unicam etiam admiserunt operationem. Ut enim ait Pater Boucat. „ Posteriores Monothelitæ videntes suam hæresim, jam viribus multis auctam, postea aperte eam promulgaverunt, & defenderunt, ut Macarius, ejusque discipuli tempore sextæ „ Synodi „. Subdit præterea idem Boucat: „ Qui quidem Macarius citatus in „ Synodo, ait, ut habetur sess. 8. Etiamsi „ membratim scindar, nunquam duas in „ Christo operationes dicam; eam autem „ hæresim omnibus defendit modis. Vel „ etiam error scatebat ab initio, ut colligitur ex Concil. Later. Secr. 4. quod quidem loquens de Typo, quem præseferebat sensum catholicum, subdit: Sancta „ Synodus intentum quidem, ut dictum „ est, bonum existentem Typis laudamus, „ sed modum ab intentu dissonantem „ avertimur „.

Ad III. Debuissent quidem Monothelitæ duas in Christo admittere voluntates, ac duas etiam operationes, quia duas in Christo fatebantur naturas contra Eutychetis errorem. Sed in hoc errarunt, & in hoc quoque propriam hæresim constituerunt, quod admittentes duas naturas, duas deinde voluntates, & duas operationes in Christo negabant.

Ad IV. Usique Sergius, & Paulus, aliique Monothelitæ fautores, ac defensores ab initio de Christi voluntate, non de operatione loquebantur; Attamen deinde tractu temporis ad operationem devenerunt, admittentes in Christo unicam voluntatem, & unicam operationem.

Ad V. Sergius, Constantinopolitanus Patriarcha, in epistola ad Honorium Papam, dicit, quod quum fuisset interrogatus a Cyro Alexandrino, & a Sophronio Hierosolymitano, Patriarcha, an una, an vero duplex in Christo dici deberet operatio; utrique respondisse, quod se abstinerent a voce unius, vel duplicis operationis. Rationem assignat, subdens; quod dicere unam operationem, etsi in quibusdam Patribus inveniatur, ab aliquibus tamen rejicitur, tanquam destructivum in Christo duarum naturarum. Dicere autem duas operationes nullus veterum Patrum adhibuit; & si adhibeatur, hoc esset idem, ac inducere in Christo *duas voluntates invicem contrarias, ex quo volentes duo, & quidem contraria colliguntur; quod est impium, cum impossibile sit, in uno, eodemque subjecto duas simul voluntates subsistere*. Videant modo Legentes, si hoc idem sit, ac illud, quod ex Monothelitarum mente narrat Vasquez. Unde optime advertit P. Boucat; *quod si Vasquez in*

hoc, & nonnullis aliis artitulis, audiatur, omnes ferme Heterodoxi, potissimum Recentiores, absque negotio, affigendo eis sensum benignum, ab errore vindicari poterunt.

Ad VI. Hanc esse fallendi artem Hæreticorum, dicitur, ut devicti in uno errore, in alium declinent; ita fuerunt Pelagiani, & Semi-Pelagiani; ita Lutherani rigidi, & molles; ita etiam Eutychiani, & Monothelitæ. Credebant declinare Ecclesiæ damnationem non dicendo unam naturam, sed duas, & dicendo non duas operationes, sed unam. Cæterum, etsi dicam, duas remanere naturas, ad quid humana inserviet? Divina eorum operatur. Affectio autem, quæ est motivum operandi, non principium, non salvat quod Monothelitæ asserebant, ut Vasquez opinatus est.

Ad Monotheliſmi Auctorem, Fautores, ac Impugnatores, modo devenientes, dicimus, quod pro Auctore quidam ponunt Sergium, Constantinopolitanum Patriarcham, alii Cyrum, Alexandrinum pariter Patriarcham, alii Macarium, qui fuit identidem Patriarcha Antiochenus. Sunt qui volunt, Monotheliſmum habuisse ortum ex duplici congressu, quem habuit Heraclius Imperator cum Hæreticis; Paulo nimirum Severiano, qui Eutychianus erat; & Athanasio Jacobita Catholico. Primus congressus fuit ann. 622. imperii Heraclii 13., secundus ann. 629. regni sui 20. Paulus in congressu se victum confessus est, & subscripsit Concilio Chalcedonensi, damnans Eutychianos, & Monophysitas, omnes. In fine congressus Paulus interrogavit Heraclium, num dicere oporteat, unicam esse in Christo voluntatem, & operationem? Heraclius consuluit Cyrum, tunc temporis Phazidis Episcopum, & Metropolitanum Laodiceæ Provinciæ Asiæ; Cyrus petiit a Sergio, Constantinopolitanum Patriarcha, quid respondendum esset? Sergius respondit, unicam esse in Christo operationem; & responsionem suam quibusdam Patrum verbis communivit. Legit Cyrus epistolam, & hæresis virus hausit; legendam præbet Heraclio, & pariter Heraclius venenum potavit. Misit Heraclius epistolam ad Arcadium, Archiepiscopum Insulæ Cypri, qua per modum Edicti jussit, ut deinceps unica tantum in Christo diceretur operatio. Cyrus, in Alexandriæ Patriarchatum Georgio, vita functo, interim successit. Denique quorundam est opinio, Monotheliſmi auctorem esse Theodorum, Pharanitanum Episcopum. Et hoc probant verbis Stephani, Episcopi Dorensis, in Secretario 2. Concilii Lateranensis sub Martino Papa, dicentis: *Hanc Ecclesiam, per suam hæresim turbaverunt: prius quidem Theodorus, Pharanitana Ecclesiæ quondam Episcopus.* Subdunt, a Theodoro manasse errorem ad Sergium, qui dictus est illius auctor, quod primus omnium illum palam defendere inceperit; dicitur enim de ipso Sergio in VI. Synodo act. 13. *Qui aggressus est de hujusmodi impio dogmate conscribere.* Postmodum volunt, manasse etiam ad Cyrum, qui ann. 633. in sua Alexandrina Synodo definivit: *Eundem unum Christum, & Filium operari Deo decibilia, & humana, una Dei virili operatione, secundum S. Dionysium.* Denique asserem, manasse quoque ad Pyrrhum, Sergii Successorem; ad Paulum, in Pyrrhi locum a Constante Imperatore intrusum; ad Macarium, Antiochenum Patriarcam, & ad plures alios Episcopos.

Eligat qui leget ex his opinionem, quæ ei placuerit magis circa Monotheliſmi auctorem; interim nos ejusdem progressum enarramus. Cyrus, factus Alexandrinus Patriarcha, sub prætextu reducendi ad Ecclesiam Eutychianos, qui erant in Ægypto, & Lybia, Synodum Alexandriæ convocavit ann. 631. adjuvante Sophronio tunc temporis Monacho. Novem capitula in illa constituit, quæ leguntur in VI. Synodo act. 13., in quorum septimo hæc habentur: *Eundem unum Christum, & Filium operari divinus Deo decibilia, & humana, una Dei virili operatione, secundum S. Dionysium.* Loquitur de S. Dionysio Areopagita, cujus textum, ut ait P. Boucat, defloraverat, & pro *nova Dei operatione* substituerat *unam*; quam fraudem deinde omnes Monothelitæ sequuti sunt. Tentavit Sophronius, septimum capitulum rescindere; sed in cassum, quia Cyrus omnino noluit. Discessit proinde Sophronius Alexandria, & Constantinopolim se contulit; ubi Sergium alloquens, Cyri errorem manifestavit, illumque plurimis Scripturis, & Patrum testimoniis confutavit. Sergius scripsit Cyro, ut nec una, nec duplex, in Christo diceretur voluntas; & hoc propter pacis amorem. Post hæc Sophronius electus est Patriarcha Hierosolymitanus; & scripsit ad Sergium Synodicam Epistolam, in qua suæ fidei professionem proferens, Scripturis, & Patribus

Digitized by Google

tribus, probavit, duas esse in Christo operationes; convocavit quoque Hierosolymis Synodum, qua Cyri definitionem damnavit; & denique Honorium, Romanum Pontificem per literas, quas misit per Stephanum, Dorensem Episcopum, de his omnibus certum fecit. Sergius quoque idem Pontifici scripsit, narrans disputationem, quam cum Sophronio habuerat, & dicens, quum lis sit de vocibus, fidem non offendi, si ab his vocibus fideles abstineant. Dicunt, Honorium hoc permisisse, salvo dogmate; sed de hac permissione tumens, suasit Heraclio, ut publicaret Expositionem fidei per modum Edicti, quæ dicta fuit Esthesis, in qua prohiberet, ne in Christo una, aut duplex operatio in Christo diceretur. Quod præstitit Heraclius, & Esthesis ann. 639. publicata est; & eodem anno Sergius in Synodo, quam Constantinopoli celebraverat, illam confirmavit.

Sergius moritur, & ei succedit Pyrrhus. Moritur quoque Honorius, & ei suffectus est Severinus. Moritur denique Severinus, & ei substituitur Joannes IV. Pontifex. Hic Romæ Concilium convocat, & in eo Esthesim damnat. Heraclius non est de hoc indignatus, at se apud Joannem excusavit, & dixit, non a se, sed a Sergio fuisse Esthesim fabricatam. Post hæc Heraclius ann. 641. veneno moritur; & Pyrrhus coactus exulare, in Africam venit, ubi in congressu habito cum S. Maximo Abbate de Monotheliſmo, se victum confessus est, & Romam petens, ibidem Monotheliſmum ejuravit. Successor Heraclii fuit Constans, qui Paulum dedit Pyrrho successorem. Joanni Pontifici successerat Stephanus, & Stephano Theodorus, cui scripsit Paulus, ut Esthesim confirmaret. At Theodorus in pœna erroris, & temeritatis, Paulum e patriarchali sede deturbavit. Interim Constans ann. 648. Expositionem fidei per modum Edicti, sub nomine *Typi* promulgat, qua prohibet, ne una, vel duplex, in Christo voluntas, vel operatio, diceretur. Romæ Concilium Lateranense sequenti anno habetur, in quo secretario 4. Typus refertur; & a Theodoro Paulus excommunicatus. Pyrrhus sedem recuperat, & suasionibus Exarchi Ravennatis, hæresim iterum amplectitur. Theodorus Synodo erecta prope sepulchrum Apostolorum, calamo Christi sanguine tincto, denuo illum damnat, & e patriarchali sede deturbat. Pyrrhi sedi, & hæresi, succedit Paulus; & Macarius, Antiochenus Patriarcha, Sectæ factus est caput.

Martinus I. Theodoro vita functo datus est successor ann. 649. Constans eum rogat, ut Typum confirmet; at ille congregans Concilium centumquinque Episcoporum in Lateranensi Basilica, Typum, & Esthesim, & Monotheliſmi fautores, scilicet Theodorum Episcopum Pharanitanum, quem dictum Sectæ auctorem, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum, damnat. Indignatus Constans, Martinum apprehendi jubet, Constantinopolim perduci, & ad Chersonesum relegari; ubi tandem ann. 655. martir occubuit. Moritur deinde Constans ann. 668., & ei succedit Constantinus, Pogonatus, hoc est, Barbatus, dictus, Constantis defuncti filius. Hic pacem Imperio, & Ecclesiæ dedit; nam quum hortaretur Theodorum, Patriarcham Constantinopolitanum, qui Petro successerat, ut Papam in sacris Dypticis rescriberet, & epistolam Synodicam ad eundem mitteret, in qua suæ fidei confessio contineretur, ut moris erat; & hoc exequi Theodorus nollet, immo acrius cum Macario, Antiocheno Patriarcha, Monotheliſmum promoveret, ac propugnaret; Imperator consilium iniit, ut generale Concilium convocaretur, in eoque quæstio rando agitata modis omnibus finem haberet. Scripsit proinde Domno, Romano Pontifici, rogans illum, ut Episcopos, & Legatos ad Concilium, quod ab eo convocandum erat, mitteret; & scripsit quoque Theodoro, nobili Patricio, & Italiæ Exarcho, illi præcipiens, ut Latinis Episcopis naves exhiberet, quibus ad generale Concilium proficiscerentur. Agatho, Romanus Pontifex, literas Imperatoris accepit, quia Domnus jam erat mortuus; & illis acceptis, Romæ Concilium convocavit, in quo omnes fere Occidentales Episcopi convenerunt, & in eo Monotheliſmum, & fautores damnavit; misit quoque Legatos, qui Imperatori duplicem deferrent epistolam; unam, in qua illi catholicæ fidei protectionem commendabat; & alteram, in qua de Monotheliſmi confutatione, & damnatione, certum eum faciebat.

Quum Latini Episcopi Constantinopolim adventassent, ann. 680. Imperator præcepit Georgio, qui Theodoro successerat, ut Macarium, aliosque Orientales Episcopos, ad Concilium vocaret. Igitur

ann.

Digitized by Google

ann. 680. in imperiali palatio, qui dicebatur Trullus, Conſtantino ipſo præſente, die 7. Novembris, Synodus incepit, in qua decem, & octo Actiones ſunt habitæ, & die 16. Septembris finem habuit. Hæc fuit ſexta oecumenica Synodus, & tertia Conſtantinopolitana, in qua approbatæ fuerunt Synodi, quas habberant Sophronius, Severinus Papa, Joannes IV. Theodorus, & Martinus, pariter Romani Pontifices; Monotheliſmus cum fautoribus ſuis denuo damnatus, & anathematizatus fuit. Poſt Synodum Imperator Edictum promulgavit, in quo Clericis cenſuras, a Concilio infrictas, & Laicis exilii pœnam, comminatus eſt, ſi aliter, quam a Concilio definitum fuerat, ſentirent, ac ſcriberent, vel loquerentur. Concilii Patres Agathoni ſcripſerunt, ut Concilium confirmare dignaretur; at mortuo Agatheno, id præſtavit Leo II., qui Agathoni ſucceſſerat. Hæc eſt integra Monotheliſmi hiſtoria, quam exacte refert P. Boucat, & nos ex ipſo tranſcripſimus.

Ex his facile liquet, qui fuerint Monothelitarum Fautores, & Impugnatores. Fautores quidem fuerunt Sergius, Cyrus, Pyrrhus, Paulus, Macharius, Petrus, Stephanus, Theodorus, Conſtantinopolitanus Patriarcha, altra Theodorum illum, Pharanitanum Epiſcopum, quem plures hæreſis auctorem, & ſectæ principem, dicunt. Fuerunt etiam Heraclius Imperator, qui Ecthesim publicavit; & Conſtans, pariter Imperator, Heraclii nepos, qui Typum edidit. Impugnatores fuerunt Sophronius, Hieroſolymitanus Patriarcha, Severinus Papa, Joannes IV., Theodorus, Martinus I. qui omnes Romani Pontifices identidem fuerunt. S. Maximus martir Pyrrhum confutavit; S. Joannes, dictus Eleemoſynarius, Alexandrinus Patriarcha, debellavit quoque Monothelitas; Arcadius, Cypri Archipræſul, eſt etiam inter Impugnatores hujuſmodi adnumerandus. Remanet Honorius, Romanus Pontifex, de quo multa multi dixerunt; quidam enim illum Monotheliſmi accuſarunt, alii vero defenderunt, atque etiamnum defendunt. Qui Monothelitam dicunt ſunt Hæretici, præcipue Proteſtantes; alii volunt fuiſſe Monothelitarum fautorem, quia Hæreticis non reſtitit; & ſunt Catholici quidam, qui aſſerunt quoque, quod non erraverit loquens ex cathedra in Epiſtolis ſuis; quod vult Thomaſſinus diſſert. in VI. Synodum oecumenicam; cæteri tandem communis, & veroſimilius docent, eum fuiſſe ab omni culpæ, & cenſuræ, labe immunem; ita P. Boucat cum aliis plurimis apud Marcheſium integro opuſculo de Monothelitarum hæreſi, & ſecta. Nos cum his poſtremis

Dicimus II. Honorium, Romanum Pontificem, non fuiſſe Monothelitam; nec Monothelitarum fautorem.

I. Probatur ex ipſiſmet Honorii Epiſtolis. In Epiſtolis præfatis nihil apparet, quod Monotheliſmo faveat, immo plurimum, quod obſtet: ergo Honorius nec eſt Monotheliſmi accuſandus, nec favoris erga Monothelitas. Antecedens probatur. Dicitur in epiſtolis; eſſe abſtinendum a vocabulo unius, vel duplicis operationis; & ratio aſſignatur; quia ſi diceretur una, eſſet ſecundum Eutychianos; ſi dicerentur duæ, eſſet ſecundum Neſtorianos; ſed ex hoc nihil apparet, quod Monotheliſmo faveat, immo plurimum, quod obſtet; ergo &c. Probatur minor: de majori enim loquemur mox, quando Epiſtolarum verba examinabimus. Et quidem primo, quia Patres, & Theologi, maxime attendunt ad ſenſum verborum, ut ſervetur hortodoxus, non vero præciſe ad voces, ſed in verbis illis ſenſus ſervatur hortodoxus, & non favens, ſed obſtans Monothelitus; quamvis verba, & voces aliter appareant: ergo nihil apparet, quod Monotheliſmo faveat, immo plurimum, quod obſtet. Secundo; quia ad Honorium uſque nihil Eccleſia de illarum vocum uſu definierat: ergo quanvis voces illæ aliter appareant, quando ſenſus tamen eſt hortodoxus, voces, propter Eccleſiæ definitionis defectum, nihil Monotheliſmo favent, immo potius propter ſenſum hortodoxum obſtant. Tertio: quia dixit unicam in Chriſto voluntatem ſolummodo in eo ſenſu, quo voluntas Chriſti etiam inferior non adverſatur Spiritui, ſicuti adverſatur noſtra, quæ depravata eſt per peccatum; quum Chriſti voluntas humana fuerit Deo per omnia ſubjecta, & obediens. Quarto; quia in Epiſtolis, præcipue in ſecunda, Honorius ita attendit ad ſenſum catholicum, ut duas intelligat, immo tacite etiam dicat, operationes. Scribit enim: *Loco duarum operationum dicamus Chriſtum divina, & humana operari inconvertibiliter.* Obſervat P. Boucat, per vocem illam *inconvertibiliter* explodi Eutychianiſmum, & Monotheliſmum, qui ex illo promanat; quia

ter-

terminus ille non patitur, in Christo commisceri vel naturas, vel operationes. In probationem modo illius propositionis majoris verba epistolarum Honorii afferamus. In primo rescripto ad Sergium habet: *Nos enim in quo pervenimus oportet ambulare: Enim vero, duce Deo, pervenimus usque ad mensuram rectæ fidei, quam Apostoli veritatis Scripturarum sanctarum funiculo extenderunt, confitentes Jesum Christum Mediatorem Dei & hominum, operatum divina, media humanitate Verbo Dei naturaliter unita, eundemque operatum humana ineffabiliter atque singulariter assumpta carne discrete, inconfuse, atque inconvertibiliter plena divinitate.* Hæc verba evertunt omnino Monotheliturum systema; quia dicitur, Christum operari humana singulariter, discrete, & inconvertibiliter: ergo sine confusione voluntatis & operationis cum voluntate, & operatione divina. Abstinebat autem a vocum novitate, ne nova hæresis surgeret; quia si una operatio dicebatur, putabat esse in favorem Eutychetis; si duæ in favorem Nestorii; ne autem hoc eveniret, prudenter judicabat, nec dicendas esse in Christo duas voluntates, & operationes expresse, nec unam. Subdimus alia Honorii verba: *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata.* Per hæc verba ostendit Honorius unitatem voluntatis per conformitatem fuisse in Christo, & non esse in nobis, quia Verbum assumpsit carnem, & non culpam, nos vero habemus carnem, & culpam; ac proinde in nobis duplex est voluntas, una justa, quæ obedit spiritui, altera mala, quæ contra spiritum insurgit. Et hoc secundum Apostolum ad Rom. 7. *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Unde subdit Honorius: *Non est itaque assumpta, sicut præfati sumus, a Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus; sed venit quærere & salvare quod perierat, idest vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanæ voluntatis.* Igitur per hæc verba docet Honorius, quod si Christus consideratur ut Deus, & homo, duplicem habet voluntatem, & operationem; si vero ut homo tantum, unicam habet; & per hoc a nobis differt, qui duplicem habemus, rectam scilicet, & vitiatam. Prosequitur Honorius, & sibi facit objectionem: cur taceatur duplex operatio? Et respondet quadrupliciter; primo, quia in sacris literis, nec in Conciliis multiplices in Christo operationes expresse continentur; Secundo, quia evitanda est vocum novitas, quæ pusillis scandalum affert; tertio, quia ad Grammaticos spectat disputare de vocibus, ad Doctores autem pertinet explicare, & dicere veritatem, quoad substantiam; quarta, quia Honorius clare confitetur in Christo utranque operationem, dum asserit, Christum inconfuse operari divina, & humana. Ulterius, se explicat Honorius, non affirmare duas operationes, quia censeat esse unam; nec dicere esse unam, quia credat non esse duas; sed ut non videatur favere Eutychianis, dicendo esse unam; nec videatur favere Nestorianis, dicendo esse duas. Denique in secundo rescripto hæc habet Honorius: *Auferentes ergo, sicut diximus scandalum novellæ adinventionis non nos oportet unam, vel duas operationes definientes prædicare, sed pro una, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utriusque naturis veridice confiteri; & pro duabus operationibus, ablato genuinæ operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, idest, divinitatis, & carnis assumptæ in una persona unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter nobiscum prædicare, propria operantes.* Quibus verbis Honorius approbat in Christo unam operationem ratione humanæ naturæ; non vero asserit unam, pro duplici natura, quia in hoc sensu duas nominat operationes. Attamen subdit, quod loco duplicis operationis profitendus sit unus operans divina, & humana inconfuse, & inconvertibiliter. Hoc autem, quis non confitetur? non est Monotheliſmo favere, sed obstare. Denique Honorius ita loquitur in epistolis suis, sicut loquitur Leo magnus in epistolis ad Flavianum datis; sed nemo Monotheliſmi Leonem magnum accusat; ergo nec Honorium ejusdem erroris quisquam accusabit. Major patet ex verbis Leonis in ep. ad Flavianum: *Agit enim utraque forma (scilicet Christi natura) cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est.*

II. Probatur testimonio Conciliorum. Multa Concilia in Monotheliturum causa: cele-

celebrata sunt post Honorii obitum; sed in nullo ex illis damnatus est Honorius, nec ejus fides, nec ejus fama: ergo testimonio Conciliorum constat, Honorium nec fuisse Monothelitam, nec Monothelitis favisse. Probatur minor. Concilium Romæ coactum sub Joanne IV. in quo damnata est Ecthesis Heraclii, nullum continet verbum contra Honorium; alterum Romæ etiam habitum sub Theodoro damnavit omnes Monothelitas, sed nil contra Honorium protulit; alterum, Lateranense dictum, sub Martino I. celebratum est, quod Ecthesim, & Typum proscripsit, & damnavit pariter Sergium, Cyrum, Theodorum Phanaritanum, Themistium, Severum; sed de Honorio nec verbum habuit. Remanet VI. Synodus generalis, in qua de Honorio agitur, & videtur, quod male de ea sentiatur. At sic contra argumentamur. Quandiu Concilium fuit legitimum, non damnavit Honorium; & quandiu Concilii acta viciata non fuerunt, nec damnatus apparet Honorius: ergo quamvis in Concilio generali VI. appareat damnatus Honorius, non per hoc dicendus est Monothelita, vel Monothelitarum fautor. Probatur antecedens pro prima parte. Concilium generale VI. fuit solummodo legitimum in undecim primis Sessionibus; in aliis autem septem usque ad decimam octavam fuit acephalum; sed in undecim primis sessionibus Honorius damnatus non legitur: ergo quamdiu Concilium legitimum fuit, non damnavit Honorium. Probatur major. Post undecimam sessionem, quæ terminata est ann. 681. die 14. aprilis, Concilium apparet completum: tum quia primus Papæ Legatus, Joannes Episcopus Portuensis, die illa cantavit missam pro gratiarum actione coram Imperatore, & Patriarcha, in S. Sophiæ Ecclesia; tum etiam, quia Anastasius in Agathone, Beda de sex mundi ætatibus, S. Antoninus tom. 2. Chronologiæ, non alias afferunt hujus Concilii sessiones, quam undecim prædictas; tum quoque, quia nec Legati pontificii, nec Imperator Constantinus, in aliis sessionibus interfuerunt; tum denique, quia asserit Beda, undecim illis Sessionibus terminatum fuisse Concilium. Ulterius in Sessionibus illis lecta sunt scripta Monothelitarum, & damnata sunt; & cur Epistolæ Honorii non etiam lectæ, & damnatæ? Insuper, lectæ fuerunt epistolæ Agathonis, & Patres omnes eas commendarunt; in epistolis autem illis legebatur, omnes ejus Prædecessores fuisse in fide puros, & incontaminatos; inter hos autem erat Honorius; insuper in eisdem epistolis damnantur Monothelitæ, & non nominatur Honorius. Denique in undecima sessione Imperator dixit, Concilium esse completum; non fuisset autem completum, si Honorii causa, si quæ fuisset, non esset examinata. Modo probatur superius antecedens pro secunda parte. Honorius sess. 17. legitur damnatus in Concilio generali VI.; & in sess. 13. ejus epistolæ leguntur proscriptæ; vel hoc coram Legatis fuit factum, vel non? Si non: ergo Concilium solutum jam fuerat: Si coram Legatis; & quis credat, Legatos tacuisse, & nullam pro Honorio defensionem suscepisse; præcipue quum ejus epistolæ sensum obvium sanum, & orthodoxum contineant, ut dictum est? Insuper, testantur Patres Concilii, qui Honorium damnarunt, se sequi damnationem factam ab Agathone; sed Agato nunquam Honorium damnavit: ergo &c. Ulterius, Heraclius uno anno post obitum Honorii Ecthesim publicavit; in Ecthesi præcipitur idem silentium, quod volunt Adversarii ab Honorio ordinatum: Cur ergo Heraclius Honorium non laudavit, nec dixit se illius sequi exemplum? Præterea, Theodorus, Patriarcha Constantinopolitanus, qui damnandus omnino erat, damnatus non legitur; en falsificatio Actorum Concilii: unde Baronius suspicatur, Theodorum fuisse per dolum sublatum, & suo loco fuisse Honorium substitutum. Hoc autem patet ex verbis ejusdem Theodori ad Imperatorem, apud quem suas exponebat querelas, quod ipse positus fuisset inter Monothelitas, non sic vero Honorius. Hæc legimus apud Baronium: *Resipiscentes mirati sumus inter nos, & ante nos, Honorium non numeratum. . . . Si eximitur è numero Damnatorum Honorius, cur ego cum Prædecessoribus meis perpetua infamiæ nota annumeror*. Igitur antea inter Monothelitas apparebat, & legebatur in actis VI. Synodi annumeratus Theodorus, & non Honorius: Cur autem deinde in iisdem actis, & inter eosdem hæreticos adnumeratum legimus Honorium, & non Theodorum, nisi per falsationem? At falsatio in actis illis non tantum est in hoc, verum quoque in aliis; & præcipue, quia in Symbolo condito in Concilio Romano sub S. Martino, & citato

citato in epistola Synodica a VI. Synodo ad Agathonem directa, legitur particula *Filioque*;& nihilominus in actis ejusdem Synodi, quæ modo leguntur, non invenitur; quia in sess. 5. 6. 7. & 8. legitur in præfata Synodo fuisse 36. Episcopos; & tamen asserunt Anastasius, Beda, Theophanes, Paulus Diaconus, fuisse ab initio 150. præter Legatos; In sess. 13. de Ecthesi, & Typo, adum est silentium,& Epistolæ Honorii dicuntur combustæ; quis credat, impia illa Edicta non damnata, sed tolerata, & sub silentio præterita? Denique, ut alia prætereamus, leguntur in subsequentibus Sessionibus alii Legati ab illis, qui ab initio in Concilio præsidebant; quod est omnino fictum, & ab omni veritate alienum.

III. Probatur ex Patribus, & Doctoribus utriusque Ecclesiæ, qui Apologias pro Honorio confecerunt. Joannes IV. Romanus Pontifex, & Honorii successor scripsit apologiam pro eodem Honorio apud Anastasium in Collectaneis; in qua asserit, Pyrrhum dixisse, quod Honorius unam admitteret in Christo voluntatem, ut illum haberet sui erroris patronum. Fideles autem scandalizati sunt, non de Honorii errore, quem non credebant; sed de Pyrrhi calumnia,quam audiebant. Insuper dixit Joannes in Epistola ad Constantem Imperatorem; quod & probavit, Honorium unicam quidem admisisse in Christo voluntatem, & operationem, sed in Christo ut homine; quia mediator hominum vitiatam voluntatem non habuit. S. Maximus, Græcus, Abbas, cum Pyrrho disputans, qui ei Vigilium opponebat,& quum Vigilium defendisset, subdit Pyrrhus: *Sit ita de Vigilio; quid de Honorio respondendum habes?* Respondet Maximus: *Quis erit interpres Honorii, quam qui ejus nomine scripsit epistolam ad Sergium.* Pyrrhus interrogat, quis illam composuerit? Maximus respondet: *Ille idem ad Dominum Constantinum quondam Imperatorem scribens rursum ex persona S. Papæ Joannis: Unam, inquit, voluntatem Domini diximus, non divinitatis ejus, & humanitatis, sed solius humanitatis.* Hic idem S. Maximus epist. ad Marinum Presbyterum, quæ legitur in Collectaneis Anastasii, probat, Epistolam Honorii ad Sergium fuisse a græco interprete defloratam. Insuper, idem Maximus in epist. ad Petrum illustrem, deridet Monothelitas, qui conabantur probare, pro eodem habendum esse, & quod scripserat Heraclius in Ecthesi, & quod in Epistolis suis Honorius exaraverat. Stephanus, & ipse græcus, Duracensis Episcopus, tertius testis accedit. Hic missus fuit a Sophronio Romam ad Honorium; & quum esset præsens in Concilio Lateranensi sub Martino I. dixit: *Deum excitasse Prædecessores, Apostolicosque Præsules, in commonitione, licet nullo modo Hæreticos flectere potuerint.* Inter prædecessores autem Martini I. absque dubio Honorius adnumerabatur. Quartus testis est Anastasius Bibliothecarius,qui in sua epistola ad Joannem Diaconum Honorii suscipit defensionem, eamque rationibus, & auctoritatibus firmat, & ornat. Sua autem defensio pro Honorio hæc continet capita: quod Honorius fuerit sufficienter a Joanne Pontifice purgatus; quod non constet, Honorium dictasse epistolas ad Sergium, ut eas Græci sunt interpretati;quod Concilium non poterat damnare mortuum, quum non damnetur quisquam, nisi sit pertinax, & pertinax esse non possit, nisi sit vivens; quod Ecclesia ante Honorium nihil de una, vel duplici Christi voluntate determinaverat; unde tempore Honorii Monotheliſmus non habebatur ut hæresis; quod VI. Synodus non fuit approbata, nisi pro undecim prioribus sessionibus,in quibus nulla est Honorii necmentio, nec damnatio. Concludit denique Anastasius, quod sicut Concilium Chalcedonense ex Gelasio Papa non obligabat, nisi pro sex primis Actionibus, ita Concilium generale VI. non obligat, nisi pro undecim tantum prioribus sessionibus, & non pro aliis subsequentibus, in quibus damnatus apparet Honorius.

IV. Probatur ex defensione,quam pro Honorio faciunt Scriptores illi coævi. Concilio Lateranensi sub Martino I. interfuerunt plures Monachi, & Presbyteri græci; ut legitur Secretario 2., & nemo ex his contra Honorium protulit verbum. Interfuerunt quidem Joannes Abbas, & Presbyter monasterii S. Sabæ; Theodorus Abbas, & Presbyter monasterii venerandæ Labræ; aliique Abbates multi, & Monachi, numero 37., quorum aliqui erant ex Laura in Palæstina, & alii ex Africæ monasterio. Erat pariter S. Joannes Damascenus, qui quadraginta annis post VI. Synodum scripsit elenchum Hæreticorum a Simone Mago ad sua usque tempora, ubi pariter

Digitized by Google

Monotheliſmi hiſtoriam narrat, referens originem, progreſſum, & finem; & de Honorii errore, vel favore, nec verbum affert. Habemus quoque Theophanem, qui circa nonum ſeculum vivebat. Hic narrat in ſua Chronologia quibus modis S. Maximus Romam venerit, & bellum contra Monothelitas geſſerit; narrat quoque quid in VI. Synodo geſtum fuerit, & eos nominat, qui fuerunt in illa damnatis, ſed ſine Honorii nomine. Habemus Photium, qui in libro de ſeptem primis Synodis loquens de VI. numerat Monotheliſmi fautores, ſed Honorium omnino ſilet. Habemus denique inter Græcos Paulum Diaconum in vita Conſtantini IV., ſicut & Zonaram in ejuſdem vita, qui res Monothelitarum narrant, & profundum de Honorio ſilentium ſervant. Ex Latinis vero Scriptoribus omnes, qui de Monotheliſmo loquuntur, nec verbum contra Honorium proferunt, vel ſcribunt. Hi quidem enumerantur a P. Boucat: Anaſtaſius Bibliothecarius, Blondus lib. 9. Decadis 1., Nauclerus, Sabellius, Platina, Beda de ſex mundi ætatibus, Humbertus Cardinalis a Sylva candida in dialogo cum Nicæta Abbate Vveſpergenſe, Abbo Bloyæcenſis, Marcheſius, Bellarminus, Baronius, Binius &c. Demum Tria Concilia in Africa congregata, nimirum Numidiæ, Biſacæni, & Mauritaniæ, recurſum habuerunt ad Theodorum Papam, ad Conſtantinum Imperatorem, & ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, ut Monothelitæ damnarentur. Si inter illos agnoviſſent Honorium, certe ei non pepercisſent; ſicut non pepercerunt Innocentio I., quem a longe ſuſpicabantur fuiſſe nonnihil Pelagio addictum, ac proinde nimio zelo ducti ipſum monere non omiſerunt; ut ad rem obſervat optime P. Boucat.

V. Probatur Rationibus theologicis. I. Nunquam conſuevit Eccleſia damnare Auctores, qui in ſuis operibus habuerunt, & oſtenderunt ſenſum catholicum, præcipue obvium; ſed ſic fuit Honorius Papa in ſuis epiſtolis: ergo nunquam fuit ab Eccleſia damnatus. Probatur major. Eccleſia damnat ſenſum erroneum, aliter ipſa erraret, & fallibilis eſſet; & hoc probatur exemplo Theodoreti, & Ibæ, qui quum exhiberent ſenſum catholicum, ſuſcepti fuerunt in Concilio Chalcedonenſi; exemplo Dionyſii Alexandrini, qui quum accuſatus fuiſſet de Sebellianiſmo, ſe purgans, a Dionyſio Papa fuit etiam receptus; Epiſtolæ autem Honorii quod contineant ſenſum obvium aperte catholicum, in antedictis probatum ſupponimus. II. Honorius Papa profeſſus eſt catholicam fidem, & excluſit ex profeſſo omnes errores: ergo non potuit damnari. Probatur antecedens. Honorius aſſeruit in ſua prima epiſtola realitatem dogmatis, & loquutus eſt, ut loquebatur S. Leo act. 10. Concilii Chalcedonenſis, nempe nihil dicens de una, aut duplici operatione, & aſſerens, Chriſtum operari divina, & humana; ut dictum, & probatum eſt ſupra: ergo Honorius profeſſus eſt catholicam fidem, & excluſit ex profeſſo omnes errores. III. Honorius habitus eſt ſemper ut orthodoxus, & fidei defenſor: ergo non potuit damnari. Probatur antecedens. Agatho in epiſtola ad VI. Synodum teſtatur, omnes ſuos Prædeceſſores, inter quos erat Honorius, fuiſſe puros in fide; Stephanus, Dorenſis Epiſcopus, dicit, omnes Pontifices, inter quos comprehendebatur Honorius, Monotheliſmo reſtitiſſe; Roma celebrat Honorium, ut Monothelitarum adverſarium, quum retineat ejus imaginem, quando alias Monothelitarum abraſit; totus Occidens nunquam inſimulavit Honorium erroris in fide. IV. Eccleſia non damnat aliquem propter ſilentium vocis, quando dogma in realitate aſſeritur, ac defenditur: ergo non damnavit Honorium. Probatur antecedens, exemplo Concilii primi Antiocheni, quod ob oeconomiam omiſit Verbum conſubſtantiale cum Spiritu Sancto, ne Macedoniani inferrent, unicam eſſe in Deo perſonam; exemplo Athanaſii, Hilarii, & Baſilii, qui poſt receptam vocem conſubſtantialis in Verbo in Concilio Nicæno, permiſerunt vocem homoiouſion, ſi citra varietatem ſumeretur, & importaret identitatem naturæ in Patre, & Filio; exemplo Concilii Lateranenſis ſub Martino I. ſecr. 4. dicentis, damnandos non eſſe ut Monothelitas, qui non appellant unam, aut duas naturas, ſi admittant realitatem, & ſervent fidem Patrum; & declarantis, ſe non damnare Typum præciſe per hoc, quod unicam prædicet operationem, ſed damnare intentum Typi, in eo conſiſtens, quod Monothelitæ contradictoria loquerentur, & modo unam operationem admitterent, modo nullam; unde Verbum cuncta operaretur, & vices intellectus, & voluntatis humanæ ſuppleret; legatur

Digitized by Google

gatur Binius; quem affert P. Boucat. V. Apostolici Legati nihil habebant in commissis contra Honorium; nihil contra eundem in ipsorum epistolis continebatur: ergo incredibile est, illos consensisse Honorii damnationi, quæ dicitur in Concilio facta; asserit enim Binius in notis ad sess. 11. commissionem Legatorum fuisse intra certos terminos coarctatam, & Agathonem enumerasse, quæ contra Monothelitas erant tractanda. VI. Honorius dicitur damnatus sess. 17., ubi dicitur, damnari Pyrrhum, Sergium, & Honorium, eo quod eos nominatim præscripserit Agatho; sed hoc est falsissimum, quia Agatho nunquam inter Monothelitas adnumeravit Honorium, nunquam illum damnavit; quod in ejus epistola videtur; immo in eadem dicit, omnes ejus Prædecessores fuisse in fide puros: ergo &c. VII. Totus Oriens, totus Occidens, non erravit in fide, nec Monotheliſmo favit; sed errasse sequitur, si fuit Honorius damnatus; ergo &c. Probatur minor. Erravit Occidens, quia siluit errores Honorii, quia ejus Episcopi nunquam illum de Monotheliſmo accusarunt, nunquam arguerunt, immo summis laudibus celebrarunt, & uti sanctum habuerunt. Erravit Oriens, quia Sophronius habuit Honorium ut catholicum, & non ut Monotheliram; quia S. Joannes Damascenus, & Photius, illum inter Monothelitas non recensuerunt; quia Theodorus, Constantinopolitanus Patriarcha, etsi illum vocet sui erroris socium, ut declinet anathema, fatetur tamen, Imperatorem alloquens, non fuisse illum inter Monothelitas adnumeratum, nec cum Monothelitis damnatum; videatur Baronius ad ann. 682. VIII. Non est mos in Ecclesia, damnari aliquem ut hæreticum, absque eo quod audiatur, & præcipue Pontificem; Honorius non fuit auditus, nec pontificii Legati ullam pro ipso susceperunt defensionem: ergo non fuit damnatus. Probatur major exemplo Macarii Monothelitæ, qui fuit sæpe auditus in Concilio, & a judicio comparativo cum suis scriptis fuit proscriptus; exemplo Symmachi, qui in Concilio Romano, præsente Theodorico rege, a calumniis se vindicavit, & fuit innocens declaratus; exemplo Leonis III., qui se purgavit coram Carolo magno, & omnes ejus innocentiam confessi sunt. IX. Si Concilium generale VI. damnavit Honorium, erravit; sed hoc dici non potest: ergo Honorium non damnavit. Probatur major. Si Concilium damnavit Honorium, non percepit sensum obvium catholicum epistolarum illius; sed hoc est errare: ergo erravit. Hoc argumentum prosequitur Binius in notis ad Concilium generale VI., cujus verba affert P. Boucat, ex quo hæc omnia transcripsimus.

Arguunt I. Exordium Monotheliſmi fuit silentium duarum operationum, & voluntatum in Christo; sed Honorius in sua ad Sergium epistola hoc adhibuit silentium: ergo vel fuit Monothelita, vel Monotheliſmi fautor. II. Non ob aliam rationem damnantur Ecthesis, Typus, capitulum 6. pseudo Concilii Alexandrini sub Cyro, quam quia silent, esse duas in Christo operationes; sed hoc etiam siluit Honorius: ergo pariter fuit ipse damnatus. III. Sergius, & Cyrus, damnati sunt, quia a duplicis voluntatis vocabulo se abstinebant; sed ab hoc etiam abstinuit Honorius: ergo fuit identidem proscriptus. IV. Honorius negavit diversam in Christo voluntatem; sed qui negat diversam in Christo voluntatem, unicam admittit omnimode; ergo Honorius unicam in Christo voluntatem admisit. V. Monothelitæ fatebantur, Christum esse perfectum Deum, & perfectum hominem; Christum operari divina, & humana, & quidem inconfuse, & inconvertibiliter; quod patet in Machario loquente in VI. Synodo; & nihilominus damnati sunt: ergo quamvis Honorius sic etiam loquutus fuisset, debebat pariter cum iisdem damnari. VI. Honorius in epistola ad Sergium dixit, dicere esse in Christo unam, aut duplicem, voluntatem, non pertinere ad dogma, ut patet ex verbis ejus; sed hoc est falsum: ergo per hoc etiam damnari debebat Honorius. VII. Patres Concilii VI. in epistola Synodica ad Agathonem inter Monothelitas posuerunt Honorium, & dixerunt, se illum damnasse, uti cæteros Monothelitas damnarunt; hoc autem si fraude factum esset, Pontifici Agathoni non scripsissent; præcipue, quia ejus Legati poterant imposturam deregere, & eos mendacii accusare. VIII. Leo II., Agathonis successor, Constantino Imperatori scribens, Honorium inter alios Monothelitas ponit, illumque damnat: *Nec non & Honoriũm, qui hanc apostolicam Ecclesiam non apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed pro-*

fana proditione immaculatam fidem subvertere conatus est. IX. De Actis VI. Synodi nemo dubitavit, nec de eorum sinceritate; quod si hic campus Hæreticis aperietur, de omnibus, quæ in Synodis generalibus acta sunt, dubitabunt. X. Anastasius Bibliothecarius in historia octavæ Synodi refert, Honorium fuisse de hæresi accusatum, eique ab Orientalibus post mortem dictum fuisse anathema. XI. Agatho non damnat Honorium, sed nec damnat cæteros Monothelitas; Pyrrus, & Sergius damnantur sess. 17., quæ est post undecim: ergo in Concilio legitimo non damnantur; Honorius semper legitur damnatus in quinque exemplaribus Concilii una simul cum Monothelitis; Leo II. in sua translatione Concilii ex græco in latinum etiam posuit Honorium; Concilium generale VII. adhuc inter Monothelitas Honorium ponit; hoc ipsum præstat liber diurnus Romanorum Pontificum: ergo &c. XII. Lectiones antiqui Breviarii Romani in festo S. Leonis II., & Vita S. Leonis II. in Pontificali, & Tharasius, Patriarcha Constantinopolitanus, semper Honorium inter Monothelitas consignant. Agatho Diaconus, qui fuit Notarius in VI. Synodo generali; Beda lib. de sex mundi ætatibus, Ado Viennensis, pariter volunt, Honorium inter Monothelitas fuisse damnatum; immo ipsemet Bellarminus hoc asserit, quamvis dicat, in hoc Concilium erravisse in quæstionem facti.

Respondemus ad I. Verum Monothelitam esse, qui unicam dicit in Christo voluntatem, & operationem tam pro divinitate, quam pro humanitate; non vero qui unicam dicit pro humanitate sola, quatenus intelligit, in Christo non esse duas, sicut sunt in nobis, quarum una est Spiritui rebellis, & altera est sancta, & Deo subjecta. Monothelismus exordium habuit ex silentio duarum, & positione unius, primo sensu, non autem secundo; Honorius vero loquutus est secundo: unde non idem adhibuit cum Monothelitis silentium, nec eandem adhibuit loquendi formulam.

Ad II. assignatur disparitas inter Ecthesim, Typum, & capitulum 7. pseudo-Concilii Alexandrini, & inter Honorii epistolas; nam Honorius animo catholico dicebat in Christo unicam operationem, in illis vero animo hæretico reticebatur duplicis operationis expressio. Hoc patet ex Concilio Lateranensi secret. 4., ubi dicitur, intentum fuisse bonum, sed modum fuisse ab intento dissonantem; ex epist. 2. S. Martini ad Constantem, in qua habetur, Sergium Ecthesim, Paulum vero Typum, animo hæretico composuisse. At Honorium & intentum habuisse catholicum, & modum; nam sciens incendium, quod immittebat, œconomiæ causa maluit a duplicis operationis vocabulo abstinere. Hujus autem œconomiæ exemplum habemus, & in Concilio Chalcedonensi, quod abstinuit a damnatione trium capitulorum, ut facilius pax inter Theodoretum, & Ibam, componeretur; & in Leone IX., qui particulum Filioque voluit ad tempus omitti, ne Græci offenderentur. Capitulum autem 7. pseudo Concilii Alexandrini fuit damnatum, quia aperte unicam in Christo definiebat operationem, quod non fecit Honorius.

Ad III. assignatur disparitas inter Honorium, & Sergium; quia Sergius, quanvis ad Honorium scribens catholicis saltem terminis uteretur, in epistola autem ad Cyrum, & in Ecthesi, quam composuerat, non cognoscit in voluntate humana operationem, nisi passivam, & activam tantum in Deitate. Dicit enim in epistola ad Cyrum: *Operatur quippe vere Deitas per corpus circa omnium salutem, ut sit quidem carnis passio, Dei autem operatio.* Et ob id a S. Martino, & Agathone, damnatus est. Alii dicunt, Honorium non posuisse unicam operationem, sed ab Interprete græco fuisse positam ob invidiam, & calumniam. Alii respondent, Honorium intellexisse unicam operationem in humanitate, non vero in divinitate, & humanitate; ut toties diximus.

Ad IV: Honorius non admisit diversam in Christo voluntatem, hoc est in humanitate tantum, conceditur; in humanitate, & divinitate, negatur. Alii respondent apud P. Boucat, verba illa, quæ leguntur in ep. 1. Honorii *Et alia hujusmodi non sunt hæc diversæ voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptæ*: fuisse a græco Interprete supposita. Revera tamen verba, quæ Honorius recitat ex Joann. 8. *non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, Patris*: & ex Matth. 26. *Non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater &c.* intelliguntur, non excludere duplicem voluntatem in Christo, divinam, & humanam, sed tantum duplicem voluntatem humanam; ut bene consideranti innotescit.

Ad

Digitized by Google

Ad V. dicitur, quod illa omnia Macarius, & cæteri Monothelitæ, animo hæretico dicebant. Macarius sic loquebatur act. 8. *Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales, in Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi, sed unam voluntatem, & Dei virilem operationem.* Subdens, se contra hæc nunquam disturum, *nec si membratim incidar, & mittar in mare.* Nunquam sic scripsit, vel loquutus est, Honorius. Dixerunt pariter Monothelitæ, proprietates in Christo manere inconfusas, sed *eo inconfusas* cadente super naturas, non vero super operationes. Præterea, dicebant, Christum operari divina, & humana per unicam operationem, non vero per duplicem, quarum una sit Verbi, altera humanitatis; quod patet ex Concilio Monothelitis dicente: *Asseruistis, bonum est enim, ut vestris sacris vocibus utamur, unum eundemque Christum operari Deo dicibilia, & humana per unam operationem*; quid ergo mirum, si damnati sunt? Non sic autem loquutus est, aut scripsit, Honorius; ut patet ex ejus verbis pluries recitatis: neque igitur mirum, si non est damnatus.

Ad VI. distinguitur major: Honorius dixit, dicere unam, aut duas operationes in Christo, non pertinere ad dogma, quoad voces, & nomina, conceditur; quoad realitatem, negatur. Primitus controversia versabatur in sola vocum novitate, ut Sergius ipse ad Honorium scripsit; & hoc eodem modo Honorius ad Sergium respondit. Quod præterea Honorius intelligeret de solis vocibus, salvis semper dogmatibus, constat, quia subjunxit, nullum Concilium ad illa usque tempora definivisse, num una, aut duplex operatio dicenda foret. Ait namque: *Non oportet ad dogmata hæc ecclesiastica retorquere, quæ neque Synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicæ, visæ sunt explanasse.*

Ad VII. Quum illa omnia dicantur peracta sess. 13. VI. Synodi; & nos superius dixerimus, Synodum fuisse legitimam usque ad Sessionem undecimam inclusive; plane liquet, illa omnia esse supposititia, sicut supposititiæ sessiones, in quibus illa omnia referuntur. De hoc fusius egimus in probatione secunda, ubi de Conciliis, & præcipue generali VI. fuit sermo. Alii dicunt, Honorii nomen fuisse intrusum in epistola illa, postquam fuit a Concilio scripta, & a Leone II., quia Agatho jam diem clauserat extremum, recepta; & hujus opinionis sunt Baronius, Bellarminus, aliique.

Ad VIII. Eadem impostura laborat epistola, quæ dicitur scripta a Leone II. ad Constantinum Pagonatum Imperatorem; quod scilicet per fraudem fuerit inter Monothelitas Honorii nomen intrusum. Si enim vere cognovisset Leo, Honorium fuisse vel Monothelitam, vel Monothelitarum fautorem, ut dicunt in epistola illa ad Constantinum scripsisse, cur ejus nomen non damnavit, cur ejus memoriam diris non devovit, cur ejus doctrinam anathematis fulmine non percussit? Satis igitur Leoni visum est hæreticum Honorium cum hæreticis enumerare, & non prius hæreticum declarare? Certe qui norunt Leonis doctrinam, prudentiam, æquitatem, nullorunquam tempore credent.

Ad IX. Quod Concilii generalis VI. Constantinopolitani III. fuerint Acta depravata, per additionem præcipue sex aliarum sessionum, quæ in legitimo Concilio, constante ex undecim solis sessionibus, non inveniuntur, nomini esse dubium credimus, si attente ab eo legantur, quæ in probatione secunda diximus. Hoc autem quod est Conciliorum acta depravare, in moribus maxime Græcorum fuit; ut aliis quoque exemplis potest ad evidentiam constare. Sufficit tamen ad hoc probandum recitare verba, quæ scripsit Nicolaus I. in epistola ad Michaelem, remittens Imperatorem ad epistolam Hadriani, & subdit: *Si tamen non falsata more Græcorum, sed sicut a Sede Apostolica missa est, penes Ecclesiam Constantinopolitanam asservatur.* Insuper, Gregorius magnus lib. 5. ep. 14. ad Narsetem asserit, Constantinopolitanos corrupisse Synodum Chalcedonensem; & idem se suspicari de Ephesina. Præterea, Leo magnus ep. 83. ad Palestinos, refert, epistolam suam ad Flavianum a Græcis fuisse corruptam. Unde Anastasius Bibliothecarius in præfat. ad VI. Synodum, habet: *Sic igitur Græci accepta occasione celebratorum universalium Conciliorum, frequenter egisse clarescunt; & nunc minuendo, nunc addendo, vel mutando, nunc in absentia sociorum, nunc in abscondito angulorum, nunc extra Synodum, nunc post Synodum, astutia sua, immo fraude, communibus sanctionibus abutuntur, & ad suos libitus cuncta, quæ sibi visa fuerint, etiam violenter inflectunt.* Non tamen per hoc dicimus, Honorii epistolas fuisse a Græcis

Digitized by Google

eis confictas; quum eas vere ab Honorio scriptas credamus; qnanvis Græci in aliquibus, quæ sibi favebant, licentiam illas depravandi confidenter, & audacter quoque, sibi fecerint.

Ad X. Quis negat quod Anastasius refert, fuisse Honorium de Monotheliſmo accusatum? Fuit quidem accusatus, sed non fuit damnatus. Sergius præcipue, cæteri postmodum Monothelitæ, inter suos habere Honorium, gloriabantur; ubique Honorium tanquam suæ doctrinæ patronum prædicabant; omnibus Honorium uti suæ Sectæ fautorem proponebant? At ne per hoc apud Catholicos Honorii nomen, doctrina, fama, in discrimen adductæ sunt? Minime gentium. Nec Pontifices, nec Concilia, nec Scriptores catholici, Honorium damnarunt; hoc sufficiens erat omnibus, ut Honorium, etsi ab Hæreticis de Monotheliſmo accusatum, pro hortodoxo haberent, ac venerarentur.

Ad XI. Assignatur disparitas; quia illi Monothelitæ, quos nominatim non damnat Agatho, fuerant in aliis Conciliis damnati; Honorius autem in nullo Concilio damnatus fuerat. Pyrrhus etiam, & Sergius fuerant in aliis Conciliis damnati; hinc poterant etiam in aliis Sessionibus damnari absque Legatorum præsentia; non sic autem Honorius. Omnia exemplaria Concilii fuerunt deflorata; Leo II. cognovit ipsorum defloralionem, sed pacis amore eam dissimulavit; Concilium VII. errore facti in hoc deceptum fuit; S. Leonis epistola ad Imperatorem est suppositia, vel saltem adulterata, ut diximus. Liber Diurnus nullius est auctoritatis, propter varia contradictoria, quæ continet, ut ait Marchesius.

Ad XII. Lectiones Breviarii Romani desumptæ sunt ex exemplaribus depravatis; & argumentum est, quod deinde fuerunt correctæ. Liber Pontificalis, si est Anastasii, ut creditur, non potest continere contraria illis, quæ ipsemet Anastasius scripsit. Tharasius adhæsit Græcorum fraudibus, pariter & Agatho Diaconus, quia adhærebat Georgio, Patriarchæ Constantinopolitano hæretico, ut ait Marchesius. Certe S. Joannes Damascænus, Agathoni Diacono coævus, aliter de Honorio discurrit. Cæteri, qui opponuntur, dicitur, quod non satis accurate Acta VI. Synodi discusserunt. Deveniamus modo ad Monothelitarum dogma consueta methodo impugnandum.

Dicimus III. In Christo non fuisse unicam voluntatem, nec operationem, sed duas; unam scilicet ex parte naturæ divinæ, aliam vero ex parte naturæ humanæ.

I. Probatur ex Scripturis. Matth. 26. *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*. Lucæ 22. *Non mea, sed tua voluntas fiat*. Joann. 6. *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me*. Ex his verbis constat, voluntatem humanam fuisse in Christo; quia fuit in Christo voluntas distincta a voluntate Patris; sed voluntas Verbi non est distincta, immo est eadem cum voluntate Patris: ergo voluntas, quæ dicitur a Christo distincta a voluntate Patris, est voluntas humana. Ad Philippens. 2. *Factus est obediens usque ad mortem*. Obedientia est actus voluntatis; non voluntatis divinæ in Christo; quia hæc est eadem cum voluntate Patris: ergo voluntatis humanæ. De operatione autem duplici faciunt omnes illi textus, quibus probavimus, duas esse in Christo naturas; si enim in eo fuit duplex natura, fuit etiam duplex operatio.

II. Probatur ex Pontificibus Romanis, Theodoro scilicet, Agathone, Martino, Honorio, Leone II., aliisque, de quibus usquemodo loquuti fuimus; quorum verba referre esset jam actum agere; ex dictis enim facili negotio percipiuntur. His additur Leo IX. in epist. ad Petrum Antiochenum: *Duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex Matre temporalem; suas voluntates, & operationes habentem; Deum verum, & hominem verum, &c.*

III. Probatur ex Conciliis; nempe Lateranense sub Martino I. Constantinopolitano III., quod fuit generale VI. Concilium etiam Ephesinum statuit, Christum esse Deum, & hominem; & Concilium generale VI. determinavit, in Christo manere utriusque naturæ proprietates; sed voluntas, & operatio divina sunt proprietates Christi ut Dei, & voluntas, ac operatio humana sunt proprietates Christi ut hominis: ergo de fide est, in Christo esse duplicem voluntatem, & duplicem operationem. Accedit etiam Concilium generale VII. act. 7. in confessione fidei, ubi Monothelitæ damnantur; damnantur quoque in Concilio Florentino in decreto Eugenii.

III. Probatur ex Patribus. Damascenus lib. 3. c. 15. *Salva naturarum differentia, sal-*

va

Digitized by Google

væ erunt & operationes; non enim natura ulla est operationis expers. S. Maximus ep. ad Nicandrum: *Quomodo si natura proprie Deus, & natura proprie homo idem erat, non & divinam voluntatem, & operationem naturæ proprie & humanam voluntatem, operationemque naturæ proprie habuit, horum neutro secundum naturam deficiens, per quæ consentanea rebus nomina præferens, & his rursus res ipsas affirmans, manifeste agnoscebatur idem divina pariter & humana naturaliter obtinens, ac volens, & operans, indeque ea, ex quibus, & in quibus, & quæ erat creditus? Quandoquidem naturali voluntate, & naturali operatione sublata, quinam Deus erit, aut homo? Quinam hoc & illud secundum substantiam esse monstrabitur, si non utriusque naturæ sine ullo defectu proprietatem retinet?* Michael Syngelus in Dionysio Areopagita *Christus a Maria editus, Deus carne compactus apparuit, duplex qui simplex erat, in duabus perfectis naturalibus voluntatibus, ac operationibus, in omnibus extra peccatum.* S. Hildephonsus cont. eos, qui disputant de perpetua virginitate Mariæ: *Hinc sane insaniunt, qui hanc geminam operationem in Christo ubique non intelligunt, vel non credunt; in quo nec divinitas sine homine operata est, nec humanitas sine divinitate Verbi. Et ideo ubicumque excelluit divina virtus in homine Christo, divini Verbi est sacramentum. Ubi vero opera humana operatur natura in eo, quia formam servi suscepit, divini Verbi est in animo, itaut in nullo divisus inveniatur Christus; in nullo confundatur duarum naturarum gemina operatio.* Beda ad c. 5. Lucæ: *Non quo juxta Nestorium sit gemina Filii Persona, sed quo ejusdem Personæ sicut naturæ, sic & operationes sint duæ.* Luitprandus Ticinensis, qui floruit ann. 950. lib. 6. c. 2. *Vera fides hæc est, ut in Domino nostro Jesu Christo sicut duæ sunt naturæ, hoc est, Dei, & hominis, sic & duæ credantur voluntates esse, sive operationes. Vis audire de eo quod Deitatis est? Ego & Pater unum sumus. Vis audire quod humanitatis est? Pater major me est. Cerne secundum humanitatem eum in navi dormientem: cerne ejus divinitatem, cum Evangelista ait: Tunc surgens imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.*

IV. Probatur Rationibus theologicis. I. Multæ actiones Christi non possunt tribui voluntati divinæ: ergo voluntati humanæ sunt tribuendæ: ergo duplex est in Christo voluntas, divina, & humana. Probatur antecedens. Non possunt tribui voluntati divinæ actiones illæ, quæ a corpore occasionem habent; ut sunt turbari, tristari, hilarescere, esurire, sitire, &c., actiones illæ, quæ arguunt inferioritatem, quanvis occasionem a corpore non habeant; ut sunt orare, &c. II. Multæ actiones Christi non possunt tribui voluntati humanæ; ergo voluntati divinæ sunt tribuendæ. Probatur antecedens. Miracula, quæ a Christo patrata sunt, non possunt tribui voluntati humanæ, sicut non tribuuntur naturæ humanæ: ergo, &c.

III. Si in Christo una tantum esset operatio, scilicet divina, omnia argumenta, quæ fecimus contra Phantasiastes, Arianos, Apollinaristas, &c. cum Patribus, ut probaremus, Christum habuisse verum corpus, veram animam, & animam cum mente, nullius essent efficaciæ; quia omnia illa argumenta in eo fundata erant, quod in Christo videbantur operationes, quæ indicant corpus, animam, & mentem; atqui hoc dici non potest: ergo &c. IV. Ubi sunt diversæ naturæ, sunt diversæ operationes; sed in Christo esse diversas naturas, probatum est contra Eutychianos: ergo in Christo sunt diversæ operationes. Probatur etiam minor. Joann. 14. dicitur: *Pater major me est:* Ad Philippens. 2. dicitur: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo;* in prima auctoritate loquitur de natura humana; in secunda est sermo de natura divina: ergo sunt in Christo diversæ naturæ. V. De fide est, Christum esse Deum, & hominem; de fide est, Christum habere diversas naturas, & diversas proprietates; sed voluntas, & operatio divina sunt proprietates Christi ut Dei, & voluntas, & operatio humana sunt proprietates Christi ut hominis: ergo in Christo est duplex voluntas, & duplex operatio; & hoc de fide est. VI. Si esset in Christo una voluntas, vel esset illa simplex, vel composita? Si simplex; vel esset divina, vel humana? Si divina: ergo non potuisset exercere illa, quæ hominis sunt: si humana: ergo non posset facere illa, quæ Dei sunt: Si humana: ergo esset creata, & increata; quod utique argueret, non esse Christum, sed chimæram.

Opponunt I. Auctoritatem Mennæ Constantinopolitani in sua epistola ad Vigilium Papam de una voluntate Christi; quæ legitur act. 3. 12. & 14. VI. Synodi.

II. Au-

Digitized by Google

II. Auctoritatem ipsius Vigilii, in duabus suis epistolis ad Justinianum Imperatorem, & ad Theodoram ejus conjugem, in quibus etiam asseverat unam Christi voluntatem. III. Macharius Antiochenus act. 5 & 8. ejusdem VI. Synodi opponebat alias SS. Patrum auctoritates, quibus probare pariter intendebat, ex mente Patrum, unam esse in Christo voluntatem. IV. Gregorius Nyssenus scribens contra Eunomium inquit, ut refertur in action. 12. ejusdem Synodi: *Ita Divinitatem per corpus, quod induit, communem omnium revera salutem operati, ut propria carnis perpessio Dei sit operatio*; quibus consonat Philo Judæus lib. de Cherubinis: *Proprium Dei esse facere, quod nefas sit facta ulli rei tribuere: proprium vero creaturæ pati*: ergo natura humana non fuit in Christo operativa, sed tantum operata. V. Natura humana in Christo dicitur instrumentum; sed instrumentum habet actionem ab agente principali, non autem ex se: ergo &c. Major probatur ex Cyrillo in dial. de incarnat. Verbi par. 5. scribente: *Christus usus tanquam instrumento propria carne ad opera carnis, & ad naturales ægritudines, & ejusmodi alia, quæ extra reprehensionem erant, anima vero itidem propria ad humanas, & expertes vitii passiones: nam & esuriisse dicitur, & longinquarum peregrinationum labores pertulisse &c. Idem habet sanctus Athanasius orat. 4. Deus existens, inquit, proprium corpus habuit, & hoc usus instrumento, homo propter nos factus est. Ideo quæ propria sunt, carnis ipsius esse dicuntur, quoniam in illa inerat, ut sunt esuriri, sitire, &c.* VI. Si Christus habuisset duas voluntates, voluntates illæ vel semper voluissent idem, vel diversa? Si idem: ergo una operatio: Si diversa: ergo fuisset contentio inter illas voluntates, quæ non fuisset absque peccato. VII. Actiones sunt suppositorum; sed in Christo est unum suppositum, quanvis sint duæ naturæ: ergo est una operatio. VIII. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Evangelium Joannis, asserit explicite, unam fuisse tantum Verbi, & humanæ naturæ operationem: *Cum principis synagogæ filiam suscitavit, dicens, filia, surge; apprehendit manum ejus, ut scriptum est: eam nempe omnipotenti suo jussu ut Deus, & rursus tactu sanctæ carnis vivificando, unam, & congeneam per hac ambo ostendit operationem.* IX. S. Dionysius Areopagita in ep. 4. ad Gajum asserit: *Unam Dei virilem nobis operationem.* X. Christus est unicus: ergo est unica Christi operatio. XI. Non potest determinari quot fuerint Christi operationes: ergo tutius est dicere, fuisse unam. XII. Non omnes operationes Christi fuerunt theandricæ: ergo omnes provenerunt ab una Christi voluntate.

Respondemus ad I. Monothelitas ad libellum Mennæ addidisse illa verba: *de una operatione, & de una voluntate Salvatoris nostri Christi*. Quum enim in VI. Synodo act. 3. legeretur, exurgentes Legati Apostolici dixerunt, vitiatum esse Codicem a Monothelitis. Verum non solum Codex in verbis illis vitiatus est, sed etiam quod imposuerunt illi nomen Epistolæ ad Vigilium Papam, quod germana acta non habent. Et falsitas illius nominis patet, quia Mennas anno 21. Justiniani Imperatoris mortuus est; quinta Synodus, cujus principio dicitur lecta Epistola Mennæ, congregata est anno 27. ejusdem Imperatoris: Non potuit igitur tempore ejusdem Synodi mitti a Menna libellus ad Vigilium, quia Mennas jam sex annis ante congregationem V. Synodi obierat. En quot falsificationes Græcorum, quot impostura, quot fraudes.

Ad II., quod objiciebatur a Pyrrho, respondet S. Maximus Martir verbis hisce: *Admiror quoque Patriarcha cum sitis, audetis mentiri; qui tibi antecessit in suis ad Honorium literis scripsit, commonefactum quidem fuisse de eo libello, non autem oblatum, nec ostensum: ipse vero in tua ad Joannem Papam epistola dixisti oblatum esse, & ostensum, lectum etiam per Constantinum quæstorem: Utri igitur credemus? Tibi, an ei, cui successisti? Uterque enim non potest verum dixisse.* Ad quæ verba Pyrrhus concessit, ita fuisse scriptum a Sergio suo prædecessore; unde concessit etiam, Vigilium non scripsisse, quod objecerat. Redit etiam responsio data ad primum argumentum; quia si Mennas in libello suo nihil dixit contra duplicem Christi voluntatem, nec Vigilius approbavit; & dato quod Mennas scripserit, non per hoc sequitur, quod Vigilius approbaverit.

Ad III. Verum quidem fuit, quod Macarius Antiochenus multa loca ex Patribus produxit in favorem hæresis Monotheliarum; attamen fuerunt illa collata authenticis Codicibus Constantinopolitani Patriarchii, & inventum est, fuisse mala fide decerpta, & detruncata; & per consequens fuerunt quoque damnata Patrum

om-

Digitized by Google

omnium suffragiis.

Ad IV. S. Maximus quoque in disputat. cont. Pyrrhum, & S. Joannes Damascenus lib. 3. c. 13. apud Frassen „ retorquent illud „ argumentum in hæreticos: Si enim propterea una in Christo esse deberet operatio, quod solius divinitatis propria sit actio, humanitatis autem passio; eadem „ consequentiæ necessitas efficiet, ut una „ sit dumtaxat in eodem Christo natura „ Dei, si nempe ista sola sit operatrix, & „ creata dumtaxat patibilis: quippe natura dumtaxat colligitur per motionem, & „ operationem. Igitur ubi est dumtaxat „ unius naturæ operatio, ibi & unica natura: nec refert quod omnis natura creata patiatur; id enim non obstat, quominus etiam sit activa, omne enim creatum agens, maxime corporeum, agendo „ repatitur.„

Ad V. distinguitur minor: Instrumentum habet actionem ab agente principali, non autem ex se; instrumentum artificiale, quod caret agendi principio; & movetur sola impressione moventis, conceditur; instrumentum naturale, vel substantivum, quod est præditum propria forma, & virtute, ac potestate efficiendi, negatur; quia hoc secundum instrumentum habet veram effectionem, & in opus conficiendum confert. Porro natura humana in Christo etsi dici possit divinitatis instrumentum, ut dicitur a Patribus, non est tamen instrumentum artificiale, sed naturale, quia per seipsam propriam exercet actionem, nec tantum patitur.

Ad VI. Admittuntur duæ voluntates in Christo divina, & humana, sed non inter se reluctantes, bene vero concordes, & una obediens alteri, cui in omnibus erat subdita. Ut enim dicitur ad Philipp. 2. *Christus factus est obediens Patri usque ad mortem*; & Matth. 26. dicebat: *Non sicut ego volo, sed sicut tu*; & Luc. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat*; & Joann. 3. *non quæro voluntatem meam, sed ejus, qui misit me*. Verum si hoc argumentum valeret, debuissent etiam Monothelitæ negare Christo appetitum sensitivum, quia hic facilius videtur pugnare cum divina voluntate, quam voluntas humana. Nec ex hoc periculum aliquod imminebat, quod Christus peccaret; ut enim docet S. Ambrosius lib. de incarnationis Dominicæ sacramento c. 7. *Qui alios a carnis lubrica vindicabat, nunquid formidare poterat, ne & ipse dominatu quidè carnis istius vinceretur?*

Ad VII. In Christo quanvis sit unum, & unicum suppositum formaliter, virtualiter tamen est duplex, quia subsistentiæ creatæ vices gerit; unde argumentum ex suppositi unicitate a Monothelitis desumptum, nihil ipsorum hæresi prodest.

Ad VIII. tres responsiones dat Juninus; quarum prima est distinguendo antecedens: Cyrillus asserit, unam tantum fuisse Verbi, ac humanæ naturæ operationem, respectu effectuum extraordinariorum, ut sunt miracula; transeat; respectu functionum, quæ naturæ humanæ naturaliter conveniunt, ut intelligere, & velle; negatur. Secunda est pariter distinguendo antecedens: Cyrillus asserit, unam fuisse operationem divinitatis ipsius, conceditur; duarum naturarum, negatur. Tertia est quoque distinguendo antecedens: Cyrillus asserit unam fuisse operationem unitate improprie dicta, conceditur; unitate proprie dicta, negatur. Prima unitas est unitas numerica; secunda provenit ex conjunctione arctissima duorum intra se. Hoc secundo modo dicitur a Cyrillo, operationem Christi esse unam, non autem primo modo.

Ad IX. dicit P. Boucat, Monothelitas defloraſſe textum Dionysii; & ipse Macarius confessus est, Patrum textus adulterasse. Revera in textu Dionysii legitur non *unicam*, sed *novam* operationem; nova quidem, quia operatio etiam humana in Christo procedit a persona divina, simul & a natura humana. Quod quidem est illud novum, quod dixit Propheta, feciſſe, Deum super terram. Cæterum epistolas Dionysii Areopagitæ ad Gajum inter suppositicia opera Eruditi omnes adnumerant.

Ad X. Distinguitur consequens; unica operatio pro voluntate humana, conceditur; pro voluntate humana simul, & divina, negatur. Christus enim est unicus, hoc est una persona, sed suppositans duas naturas, divinam, & humanam; ut subsistens in natura divina, habet operationem divinam; ut subsistens in natura humana, spectatus reduplicative ut homo, habet operationem humanam, creatam quidem, & finitam.

Ad XI. dicimus, operationes Christi in triplici esse differentia; aliquæ sunt divinæ, quæ scilicet fiunt a Christo, ut est Deus, & ad quas nullum habet humana natura respectum; cujusmodi sunt creatio &c. Aliæ sunt humanæ, quæ nimirum

rum sunt propriæ naturæ humanæ; ut edere, bibere, flere &c. Aliæ tandem sunt mixtæ, in quibus videlicet agit utraque natura; ut curatio ægrotorum per manuum contactum, vel per vocis imperium, in qua natura divina agebat per omnipotentiam, & humana per contactum, vel per vocem. Hæ operationes a Græcis vocantur *Theandricæ*, hoc est, *Dei viriles*. Monothelitæ putarunt, unam tantum esse operationem theandricam; scilicet, noluerunt operationem illam esse mixtam ex divina, & humana, sed esse mere divinam, elicitam scilicet tantum a natura divina, ut causa efficiente. Catholici autem volunt, operationem theandricam non esse unam, sed duplicem; quia asserunt esse compositam ex divina, & humana operatione, quæ quidem operationes remanent distinctæ, quanvis non sint divisæ.

Ad XII. Quanvis omnes operationes Christi humanitatis habuerint summam dignitatem a persona Verbi, non tamen omnes fuerunt theandricæ, sed tantum illæ, quæ fuerunt mixtæ ex operatione Verbi tanquam causæ efficientis, & ex operatione naturæ humanæ, agentis etiam per modum causæ efficientis. Hoc probatur ex S. Maximo martire in scholio ad ep. 4. Dionys. *Illam miscellaneam operationem solam Dei virilem appellavit; siquidem ut Deus tantum operabatur, quando absens Centurionis filium sanabat: in quantum vero homo tantum, etsi Deus erat, quando comedebat, & tristabatur: mixtim autem operabatur miracula, cæcis oculos illiniendo restituens, hemoroissæ fluxum solo tactu sistens.* Denique ad omnem ambiguitatem removendam, sex proponuntur regulæ ad Christi operationes explicandas, quas præcipue affert Jueninus. Prima est; operationes Christi, quæ vel sunt divinæ, vel humanæ, sunt unius, ac ejusdem operantis, quia est una, & eadem persona, quæ operatur. Secunda est; Licet in Christo sit unus operans, sunt tamen duæ, & diversæ operationes; quia Verbum operatur quod est proprium Verbi, & naturæ divinæ, & caro operatur quod est proprium carnis, & naturæ humanæ. Tertia; una natura nunquam operatur divisim ab altera, sed semper conjunctim cum illa; quia natura humana est semper hypostatice unita Verbo, & per consequens nunquam operatur divisim ab illo. Quarta; omnes actiones humanæ in Christo, etiam naturales, gubernatæ fuerunt ex divinitatis nutu; unde motus, qui in nobis sunt naturales, in Christo fuerunt liberi; quod docuit Augustinus tract. 49. in Joann. *Turbaris tu nolens, turbatus est Christus, quia voluit. Esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit. Dormivit Jesus, verum est, sed quia voluit. Mortuus est Jesus, verum est, sed quia voluit. In illius potestate erat sic affici, vel non affici.* Quinta; Caro Christi fuit instrumentum naturæ divinæ, per quod operabatur & illa, quæ excedebant humanum modum, & illa, quæ conveniebant naturæ humanæ, sed ad nostram salutem ordinabantur. Quomodo autem intelligatur hoc quod est esse instrumentum, diximus paulo ante in responsione ad V. Sexta; Verbum non egit omnia per naturam humanam tanquam per instrumentum sibi hypostatice conjunctum, sed ea tantum, quæ pertinebant ad officium Mediatoris, & ad nostram salutem. Unde clarum est, quod Verbum non creet animas rationales, non conservet mundum, non producat Spiritum Sanctum, per humanitatem, cui est hypostatice unitum.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CLXXXII.

De Defectibus Animæ, quos Verbum assumpsit. An in Christo fuerint passiones? An Ignorantia? An Peccatum? Hæreses referuntur, & profligantur. Scholasticorum opiniones examinantur, & conciliantur.

PER animæ defectus animi passiones intelliguntur, quę sunt affectus voluntatis, & motus appetitus sensitivi. Hi enim postremi, quanvis ab appetitu corporali eliciantur, & subjectentur in corpore, dicuntur tamen communes corpori, & animæ; ut apud Hennum Theologi observant; & hoc vel quia ab anima aliquo modo procedunt, vel quia ab animæ potentiis, intellectu scilicet, & voluntate, ordinantur, diriguntur, imperantur. Animæ autem portio ex Augustino lib. 12. de Trinit. c. 4. duplex est, superior, & inferior. Illa consistit in potentiis animæ prout æternis applicantur; hæc in iisdem potentiis stat, sed prout circa temporalia versantur. Unde eadem potentia est superior, & inferior, in substantia, sed habet nomina diversa, quatenus diversa habet objecta. Insuper, in homine duplex est appetitus, intellectivus, seu rationalis, & hic est voluntas; & appetitus sensitivus, seu animalis, & hic est appetitus corporis. Ulterius, hic duplex appetitus subdividitur etiam ratione objectorum in concupiscibilem, & irascibilem; ille est, quando appetitus fertur in objectum, sive bonum, sive malum, alio modo, quam vindicativo; hic vero quando modo vindicativo fertur. Præterea, sex passiones pertinent ad appetitum concupiscibilem; quæ sunt amor, desiderium, & gaudium, quæ respiciunt bonum; odium, fuga, & tristitia, quæ ordinantur ad malum. Amor est circa bonum ut sic, desiderium circa bonum ut absens, gaudium circa bonum ut præsens; odium quoque est circa malum ut sic, fuga circa malum ut absens, tristitia circa malum ut præsens. Quinque aliæ passiones spectant ad appetitum irascibilem; quæ sunt spes, desperatio, audacia, timor, & ira. Spes est circa bonum non adhuc possessum ut possibile; desperatio ut impossibile; timor est circa malum ut forte eventurum, audacia ut superandum, ira ut præsens. Igitur ex his colligitur, quod passio sit motus appetitus sensitivi, aut intellectivi, ortus ex apprehensione boni, aut mali, cum aliqua corporis immutatione; prout ab Henno definitur. His præmissis ad Hæreticorum errores circa illa, quæ in Dissertationis titulo posuimus, accedimus enumerandos.

Primo errarunt illi omnes Hæretici, qui in Christo posuerunt vel corpus phantasticum, vel cœleste, vel aereum, vel aliud quodpiam, quod non fuerit, ut cætera sunt humana corpora. Passiones enim sunt in homine constante ex corpore, & anima; si igitur Christus per illos humanum corpus verum, & reale non habuit, neque habuit passiones, quæ humanæ naturæ sunt propriæ. Hos autem Hæreticos suo loco enumeravimus; proindeque illorum nomina hic repetere, superfluum judicamus.

Secundo erravit Apollinaris, aliique cum ipso, qui dixerunt, Christum habuisse corpus sine anima, seu carnem sine anima; sicuti de eo retulerunt Augustinus, Ruffinus, Socrates, Lirinensis, &c. apud Coccium. Si enim animam non habuit, neque habuit passiones, quæ animæ rationalis sunt motus, ut diximus.

Tertio Aphthardocitæ dixerunt, Christi corpus ab ipsa conceptione nulli fuisse obnoxium internecioni, neque affectionum illarum, quæ naturaliter, absque ulla reprehensione insitæ sunt, fuisse particeps; quod ex Damasceno, & Nicephoro lib. 17. c. 29. refert Coccius. Hæ autem affectiones sunt absque dubio passiones, tum corporis, tum animæ, de quibus loquimur.

Quarto Justinianus Imperator, verba sunt Coccii, Edictum proposuit, quo sanxit, corpus Domini incorruptibile, naturalium, & inculpatarum passionum haud-

Digitized by Google

quaquam capax fuisse. Contra hunc errorem scripserunt Anastasius Antiochenus, Evagrius lib. 4. c. 39., Nicephorus lib. 17. c. 29.

Quinto Gnostici finxerunt Christum ignorantem, & quasi sub cujusdam Pædagogi ferula alphabetum discentem. Refert Irenæus lib. 1. c. 17.

Sexto Celsus sic argumentabatur, ut probaret, Christum fuisse ignorantem: Si præscivit Christus, aut vitare potuit, aut non? Si potuit, & non vitavit, imprudens fuit; si non potuit, impotens fuit; quod si, nec impotens, nec imprudens fuit, sequitur, nec præsciviisse, quæ passurus erat. Refert Origenes lib. 2. contra Celsum.

Septimo Ariani negabant, Christum omnia noviisse. Testes sunt Athanasius orat. 4. contra Arianos, & Ambrosius de fide lib. 5. c. 8.

Octavo Theodoretus adversus Cyrillum anathematismo 4. dicebat; non Dei Verbi est ignorantia, sed formæ Servi, quæ tanta per illud tempus sciebat, quanta Deitas inhabitans revelabat. Legitur apud Coccium.

Nono Agnoitæ insaniebant dicentes, Christum Judicii diem ignorasse. Hæc erant ipsorum verba: Verbum accepit corruptibile corpus, ut pro nobis moriendo, nos a morte liberaret: ergo accepit etiam nostram ignorantiam, idest mentem humanam ignorantem, ut nos ab ignorantia liberaret. Testantur. Liberatus in Breviario, Gregorius magnus lib. 8. ep. 42., Sophronius epist. ad Honorium, Isidorus lib. 8. Etymolog., Nicephorus lib. 18. c. 50.

Decimo Martinus Lutherus conc. in Natal. Dom. explicans lectionem ep. ad Hebræos, dixit: „ Et Marc. 13. *De die hoc nemo scit, non Angeli, neque Filius quidem, sed solus Pater*: Ubi intempestivam quidam adferunt enarrationem, dicentes: *Filius nescit*; idest, non vult scire. Quid enim opus est istis commentis? Christus verus homo fuit: quare ut alius purus, sed sanctus homo, non quolibet tempore cogitavit, dixit, voluit, intellexit omnia, sicut imperiti quidam omnipotentem ex eo hominem faciunt, permiscentes duas naturas, atque opera earum parum prudenter. Sicut enim non quolibet tempore omnia vidit, audivit, atque sensit, ita etiam corde non omnia semper agnovit, sed quantum illum duxit, ac docuit Dominus. „

Undecimo Zuinglius ad cap. 2. Lucæ hæc scripsit: „ Deus non fuit in Christo vice animæ, sed animam creatam, intellectualemque in corpore suscepit, quæ in dies profecit, cum ab initio non omnia nosset. Sic alibi Christus dicit, Filium hominis diem illum non nosse, ut homo scilicet verus, licet ut Deus omnia sciret. „

Duodecimo Martinus Bucerus ad cap. 24. Lucæ scribere non erubuit: „ Ut omnia humanæ infirmitatis in se recepit, hominibus per omnia similis factus, excepto peccato: ita etiam humanam scientiam, & ignorantiam, rationem videlicet, mentemque humanam, quæ per intervalla augetur, sive accrescit, sive diminuitur, assumpsit; secundum quam nimirum, aliquid nescire dicitur. Ideo alibi habetur: *Profecit sapientia, & gratia*. „

Decimotertio Joannes Calvinus in Harmonia evangelica ad c. 3. Matth. vers. 16. absque pudore hæc evomuit. „ Cum dicat Evangelista, Spiritum Sanctum a Joanne visum, ejus etiam causa præcipue cœlos fuisse apertos, probabile est, quanquam non repugno, quin Christus etiam, quatenus homo erat, redditus sit suæ vocationis certior. Atque huc tendere videntur Lucæ verba cum dicit: *Oranti Christo apertos fuisse cœlos*: Etsi enim suas preces semper in aliorum usum destinavit, opus tamen habuit secundum hominem, cum tam arduum militiæ genus aggressus est, singulari spiritus virtute armari. „ Et ad cap. 9. Matth. v. 2. „ Quod quidam existimant, Christum divinitus conscium fuisse ipsorum fidei, quæ occulta intus latebat, mihi coactum videtur. „ Et ad c. 21. v. 18. „ Scimus, Christum carnis nostræ infirmitatibus sponte fuisse obnoxium, quanquam natura liber, & immunis erat: Sed in eo sita est difficultas, quomodo deceptus fuerit, fructum in arbore quærens, præsertim cum nondum esset maturum fructibus tempus: deinde cur tam severe excanduerit in arborem innoxiam. Sed nihil absurdi est, si dicamus, secundum hominem speciem arboris fuisse illi incognitam. „ Et ad cap. 24. Matthæi, v. 36. „ Porro ter, & quater insanus foret, qui se gravatim ignorantiæ subjiceret, quam ne ipse quidem Dei Filius nostra causa subire abnuit, &c. Nihil absurdi fuit Christum, qui omnia sciebat aliquid secundum hominis sensum nescire: „ ne-

Digitized by Google

„ neque enim aliter, & dolori, & anxietati obnoxius, & nobis similis esse poterat. „ Quod secundum hominem Christus diem „ ultimum nescivit, id nihilo magis divinæ ejus naturæ derogat, quam quod „ mortalis fuit. „ Et ad cap. 2. Lucæ, v. „ 40. „ Primum crevisse dicit, & roboratum spiritu, quibus verbis significat una „ cum ætate crevisse etiam animi dotes. „ Unde colligimus profectus istos, vel incrementa ad humanam naturam referri. „ Quæritur an non statim, ex quo conceptus fuit in utero matris excelluerit omni donorum spiritualium plenitudine. „ Responsio facilis est: Si nihil derogat „ ejus gloriæ, quod prorsus exinanitus fuit; „ neque hoc ab eo est alienum, quod sicut „ adolescere corpore, ita & secundum animam nostri causa proficere voluerit. Et „ certe cum docet Apostolus per omnia „ fuisse nobis similem, excepto peccato, „ proculdubio hoc quoque comprehendit, „ quod ejus anima subjecta fuerit ignorantiæ. „

Decimoquarto Carolus Molinæus, quanvis elegans, & eruditus homo, damnatæ tamen memoriæ auctor, in harmonia inquit: „ Christus ab initio non habuit „ omnem scientiam, sicut somniant Papistæ, sed per gradus. „

Decimoquinto Nicolaus Gallasius in Irenæum lib. 2. c. 49. ait: „ Ita Christus „ ignoravit, ut disceret ipse, atque eruderetur more hominum. „ Cui concinit Lucas Lossius ad c. 2. Lucæ: „ *Proficiebat*; idest augebatur in eo sapientia, ut „ in aliis hominibus, exercitatione, & usu. „ Et Nathanael Ælianus in hb., quem inscripsit Matthula, habet: Christum exitum suum, quem habiturus esset Hierosolymis, a Moyse, & Elia didicisse, & propterea de eo nullam antea mentionem fecisse; immo, Christum, etiamsi modo in cœlis sit, tamen nec præsentia, nec futura nosse, nisi ei a Patre revelentur.

Decimosexto docet Cacheranus post Lindanum dialog. 2., & Hosium lib. 1. de hæresibus nostri temporis, quos citat Frassen; fuisse quendam Præmonstratensem Apostatam, fuisse pariter Antichristianos, & Calvinum, qui ore impio, atque blasphemo ausi fuerunt dicere, Christum de facto peccasse. Apostata, & Antichristiani tribuunt ei peccatum impatientiæ, & desperationis; & hoc propter illa verba, quæ in Cruce protulit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Calvinus autem alterius culpæ Christum insimulat, ex eo quia in horto, mortem fugiens, oraverit dicens: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*; quanvis illico, subdit Calvinus, subsequentibus verbis correxerit, & revocaverit petitionem suam inordinatam: *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.*

Decimoseptimo Ariani facientes Divinum Verbum creaturam, potuerunt facere Christum potentem peccare; immo quotquot hæretici fecerunt Christum purum hominem, posuerunt in eo potentiam ad peccandum, saltem intrinsecam, quanvis potuerint dicere, fuisse ab extrinseco impeditam.

Decimoctavo Augustinus de Roma, Archiepiscopus Nazarenus, has protulit propositiones: Christus quotidie peccat: Christus ex quo fuit, quotidie peccavit; quas Concilium Basileense damnavit sess. 2. cum aliis ejusdem. Et post damnationem addit Concilium: *Quanvis de capite Ecclesiæ Salvatore nostro dicat se non intelligere, sed ad membra sua, quæ cum Christo capite unum esse Christum asseruit.*

In hac Dissertatione non intendimus agere nec de Scientia, nec de Impeccabilitate Christi; de his enim in peculiaribus Dissertationibus agemus; sed tantum de ignorantia, & de peccato, quæ in Christo nec esse, nec fuisse, contra recensitos hæreticos probabimus. Sed prius de passionibus, quæ sunt universim animæ defectus, concludere oportet; ideo

Dicimus I. In Christo fuisse Passiones.

I. Probatur ex Scripturis. Matth. 8. *Audiens autem Jesus, miratus est.* Et c. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Joann. 11. *Ecce, quem amas, infirmatur.* Marci 3. *Circumspiciens eos cum ira.* Luc. 22. *Transfer calicem istum a me.* Et c. 22. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* In his continentur passiones admirationis, tristitiæ, amoris, iræ, timoris, desiderii, &c.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo magnus definivit hoc in ep. 25., quæ est ad Julianum, quæ refertur in VII. Synodo, & in qua legitur c. 30. *Sensus corporei vigebant sine lege peccati, & veritas affectionem sub moderamine deitatis, & mentis.* Gregorius magnus lib. 17. moral. c. 18. *Ut rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus: ut vero a peccatis mundaret hominem, homo, & sine peccato. Sed quis esset sine peccato homo, si ex peccati commixtione*

tione descenderet? Proinde venit propter nos in uterum Virginis Filius Dei, ibi pro nobis factus est homo. Sumpta est ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine peccato, quæ & humanitate mori, & justitia mundare potuisset.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium generale VI. act. 4., ubi decernitur, revera fuisse in Christo Domino humanas passiones, non tamen cum ea imperfectione, qua in cæteris hominibus. Concilium Chalcedonense act. 5. *Per omnia nobis similem absque peccato*. Concilium Hispalense II. c. 13. *Nam & quod fatigatus est, quod esuriit, quod dormivit, quod flevit, quod passioni proximus tristis fuit, quod postremo ipsam passionem, & mortis conditionem sustinuit, totum hoc ad infirmitatem pertinet humanitatis*. En passio tristitiæ.

IV. Probatur ex Patribus. Ambrosius lib. 2. de fide c. 2. *Ut homo tristitiam habuit, suscepit enim tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, qui crucem prædico.* Augustinus tract. 49. in Joann. *In illius potestate erat, sic vel non sic affici: Verbum enim animam suscepit, & carnem, totius hominis sibi coaptans in personæ unitate naturam .... Ubi summa potestas est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas, hoc est turbavit se ipsum*. Et lib. 4. de civ. Dei c. 9. *Dominus in forma servi agere vitam dignatus humanam .... adhibuit eas*, (intellige passiones) *ubi adhibendas esse judicavit: neque enim in quo erat verum hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus*. Athanasius orat. contra Apollinarem ad illa verba Joann. 12. *Nunc anima mea turbata est:* inquit: *Ob eam causam dicebat Dominus, nunc anima mea turbata est; hæc autem particula nunc, idem est quod quando voluit*. Et lib. de Incarnat. contra eundem Apollinarem, qui negabat fuisse in Christo carnem humanam: *Si id verum esset, quomodo potuit dolere, vel anxius esse, vel orare? Scriptum est enim: Et conturbatus est spiritu Jesus*. Unde Damascenus lib. 3. de fide c. 3. ex auctoritate Athanasii probat, fuisse in Christo verum timorem: *Quod autem vere pertimuerit, testis est Athanasius*. Nyssenus lib. cont. Apollinarem: *Hujusmodi autem sermonis hasitationi una erit consolatio, vera mysterii confessio; quoniam formidare quidem in passione, humanæ fragilitatis est, juxta quod Dominus ait: Spiritum promptum esse, carnem autem infirmam: quoniam igitur altera humana voluntas, & divina altera est, loquitur quidem ut homo, quod infirmitati carnis congruit.*

V. Probatur Rationibus. I. In Christo fuit vere anima humana: ergo vere fuerunt passiones humanæ. Sequitur consequentia; quia passiones humanæ humanam animam consequuntur. II. Ex Patribus, & Conciliis, in Christo fuerunt omnia, quæ spectant ad naturam humanam præter peccatum; sed passiones animæ humanæ sunt præter peccatum, & non sunt peccatum: ergo vere fuerunt in Christo. III. Si non essent, ideo esset, quia fuissent cum illa imperfectione, qua sunt in nobis; sed non fuerunt in Christo illa imperfectione, qua sunt in nobis: ergo vere fuerunt in Christo. Probatur minor. Prima imperfectio, qua sunt in nobis, est ratione objecti, quia in nobis feruntur ad illicita, in Christo autem tendebant semper ad bonum honestum; secunda ratione principii, quia in nobis præveniunt judicium, & rationis usum; in Christo vero erant secundum rationis imperium, quæ vel positive movebat, vel providebat, vel permittebat: unde fuerunt, quando Christus volebat; tertia ratione effectus, quia in nobis aliquando trahunt ad illicita; non sic autem in Christo, qui plenum habuit dominium in omnes suas facultates, & motus, & actus. Et hinc est, quod plerique Theologi de schola post S. Hieronymum in c. 25. Matth. illas passiones, quæ sunt in Christo dixerunt Propassiones; illas vero, quæ sunt in nobis, dixerunt Passiones. IV. Probatur in particulari de singulis passionibus. Fuit in Christo dolor; dicitur enim Isai. 53. *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Fuit tristitia, quia fuit apprehensio mali, nocentis sibi, vel aliis, quando suam passionem apprehendit, vel sibi nocentem, vel Discipulis propter fugam, vel Judæis propter enorme facinus. Fuit timor, quia apprehendit malum, quod sibi certo imminebat, & petendo a Patre dispensationem, ostendit vere se illud timere. Fuit ira, quia Christus appetiit vindictam secundum ordinem justitiæ. Fuit amor, quia diligebat Joannem, diligebat Petrum &c. Fuit odium, quia odio habebat peccata, quæ etiam aliquando punivit, quando fecit flagellum de funiculis, & ejecit ementes, & vendentes de templo. Fuit desiderium; quia dixit; desiderio desideravi hoc pascha manducare

vo-

Digitized by Google

vobiscum. Fuit gaudium; quando Apostolis loquutus est: Lazarus amicus noster dormit, & gaudeo propter vos. Et sic de cæteris, quæ in ipso imperfectionem non importabant.

Objiciunt I. S. Hieronymus variis in locis docet, in Christo non fuisse passiones: ergo vere non fuerunt. Probatur antecedens. In c. 26. Matth. Hieronymus scribit, Christum nullas pasiones fuisse expertum, sed propasiones tantum; hoc est, fuisse in illo visam externam similitudinem pasionum, at revera passiones non fuisse. II. S. Hilarius lib. 10. de Trinitat. docet, in Christo non fuisse metum mortis; primo, quia quum ipse a Discipulis pellere mortis timorem, conveniens non erat, ut mortem timeret: *Interrogo an ratione subsistat, ut mori timuerit, qui omnem ab Apostolis terrorem mortis propellens, ad gloriam eos sit martirii cohortatus?* Secundo, quia non erat Christus infirmior Martiribus, qui mortem desiderabant: *Quod si illi fidei calore, & beati martirii gloria, timere nesciunt, quæ timentur: Christus . . . . . per crucem mansurus Deus, & mundum judicaturus, & rex æternorum sæculorum futurus, tristis metu crucis esset?* Tertio, quia in illius potestate erat mori, & non mori: *Non est terror mortis in potestate moriendi.* Quarto, quia ipse timorem incutiebat iis, qui ipsi mortem dare tentabant: *Anne metuit, qui armatis ad corripiendum se obvius prodiit? Et in corpore ejus infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina ceciderunt?* III. Christus a primo suæ creationis instanti fuit beatus: ergo non potuit esse tristis; quia nequit stare tristitia, quæ est malum quoddam, cum beatitudine, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus. IV. Isai. 24. Prædictum est de Christo, nec futurum fore tristem, neque turbulentum: *Non est tristis, neque turbulentus*: ergo revera Christus tristis non fuit. V. Nullum bonum fuit Christo arduum, & difficile: ergo in Christo non fuit spes. VI. Absurdum est dicere, fuisse in Christo desperationem; & tamen desperatio est etiam una ex passionibus animæ: ergo vel dicendum est, in Christo non fuisse omnes passiones, vel fuisse desperationem. VII. Tristitia, & gaudium; timor, & spes; odium, & amor; sunt contraria: ergo non possunt esse simul in eodem subjecto, & de eodem objecto; sed sic fuissent in Christo: ergo vere non fuerunt. Probatur minor subsumpta. Christus tristis erat de sua morte, prout hæc erat malum sibi; gaudebat de eadem, prout erat bonum nobis; timebat passionem, & sperabat eam, & prout sibi displicentem, & nobis utilem; amabat crucem, & alia passionis instrumenta, ut nostræ salutis media, ut autem suæ mortis ministra odio illa habebat. VIII. Christus dixit, se esse mitem: ergo non fuit in illo ira. IX. Augustinus lib. 22. cont. Faustum c. 13. docuit, Christum non fuisse vere admiratum, sed tantum signa exteriora admirationis dedisse; quemadmodum Deus dicitur in Scripturis iratus, pœnitens &c. X. Joann. 11. dicitur, quod Christus *infremuit spiritu, & turbavit seipsum*; vel turbavit seipsum secundum partem inferiorem, & sensualem, vel secundum partem superiorem, & rationalem? Si primum: ergo non fuerunt in Christo passiones animæ rationalis, sed tantum appetitus sensitivi: Si secundum: ergo aliquando anima Christi fuit obnubilata, & turbata.

Respondemus ad I. vel cum aliquibus, qui dicunt, S. Hieronymum non admisisse in Christo passiones similes nostris quoad modum, bene vero similes quoad substantiam; vel cum aliis, qui volunt, S. Doctorem non tribuisse Christo passiones qualiter eas intelligunt Stoici, bene vero qualiter eas intelligunt Theologi. Prima responsio explicatur. Passiones sunt in nobis etiam nobis invitis, in Christo non fuerunt ipso invito; passiones dum in nobis exitantur, nos conturbant, Christum vero non turbaverunt; passiones in nobis incitant nos ad peccatum, minime vero Christum. Secunda responsio pariter explicatur. Stoici per passiones intelligebant motus inordinatos, & a regula rationis exorbitantes, qui quidem non fuerunt in Christo; & ideo propassiones posuit, quas explicat per motus non consummatos, seu affectus, qui non attingunt rationem Stoicæ passionis. Theologi autem passiones vocant quas Hieronymus propassiones appellat. Audiatur S. Doctor: *Illud, quod supra diximus, de passione, & propassione, etiam in præsenti capitulo ostenditur, quod Dominus ut veritatem probaret assumpti hominis, vere quidem constitutus sit, sed ne passio in animo illius dominaretur per propassionem cæperit contristari.*

Ad II. Hilarius loquebatur contra Arianos, di-

Digitized by Google

dicentes, Verbum feciſſe in Chriſto animæ vices; unde ex metu concludebant, Verbum non eſſe Deum; ut autem Arianorum oppoſitionem excluderet Hilarius, dicebat, in Chriſto, prout Verbum eſt, timorem non fuiſſe. Alii dicunt, Hilarium loquutum fuiſſe de timore neceſſario, qui eſt in nobis, non vero de timore libero, qui fuit in Chriſto. Audiatur S. Thomas 3. p. q. 15. ar. 7. ad 2. *Hilarius eo modo a Chriſto excludit timorem, quo excludit triſtitiam, ſcilicet quoad neceſſitatem timendi.*

Ad III. Non eſſe triſtitiam in eo, qui fruitur vera beatitudine, tum quoad eſſentiam, tum quoad effectum; poſſe tamen eſſe in eo, qui fruitur vera quidem beatitudine ſecundum eſſentiam, non vero ſecundum effectum. Chriſtus utique fruitus eſt vera beatitudine ſecundum eſſentiam, quæ conſiſtit in clara Dei viſione, & amore perfecto; non autem fruitus eſt vera beatitudine ſecundum omnes illius effectus; quia aliqui ex his effectibus fuerunt in eo per diſpenſationem impediti; quatenus Deus pro libito poteſt impedire vires cujuslibet efficientis cauſſæ; ut ait Jueninus.

Ad IV. Iſaias intelligendus eſt de triſtitia, quæ rationem perturbat, & animum frangit, non vero de triſtitia temperata, qualis fuit illa, quæ fuit in Chriſto, & de qua dicitur Proverb. 12. *Non contriſtabit Juſtum quicquid ei acciderit.* Alii dicunt, aliquem non eſſe triſtem, quia non eſt in converſatione melancholicus, ſed hilaris; & ſic intelligendus eſt Iſaias.

Ad V. dicitur, quod nullum bonum fuit arduum, & difficile Chriſto ut Deo, non vero Chriſto ut homini. Ratio eſt, ut ait Hennus, quia multa fuerunt, quæ ſuperabant vires Chriſti naturales.

Ad VI. Per deſperationem intelligitur motus appetitus fracti circa bonum obtinendum, eo quod appareat impoſſibile; hunc motum habuit Chriſtus circa vitæ conſervationem, ſtatim ac per experimentalem ſcientiam novit, latam eſſe ſententiam mortis, & inſtrumenta ad mortem eſſe parata. Unde, ut aſſerit idem Hennus, ducebatur ad mortem abſque ulla reſiſtentia tamquam agnus manſuetus, quod eſt ſignum appetitus fracti, ac deſperantis.

Ad VII. Utique gaudium, & triſtitia; timor, & ſpes; amor, & odium; non poſſunt eſſe de eodem ſubjecto ſecundum eandem conſiderationem, non vero ſecundum diverſam; Fuit in Chriſto gaudium, ſpes, amor, de objecto beatifico, quatenus ſuam mortem conſiderabat Deo glorioſam, & hominibus proficuam; fuit etiam triſtitia, timor, odium, de morte, & paſſione, quatenus erant ſuæ vitæ conſervationi oppoſita, & nociva; ſicque fuerunt de eodem objecto, at non ſecundum idem motivum.

Ad VIII. Manſuetudo opponitur iræ immoderatæ, non vero iræ, quæ ſit moderata, & ſit per rationem temperata; neque illa ira, quæ fuit in Chriſto, mentem ejus turbavit, ſicut turbat in nobis. Et ratio eſt, quia in nobis operatio intenſa unius potentiæ alterius operationem turbat, & debilitat; in Chriſto vero, propter divinam virtutem, una potentia in operando non impediebatur ab altera.

Ad IX. Eſt admiratio, quæ præſupponit omnimodam ignorantiam in admirante; & eſt admiratio, quæ præſupponit tantum ignorantiã experimentalem, ſeu potius abſentiam experientiæ rei, quæ aliunde cognoſcitur. Poſterior admiratio fuit in Chriſto, non autem prior. Et ſic intelligendus eſt Auguſtinus; aliter ſibi eſſet contrarius, quia lib. de Geneſi contra Manichæos c. 8. & etiam alibi, docet, vere fuiſſe in Chriſto admirationem, ut nos dicimus.

Ad X. S. Bonaventura dicit, Chriſtum ſe turbaſſe ſecundum partem ſenſitivam, & inferiorem, non vero ſecundum partem ſuperiorem, & rationalem, ſeu ſecundum mentem, quæ vere nunquam fuit obnubilitata. Per hoc autem quod infremuerit, aliqui intelligunt, quod fleverit ejus humanitas; ſed hoc non admittitur, quia aliter non fleviſſet ex imperio voluntatis: unde alii rectius dicunt, fleviſſe Chriſtum ob perfidiam Judæorum, ad quam vincendam oportebat, ſe facere miraculum illud, quo Lazarus moreretur, & reſurgeret; ut ſcribit Hennus.

Dicimus II. In Chriſto nullam fuiſſe ignorantiam.

I. Probatur ex Scripturis. Joann. 6. *Sciebat ab initio Jeſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum.* Et c. 16. *Nunc ſcimus, quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi, ut quis te interroget: in hoc credimus, quia a Deo exiſti.* Et c. 18. *Jeſus ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper se.* Et c. 21. *Domine tu omnia ſcis; tu ſcis, quia amote.* Ad Coloſſ. 1. *Quia in ipſo complacuit*

Digitized by Google

placuit omnem plenitudinem habitare. Et c. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Gregorius magnus lib. 8. ep. 42. ad Eulogium, Patriarcham Alexandrinum, qui scripsit contra Agnoitas. *Ita doctrina vestra per omnia Latinis Patribus concordavit, ut mirum mihi non esset, quod in diversis linguis Spiritus non fuerit diversus &c. De eo vero quod scriptum est: Quia diem, & horam, neque Filius, neque Angeli sciunt: omnino recte vestra sanctitas sensit, quoniam non ad eundem Filium, juxta hoc, quod caput est, sed juxta corpus ejus, quod sumus nos, est certissime referendum. Qua de re multis in locis idem B. Augustinus eo sensu utitur: Dicit quoque & aliud, quod de eodem Filio possit intelligi; quia Deus Omnipotens aliquando more loquitur humano, sicut ad Abraham dicit: Nunc cognovi, quia times Deum. Non quia se Deus tunc timeri cognoverit; sed quia tunc eundem Abraham fecit agnoscere, quia Deum timeret. Sicut enim nos diem lætum dicimus, non quod ipse dies lætus sit, sed quia nos lætos facit: ita & Omnipotens Filius nescire se dicit diem, quem nescire facit, non quod ipse nesciat diem, sed quia hunc scire minime permittat. Unde & Pater solus dicit scire, quia consubstantialis ei Filius, ex ejus natura, qua est super Angelos, habet ut hoc sciat, quod Angeli ignorant. Unde & hoc intelligi subtilius potest: quia incarnatus Unigenitus, factusque pro nobis homo perfectus in natura quidem humanitatis novit diem, & horam judicii; sed tamen hoc non ex natura humanitatis novit. Quod ergo in ipsa novit, non ex ipsa novit, qua Deus est homo factus; diem, & horam judicii nonnisi per Deitatis suæ potentiam novit: sicut & in nuptiis, cum Mater Virgo diceret vinum deesse, respondit: Quid mihi, & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Neque enim Jesus Angelorum Dominus horæ subjectus erat, qui inter cuncta, quæ creaverat, horas, & tempora fecerat: sed quia Mater Virgo, cum vinum defuit, per eum miraculum fieri volebat, statim ei responsum est: Quid mihi, & tibi est mulier? ac si aperte diceret: Unde facere miraculum possum? hoc mihi ex Patre, non ex Matre est. Ex matre enim mori poterat, quia ex natura Patris miracula faciebat &c. Itaque scientiam, quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum Angelis creatura fuit, hinc se cum Angelis, qui Creaturæ sunt, habere denegavit. Diem ergo, & horam judicii scit, quia Deus, & homo. Res autem valde manifesta est: quia quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse nullatenus potest. Nam qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere, esse aliquid quod Dei sapientia ignoret? Scriptum est: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt. Si omnia, procul dubio etiam dies judicii, & hora. Quis ergo ita desipiat, ut dicere præsumat, quia Verbum Patris fecit quod ignorat? Scriptum quippe est: Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus. Si omnia, profecto diem judicii, & horam. Quis ergo ita stultus est, ut dicat, quia accepit Filius in manibus quod nescit? De eo vero loco, in quo mulieribus de Lazaro dicit: Ubi posuistis eum? Ipsa specialiter sensimus, quæ sensistis: quia si negant sciisse Dominum, ubi fuerat Lazarus sepultus, atque ideo requisisse; procul dubio compellentur fateri; quia nescivit Dominus, in quibus locis se Adam, & Eva post culpam absconderant, cum in Paradiso dixerat: Adam ubi es? Aut cum Cain corripuit, dicens: Ubi est Abel frater tuus? Qui si nesciebat, cur protinus adjunxit: Sanguis fratris tui de terra clamat ad me?*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Ephesinum in epistola Cyrilli ad Reginas: Christus crescebat in sapientia ut homo, non ut Deus; & crescebat sapientia experimentali. Concilium Lateranense sub Martino I. damnat Agnoitas.

IV. Probatur ex Patribus. Justinus, vel quisquis sit Auctor quæstionum positarum Gentibus q. 58. *Si Christo ignorantiam adscribere impietatis est, certum fuerit, omnium eum obtinere præscientiam perfectam.* Irenæus lib. 1. cap. 17. de Gnosticis: *Adferunt ad stuporem insensatorum, & quæ sunt veritatis, non scientium literas. Assumunt autem in hoc, & illam falsationem, quasi Dominus cum puer esset, & disceret literas, cum dixisset magister ejus, quemadmodum in consuetudine est, dic A, respondit A. Rursum cum magister jussisset dicere eum B, respondisse Dominum, tu prior dic mihi quid est A, tunc ego dicam tibi quid est B. Et hoc exponunt quasi ipse solus incognitum scierit, quod manifestavit in typum A.* Athanasius sermone 4. contra Arianos: *Ea, quæ humanitus de Salvatore referuntur, & illa quoque piam sententiam in se complectuntur. Ea enim de causa jam prius illa excussimus, ut si audierimus eum percuntantem de Lazaro,*

ubinam situs esset, & interrogantem: Quemnam me dicunt homines esse? & quot panes habetis? & quid vultis ut faciam vobis? cognoscamus ex superioribus dictis veram in ibi esse sententiam, & non scandalizemur, quemadmodum Christi oppugnatores Ariani. Primum igitur iis ita impiè sentientibus hoc proponendum est, undenam colligant, eum ea, quæ percuntatur, ignorare? Non enim quisquis interrogat, statim ignarus est eorum, quæ interrogat, sed fit, ut de illis percuntetur, de quibus plenam scientiam habet: certe Joannes, qui inducit interrogantem Dominum, quot panes haberent, noverat illum, earum rerum ignarum non esse, sed consciam; ait enim: Hoc autem locutus est, ut tentaret Philippum: ipse enim noverat, quid facturus esset. Si igitur norat id, quod faciendum sibi erat, utique ignoratione laborare non potuit, sed cum scientia interrogationem fecit &c. Dominum cœli, & terræ, per quem omnia facta sunt, reum ignorantiæ faciunt de die illa, & hora: & Verbum, quod omnia novit, condemnatur ab iis, quasi qui diem illum ignotum habeat: & Filius, qui cognoscit Patrem incessitur de insciitia diei, & horæ: huic insaniæ, quam (quæso) parem invenias? Per Verbum omnia facta sunt, & tempora, & rerum agendarum articuli, nox item & dies, & universa rerum natura: Et Opifex ab istis fertur suum opus non intelligere? Atqui ipsa series lectionis ostendit Filium Dei illam diem, & horam probe scire, etiamsi Ariani sua insciitia in præceps ruant. Ubi enim dicit: Ne Filius quidem, ibi discipulis recenset ea, quæ diem illum antecedunt, dum inquit, ista, & ista futura sunt, ac tum denique finis. Jam qui ea, quæ diem illum antecedunt, eloquitur, omnino in cognitione sua diem habet, qua post res prænuntiatas subsecutura est. Si enim diem nesciret, nunquam ea, quæ diem anteveniunt, designasset: quippe ignarus, quando ea hora futura esset &c. Augustinus de peccatorum meritis, & remissione lib. 2. cap 29. *Quis est igitur, qui audeat dicere, Dominum Christum tantum majoribus, non etiam parvulis esse Jesum, qui venit in similitudine carnis peccati, ut evacuaret corpus peccati, in quo infirmissimo nulli usui congruis, vel idoneis infantilibus membris anima rationalis miserabili ignorantia prægravatur. Quam plane ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis; nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis. Per hanc enim etiam cum motibus irrationabilibus perturbantur, nulla ratione, nulla imperio, sed dolore aliquando, vel doloris terrore eo cohibentur: ut omnino videas illius inobedientiæ filios, quæ movetur in membris repugnans legi mentis.* Et lib. 15. de Trinitate cap. 14. *Verbum Dei Patris unigenitus Dei Filius, per omnia Patri similis & æqualis, Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia de sapientia, essentia de essentia: hoc est omnino quod Pater, non tamen Pater: quia iste Filius, ille Pater. Ac per hoc novit omnia, quæ novit Pater, sed ei nosse de Patre est sicut esse. Nosse enim & esse illi unum est &c. Novit omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio; sed in seipso, tanquam seipsum in Filio, tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in seipso. Omnia similiter novit & Filius, in se scilicet tanquam ea, quæ nata sunt de iis, quæ Pater novit in seipso. In Patre autem tanquam ea, de quibus nata sunt, quæ ipse Filius novit in seipso. Sciunt ergo invicem Pater, & Filius, sed ille gignendo, iste nascendo. Et omnia quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt: non particulatim, aut figillatim, velut alternante conspectu hinc illuc, & inde hac, & rursus inde, vel inde in aliud, atque aliud, ut aliqua videre non possit, nisi non videns alia: sed ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est, quod non semper videt.*

V. Probatur Rationibus. I. Non decebat, Christum esse aliquo modo, quicunque sit ille, ignorantem: ergo nullo modo fuit in ipso ignorantia. Probatur antecedens. Anima Christi debuit esse Deiformis, ut ait S. Bonaventura: ergo non decebat, Christum esse aliquo modo ignorantem. Probatur consequentia. Per hoc, quod anima Christi debuit esse Deiformis, debuit quidem esse luce sapientiæ, & rectitudine justitiæ repleta: ergo per hoc, quod anima Christi debuit esse Deiformis, non decebat Christum esse aliquo modo ignorantem. Probatur antecedens. Ignorantia est privatio scientiæ, & potest esse via in errorem, & in obliquationem a rectitudine justitiæ; sed hoc opponitur luci sapientiæ, & rectitudini justitiæ: ergo convenit hæc, si non illa, Christi animæ, prout est Deiformis &c. II. Christus venerat redimere, & salvare: ergo non debebat in eo esse ignorantia. Probatur consequentia. Si fuisset in eo ignorantia, nesciviſſet nos redimere, & salvare: ergo

si ve-

Digitized by Google

si venit nos redimere, & salvare, non debebat in eo esse ignorantia. Argumentum est S. Bonaventuræ dist. 15. ar. 2. q. 1. III. In Christo fuit plenitudo omnis scientiæ: ergo nulla fuit in eo ignorantia. Antecedens est Apostoli ad Coloss. 2. & nos in sequen. Differt. Consequentia bene infertur. IV. Christus cognovit omnia, quæ pertinent ad statum suum, Mediatoris, Doctoris, ac Redemptoris: ergo non potuit in eo esse ignorantia; quia aliter non bene suum munus adimpleviſſet, nec sine errore docuisset, nec sine deviatione ambulasset, nec sine rectitudine operatus esset; quæ quidem de eo non sunt dicenda.

Obstant I. In Christo infante, qui etiam erat Patris Verbum, admittitur sine errore defectus eloquentiæ, & potentiæ: ergo pariter defectus sapientiæ, & scientiæ, quanvis fuerit Dei virtus, & sapientia. II. Christus plura a pluribus quæsivit: ergo illa nesciebat. Probatur antecedens. Joann. 11. quæsivit a Marta, & Magdalena, ubi esset Lazari sepulcrum: Lucæ 4. quæsivit a Discipulis ambulantibus, qui essent sermones, quos ad invicem conferebant: Joann. 21. interrogavit Petrum, an eum plusquam cæteri Discipuli amaret: Matth. 21. Videre voluit fici arborem, & perquirere, an in ea fructus essent: ergo &c. III. Christus in pluribus admiratus est: ergo fuit in eo ignorantia; quia ex Aristotele 1. metaph. c. 2. admiratio est ignorantiæ effectus. Probatur antecedens. Matth. 8. miratus est Centurionis fidem: Matth. 13. fidem Chananææ admirans quoque dixit: *O mulier, magna est fides tua.* IV. Matth. 24. dicitur: *De die autem illo, & hora, nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater*: Et Marci 13. *De die autem illa, vel hora, nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*: ergo saltem fuit in Christo ignorantia illius ultimi diei. V. Multi Patres, & præsertim Ambrosius lib. de incarnat., Cyrillus Alexandrinus lib. 9. thesaur. c. 4., Athanasius orat. 4. cont. Arianos, concedunt fuisse in Christo diei Judicii ignorantiam: ergo fuit in eo aliqua ignorantia. VI. Multi Theologi de schola, & præcipue Lorca, Vasquez, Felix Delgadillo, Hennus, afferunt, non esse de fide, quod non fuerit ignorantia in Christo, ut homine, seu quod nihil ignoraverit eorum, quæ ad ejus munera pertinebant; & rationem adducunt, quia nec in Scriptura, nec in aliquo generali Concilio hujus rei definitio legitur: ergo &c. VIII. Agnoitæ non fuerunt a Patribus damnati ut hæretici, quia admittebant ignorantiam illam in Christo tanquam in puro homine, sed quia admittebant illam in Christo, quem dicebant unitum Verbo tantum per affectum; uti insaniebant Nestoriani, ex quorum grege erant pariter Agnoitæ; quod colligitur ex Gregorio, & ex Sophronio. VIII. Luc. 2. habetur, quod Christus *proficiebat sapientia*: ergo majorem sapientiam acquirebat: ergo antequam eam acquireret, sapientia illa ipsi deficiebat. IX. Damascenus lib. 3. de fide dixit, Christum assumpsisse naturam ignorantem: ergo fuit vere in Christo ignorantia. X. II. ad Corinth. 5. dicitur, Christum non novisse peccatum: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: ergo fuit saltem in Christo ignorantia peccati.

Respondemus ad I. vel cum S. Bonaventura dicendo, quod defectus eloquentiæ, & virium, quum essent externi, deserviebant ad manifestandam veritatem naturæ assumptæ; defectus vero sapientiæ, qui erat interior, ad nihil inserviſset: vel cum eodem addendo, quod priores defectus deserviebant ad exercendam virtutem patientiæ, & fortitudinis; defectus vero cognitionis ad nullum virtutis exercitium deservire poterat, immo a virtutis exercitio revocasset: vel cum aliis asserendo, quod Christus infans habuit ignorantiam, quæ est privatio scientiæ experimentalis, & acquisitæ, non vero illam, quæ est privatio scientiæ simpliciter.

Ad II. dicimus, quod Christus sic loquebatur non ex ignorantia, sed ex prudentia, ut inde occasionem haberet, vel docendi populum, vel manifestandi potentiam suam, vel mysterium aliquod declarandi: Vel sic cum Origene in comment. ad c. 13. Matth. respondemus: *Qui novit quæ sunt in cordibus hominum, Christus Jesus, sicuti de hoc docuit in Evangelio Joannes, non ignarus interrogat: sed quoniam semel assumpserat hominem, utitur omnibus, quæ sunt hominis, quorum unum illud est interrogare. Nec mirandum si id facit Servator, cum ipse etiam omnium Deus, moribus hominum se accomodans, perinde ac si quis homo morem gerat filio suo, percunctetur; velut in hoc: Adam, ubi es? Et ad Cain: Ubi est Abel frater tuus?*

Ad III. Aliqui dicunt, quod Christus fuerit miratus admiratione, quæ procedebat ex scientia experimentali, secundum quam plura particularia discere poterat: Unde volunt, quod admiratio non supponat ignorantiam oppositam omni scientiæ, sed alicui, hoc est scientiæ experimentali. Christus enim omnia cognoscebat per scientiam beatam, & infusam, non tamen per scientiam experimentalem, secundum quam admirationem habebat; quia experiebatur aliquos effectus, quorum eventum non adhuc experimentaliter cognoverat: Alii vero cum Augustino docent, duplicem esse admirationem, & quæ oritur ex ignorantia causæ, cujus videtur effectus, & quæ provenit, ex raritate rei, quam videmus. Illa supponit ignorantiam, hæc vero non aliud est, quam delectatio proveniens ex rei raritate, & magnitudine, & in laudem nos inducens. Audiatur Augustinus ep. 101. *Miratus fuit Centurionis fidem, neque enim cum ullius rei ratio posset latere: sed admiratio pro laude posita est, cujus par in populo Hebræorum non apparuerat. Neque ideo reprehendenda est sententia, qua dictum est; si ratio quæritur, non erit mirabile: quoniam est aliud genus admirationis, etiam cum ratio manifesta est admiranti.*

Ad IV. Multæ, & variæ sunt responsiones. Prima est illorum, qui dicunt, verba illa *neque Filius*: non fuisse in Evangelio Matthæi, sed fuisse addita ab Arianis, & deinde a Catholicis expuncta. Sic respondent, Ambrosius lib. 5. de fide c. 7., & Hieronymus in c. 24. Matth., qui addit, in Codicibus græcis Adamantii verba illa deesse, quemadmodum in Codicibus quoque plerisque latinis; & ad præsens nec in Vulgata nostra inveniuntur. Verum hæc responsio salvat, in Matthæi textu verba illa non fuisse; non potest tamen salvare, quod non fuerint in textu Marci, in quo, juxta Vulgatam, a Tridentino approbatam, etiamnum sunt. Secunda est aliorum, qui asserunt, Christum nescire Diem Judicii per scientiam connaturalem, quæ comparatur humano studio, ac sensuum beneficio, & hominum magisterio. S. Basilius sic est intelligendus in epistola ad Amphilochium, dum dicit, *Christum ignorasse diem illum, ut hominem: Si quis ignorantiam illam ad Deum referat, qui dispensatione quadam omnia in se susceperit, & sapientia atque gratia apud Deum, & homines profecerit, non aberraturum a pio Scripturæ sensu.* Et hujus etiam sententiæ sunt Nazianzenus orat. 46. *Nosse quidem tanquam Deum, ignorare vero ut hominem, si quis quod apparet in Christo ab eo secernat, quod mente percipitur*; Cyrillus in refutatione Theodoreti ad anathematismum 4. *Igitur novit quidem ipse divinitus, utpote Sapientia Patris: sed quoniam ignorantis humanitatis mensuram subiit per dispensationem; istud etiam cum aliis sibi tanquam proprium ascivit.* Unde de mente horum Patrum, Christum ignorare ut hominem Judicii diem, non facit sensum, quod quatenus est homo nesciverit; sed quod nesciverit humano modo, hoc est, ut diximus, per magisterium hominum, per humanum studium, per beneficium sensuum; quæ omnia habentur per naturalem scientiam; quum revera sciverit ut homo, sed non humano modo, quia scivit per revelationem, per illuminationem, per supernaturalem visionem, &c. Tertia est illorum, qui scripserunt, ideo dictum fuisse, Christum nescire diem Judicii, quia non faciebat scire; & hoc quia judicabat, non esse tempus revelandi illum. Exemplum sumunt ab illo Genes. 18., ubi Deus dicebat; *Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* Dicitur his verbis, Deum ignorare, non quod vere ignorabat, sed quia non puniebat; tunc enim scire dicitur, quando est tempus agendi, & castigandi. Item Genes. 22. *Dixit Dominus ad Abraham, nunc cognovi, quod timeas Dominum.* Non enim est sensus, quod Deus tunc cognoscere inceperit, sed quod tunc erat tempus, quo Abraham testimonium acciperet. Hujus sententiæ sunt S. Hilarius lib. 9. de Trinit., Ambrosius lib. 5. de fide c. 7., & Augustinus lib. 83. Quæstionum q. 60. Ubi hæc expressissime docet: *Sicut scire Deus dicitur, etiam cum scientem facit, sicut scriptum est: Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis eum; non enim sic dictum est hoc, quasi nescirem Deus, sed, ut ipsi sciant quantum in Domini dilectione profecerint, quod, nisi tentationibus, qua accedunt, non plane ab hominibus agnoscitur; & ipsum tentat, pro eo positum est, quod tentari sinit: Sic, & cum dicitur scire, aut pro eo dicitur, quod non approbat, id est, in disciplina, & doctrina sua non agnoscit, sicut dictum est: Nescio vos, aut pro eo quod utiliter nescientes facit, id, quod scire inutiliter est: ideo bene*

acci-

Digitized by Google

accipitur id, quod dictum est solum scire Patrem, sic dictum esse, quia facit filium scire; & quod dictum est nescire filium; sic dictum esse, quia facit nescire homines, idest non prodit eis, quod inutiliter scirent. Quarta est aliorum, qui dicunt, Christum revera sciviſſe Judicii diem, & ut Deum, & ut hominem; ut Deum, quia ille dies cognitus est Patri: ergo etiam Filio; ut hominem, propter multas rationes; quarum prima est, quia ad statum Judicis pertinet, ut sciat diem, quo judicium ferre debet; sed Pater æternus dedit Christo potestatem faciendi judicium, ut homo est; dicitur enim Joann. 3. *Potestatem ei dedit judicium facere, quia Filius hominis est*: ergo &c. Secunda; quia Christo Domino si datum est, quod est majus, multo magis datum est, quod est minus; sed majus est scire qualiter oporteat judicare, & hoc datum est Christo: ergo multo magis datum ei est scire judicii tempus, quod est minus. Et hæc ratio est Chrysostomi hom. 71. in Matth. Tertia; quia Christus prænuntiavit cæteras circumstantias futuri judicii: ergo non est credendum, quod circumstantiam temporis ignoraverit. Quod prænuntiaverit cæteras futuri judicii circumstantias, patet ex Evangelii pluribus locis, in quibus a Christo prænuntiatæ sunt. Quarta; quia quum Christus præsciverit facta aliorum, multo magis præscivit sua; sed non præsciviſſet sua, si ignoraſſet diem, quo ipse futurus esset Judex vivorum, & mortuorum: ergo &c. Quinta; quia Joann. 13. dicitur: *Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus*; ad quæ S. Gregorius subdit lib 8. ep. 42. *Si omnia, profecto diem judicii, & horam; quis ergo ita stultus est, ut dicat, quia accepit Filius in manibus quod nescit?* Ergo revera Christus scivit diem judicii, etiam ut homo. Quod autem aliqui Patres dixerint, Christum dixiſſe, se ut Hominem ignorare judicii diem, sic exponendum est, non quasi negaverint, Filium in ipsa humanitate noviſſe diem judicii, sed quod non ex ipsa humanitate cognovit; scilicet, non ex vi, aut virtute humanitatis, quia gratuito fuit illi divinitus infusa scientia, ut asserit Praſſen, qui has omnes responsiones collegit.

Ad V. Responsio patet ex modo a nobis dictis in responsione ad IV. argumentum; & præcipue ex ultimis verbis hisce, quibus responsionem ipsam complevimus.

Ad VI. Asserit Vasquez disp. 51. c. 1. & c. 12., quod Christus nullam habuerit ignorantiam, esse de fide catholica credendum, tanquam indubitatam traditionem in Ecclesia, & veritatem a SS. Patribus uno ore pronuntiatam; quanvis in nullo Concilio vel generali, vel provinciali, fuerit id definitum; quod refert, & testatur Cacheranus. Immo affert Arriagam disp. 40. sect. 4. subsect. 1. contendentem, quod Vasquez sibi contradixerit, asserens ex una parte, Christum non cognoviſſe omnia possibilia, adeoque habuiſſe aliquam ignorantiam, & ex altera dicens, quod sit hæreticum dicere, in Christo fuiſſe ignorantiam. Attamen Cacheranus dicit, quod ignorantiæ nomen sumatur in tota sua latitudine, Arriaga non loquitur incongrue; attamen Vasquez usurpat nomen ignorantiæ cum aliqua restrictione. Quicquid de hoc sit; referunt Medina q. 15. ar. 3., & Amicus disp. 14. sect. 4. n. 14., quod quidam Catholici quum dixiſſent, Christum habuiſſe aliquam ignorantiam privativam, ignoraſſe scilicet aliquid pertinens ad proprium statum, fuerunt ab Inquisitoribus fidei coacti sententiam suam retractare. Quod autem nos dicimus de judicii die est quid pertinens ad proprium statum Christi, ut nuper quoque vidimus. Non est igitur verum, quod asserit Hennus, non esse de fide, quod in Christo ignorantia non fuerit illarum rerum, quæ pertinent ad proprium ipsius statum.

Ad VII. negatur omnino quod assumit: Etenim ex Liberato in Breviario, Gregorio magno lib. 8. ep. 42., Sophronio epist. ad Honorium, Isidoro lib. 8. etymol., Nicephoro lib. 18. c. 50. narrat Coccius, Agnoitarum hæresim hanc fuiſſe: „ Agnoitæ dicebant, Christum „ ignoraſſe diem Judicii. Verbum, dice„ bant, accepit corruptibile corpus, ut „ pro nobis moriendo nos a morte libera„ ret. Ergo accepit etiam nostram igno„ rantiam; ideſt mentem humanam igno„ rantem, ut nos ab ignorantia liberaret. „

Ad VIII. respondet Nazianzenus orat. 20., quæ est in laudem S. Basilii: *Proficiebat Christus ut ætate, ita etiam sapientia, non quod hæc in illo incrementum caperent (quid enim eo, quod a principio perfectum erat perfectius esse posſit?) sed quod hæc paulatim detegerentur, & elucerent.* Respondet Titus Boſtrensis ad cap. 2. Lucæ: *Puer Jesus non implebatur gratia, & sapientia, quod aliquod gratiæ, aut sapientiæ incre-*

men-

Digitized by Google

mentum per temporum intervalla ipsi accederet; semper enim ut Deus earum rerum plenus erat, sed quod Dei Verbum sapientiam, & gratiam, qua pollebat, juxta corporis incrementum magis magisque subinde proderet.

Ad IX. Verum est, quod Damascenus lib. 3. orthod. fidei c. 21. hæc scripsit: *Scire operæ pretium est, Christum ignoratione quidem laborantem, ac servam naturam assumpsisse. Hominis enim natura Dei conditoris sui serva est, atque in futurarum rerum ignoratione versatur.* Sed hoc nil aliud sibi vult, quam Verbum assumpsisse veram naturam humanam. Natura enim humana per peccatum primi hominis facta est ex se ipsa ignara, Verbum assumpsit naturam humanam cum imperfectionibus suis, præter peccatum: ergo assumpsit eam cum ignorantia. At deinde propter unitionem Verbi ignorantiam amisit, & facta est per Verbum sciens illarum rerum, quas per se ipsam scire non poterat.

Ad X. dicitur, Christum non novisse peccatum per experientiam, quia nunquam peccavit, novisse tamen per simplicem cognitionem; & hoc jure quidem; quia scire debebat, quod ut tolleret, mortem passus est in cruce; sciebat utique malum, a quo ut nos liberaret, in mundum venit; sciebat, quod inimici ejus in ipso nullatenus poterant invenire; unde iisdem dicebat Joann. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Dicimus III. Nullum in Christo fuisse peccatum.

I. Probatur ex Scripturis Joann. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Luc. 1. *Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei . . . Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Ad Hebr. 4. *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato.* Et c. 7. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.* Immo prædictum ab Isaia fuerat c. 53. *Iniquitatem non faciet, neque dolus erit in ore ejus.* Ad quæ absque dubio Petrus respexit, scribens in I. epist. c. 2. *Qui peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Gregorius magnus in lib. 1. Reg. c. 1. exaltans sanctitatem Mariæ, Matris Domini nostri Jesu Christi, tanto magis illam Christi magnificat: *Mons quippe, & domus, apte dicitur, quæ dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei unigenito, in quo recumberet, sacrum præparavit uterum;* Innocentius III. ser. 2. de assumpt. Mariæ. *Acies castrorum; idest plenitudo virtutum, ita fuit in Virgine ordinata, ut de se vere dicere posset: Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem: Ut postquam in ea plenitudo divinitatis corporaliter habitavit, vicit ex toto malitiam. Quoniam, ut vehementer opinor, ex tunc fomes peccati, langnor naturæ, stimulus carnis, in ea fuit non solum sopitus, sed prorsus extinctus.* Leo magnus epist. 11. *Nihil enim carnis suæ habebat adversarium, nec tentabatur illecebris.*

III. Ex Conciliis. Concilium Ephesinum can. 10. definit Christum non habuisse peccatum originale, nec actuale. Ait enim: *Non eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit.* Concilium Chalcedonense act. 5. hoc ipsum decernit: Concilium generale VI. act. 8. docet, quod quanvis in Christo fuerit humana voluntas, in eo tamen peccatum non fuit. Concilium Lateranense sub Martino I. can. 5. hoc idem affirmat, docens: *Nostram substantiam fuisse in Christo perfecte absque peccato.*

IV. Probatur ex Patribus. Athanasius lib. de incarnat. Christi non longe ab initio: *Si enim Filius hominis venit, ut dissolveret opera Diaboli, qua ratione in se habere posset peccatum, siquidem ipse venit, ut deleret in nobis peccata?* Cyrillus ep. 1. ad Successum: *Necessarium fuit, ut pro nostra salute carnem, voluptatum illecebris ægrotantem, propriam faceret, & compesceret justos motus, eos videlicet, qui nos ad vitia, voluptatesque, præcipitabant.* Grogorius Nyssenus in Cantica: *Christus est aurum immaculatum, propterea quod extra peccatum sit.* Fulgentius de incarnat. c. 6. *In ejus vera humana carne non iniquitas hominis, sed mortalitas fuit.* Nazianzenus in suis Orationibus: *Illius enim voluntas, cum tota deificata sit, Deo proculdubio non adversatur.* Eadem docet Augustinus lib. de nat. & grat. c. 52. lib. 5. cont. Julianum c. 5., & cum ipso Basilius ep. 65., Nyssenus or. 14., & S. Paulinus Panegyr. de obitu Celsi:

Nam neque deleret culpas, nisi liber ab illis,
Nec laxare reos posset & ipse reus.
Nec peccatori mors cederet, utpote victum
Peccati, vinclis legitime retinens.

V. Probatur Rationibus. I. Christus non eguit Redemptore: ergo non peccavit; Antecedens est certum; quia alias fuisset ne-

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

necessarius redemptor Redemptoris; consequentia sequitur; quia Redemptor a peccato redimit. II. Christus fuit optimus Legislator: ergo non peccavit. Optimus quidem Legislator est, qui observat ea, quæ mandat; Si Christus peccasset, non observasset ea, quæ mandaverat: ergo non fuisset optimus Legislator. III. Christus, ad differentiam aliorum Sacerdotum, non habuit necessitatem offerendi pro delictis propriis: ergo non peccavit. Antecedens est doctrina Apostoli; Consequentia bene infertur; quia ideo cæteri Sacerdotes habent necessitatem offerendi pro delictis propriis, quia peccant: ergo si Christus hanc necessitatem non habuit, non peccavit. IV. Christus non descendit ab Adamo per seminalem propagationem: ergo peccatum originale non habuit. Si non habuit originale, neque habuit actuale; quia ubi non est peccati radix, neque est peccatum. V. Christus ab instanti suæ conceptionis habuit gratiam sanctificantem: ergo non habuit peccatum. Consequentia est legitima, quia peccatum, & gratia nequeunt in eadem anima stare simul. VI. Christus habuit plenitudinem gratiæ sanctificantis: ergo non potuit ullum habere peccatum; plenitudo enim gratiæ habitualis excludit omne peccatum, etiam veniale. VII. Christus ab instanti suæ conceptionis fuit beatus: ergo nullum in eo fuit peccatum; incompatibilis enim est beatitudo cum peccato. VIII. Christus fuit destructor peccati: ergo peccatum in se ipso admittere non potuit. Bernardus confirmat hanc rationem ser. 4. de vigilia Nativitatis: *Ecce agnus sine macula, agnus, qui tollit peccata mundi; quis enim peccata melius tolleret, quam is, in quem peccatum non cadit? Iste sine dubio lavare me potest, quem constat inquinatum non esse. Hæc manus opertum luto detergat oculum meum, quæ sola sine pulvere est. Iste mihi festucam educat de oculo, qui non habet trabem in suo. Imo iste trabem eduoat de meo, qui nec exiguum pulverem habet in suo.*

Opponunt I. Psal. 21. in Christi persona David canebat: *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? Longe a salute mea verba delictorum meorum*: ergo Christus habuit delicta sua. II. Psal. 38. *A facie peccatorum meorum*; dicebat etiam David in persona Christi: ergo Christus habuit peccata sua. III. Christus fuit in Adam: ergo contraxit peccatum Adæ. Probatur antecedens. Christus fuit in Davide: ergo fuit in Adamo, quia David fuit in Adamo. Probatur antecedens ex Apostolo ad Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine David*. IV. Christus fuit circumcisus: ergo habuit peccatum Adæ. Probatur consequentia. Circumcisio fuit in remedium peccati originalis: ergo si Christus adhibuit remedium, contraxit morbum. V. Matth. 27. Christus dicebat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Sed hæc verba denotant, fuisse in Christo vel desperationem, vel impatientiam: ergo &c. VI. II. ad Corint. 5. *Qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit*: ergo Christus fecit peccatum.

Respondemus ad I. Quia Christus se fidejussorem pro nobis Patri exhibuerat, ideo peccata nostra appellabat sua. Audiatur Augustinus in hunc Psalmum: *Quorum delictorum, de quo dictum est, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus? Quomodo ergo dicit delictorum meorum? Nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, & delicta sua nostra delicta fecit, ut justitiam suam nostram justitiam faceret.*

Ad II. Cum eodem Augustino dicimus, quod quum nos simus membra Christi, & Christus sit nostrum caput, peccata membrorum capiti attribuuntur. Ait enim lib. 3. de doctrina christiana c. 32. ex regula Tyconii: *Ea, quæ sunt membrorum, tribuuntur capiti ob conjunctionem, quam habent cum illo; considerando caput, & membra per modum unius personæ*. Hoc autem intelligitur, si ea, quæ sunt membrorum, non officiunt conjunctioni eorum cum capite; quia aliter sequeretur, quod peccata, quæ quotidie a fidelibus fiunt, possent tribui Christo, & quod peccaret Christus, quando fideles peccarent, ut dicebat Augustinus de Roma, cujus doctrina in Concilio Basilienſi damnata est ut scandalosa, & erronea.

Ad III. Distinguit Hennus antecedens: Christus fuit in Adam, secundum corpulentam substantiam, concedit; secundum rationem seminalem, negat. Eodem modo distinguit aliam propositionem: Factus est ex semine David formaliter, scilicet per viam seminalis propagationis, negat; materialiter, hoc est, in quantum carnem de carne Virginis sumpsit, quæ ex David per seminalem propagationem descenderat, concedit.

Ad IV. Non assumpsit Christus circumcisio-

Digitized by Google

ſionem, quia illa indigebat, ſed ut vel daret nobis humilitatis exemplum, vel ut in se oſtenderet obedientiam legi. Hoc pariter dici poteſt de baptiſmo; ſed Auguſtinus in Enchiridio c. 49. pro utroque reſpondet: *In qua ergo voluit baptizari a Joanne, non ut ejus iniquitas illa diueretur, ſed ut magna commendaretur humilitas.*

Ad V. Verba illa Chriſti, in cruce morientis, nec deſperationem, nec impatientiam indicant, ſed dolorem ſummum, a quo afflictabatur. Non eſt certe compoſſibilis deſperatio cum beatitudine; Chriſtus autem erat beatus, & ſciebat beatitudinem ſuam. Neque componi poteſt impatientia cum libertate, charitate, & hilaritate, quibus Chriſtus patiebatur. Nec denique per illa verba avertebatur a Deo, quando eodem tempore Deo commendabat ſpiritum ſuum.

Ad VI. Quidam dicunt, nomine peccati intelligi hoſtiam, quæ pro peccato offertur, ſeu victimam; ut Scripturæ etiam aliquando indicant, nominando ſacrificia ſub appellatione peccati; dicitur enim Oſe. 4. *Peccati populi mei comedent*. Sicque Chriſtus nominatur peccatum, quia erat victima pro peccato. Alii docent, æternum Patrem feciſſe Chriſtum peccatum, quia fecit, eum habere ſimilitudinem carnis peccati.

DISSERTATIO CLXXXIII.

De Impeccabilitate Chriſti. An Chriſtus fuerit impeccabilis? Ex quo provenerit ejus impeccabilitas? An in eo fuerit, vel in actu primo, vel in actu ſecundo, fomes peccati?

Sicut nomine peccabilitatis venit potentia ad peccandum, ita nomine impeccabilitatis intelligimus impotentiam peccandi. In præterita Diſſertatione propugnavimus, Chriſtum non peccaſſe; modo remanet videndum, an Chriſtus peccare potuerit de facto, ſeu de lege ordinaria, & an de lege abſoluta potuerit de poſſibili peccare? In utroque conveniunt Catholici, unanimiter aſſerentes, Chriſtum nec de facto peccare potuiſſe, de lege ordinaria, nec de poſſibili potuiſſe de lege abſoluta, contra antiquos hæreticos, Arianos nimirum &c., & contra recentiores Sectarios, de quibus in Diſſertatione præcedenti. Solummodo Theologi de ſchola inter ſe differunt circa rationem, & modum, quibus Chriſtus, etiam ut homo, ſit impeccabilis. Aliqui enim ex illis volunt, impeccabilitatem immediate, & formaliter oriri ex viſione beata, quam Chriſtus ſemper habuit, & ex plenitudine gratiæ, in qua fuit confirmatus; & hi ſunt Scotiſtæ, & Nominales. Alii vero tuentur, impeccabilitatem in Chriſto provenire immediate, & formaliter ex hypoſtatica unione; & hi ſunt Thomiſtæ, & Neuterici. Juxta primos humanitas Chriſti foret peccabilis, ſi ſuſpenſis ſupernaturalibus dotibus gratiæ, & gloriæ, ac impeditis, a divina Perſona aſſumeretur. Secundum poſtremos humanitas Chriſti foret omnino impeccabilis, ſi præciſe haberet gratiam unionis hypoſtaticæ, quanvis non haberet nec donum ſupernaturale gratiæ, nec donum ſupernaturale viſionis beatificæ.

Dicimus I. Chriſtum, etiam ut hominem, de facto, & de lege ordinaria, ac de poſſibili, & de lege abſoluta, peccare non potuiſſe; adeoque fuiſſe omnimode impeccabilem.

I. Probatur ex Scripturis. S. Auguſtinus lib. 2. de peccator. merit. & remiſſ. c. 14. probat, per verba illa Apoſtoli ad Hebr. 1. *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens &c.*, non ſolum probari, Chriſtum Dominum non peccaſſe, ſed nec peccare potuiſſe, ac per conſequens fuiſſe omnino impeccabilem. Oſe. 13. dicitur de Chriſto: *Morſus tuus ero, inferne*; per quæ quidem verba intelligunt Patres, Chriſtum celebrari uti inferorum dominatorem; ſed non poteſt eſſe peccabilis, qui inferorum eſt dominator;

Digitized by Google

nator: ergo &c. Psal. 9. dicitur quoque de Christo: *Quæretur peccatum illius, & non invenietur*; sed hæc verba intelliguntur a Patribus, & Expositoribus, non solum de peccato de facto, sed etiam de peccato de possibili: ergo Christus non habuit peccatum, nec de facto, nec de possibili; adeoque fuit omnimode impeccabilis. I. Joann. 3. *In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli*; sed ad hoc præstandum non solum requirebatur, ut Christus esset sine peccato, sed etiam ut non potuerit esse cum peccato: ergo Christus non potuit esse cum peccato: ergo fuit omnino impeccabilis.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo magnus epist. 23. *Nativitas enim Domini secundum carnem, quanvis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initiata trascendat, sive quod solus ab inviolata Virgine, sine concupiscentia, est conceptus, & natus .... nihil carnis suæ habeat adversum, nec discordiæ desideriorum gignebat compugnantiam voluntatem. Sensus corporei vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine deitatis, & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium generale VI. *Quemadmodum corpus nostrum regitur, & ornatur, atque ordinatur, ab intellectuali & rationali anima nostra: ita in homine Christo tota humana ejus conspersio ab ejusdem Verbi divinitate semper, & in omnibus mota, Deo mobilis fuit.* Concilium generale V. contra Theodorum Mopsvestenum definivit: *Si quis defendit impium Mopsvestenum Theodorum, qui dixit, alium esse Deum Verbum, & alium a passionibus animæ, & desideriis carnis, molestias patientem .... anathema sit.*

IV. Probatur ex Patribus. Tertullianus lib. de carne Christi c. 16. *Defendimus autem non carnem peccati evacuatam esse in Christo; sed peccatum carnis; non materiam, sed naturam, nec substantiam, sed culpam; secundum Apostoli auctoritatem, dicentis: Evacuavit peccatum in carne; & sic in illa peccatum evacuatum, quod in Christo sine peccato habeatur, quæ in homine sine peccato non habetur.* Dionysius Alexand. epist. synodica ad Paulum Samosatenum, his verbis: *Nam nisi Christus idem esset Deus Verbum, non poterit a peccato immunis esse: nullus enim peccati est expers, nisi solus Christus, sicut & Pater Christi, & Spiritus Sanctus.* Sanctus Athanasius lib. de Incarnatione: *Erat impossibile alio modo integritatem, & impeccantiam in humanam recipi naturam, nisi Deus in carne crederetur esse, qui peccati expertem justitiam in mundum evexit.* Hilarius lib. 10. de Trinitate: *Ita homo Christus Jesus, & in veritate nativitatis est, dum homo est; & non in proprietate peccati, dum Christus est, nec in vitiosa infirmitate hominis, quia Christus est.* Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 13., qui de Christo loquens, ait: *In cujus non tantum divinitate, sed neque in anima, neque in carne nullum potuit esse peccatum:* Sanctus Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum cap. 38.: *Propterea Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate divinitas accepit, quæ naturaliter peccare non potuit. Homo ergo Christus quoniam non habuit propria, portare dignatus est aliena.* Cyrillus Alexandrinus lib. cont. Anthropomorphitas: *Stolidi, ac dementes prorsus, qui ipsum etiam Christum, nescio quo pacto, peccare posse affirmant.* Rupertus Abbas lib. de voluntate Dei c. 10. *Humanitas Christi .... facta est .... creatura talis, quæ peccare non solummodo nollet, verum etiam non posset.*

V. Probatur Rationibus. I. Christus non assumpsit carnem vitiosam, sed sanctam: ergo peccare non potuit. Probatur antecedens. Assumpsit carnem non hominis opera, sed Spiritus Sancti: ergo non assumpsit carnem vitiosam, sed sanctam. II. Christus conceptus est sanctus, conceptus in gratia, conceptus in charitate: ergo fuit impeccabilis. Probatur antecedens. Luc. 1. *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Est ratio S. Thomæ 3. p. q. 15. ar. 1. in corp. III. Si Christus peccare potuisset ut homo, peccare etiam potuisset ut Verbum; sed nullo modo potuit peccare ut Verbum: ergo neque ut homo. Probatur major. Omnia, quæ de natura prædicantur, tanquam de principio *quo*, prædicantur etiam de supposito, tanquam de principio *quod*: unde veræ sunt propositiones istæ: Deus est passus; Deus est mortuus; quia passio, & mors, tribuuntur naturæ, cui Verbum est unitum, tanquam principio *quo*; sed Suppositum est Verbum: ergo etiam Verbo tribueretur peccatum. IV. Implicat, eandem Personam, secundum eandem rationem, esse victricem, & victam; sed si Christus esset peccabilis, esset victor, & victus: ergo &c. Probatur minor. Esset victor, quia destrueret peccatum in aliis, esset vi-

Digitized by Google

victus, quia in se ipso vinceretur a peccato. V. Christus in omnibus actibus, & motibus ejus, a Spiritu Sancto movebatur: ergo peccare non poterat. Antecedens probatur ex illo Isai. 11. ab Ecclesia ad Christum applicato: *Requiesset super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus scientiæ, & pietatis &c.* VI. Christus caruit omni fomite ad peccandum: ergo fuit omnimode impeccabilis. Antecedens modo probabitur in ultima hujus Dissertationis conclusione. Consequentia bene infertur; quia ex fomite ad peccandum, seu, quod idem est, ex concupiscentia ad peccandum, omnia profluunt peccata.

Arguunt I. In Christo fuit potentia ad peccandum: ergo potuit peccare. Probatur antecedens. In Christo fuit liberum arbitrium: ergo fuit potentia ad peccandum. II. Per unionem cum Verbo non est mutata in operationibus suis humana natura: ergo fuit etiam defectibilis in Christo, ut est in aliis: ergo fuit pariter in Christo peccabilis, ut est in cæteris hominibus. III. Mors non repugnat Deo, prout subsistit in humana natura: ergo neque repugnat Deo, prout subsistit in humana natura, peccatum. Probatur consequentia. Æque est Deus vivens per essentiam, ac sanctus per essentiam; sed non obstante, quod sit vivens per essentiam, & mors ei repugnat, prout tamen in humana natura subsistit, ei non repugnat: ergo pariter non obstante, quod sit sanctus per essentiam, & peccatum ei repugnet, prout nihilominus in humana natura subsistit, neque peccatum ei repugnabit. IV. Qui tentatur, peccare potest; sed Christus fuit tentatus: ergo peccare potuit. Minor constat Matth. 4. *Ductus est Jesus in desertum, ut tentaretur a Diabolo.* V. Christus potuit non obedire præcepto Patris: ergo potuit peccare. Probatur antecedens. Potuit Christus non mori: ergo potuit non obedire præcepto Patris sibi mortem mandantis. Antecedens probatur ex illo Isai. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* VI. Nil obstat beatitudo Christi, quin ipse habuerit potentiam ad peccandum: ergo quamvis beatus, potuit peccare. Probatur antecedens. Non tollitur per beatitudinem in natura, quæ habet ex suis intrinsecis potentiam ad peccandum, potentia hæc: ergo &c. Antecedens probatur. Beati in cœlo ideo non peccant, quia Deus sua extrinseca manutenentia illos conservat, ne peccent: ergo possunt peccare: ergo non tollitur per beatitudinem potentia ad peccandum. VII. Christus meruit: ergo potuit demereri: ergo potuit peccare. Probantur consequentiæ; & quidem prima, quia eadem libertas requiritur ad merendum, & ad demerendum; secunda etiam, quia ubi est demeritum, ibi est peccatum. VIII. Christus habuit passiones humanas: ergo habuit potentiam ad peccandum. Probatur consequentia; quia ex passionibus infertur peccabilitas.

Respondemus ad I. distinguendo antecedens; in Christo fuit potentia ad peccandum, & fuit impedita, conceditur; & non fuit impedita, negatur major. Quanvis enim in Christo Domino fuerit potentia, seu facultas naturalis, qua peccatur, illa tamen impediebatur, ne in actum exiret; & per unionem hypostaticam, quam humanitas cum Verbo habebat; & per visionem beatificam, qua anima Christi fruebatur.

Ad II. distinguitur pariter antecedens; per unionem cum Verbo non est mutata in operationibus suis humana natura, physice, conceditur; moraliter, negatur antecedens. Mutatio autem hæc moralis in hoc consistit, quod Persona Verbi, quæ dirigebat humanam naturam in omnibus, effecerit, ut voluntas humana, nisi servato ordine finis, nihil operaretur, ac per consequens nihil peccaverit, & nec peccare potuerit.

Ad III. Hæc est differentia inter mortem, & peccatum; quia mors est malum pœnæ, cujus Deus potest esse auctor; & proinde per idiomatum communicationem potest ipsi tribui, prout in creata natura subsistit. At neque directe, neque indirecte potest Deus esse auctor peccati, quia peccatum est essentialiter contra Deum: unde magis repugnat sanctitati per essentiam peccatum, quam vitæ per essentiam, quæ in aliena natura subsistat, ipsa mors.

Ad IV. dicimus, Christum tentatum fuisse extrinsece, & mere objective, non vero intrinsece; tentatio autem extrinseca, & mere objectiva, non arguit potentiam ad peccandum. Ita S. Gregorius hom. 16. in Evangelia: *Tentari ergo per suggestionem potuit; sed ejus mentem peccati delectatio non momordit: atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus, fuit.* Hoc totum quidem Apostolus ad Hebr. 4. confirmat, & explicat, de Christo di-

Digitized by Google

dicens: *Tentatus per omnia absque peccato*.

Ad V. Negatur antecedens; & ad ejus probationem distinguitur antecedens; potuit Christus non mori, privative, conceditur; non mori negative, negatur. Si consideretur, ait Jueninus, non mors negative, est non mors sine præcepto; si consideretur privative, est non mors cum præcepto. Christus velle potuit non mortem primo modo, hoc est negative, & sine præcepto; non potuit autem velle non mortem secundo modo, scilicet privative, & cum præcepto. Et hoc ad libertatem sufficit; quia ad libertatem non requiritur indifferentia specificationis moralis, sed physicæ tantum; vel quod idem est, non requiritur ut voluntas possit eligere objectum honestum, ut honestum est, aut non eligere; sed satis est, ut possit eligere, aut non eligere, objectum sumptum physice. Hæc Jueninus; sed nos latius loquemur in Dissertatione de libertate Dei.

Ad VI. Concedimus, beatitudinem non abstulisse physice potentiam peccandi, dicimus tamen, quod illam impedivit, & quasi ligavit; & quemadmodum homo, si est ligatus, non habet potentiam ad currendum simpliciter, ita nec Christus de facto habuit potentiam ad peccandum. Sic respondet Hennus, qui fatetur quoque, ob hoc Patres, & Theologos, ab hac voce abstinuisse. Et quanvis beatitudo præcise sumpta secundum essentiam non involvat extrinsecam Dei manutenentiam, quæ facit, ut Beati non peccent; involvit tamen illam prout status est, quia prout status est, involvit perpetuitatem, quæ a speciali Dei protectione dependet; quæ quidem protectio prævenit Beatorum voluntatem, & facit, ut nunquam prorumpant in actum peccandi, ne desistant ab actu fruendi.

Ad VII. Falsum est, quod eadem libertas requiratur ad merendum, ac ad demerendum. Cæterum differentiam hanc, & argumenti solutionem, remittimus ad specialem Dissertationem, in qua de merito Christi erit agendum infra.

Ad VIII. distinguitur antecedens: Christus habuit passiones humanas, quæ sunt de se indifferentes, & quæ possunt inservire bono, ex dirigentis intentione, conceditur; & hujusmodi sunt, ut diximus, timor, mæstitia, ira, amor &c. Habuit passiones humanas, quæ sunt corruptoriæ, ex peccato profluentes, qualis est concupiscentia, negatur. Et priores illæ sunt, quæ, ut supra innuimus, a S. Hieronymo, S. Thoma, & ab aliis Theologis, vocantur propassiones; quatenus scilicet, vere, & proprie loquendo non sint passiones; posteriores vero absolute passiones dicuntur.

Dicimus II. Humanitatem Christi habere etiam de potentia absoluta impeccabilitatem immediate, & formaliter ex unione hypostatica.

I. Probatur ex Scripturis. Luc. 1. *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*; quibus verbis ostenditur, Christum esse sanctum, & impeccabilem, quia est Filius Dei; sed Filius Dei est ex unione hypostatica: ergo sanctus, & impeccabilis est ex unione pariter hypostatica.

II. Probatur ex Patribus. Dionysius Alexandrinus in epist. synodic. ad Paulum Samosatenum: *Nisi Christus idem esset Deus Verbum, non poterat a peccato immunis esse*. Athanasius lib. de incarnat. Verbi: *Impossibile erat alio modo integritatem, & impeccantiam in humanam recipi naturam, nisi Deus in carne crederetur esse*. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. comment. in Joann. explicans illa verba. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et quærens causam, quare Christus non potuerit peccare, hanc reddit rationem: *Quod prorsus fieri nequeat, ut in peccatum incidat, qui ex Deo prodiit Deus verus*. Hilarius lib. 10. de Trinit.: *Nec est in vitiosa hominis infirmitate, quia Christus est*; Christus autem non aliunde est, quam per hypostaticam unionem. Augustinus lib. de corrept. & grat. c. 11. *Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in unitatem personæ a Verbo Deo natura humana susceptа, per liberum voluntatis peccare arbitrium, cum ista susceptio talis esset, ut natura hominis a Deo ita susceptа, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret*.

III. Probatur Rationibus. I. Christi humanitas immediate, & formaliter ex hypostatica unione habet sanctitatem talem, per quam in genere sanctitatis creatæ nihil possit esse sanctius: ergo ex eadem unione habet etiam de potentia absoluta impeccabilitatem. Probatur consequentia. Si essentialem Christi sanctitatem non sequeretur impeccabilitas, sequeretur, quod sanctitate humanitatis Christi posset dari aliquod sanctius, nimirum illud, quod esset impeccabile; sed ex dictis hoc dari repugnat: ergo ad sanctitatem humanitatis Christi sequitur impeccabi-

Digitized by Google

litas. II. Verbum Divinum hoc sibi debet, ut unionis ratione regat omnes actus humanitatis Christi; sed impossibile est, ut Verbum Divinum regat omnes actus humanitatis Christi, & Christus sit etiam per potentiam absolutam peccabilis: ergo vere ex unione hypostatica provenit, quod humanitas Christi sit impeccabilis. Probatur minor. Defectio causæ inferioris refunditur in superiorem, quoties causa superior hoc sibi debet, ut ratione conjunctionis inferiorem regat, & omnibus actibus ejus præsideat. III. Patres communiter docent, naturam humanam factam esse impeccabilem, quia facta est natura propria Dei, quod sit quodammodo deificata, quod participaverit deificam virtutem Verbi; sed ex unione hypostatica provenit, quod facta sit natura propria Dei, quod sit quodammodo deificata, quod participaverit deificam virtutem Verbi: ergo ex eadem unione provenit, quod facta sit impeccabilis. IV. Patres, & Concilium quoque generale VI. act. 8. asserentes impeccabilitatem humanitatis Christi, nullam mentionem faciunt confirmationis in gratia, nec beatæ visionis, sed tantum loquuntur de unione, & conjunctione humanitatis cum Verbo: ergo hæc sola unio, secundum se præcise, ac substantialiter accepta, sive de potentia Dei ordinaria, sive de absoluta, quum sit semper ejusdem rationis, est sola immediata, & formalis causa impeccabilitatis Christi; adeoque Adversarii dicere nullo modo possunt, Patres, & Concilia, vel intelligi debere de potentia ordinaria, non absoluta; vel explicari posse de impeccabilitate immediate consequente confirmationem in gratia, & visionem beatam.

IV. Probatur ex censuris, quibus Theologi de schola contrariam opinionem afficiunt. Si quidem Capreolus dixit, contra illam non esse agendum argumentis, sed flammis. Medina eam vocat errori propinquam, & a scholis explodendam. Suarez asserit, defendi non posse sine temeritate, & quod magis est, sine quadam impietatis specie. Vasquez, esse aliqua nota dignam, pronuntiat. Certe ex Scotistis eam non omnes propugnant; quia Aretinus impugnat; Hennus fatetur, Patres stare magis pro nostra, quam pro sua; & ipse problematice se gerit. Censuras autem nos attulimus, at illis non adhæremus.

Objiciunt I. Si Christi humanitas fuisset impeccabilis ratione unionis hypostaticæ, vel hoc habuisset a Verbo, ut persona est, vel a Divinitate Verbi, ut natura est; sed a neutro habet: ergo ratione unionis non habet. Probatur minor. A Verbo, ut persona est, non potest provenire effectus absolutus, sed relativus; sed sanctificatio humanitatis est effectus absolutus: ergo non potest provenire a Verbo, ut persona est. Neque a natura divina, quia hæc est eadem in Verbo, ac Patre, & Spiritu Sancto, & sanctificatio humanitatis quum sit opus ad extra, a tota Trinitate provenit: ergo non provenit præcise ex unione cum Verbo. II. Christi humanitas est peccabilis entitative; sed per unionem cum Verbo non mutatur ejus humanitas: ergo etiam post unionem remanet peccabilis. III. Qui habet gratiam habitualem potest peccare: ergo pariter potest peccare qui habet gratiam unionis hypostaticæ: ergo Christus fuit etiam per potentiam ordinariam peccabilis. IV. Potest Deus in Christo de potentia absoluta destruere unionem hypostaticam: ergo de potentia absoluta humanitas Christi esset peccabilis. Probatur consequentia. Ideo per nos est impeccabilis, quia habet unionem hypostaticam; sed de potentia absoluta potest Deus destruere unionem hypostaticam: ergo de potentia absoluta potest destruere impeccabilitatem Christi, & facere, ut Christus sit peccabilis. V. Humanitas Christi præcedit natura hypostaticam unionem: ergo saltem pro illo naturæ instanti, quo unionem præcedit, fuit peccabilis; atque insuper pro illis naturæ instantibus, quibus modo humanitatis conservatio natura præcedit unionis hypostaticæ conservationem, humanitas Christi est peccabilis.

Respondemus ad I. Verbum, ut Verbum est, non reddere humanam naturam impeccabilem per modum causæ efficientis, sed per modum causæ formalis, quæ exigat, ut Deus per suam omnipotentiam faciat, ne humanitas peccare possit. Et ratio est, quia quæ ab una persona fiunt per modum causæ efficientis, fiunt etiam a cæteris personis; unde tres personæ quum contulerint auxilia, quibus humanitas fuit in Christo impeccabilis, tres etiam personæ fuerunt causa efficiens Christi impeccabilitatis. Attamen Verbum, ut Persona, seu ut Verbum, unionis ratione causa fuit, quæ exegit,

ut

Digitized by Google

ut aliæ personæ impeccabilitatem humanitati tribuerent; unde sequitur evidenter, impeccabilitatem in Christo, tanquam a radice, ab hypostatica cum Verbo unione proveniſſe.

Ad II. Distinguimus minorem; per unionem non mutatur humanitas, seu entitas humanitatis, secundum sua essentialia, & intrinseca, conceditur; non impeditur physice, quominus possit in peccaminosum actum evenire, negatur. Afferunt similitudinem, qua dicunt, quod sicut qui habet visum impeditum per albuginem in pupilla, dicitur physice impotens ad videndum, licet entitative retineat potentiam visivam: ita Christi humanitas, quanvis habeat entitative potentiam ad peccandum, dicitur tamen physice impeccabilis, quia unitur suppositio impeccabili, sine quo non potest in actum exire; ut his etiam verbis explicat Hennus.

Ad III. Negatur paritas, & disparitas est, quia cum gratia habitualis stat suppositum proprium in natura, quod est peccabile, unde remanet etiam ipsa natura peccabilis; at cum hypostatica unione datur naturæ suppositum divinum, quod est impeccabile; adeoque reddit ipsam naturam etiam impeccabilem.

Ad IV. Dicitur, quod in illo casu, in quo Deus per potentiam absolutam destrueret unionem hypostaticam, essemus extra casum, quia tunc humanitas illa non esset natura hominis-Dei, non esset natura Christi, sed esset natura solius, & puri hominis. Nos autem loquimur de humanitate Christi, hoc est de humanitate a Verbo assumpta, quæ quidem in illa hypothesi non esset talis; adeoque illa hypothesi admissa essemus extra casum. Sicut si quis diceret, si Deus destrueret albedinem in pariete, an paries disgregaret visum? Non disgregaret, quia paries albus disgregat visum, & paries, qui remanet, non est albus; si Deus destrueret lucem in aere lucido, an illuminaret aulam? Non illuminaret, quia aer lucidus illuminat, & aer, qui restat, non est lucidus; & alia his similia.

Ad V. Dicimus, quod potentia proxima peccandi non potest existere in humanitate præcise pro aliquo naturæ instanti; sed si pro instanti naturæ existit, consequens est, quod existat pro instanti temporis. Unde humanitas Christi nequit habere potentiam proximam peccandi pro priori naturæ ad unionem hypostaticam, quin eam habeat pro instanti temporis, quo existit ipsa unio hypostatica; adeoque quin illam habeat simultate temporis, & illative simul cum unione hypostatica. Quapropter si hoc secundum repugnat, repugnat & illud primum, ex quo secundum necessario sequitur. Hæc sunt formalia verba, quibus Cacheranus ad propositum argumentum respondet. At nos cohærenter ad præcedentem responsionem possumus etiam dicere, quod pro illo signo non esset humanitas Christi, quia non esset cum unione humanitatis, & Verbi, in qua consistit Christus.

Pro ultima tandem Dissertationis parte, in qua quæritur, an in Christo fuerit, vel in actu primo, vel in actu secundo, fomes peccati, scire oportet, fomitem peccati, qui etiam dicitur concupiscentia, in actu primo nil esse aliud, quam appetitum sensitivum expeditum, & propensum, ut exeat in actum circa objectum turpe, & contrarium rationi; in actu autem secundo esse actum, seu actualem motum illius appetitus, qui tendat in objectum turpe, & illicitum, & qui rationem præveniat, & ad peccatum alliciat. Et his patet, quod appetitus sensitivus universalior est, & plus extenditur, quam fomes in actu primo; quia appetitus sensitivus fertur in omnia objecta sensibilia, sive sint illicita, turpia, & rationi contraria, sive sint licita, & indifferentia; fomes autem tantum fertur in objecta sensibilia, turpia, & rationi opposita.

Dicimus III. Christum caruisse peccati fomite, & in actu secundo, & in actu primo. Conclusio inter Catholicos nullos habet adversarios.

I. Probatur prima pars ex Conciliis. Concilium generale V. act. 8. c. 12. damnat Theodorum Mopsvestenum, qui dicebat, Christum fuisse agitatum carnis illecebris, ac appetitus sensitivi rebellione; & in canone definit; *in Christo fuisse tantum passiones irreprehensibiles, & innoxias.* Idem habetur in Concilio generali VI. act. 11. Ex his plures asserunt, sententiam hanc adeo certam esse, ut contrariam pronuntient hæreticam.

II. Probatur ex Pontificibus Romanis, & Patribus. Leo magnus, ep. 11. *Nihil enim carnis suæ habebat adversarium, nec tentabatur illecebris.* Cyrillus ep. 1. ad Successum: *Necessarium fuit, ut pro nostra*

Digitized by Google

stra salute carnem, voluptatum illecebris ægrotantem, propriam faceret, & compesceret justos motus, eos videlicet, qui nos ad vitia, voluptatesque præcipitabant. Augustinus lib. 4. oper. imperfect. n. 47. *Quisquis credit carnem Christi contra spiritum concupisse, anathema sit.* Hieronymus comm. in c. 26. Matth., exponens verba illa de Christo a Matthæo dicta: *Cæpit contristari, & mæstus esse*; hæc habet: *Ut veritatem probaret assumpti hominis, vere quidem contristatum esse; sed ne passio in illius animo dominaretur, per propassionem cæpisse contristari. Aliud enim est contristari, aliud incipere contristari.* Iterum Leo magnus ep. 23. *Nativitas enim Domini secundum carnem, quanvis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initiata trascendat, sive quod solus ab inviolata Virgine, sine concupiscentia est conceptus, & natus . . . Nihil carnis suæ habebat adversum, nec discordiæ desideriorum gignebat compugnantiam voluntatem. Sensus corporei vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine deitatis, & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis.*

III. Probatur Rationibus. I. Motus illi concupiscentiæ, quanvis non sint peccata, sunt nihilominus ex peccato, & inclinant ad peccatum; ut docet Tridentinum sess. 5. c. 2. ergo non debent poni in illo, qui est omnimode impeccabilis; sed talis est Christus, ut probatum est: ergo &c. II. Motus hujusmodi non fuerunt in Adamo in statu innocentiæ, ut communiter docent Theologi: ergo nec pariter dicendum est, fuisse in Christo. III. Motus illi nullam habuissent in Christo utilitatem, ut satis clarum est: ergo non fuerunt in Christo.

IV. Probatur secunda pars. In Concilio generali VI. act. 11. definitum est, in Christo fuisse tantum passiones irreprehensibiles, innoxias, & innocuas; sed fomes in actu primo, non est passio irreprehensibilis, innoxia, & innocua: ergo non fuit in Christo. Probatur minor. Passio, quæ est ex peccato, & inclinat ad peccatum, non est irreprehensibilis, innoxia, & innocua; sed fomes peccati est ex peccato, & inclinat ad peccatum: ergo &c.

V. Fomes in actu secundo ideo in Christo non admittitur, quia dedecent Christum motus inordinati: ergo etiam dedecet ipsum principium proxime expeditum, ut in motus illos exeat; sed sic est fomes in actu primo: ergo etiam in actu primo fomes dedecet Christum.

Opponunt I. Fomes peccati est defectus toti naturæ humanæ communis; sed nos diximus, Christum assumpsisse defectus, qui sunt toti naturæ humanæ communes: ergo assumpsit etiam fomitem peccati. II. Potuerunt illi motus esse in Christo ad utilitatem: ergo potuit esse in Christo fomes peccati. Probatur antecedens. Potuerunt esse ad exercitium patientiæ: ergo ad utilitatem. III. Christus habuit motum desperationis, quando dixit ad Patrem: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Matth. 27., habuit motum impatientiæ, quando dixit Judæ Joann. 13. *Quod facis, fac citius*; habuit motum tristitiæ, quando tristatus est de morte subeunda: ergo motus illi fuerunt in Christo. IV. Christus habuit appetitum sensitivum; sed fomes peccati in actu primo non distinguitur ab appetitu sensitivo: ergo &c. V. In Christo fuit dispositio proxima ad peccandum: ergo fuit fomes in actu primo. Probatur antecedens. Dispositio illa tollitur per justitiam originalem; sed in Christo non fuit justitia originalis: ergo fuit dispositio illa. VI. Non excitat, nec provocat ad peccatum fomes in actu primo: ergo non dedecebat Christum. Probatur antecedens. Fomes in actu primo est tantum inclinatio potentiæ in objectum suum: ergo non excitat, nec provocat ad peccatum.

Respondemus ad I. distinguendo minorem: Christus assumpsit defectus toti naturæ communes, & qui non involvunt indecentiam, & qui sunt irreprehensibiles, innoxii, & innocui, conceditur; & qui involvunt indecentiam, & non sunt irreprehensibiles, innoxii, & innocui, negatur minor, & consequentia.

Ad II. negatur antecedens, & ad ejus probationem negatur iterum antecedens. Et ratio est, quia Christus non crevit in justitia, & sanctitate per actus, & ideo non debuit sustinere agonem ad virtutis exercitium. Quod autem Christus non creverit, ut dictum est, patet, quia primo suæ conceptionis instanti omnimodam habuit justitiam, & sanctitatem.

Ad III. negatur, quod Christus habuerit motum desperationis, sed per illa verba ostenditur, habuisse maximum dolorem, ut dictum est alibi: unde explicant Christum voluisse dicere per illa verba: *Quare in tanto corporis cruciatu dereliqui-*

sti

Digitized by Google

sti me? Verba autem illa, quæ dixit Judæ, non sunt nec præcipientis, nec consulentis, sed exprobrantis ex una parte, & ex altera, nostræ redemptionis opus anhelantis. Tristitia autem præveniens rationem non fuit in Christo, sed illa, quæ orta est ex prævisione rationis, & ex voluntatis imperio; hæc autem non est fomes, nec fomitis, aut rebellionis, rationem habet. Unde concludendum est cum Cyrillo lib. 10. thesauri, *in Christo fuisse motas passiones appetitus, non ut illum superarent, sed ut vincerentur*; quod idem est, ac dicere, passiones in Christo fuisse motas ipso volente.

Ad IV. negatur minor; ratio est, quia fomes, etsi includat appetitum sensitivum, ultra autem illum dicit etiam dispositionem proximam ad actum rationi contrarium.

Ad V. dicitur, quod dispositio illa proxima ad actum rationi contrarium non impeditur per justitiam originalem tantum, sed per illam, & per aliquid illi æquivalens; hoc est per unionem hypostaticam, dicimus nos cum Thomistis; per specialem manutenentiam, qua Beati redduntur impeccabiles, dicunt Scotistæ. Hinc pro certo habendum est, fomitem oriri ex peccato, sed non hoc sensu, quod peccatum posuerit illum physice in homine; sed hoc sensu, quod peccatum removerit justitiam originalem, quæ ex natura sua fomitem prohibebat, & extinguebat.

Ad VI. Fomes non excitat ad peccatum proxime, seu per actum, sed excitat remote, seu per modum propensionis, & ponderis; & hoc quidem Christum dedecet. Unde tam fomes intellectus, & voluntatis, quam fomes appetitus sensitivi, non fuerunt in Christo, nec in actu primo, nec in actu secundo; quia eadem est ratio. Fomes intellectus in actu primo est pronitas, seu propensio expedita ad errorem, & deceptionem; voluntatis, ad motus injustitiæ, odii, superbiæ, &c. In actu autem secundo, sunt actus, vel motus pravi, sed indeliberati, circa objecta, quæ sunt rationi contraria; ut explicat Hennus.

DISSERTAT. CLXXXIV.

De Sanctitate Christi: An fuerit in Christo Sanctitas? Quotuplex? Et qualis? Et an Humanitas Christi fuerit sanctificata formaliter, vel radicaliter? Et an a Verbo, an vero a Divinitate?

Præmittimus primo, Sanctificationis, de qua loquimur, duplicem esse effectum, negativum scilicet, & positivum; per primum excluditur peccatum, quod est sanctitatis oppositum; & de hoc loquuti fuimus, quum de Christi impeccabilitate differeremus: per secundum vero importatur, esse amicum, esse gratum Deo, divinitatis habere consortium, jus ad gloriam possidere, & esse dispositum ad actus, qui sint studiosi, salutares, ac supernaturales. Nec de hac utcunque loquimur, quatenus scilicet est quædam minus perfecta sanctitas, creaturis etiam non intellectualibus, & non animatis, communis, quæ consistit in quadam dignitate, quæ exigat specialem venerationem, honorem, & cultum; cujusmodi est illa, quæ provenit ex extrinseca designatione ad inserviendum operibus, & ministeriis sacris, & ex quacunque unione physica ad aliquid, quod sit sanctum. Tantummodo igitur loquimur de sanctitate substantiali, & increata Verbi divini, quæ reddat humanitatem Christi sanctam sanctitate positiva, perfecta, & propria intellectualis naturæ; vel de hac sanctitate naturæ humanæ Christi, a Verbo divino habitæ.

Præmittimus secundo, quod quando loquimur de sanctitate Christi, vel humanitatis Christi, Christus non sumitur ut Deus, neque intelligitur ut subjectum communicationis idiomatum. Nam nemo potest ambigere, Christum ut Deum esse sanctum, & sanctitate quidem substan-

Digitized by Google

stantiali, & increata; & sic esse per identitatem, seu per essentiam. Nemo pariter dubitat, quod ratione sanctitatis in Christo detur communicatio idiomatum, sicut datur ratione divinitatis, infinitatis, omnipotentiæ, &c. Unde sicut dicimus, Christus est Deus, est infinitus, est omnipotens, ita possimus quoque affirmare, Christus est sanctus. Sensus ergo est de humanitate Christi; an scilicet in Christo ex vi unionis hypostaticæ acquirat aliquam sanctificationem, ratione cujus, etiam præcisa idiomatum communicatione, recte dicatur sancta, sanctitate substantiali, & increata?

Præmittimus tertio, Christum esse sanctum, seu humanitatem Christi esse sanctam, sanctitate, quam pro re præsenti explicavimus, esse commune inter Catholicos; & solummodo a nobis dissentire Hæreticos illos, quos contra Christi impeccabilitatem temere sentientes, suo loco retulimus. Solummodo inter Scholasticos disceptatur, an sanctitas substantialis, & increata reddat humanitatem sanctam formaliter, nec ne? Formaliter volunt accipi, & prout distinguitur a radicaliter, & prout distinguitur a materialiter. Primo modo idem est ac sumi immediate, proprie, & in actu secundo; secundo modo idem ac accipi prout non est omne id, quod munus formalis causæ non exereet. Secundum primum modum intelligitur quæsitum, an humanitas Christi fuerit sanctificata formaliter, vel radicaliter? secundum alterum modum intelligitur aliud quæsitum, an sanctificatio humanitatis in Christo habeatur a Verbo, an vero a natura divina?

Præmittimus quarto, Medinam, Suarez, Vasquez, Joannem a S. Thoma, Gonetum, Amicum, Lugum, Arriagam, Esparzam, Madernum, & fere omnes Thomistas, & ex Scotistis etiam Pontium, Vulpes, & quasi Recentiores omnes, docere, humanitatem in Christo sanctificari formaliter, & immediate sanctitate substantiali increata, non vero solum radicaliter, & media sanctitate accidentali, seu gratia habituali, consequente, vel comitante sanctitatem substantialem, & gratiam unionis. Est contra illos, qui aserunt, perfectam sanctificationem formalem naturæ creatæ haberi posse per solam gratiam habitualem. Secundum hanc sententiam putavit Durandus cum paucis, humanitatem, quam Deus asumeret absque in fusione gratiæ habitualis, etiam post asumptionem, in puris naturalibus permansuram: Putarunt alii, gratiam habitualem esse necessario conjunctam cum gratia unionis, ne Deus posit naturæ non sanctæ hypostatice uniri: Dixerunt quidam, inter quos Marsilius, & Paludanus, gratiam habitualem fuisse simpliciter necessariam animæ Christi pro formali ejus sanctificatione: Docuerunt alii, ut S. Bonaventura, & Alensis, gratiam habitualem esse dispositionem reddentem animam idoneam, ut possit asumi. Hæc omnia refert Cacheranus, qui nostram sententiam defendens, præfatos Theologos sibi Adversarios declarat. Hurtadus autem aseruit, sententiam, quam propugnabimus, fuisse adeo communem inter antiquos Scholasticos, ut habeatur ex Scripturis, ex Patribus, & esse de fide. At revera non potest talis dici, quum Adversarios habeat multos, præsertim antiquos, & ex Recentioribus etiam non paucos. Pro ultima tandem Dissertationis parte, docent aliqui, sanctificationem formalem substantialem humanitatis Christi haberi ab unione, etiam quod hæc realiter sit distincta; ita Amicus, & pauci quidam: Quamplures aserunt haberi potissimum a subsistentia Verbi, tanquam a forma terminante; sic Valentia, Lugus, Arriaga, Joannes a S. Thoma, Cacheranus, & alii: Multi quoque volunt, haberi a natura divina; ita Vasquez, Jueninus, &c. Hi enim ultimi docent, humanitatem Christi sanctificari a persona Verbi, non ut est persona; quia persona sumpta reduplicative ut est persona, non habet alium effectum, quam relativum; scilicet terminare naturam, & facere, ut illa juris sit alieni.

Dicimus I. In Christo fuisse veram Sanctitatem.

I. Probatur ex Scripturis. Daniel. 9. dicitur Christus; *Sanctus Sanctorum.* Isai. 45. *Nubes pluant Justum, & terra germinet Salvatorem.* Lucæ I. *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Marci I. *Scio quis sis, Sanctus Dei.* Matth. I. *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Ad quæ verba Hieronymus in eundem locum scribebat: *Non verba de Scripturis Evangelium sumpsit, sed sensum: Nazaræus quippe Sanctus interpretatur: Sanctum autem Dominum futurum, omnis Scriptura commemorat.* I. ad Cor. 1. *Factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctifi-*

Digitized by Google

sificatio, & redemptio. Joann. 17. *Et pro eis ego sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Quæ verba Athanasius or. 2. in Arianos exponit ita: *Hæc verba usurpans satis indicavit, se non eum esse, qui sanctificatur, sed qui sanctificat; non enim ab alio sanctificatur, sed ipse seipsum sanctificat, ut nos in veritate sanctificemur.*

II. Probatur ex Patribus. Nazianzenus orat. 42. *Perfectus non modo propter divinitatem, quæ nihil perfectius, sed etiam propter humanitatem unctam Deitate.* Augustinus lib. de prædestinat. Sanctorum c. 15. *Hoc se Deus esse facturum profecto præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio Sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maxime claruit; quam negare quis potest intelligentium eloquia veritatis?* Irenæus lib. 3. c. 20. loquens de unctione Christi, cujus nomine venit sanctitas ipsius, hæc scribit: *In Christi nomine subauditur qui unxit, & ipse, qui unctus est, & ipsa unctio, in qua unctus est. Et unxit quidem Pater, unctus est vero Filius in Spiritu, qui est unctio. Quemadmodum per Isaiam ait sermo, Spiritus Domini super me, propter quod unxit me: significans & ungentem Patrem, & unctum Filium, & unctionem, qui est Spiritus.* Concinit Ambrosius lib 1. de Spiritu Sancto, docens, Christi nomine indicari, *Deum Patrem, a quo unctus est Filius, & ipsum qui unctus est Filium, & Spiritum, quo unctus est.* Chrysostomus in Psal. 44. *Christus nunquam unctus est oleo, sed Spiritu Sancto. Et ideo adjecit, præ consortibus tuis; hoc ipsum significans, neminem ita unctum fuisse, ut ipse. Multi enim fuerunt ante ipsum Christi, idest uncti, sed nemo sic. Sicut enim agni multi, sed ipse eximius, sic & multi Filii, sed ipse unigenitus.* Cyrillus lib. 4. in Joann. c. 29. *Christum unctum esse, non sicut alios Sanctos, ac Reges, sed quia Verbum caro factum est.* Bernardus ser. 22. in Cantic. *At vero justitiæ tuæ tanta fragantia spargitur, ut non solum Justus, sed etiam ipsa dicaris justitia, & justitia justificans.*

III. Probatur Rationibus. I. Nomine sanctitatis intelligitur intima conjunctio cum Deo; sed nulla major cum Deo conjunctio illa humanæ naturæ Christi cum divina in unius personæ unitate: ergo vera fuit in Christo sanctitas. II. Divinitas humanitati unita tribuit illi quod est majus, & amplius donum; sed hoc est sanctitatis donum: ergo hoc ipsum donum tribuit Divinitas humanitati Christi. Minor patet, quia per hoc donum humanitas redditur Deo gratior, & acceptior; unde est etiam majus, & amplius donum; quod in majori propositione continetur. III. Sanctitas importat jus ad vitam æternam; sed Christi humanitas præ omnibus habuit hoc jus: ergo præ omnibus fuit vere sancta. Major non negatur; quia sicut quis dicitur sanctus per gratiam habitualem per hoc quod est Deo gratus; ita per hoc quod est Deo gratus habet jus ad vitam æternam: ergo etiam per hoc quod habet jus ad vitam æternam dicitur sanctus. IV. Christus constituitur per aliquod divinum: ergo per aliquod sanctum. Antecedens est de fide; consequentia probatur. Omne divinum est sanctum; & ratio est, quia divina sanctitas non remanet tantum in divina essentia, sed etiam effluit in omne, quod Deo unitur; unde sicut illud divinum efficitur, ita fit quoque vere sanctum.

Dicimus II. In Christo fuisse sanctitatem substantialem, & accidentalem, & utranque fuisse in genere suo summam, atque perfectam.

I. Probatur prima Conclusionis pars I. Sanctitas humanitatis Christi provenit ex hypostatica unione; sed hypostatica unio est substantialis, ut suo loco probatum est: ergo sanctitas humanitatis Christi est substantialis. II. Christus est sanctus ut Filius naturalis Dei; sed substantialiter est Filius naturalis Dei: ergo substantialiter est sanctus. III. Illa est sanctitas substantialis, per quam quis redditur immunis non tantum a peccato, sed etiam a peccandi potestate; sed Christus fuit immunis & a peccato, & a peccandi potestate: ergo fuit in eo sanctitas substantialis. IV. Sanctitas est Dei unctio; sed in Christo fuit unctio substantialis: ergo fuit pariter sanctitas substantialis. Major est Augustini trac. 3. in c. 2. ep. 2. Joannis: *Unctio invisibilis, Spiritus Sanctus: Unctio invisibilis, charitas illa est, quæ in quocunque fuerit, tanquam radix illi erit, quamvis ardente sole arescere non potest.* Minor est Nazianzeni orat. 5. circa finem: *Deus Pater unxit Christum oleo exultationis præ consortibus suis, cum humanitatem divinitate unxit, ut ambo unum faceret.* Consequentia sequitur.

II. Probatur secunda Conclusionis pars I. Sanctitas accidentalis provenit a dono, quod est distinctum a subjecto, & ideo dicitur accidentale, quia subjecto super-

advenit; ſed hoc non repugnat, immo congruit perfectioni humanitatis Chriſti: ergo admittenda eſt in humanitate Chriſti ſanctitas accidentalis. II. Sanctitas accidentalis conſiſtit in Charitate, quæ per modum habitus reperitur in ſubjecto; ſed hæc charitas fuit in humanitate Chriſti, & fuit quidem ſummo intenſa, ut mox probabimus: ergo fuit in humanitate Chriſti ſanctitas accidentalis. III. Fuit in humanitate Chriſti gratia actualis, & habitualis, quomodocunque hæ explicentur; ſed in his conſiſtit gratia accidentalis: ergo hæc vere fuit in humanitate Chriſti,

III. Probatur tertia Concluſionis pars I. Debuit gratia hæc, ſeu ſanctitas accidentalis, nam de ſubſtantia non poteſt eſſe dubium, eſſe ſumma, & perfecta, quia Chriſtus eſt Filius Dei, & quidem naturalis, non adoptivus, ut ſuo loco probabimus; quia debuit majorem habere gratiam & ſanctitatem, quam cæteri, qui ſunt filii adoptivi. II. Debuit etiam eſſe ſumma, & perfecta, quia Chriſtus eſt caput; & de capite debent accipere omnes, qui ejus ſunt membra. III. Debuit pariter eſſe ſumma, & perfecta, quia Chriſtus eſt Sacerdos, non habens neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi; ut ſcribit Apoſtolus ad Hebr. 7. IV. Gratia accidentalis licet in Chriſto non fuerit infinita, ſi phyſice accipiatur, quia eſt aliquid a Verbo, & natura divina, & per conſequens a gratia ſubſtantiali, diſtinctum; attamen ſi ſumatur objective eſt infinita, quia poteſt ad objecta infinita ſe extendere, ſcilicet ad redemptionem omnium hominum poſſibilium; eſt etiam infinita, ſi ſumatur in genere moris, quia eſt principium, quo perſona Verbi operata eſt actus pretii infiniti: ergo vere eſt ſumma, & perfecta. V. Fuit in Chriſto plenitudo gratiæ; quia, ut ait Apoſtolus ad Rom. 12. Deus unicuique divifit menſuram fidei, at Chriſto non dedit Spiritum Sanctum ad menſuram; ut enim Luc. 3. dicebat Joannes Baptiſta: *Non ad menſuram dat Deus Spiritum*; & proinde etiam ſcribebat Apoſtolus ad Coloſſ. 2. eſſe in Chriſto theſauros omnes ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditos. Hæc autem gratiæ plenitudo intelligitur de ſanctitate ſubſtantiali; quia, ut ait idem Apoſtolus, *in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Poteſt etiam dici de gratia accidentali, quatenus hæc ideo dicitur plenitudo, ideo dicitur non data ad menſuram, quia revera explet totam capacitatem humanitatis.

Objiciunt I. Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Joann. de Chriſto probat, *non alienam ab ſubſtantia ſua per Spiritum habere ſanctificationem*: ergo non habuit humanitas Chriſti aliam ſanctitatem, quam illam, quæ ei a divinitate infita eſt ſanctificatio. Unde eodem loco ſubdit Cyrillus: *Quoniam igitur non eſt per ſe ſancta caro Chriſti, propterea ſanctificata eſt etiam in Chriſto: quoniam Verbum, quod habitavit in illa, per Spiritum Sanctum proprium templum ſanctificavit, & in propriæ naturæ tranſmutavit efficacitatem: Etenim idem ſanctum, & ſanctificum Chriſti corpus intelligitur, quod, ut Paulo dixit, templum factum eſt uniti ſibi Verbi corporaliter; ut ait Paulus*. II. Per gratiam creatam fit filius adoptivus, & participatione Deus; ſed Chriſtus non eſt filius adoptivus, nec Deus participatione: ergo gratia creata, ſeu ſanctitas accidentalis, non fuit in Chriſto. Proinde dicit Petavius lib. 11. c. 7. *Si ideo ſanctus eſt homo Chriſtus, quod verus ſit Dei filius, non adoptivus, ſequitur propria illi, & naturalia eſſe divinitatis ornamenta, quorum primarium eſt ſanctitas. Itaque ſubſtantive, ac naturaliter ipſa divinitas humanam naturam ſanctam efficit, adeoque ſemetipſam, non manante dumtaxat a ſe derivataque ut in cæteris efficientia creata ſanctitatis, & gratia*. III. Gratia, quæ admittitur in Chriſto præter increatam, & quæ eſt creata, vel dicitur infinita, vel finita? Non infinita, quia nullum creatum eſt infinitum; non finita, quia eſt pretii infiniti, & meretur hypoſtaticam unionem. IV. Sanctitas creata, & accidentalis eminenter continetur in ſubſtantiali: ergo inutilis eſt in Chriſto.

Reſpondemus ad I. ex Cyrillo, & ex aliis etiam Patribus apud Petavium, nimirum Auguſtino tract. 109. in Joann. Caſſiano lib. 2. de Incarn. c. 6. cum Du-Hamel, quod ex præfatis Patribus non poteſt aliud concludi, quam Chriſti humanitatem eſſe ſanctam Verbi divinitate, & ipſa divinitate, ejuſque applicatione ſanctificatam eſſe humanam Chriſti naturam; quod non inficias imus. At non per hoc negant Patres, virtutes omnes, & dona Spiritus Sancti, ex divinitate ipſa in animam Chriſti promanaſſe; quanvis majorem rationem habuerint in-

Digitized by Google

increatæ sanctitatis; quod utique concedi debet.

Ad II. Christus nullo modo dici potest Filius Dei adoptivus; quia quum nomen Filii pertineat ad personam, sicut non est duplex in Christo persona, ita non est duplex Filius, nec duplex filiatio, at una tantum, quæ est naturalis. At gratia, seu sanctitas, quum spectet ad naturam, potest esse duplex, increata scilicet una, creata altera; illa, quæ derivatur in humanitatem a divinitate Christi; hæc vero, quæ ipsius humanitatis est propria.

Ad III. Jam diximus, gratiam accidentalem, & creatam finitam physice spectatam, infinitam vero in genere moris; quatenus scilicet pendent ex ea, tanquam ex principio proximo, opera, quæ sunt valoris infiniti; atque etiam, quia fuit infusa animæ Christi in gradu summo, & perfecto, ut dictum est; insuper, quod repleat omnem capacitatem animę Christi; denique, quod sit tanquam naturalis quædam proprietas hypostaticæ unionis, unde dimanat pretium, quod est infinitum.

Ad IV. Utilis est gratia creata, & accidentalis, quia per ipsam Christi humanitas completur, ad hoc ut possit modo connaturali, scilicet per principium sibi proportionatum, elicere actus supernaturales, illosque præfato modo eliciat.

Dicimus III. Humanitatem Christi fuisse sanctificatam formaliter, & immediate, sanctitate substantiali, & increata; non vero solum radicaliter, & media sanctitate accidentali.

I. Probatur. Omnes Patres unanimiter docent, Christi humanitatem per unionem ad Verbum fuisse deificatam, unctam oleo sanctificationis; sed conformius est Sanctorum Patrum menti, talem sanctificationem fuisse formalem, & immediatam, quam mediatam solum, & radicalem: ergo humanitas Christi non solum radicaliter, & mediate, sed etiam formaliter, & immediate fuit sanctificata sanctitate substantiali, & increata. Minor probatur. Talem sanctificationem fuisse formalem, & immediatam, non mediatam tantum, & radicalem magis salvat sensum proprium, & absolutum in verbis Sanctorum Patrum: ergo est conformius ipsorum menti. Probatur antecedens. Magis proprie dicitur humanitas deificata, uncta, sanctificata, si hæc accipiantur formaliter, & immediate, quam si sumantur radicaliter tantum, & mediate: ergo &c.

II. Probatur. Sanctificatio humanitatis in Christo formaliter habetur ex unione sui substantiali ad divinam substantiam: ergo sanctitate substantiali sanctificatur formaliter, & immediate. Probatur antecedens. Sanctificatio formalis est participatio divinæ naturæ, Dei amicitia, a Deo acceptatio ad gloriam; sed hæc habentur a Christi humanitate per substantialem sui unionem cum substantia divina: ergo &c. Probatur minor. Unio humanitatis cum divina substantia est divinæ naturæ summa participatio; est ipsa natura divina, vel formaliter, vel identice; est donum excedens ipsam habitualem gratiam, per quam habetur sanctitas accidentalis: ergo ab unione humanitatis cum divina substantia habentur illa omnia, in quibus sanctificatio consistit.

Obstant I. In hypothesi possibili, & a nobis admissa, quod irrationalis natura assumeretur a Verbo, illa irrationalis natura non esset sanctificata, & tamen esset divinæ substantiæ unita; sed non per aliud sanctificata non esset, quam quia non haberet gratiam habitualem, cujus esset incapax: ergo per gratiam habitualem, seu sanctitatem accidentalem, humanitas Christi redditur sanctificata formaliter, & immediate. II. Si ab Angelo sancto, & justo assumeretur humanitas, & sibi uniretur, non per hoc humanitas illa esset sanctificata; sed non ob aliud, nisi quia humanitas non haberet gratiam habitualem, & sanctitatem accidentalem: ergo per hanc sanctificatur humanitas Christi formaliter, & immediate. III. Si per sanctitatem substantialem, & increatam sanctificaretur Christi humanitas etiam formaliter, & immediate, sequeretur, quod idem principium, & eadem forma, sanctificaret radicaliter, & formaliter, per modum actus primi, & secundi; sed hoc implicat: ergo &c. IV. Si sanctitas accidentalis nullo modo concurrit ad sanctificationem humanitatis Christi, neque formaliter, neque immediate, non est admittenda in Christi humanitate; at nos in ea admisimus illam: ergo vel aliquem sanctificationis effectum producere habet, vel sine ratione admittitur.

Respondemus ad I. cum Cacherano asserente, gratiam habitualem poni posse in subjecto irrationali, & hypostaticam unio-

unionem cum gratia habituali, æque ac sine ea, fieri posse in irrationali natura. Subdit, non esse novum, quod effectus, quos præstat res aliqua immediate, & ex se præcise, requirant ex parte subjecti capacitatem; & quod non præstentur, nisi in subjectis capacibus. Exemplum denique profert in re, de qua agimus; quia subsistentia Verbi immediate, & ex se præcise constituit cum natura personam; & nihilominus in natura irrationali non constituit personam, sed suppositum; & hoc non ex alio, quam quia natura irrationalis personalitatis est incapax.

Ad II. Idem Cacheranus assignat disparitatem; In Angelo enim nec personalitas, nec natura, est formalis sanctitas, sicut est in Verbo. Unde Angelus esset sanctus non substantiali sanctitate, sed tantum accidentali; hoc est non per suam substantiam, sed per habitualem gratiam. Igitur humanitas assumpta ab Angelo non esset sanctificata, quia Angelus non est sanctus substantialiter, quanvis sit sanctus accidentaliter. Sanctificatio autem accidentalis unius non potest sanctificare alterum, in quo non est gratia habitualis, quæ est in illo. Unde humanitas ab Angelo assumpta esset tantum sanctificata per propriam ipsius gratiam habitualem.

Ad III. Contradictio non est, quando non sumus in eodem, sed in diverso sanctitatis genere. Unio hypostatica non sanctificat humanitatem radicaliter, & formaliter in eodem genere sanctitatis; sed radicaliter in genere sanctitatis accidentalis, formaliter in genere sanctitatis substantialis. Habitualis autem gratia formaliter sanctificat sanctitate accidentali, & est unica formalis causa accidentalis sanctificationis. Hinc est, quod potest optime gratia unionis se habere ut actus primus, & radix ad habitualem gratiam, & simul in genere sanctitatis substantialis sanctificare formaliter, & per modum actus secundi. Quæ omnia laudatus Cacheranus conciliat.

Ad IV. Sanctitas accidentalis non concurrit nec radicaliter, nec formaliter, nec immediate, nec mediate, ad sanctificationem substantialem humanitatis Christi; bene vero concurrit ad sanctificationem accidentalem ejusdem. Et ob hoc non est inutilis; ut nuper fuit a nobis dictum.

Dicimus IV. Humanitatem Christi sanctificari a Persona Verbi, non prout est persona, sed prout est idem cum natura divina.

I. Probatur. Persona qua persona non habet alium effectum, quam relativum; quod idem est, ac dicere, habet simpliciter terminare naturam humanam, & facere, ut hæc non sit juris sui, sed juris alieni; atqui in hoc præcise nulla includitur sanctificationis ratio: ergo humanitas Christi sanctificatur a persona Verbi, non prout est persona.

II. Probatur. Persona Verbi unitur immediate naturæ humanæ: ergo eam sanctificat; sanctificatio enim per unionem habetur; sed non sanctificat prout persona est, ut probavimus: ergo sanctificat prout est idem cum natura divina.

Opponunt I. Patres passim docent, quod Verbum sanctificet humanitatem Christi: ergo Verbum prout est persona. II. Verbum etiam præcise ut persona est sanctum: ergo etiam præcise ut persona sanctificat. III. Si natura divina tribueret humanitati Christi sanctitatem, posset etiam tribuere ei immensitatem, omnipotentiam, infinitatem; sed hoc dici non potest: ergo neque illud. IV. Si sanctificatio humanitatis Christi provenit a Verbo, prout est idem cum divina natura: ergo provenit a divina natura; si a divina natura: ergo a tribus personis; sed hoc dici non potest: ergo &c.

Respondemus ad I. Patres intelligendi sunt de Verbo, non secundum explicitum sui conceptum sumpto; scilicet prout est Verbum, sed secundum implicitum, hoc est secundum divinam naturam. Quod ex eo etiam constat, quia Patres etiam passim humanitatis Christi sanctificationem divinæ naturæ tribuunt.

Ad II. Verbum præcise sumptum ut persona nil dicit absolutum, sed totum, quod importat, relativum est. Quod autem habet præter esse relativum, totum est absolutum; adeoque habet prout cum divina natura est idem.

Ad III. Disparitas sumitur ab incapacitate subjecti; humanitas enim capax est, ut sit sancta, non autem est capax, ut sit immensa, ut sit omnipotens, ut sit infinita.

Ad IV. Provenit sanctificatio humanitatis Christi a divina natura prout est idem cum Verbo, & a Verbo prout est idem cum divina natura: Unde sicut quia divina natura unitur humanitati per Verbum unio non tribuitur toti Trinitati; ita nec toti Trinitati tribuitur sanctificatio.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CLXXXV.

De Merito Christi. An Christus meruerit? Quando mereri inceperit? Per quas actiones meruerit? Quid, & Quibus, meruerit? Et an Meritum ejus fuerit infinitum?

PRimo contra Christi meritum erravit Andreas Osiander, qui ex Gaspare Ulenbergio caus. 9. asseruit, Christum Mediatorem justificare hominem secundum divinam naturam tantum: Unde, ut dicitur apud Coccium, Christi passionis, mortis, & sanguinis meritum penitus evertit; & justitiæ thesaurum, quem Christus moriendo in cruce comparavit, abjecit, atque negavit. Ex pari ratione aliarum Christi operationum inficiatus est meritum; unde omne prorsus in Christo meritum abrogavit.

Secundo Carolus Molinæus in annotat. ad collationem quartam Evangelistarum scripsit: „ Errarunt Monachi, ac Sacrificuli, Doctoresque Papistici, urgentes „ merita tum incarnationis, tum nativitatis, tum tentationum, tum afflictionum „ Christi. Nihil hæc prodesse nobis poterant, sed sola mors Christi a Deo acceptata est pro expiatione peccatorum „ nostrorum, & jure vitæ æternæ „. Quibus verbis vel omne meritum Christo abjudicavit, vel illud inefficax esse voluit, vel Christi mortem non meritoriam, sed satisfactoriam tantum absurde determinavit.

Tertio Calvinus lib. 2. instit. c. 17. scripsit: „ Equidem fateor, si quis simpliciter, „ & per se Christum opponere judicio „ Dei vellet, non fore locum merito; quia „ non reperietur in homine dignitas, quæ „ possit Deum promereri „. Quibus verbis impius Hæresiarcha omnem meriti qualitatem Christo denegare ausus est.

Quarto Franciscus Blandrata, & Franciscus Davidis, asserunt, Christum non propterea in hunc mundum venisse, ut esset Salvator, & Redemptor noster, tanquam Deus, & homo. Refert Petrus Carolius libro de Trinitate.

Quinto Familiani, qui sic dicuntur, quod sint de Familia amoris, volunt, Christum non esse Salvatorem mundi, sed merum hominem; addens propterea, quod homines peccatores, a Deo alienati, Dei gratiæ, & favori restituantur sola ejusdem Dei gratia, & misericordia, absque merito, aut medio, sanguinis, mortis, aut passionis, Christi. Narrat Stous in Elisabeth. fol. 1195.

Sexto dicit Estius, quod tempore Magistri Sententiarum fuerunt quidam, qui dixerunt, Christum nihil sibi, sed membris tantum suis, idest nobis, meruerit. Addens Estius, quod Calvinus errorem hunc instauravit, recitans ejus verba: „ Quoties Scriptura meminit mortis Christi, in nobis præmium statuit, nec de alio „ loquitur, quam quod ad nos redit „: Quæ verba si comparentur aliis nuper de eodem Calvino allatis: illico apparebit, quam parum sibi constans fuerit etiam in erroribus suis.

Dicimus I. Christum vere meruisse.

I. Probatur ex Scripturis. Isai. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur. In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam.* Ad Philippenses 2. *Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Ad Hebr. 2. *Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* I. Petri 1. *Mementote, quod non corruptibilibus auro, vel argento, redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati.* Apocalyp. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem &c.*

II. Probatur ex Pontificibus Romanis. Sixtus III. lib. de divitiis: *Interrogo te, cujus morte reparatus es, cujus cruore, cujus passio-*

Digitized by Google

passione libera usus? . . . Cujus vulnere tua curata sint vulnera? Quis te ad vitam reduxit a morte? Quis de inferis te revocavit ad cœlos? Non Patriarcha, non Propheta, non alter quicunque Sanctorum; sed Jesus Christus Dominus. Ipse enim spes nostra, ipse salus, ipse redemptio. At vere hic liber non est Sixti, quum multos contineat Pelagii errores, & Sixtus primus fuerit, quando Presbyter erat, qui Pelagium damnavit; ut ait Bellarminus, & legitur in ep. 105. Augustini ad Sixtum. Leo magnus ep. 83. ad Episcopos per Palestinam constitutos c. 3. *Qua ratione veritatem Mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei, æqualis erat Patri, in forma servi particeps esset, & nostri: ut per unum novum hominem fieret renovatio vetustatis, & mortis vinculum unius prævaricatione contractum, unius morte, qui solus morti nihil debuit, solveretur? Effusio enim pro injustis sanguinis justi, tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium; ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.* Symmachus Papa Epistola 4. ad Clerum Dardaniæ: *Christus nos pro sanguinis sui pretio comparavit gratiam, libertate concessa, nihil invenientibus humanis operibus, quod dignum pro tanta mercede tribueret.* Gregorius Magnus lib. 3. in Job. cap. 11. *Frustra: tamen juxta semetipsum afflictus est, juxta vero nostra acta, non frustra: rubigo quippe peccati purgari non potuit, nisi igne tormenti. Venit itaque sine vitio, qui se subjiceret sponte tormento, ut debita nostræ iniquitati supplicia, eo reos suos juste amitterent, quo hunc a semetipsis liberum injuste temuissent. Frustra ergo, & non frustra afflictus est: quia in se quidem admissa non habuit, sed proprio cruore reatus nostri maculam tersit.* Martinus Papa epistola ad Amandum: *Non vos afflictionum amaritudo a pia mentis vestræ proposito coarctet recedere, considerantes quanta pro absolutione nostri, & liberatione Creator Dominusque noster pertulerit, quibusve contumeliis se afficiendum tradiderit, ut nos a vinculis potestatis diabolicæ liberaret.* Innocentius III. ser. 1. de Nativit. Christi: *Videns itaque Deus, hominem sua virtute non posse jugum damnationis evadere, primum prævenit eum per solam misericordiam, ut deinde liberaret etiam per justitiam. Ut ergo Deus placari posset ab homine, dedit homini gratis, quod homo pro debito redderet Deo. Dedit igitur homini hominem, quem restitueret homo pro homine: qui ut recompensatio digna fieret, primo non solum esset æqualis, sed major. Quo circa Verbum caro factum est, ut daretur hominibus Deus homo.* Clemens VI., & refertur Extra Com. lib. 5. tit. 9. de pœnitent. ex remission. c. 2. *Non corruptibilibus auro & argento, sed sui ipsius agni incontaminati & immaculati pretioso sanguine nos redemit, quem, in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen, propter unionem ad Verbum, pro totius humani generis redemptione sufficisset, sed copiose, velut quoddam profluvium, noscitur effudisse.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. in Symbolo Fidei: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine; & homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis, passus, & sepultus est.* Concilium Constantinopolitanum I. in eodem Symbolo auctiori. Synodus Trullensis in Præfatione: *Christus dedit se pro nobis redemptionis pretium.* Concilium Toletanum VI. c. 1. *Solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis, propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & nostro libero arbitrio contraxeramus, resolvenda, a secreto Patris arcanoque prodisse. . . . Hic venit in hunc mundum peccatores salvos facere, & credentes justificare: faciensque mirabilia, traditus est propter delicta nostra, mortuus est propter expiationem nostram, resurrexit propter justificationem nostram: cujus livore sanati sumus, cujus morte Deo Patri reconciliati, cujus resurrectione vivus resuscitati.* Concilium Toletanum XI. in Confessione Fidei: *Unigenitus Dei Filius solus pro nobis peccatum factus, id est sacrificium pro peccatis nostris: tamen passionem ipsam, salva divinitate sua, pro delictis nostris sustinuit, moxtique adjudicatus, & cruci, veram carnis mortem accepit.* Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. *Justificationis impii causa est misericors Deus, qui gratuito abluit, & sanctificat: meritoria est dilectissimus Unigenitus, qui, cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis satisfecit.*

IV. Probatur ex Patribus. Origenes tract. 2. in Matth. *Homo quidem non potest dare aliquam commutationem pro anima sua; Deus autem pro animabus omnium dedit commutationem pretiosum sanguinem Filii sui: Nec enim empti sumus corruptibili argento*

Digitized by Google

gento vel auro, sed pretioso sanguine agni immaculati. Basilius in Psal. 48. *Quid usque tanti momenti est, quod poterit homo dare pro redemptione animæ suæ? Inventum tamen est unum pro omnibus simul hominibus dignum pretium, sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit. Quam obrem pretio sumus empti.* Epiphanius hæres. 55. *Et primum quidem seipsum obtulit, ut solveret sacrificium veteris testamenti, cum perfectius & vivens pro toto mundo obtulerit, ipse victima, ipse sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse agnus, omnia in omnibus pro nobis factus, ut nobis vita omnibus modis fieret.* Arnobius Rhetor lib. 2. cont. Gentes: *Christus mortem sustulit, & causa est nostræ salutis.* Ambrosius lib. 9. ep. 71. *Veniens Dominus Jesus peccatum omnibus, quod nemo poterat curare, donavit, & chirographum nostrum sui sanguinis effusione delevit.* Hieronymus lib. 14. in Isai. *Quod pro nostris debebamus sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est, perficiens per sanguinem crucis suæ.* Augustinus ser. 8. de tempore: *Duplex principaliter causa est, ob quam Dei Filius factus est Filius hominis. Una est, ut secundum hominem, omnia patiendo pro nobis, a peccatorum nos vinculis liberaret. Sic enim Isaias Propheta prædixerat: Hic peccata nostra portavit &c. Altera causa est, ut nos, quos sanguine suo redemit, a vitiis atque criminibus, non solum doctrinæ auxilio, & gratiæ, sed etiam exemplo, ad studium sanctitatis accenderet.* Et lib. 4. de Trinit. c. 13. *Neque enim jure cujusquam potestatis exutus est carne, sed ipse se exuit. Nam qui posset non mori, si nollet, procul dubio quia voluit mortuus est.* Et tract. 304. in Joann. *Humilitas charitatis est meritum, charitas humilitatis est præmium. Sed hoc falsum est in forma servi.* Eadem habent Cyrillus lib. 3. thesaur. 2. iterum Basilius lib. 7. advers. Eunomium; denuo Ambrosius in c. 2. ep. ad Philipp. Chrysostomus etiam hom. 7. in eandem Epistolam.

V. Probatur Rationibus. I. Fuit in Christo prima conditio ad merendum: ergo vere fuit meritum. Probatur antecedens. Fuit libertas; actus enim Christi fuerunt liberrimi, & ipse libere suscepit onus redemptionis sibi a Patre impositum; quia, ut dicitur Isai. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*; & Joann. 10. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a me ipso; & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* II. Fuit secunda conditio; quia actiones ejus fuerunt bonæ moraliter, & honestæ; tum ex objecto; tum ex circumstantiis; & hoc habetur Joann. 8. *Quæ placita sunt ei, facio semper.* III. Fuit tertia conditio; quia humanitas Christi fuit Deo summe grata, & accepta propter unionis gratiam, & propter gratiam sanctificationis habitualis, & actualis. IV. Fuit quarta conditio; quia Christus omnes suos actus ad Dei gloriam ordinabat; dicebat enim Joann. 8. *Non quæro gloriam meam, sed gloriam ejus, qui misit me.* V. Fuit quinta conditio, quæ est status viatoris. Christus enim erat simul comprehensor, & viator; & in eadem anima Christi erat gaudium comprehensoris, & tristitia viatoris. VI. Fuit sexta conditio, quæ est pactum; quod exprimitur laudatis Isaiæ verbis, & explicatur a Ruperto lib. 1. comment. in Genes. c. 34. *Dicimus, quia pactum non multoties quidem promissum, sed unum, & semel initum. Pactum, inquam, unum, quo solo inimicitiæ solvantur, quæ erant inter Deum, & homines, incarnatio, vel passio Christi Filii Dei est; illic absque ulla contradictione certa est constitutio pacis cum ratione dati, & accepti, dum accepta Deus fide hominum, dat hominibus eundem Christum filium suum, ut salventur per ipsum. Hanc vero fidem ab hominibus Deus accepit per Mediatorem ac Sequestrem, & quasi facialem Christum Dominum, qui pro humano genere stipulatus est.*

Arguunt I. Christus fuit incapax peccandi: ergo fuit incapax merendi. Probatur consequentia. Ideo fuit incapax peccandi, quia fuit perfecte conjunctus fini ultimo; sed qui est perfecte conjunctus fini ultimo nec potest peccare, nec mereri: ergo &c. Probatur minor. Qui est perfecte conjunctus fini ultimo ideo non potest peccare, quia non potest ab eo recedere; sed nec potest ad eum accedere, quia jam est perfecte conjunctus: ergo ex quo Christus non potest peccare, quia est perfecte conjunctus fini ultimo, ex hoc etiam non potest mereri. II. Beati in Patria nec possunt peccare, nec possunt mereri; & hoc non ex alio, quam quia fini ultimo sunt perfecte conjuncti: ergo pariter Christus si non potuit peccare, nec potuit mereri. III. Christus fuit semper intuitiva Dei visione donatus: ergo non meruit. Probatur consequentia. Christus vel meruit per eundem actum frui-

Digitized by Google

fruitionis, vel per alium? Non per allum, quia actus fruitionis Dei est necessarius, non liber : ergo non meritorius: Neque per eundem, quia actus fruitionis adæquat potentiam, adeoque ad omnem alium actum reddit illam incapacem. IV. Christus vel meruit secundum partem superiorem hominis, vel secundum partem inferiorem? Non secundum partem superiorem, quia hæc erat alligata semper voluntati Dei: Neque secundum partem inferiorem, quia hæc semper fuit superiori parti subjecta: ergo nullo modo meruit. V. Christus non habuit libertatem indifferentiæ : ergo non potuit mereri. Consequentia sequitur; quia ad libertatem requiritur indifferentia. Antecedens probatur. Christus erat necessario determinatus ad bonum: ergo non habuit indifferentiam actus. VI. Meritum dicit relationem ad præmium; sed Christus erat incapax præmii: ergo erat pariter incapax meriti. Probatur minor. Christus qua Deus erat incapax præmii, ut omnes concedunt; incapax erat pariter qua homo, quia majus præmium unione ipsa hypostatica recipere non poterat.

Respondemus ad I. cum Fraſſen, quod qui est perfecte conjunctus fini ultimo quoad utrumque affectum justitiæ, & commodi, non potest peccare, nec mereri; qui vero est perfecte conjunctus quoad affectum justitiæ tantum, non potest peccare, & potest mereri. Explicat hanc suam distinctionem dicens, quod quanvis Christus esset ita perfecte conjunctus Deo per affectum justitiæ, ut non possit ab ipso averti, adeoque peccare; cum hoc tamen stat, quod potuit aliqua pati libere, quia etsi esset perfecte conjunctus per justitiam, non erat tamen perfecte conjunctus per affectum commodi, & boni delectabilis, quantum ad inferiorem portionem: unde stat, quod quanvis non potuerit peccare, potuit tamen mereri.

Ad II. assignatur ex præcedenti doctrina disparitas; quia Beati sunt perfecte conjuncti fini ultimo per affectum justitiæ, & commodi; & ideo non possunt nec peccare, nec mereri : Christus autem, ut dictum est, fuit perfecte conjunctus per affectum justitiæ, unde peccare non potuit; non fuit autem perfecte conjunctus per affectum commodi, unde potuit mereri.

Ad III. Potuit Christus mereri per actum portionis inferioris animæ, qui distinctus erat ab actu fruitionis, ad portionem superiorem spectante. Unde ille alius actus meritorius quum fuisset alterius potentiæ, non obstat adæquationi actus fruitionis cum potentia, de quo loquitur argumentum. Actus autem meritorius non est necesse ut sit amor amicitiæ Dei, sed sufficit ut hunc amorem præsupponat: unde potest esse immediate amor objecti, quod propter Deum amatur.

Ad IV. Christus meruit & secundum partem inferiorem, & secundum partem superiorem. Secundum primam jam dictum est; secundum alteram dicimus modo cum Fraſſen, quod anima ut intelligens, & libera est portio superior hominis, quatenus occupatur circa divina, & æterna immediate, non vero quatenus occupatur circa temporalia, & creata. Proinde anima Christi ut intelligens, & volens potuit ea ratione mereri, qua corpus vivificabat, illudque movebat ad actus, & voluntarie acceptabat dolores, cruciatus &c. in passione sua, & morte, ut Patri obediret, qui actus illos decreverat.

Ad V Ad libertatem non requiritur indifferentia contrarietatis, quæ est ad bonum, & malum, & reperitur in homine peccatore, non autem in homine integro, cujusmodi erat Christus; sed sufficit indifferentia contradictionis, quæ est ad actum, & non actum, quatenus voluntas, ut ait P. Boucat, ad nutum potest agere, & non agere; & hæc est in quocunque homine, sive peccatore, sive integro, & fuit in Christo; & hæc insuper ad merendum sufficit.

Ad VI. Et si Christus non potuerit mereri præmium majus ipsa unione hypostatica, potuit tamen mereri alia præmia ipsa unione minora; & ad hæc præmia ordinem habebat ejus meritum. Meruit insuper non tantum sibi, sed etiam nobis; unde & ex hoc quoque salvatur in ipso ratio meriti. Sed de hoc fusius infra.

Dicimus II. Christum a primo suæ conceptionis instanti usque ad ultimum mortis suæ meruisse. Est contra Durandum, qui voluit Christum toto infantiæ tempore non meruisse, defectu usus rationis propter indispositionem organorum. Est etiam contra alios paucos, qui de primo conceptionis instanti non conveniunt, quatenus docent, quod in cauſis liberis prius est esse, quam operari.

I. Pro-

Digitized by Google

I. Probatur ex Scripturis. Ad Hebr. 10. *Ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio: in capite libri scriptum est de me; ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* In quibus verbis adnotamus primo, quod Christus dicit *ingrediens*, quod significat primum suæ incarnationis instans; in secundo enim instanti non est ingrediens, sed ingressus. Secundo dicit: *in capite libri scriptum est de me*; quod importat primum suæ obedientiæ actum; aliter non esset in capite libri. Tertio hìc loquitur Christus de oblatione suæ voluntatis voluntati Patris, qua se paratum exhibebat, ut faceret quæcunque Pater mandaret circa redemptionem hominum. Hæc autem oblatio fuit absque dubio meritoria, & quia fuit libera, quum haberet Christus in illo instanti plenum rationis usum; & quia fuit actus sublimiorum virtutum, obedientiæ scilicet erga Patrem, & charitatis erga homines.

II. Probatur ex Patribus. Ambrosius lib. 2. in Lucam c. de nativ. Salvatoris: *Me illius infantiæ vagientis ablunt fletus, mea lacrimæ illa delicta laverunt.* Augustinus ser. 21. de tempore: *Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ.* Cyrillus Hierosolymitanus orat. de occursu Domini: *Hodie, Dilecti, festi hujus stadium omni ex parte integre percurramus, choreas ducamus, cum Pastoribus cœlesti lumine perfundamur, cum Orthodoxis adoremus, cum Simeone ulnis Christum complectamur.* Basilius homilia de humana Christi generatione: *Nos quoque cum Angelis lætitiam voce, gestuque exprimamus: nostrum hoc est festum; Theophaniam appellamus, in qua mundi salutarem concelebremus diem: Domini natalem hodiernum piis mentibus celebremus.* Fulgentius de duplici nativitate Christi: *Interea, Fratres, dignum est, ut in die dominicæ nativitatis diem quoque dominicæ resurrectionis solemniter audiatis. Unigenitus enim Deus sicut pro nobis dignatus est nasci, sic pro nobis secundum carnem dignatus est mori, dignatus est etiam suscitari. Iste quippe dies est visitationis, ille redemptionis.* Paulinus natali 9.

Est veneranda dies cunctis, qua Virgine natus
Pro cunctis hominem sumpsit Deus; estque deinde
Qua puerum, stella duce, mystica dona ferentes
Suppliciter videre Magi . . . . .

III. Probatur Rationibus. I. In primo rationis instanti Christus habuit omnia requisita necessaria ad merendum: ergo meruit. Probatur antecedens. Habuit rationis usum, libertatem, objectum meriti propositum sibi per scientiam beatam, & infusam, omnem gratiam necessariam ad merendum: ergo habuit omnia requisita necessaria ad merendum. II. Actus meritorius potest esse in instanti: ergo ex nulla parte repugnat, quod Christus in primo conceptionis instanti meruerit: ergo meruit. Probatur antecedens. Actus meritorius non est successivus: ergo potest esse in instanti. III. Debemus tribuere Christo quod est perfectius, & non implicat; sed quod Christus meruerit in primo conceptionis instanti perfectius est, quam non meruerit, & non implicat, ut ex objectorum solutione patebit: ergo &c. IV. Probatur, quod Christus meruerit usque ad ultimum mortis instans, & quod modo non mereat. Christus usque ad ultimum mortis instans fuit viator, & modo non est viator; sed meritum habet tantum locum in statu viæ: ergo &c. Probatur minor ex illo Joann. 9. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari.*

Dicimus III. Christum per solas actiones, quæ humanitatis sunt propriæ, non autem per illas, quæ fuerunt solius divinitatis propriæ, meruisse; & actus omnes, qui libere ex humanitate provenerunt, meritorios fuisse.

I. Probatur. Requiritur ad merendum, ut sit Superior, qui meritum præmio prosequatur; sed Christus in solis actibus, qui sunt humanitatis propri, Superiorem habuit, qui potuit illos præmio prosequi: ergo in solis illis actibus meruit.

II. Probatur. Christus meruit per actus a charitate elicitos, vel imperatos: ergo meruit per solos actos liberos. Antecedens est S. Thomæ 3. p. q. 19. ar. 3. ad 1. *Nec tamen per charitatem meruit, in quantum erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris.* Consequentia probatur. Nullus fuit actus liber in Christo, qui non fuerit a charitate aut elicitus, aut imperatus: ergo si Christus meruit per actus a charitate elicitos, vel imperatos, per solos actus liberos meruit.

Digitized by Google

III. Probatur. Actus Christi liberi non tantum erant boni, & honesti moraliter, ut possunt esse in homine puro, qui sit justus, sed etiam erant supernaturales, quia habebant gratiam, quæ poterat illos supernaturalizare; sed omnes actus boni, & honesti moraliter, & supernaturales per gratiam, sunt meritorii: ergo omnes actus Christi liberi fuerunt meritorii.

IV. Probatur. Christus meruit per omnes actus virtutum infusarum, quia actus virtutis sunt meritorii; meruit per actus præceptos, quia sunt etiam actus virtutis; meruit per omnes actus potentiæ sensitivæ, & vegetativæ, & per quemlibet actum sui corporis, quia omnia hæc suæ voluntati suberant, & per illa voluntarie & libere operabatur; sed hæc omnia sunt actiones, quæ sunt propriæ humanitatis, & non divinitatis, & sunt actus etiam liberi: ergo Christus meruit per solas actiones, quæ humanitatis sunt propriæ, non autem divinitatis; & per actus omnes, qui libere ex humanitate procedebant.

Dicimus IV. Christum non meruisse sibi primam gratiam, nec gratiam habitualem, nec visionem beatificam; bene tamen meruisse corporis gloriam, & nominis exaltationem. Est contra Calvinum, dicentem, Christum nihil sibi meruisse; ut diximus.

I. Probatur. Prima gratia actualis fuit in Christo principium meriti; sed principium meriti non cadit sub meritum: ergo primam gratiam actualem non meruit Christus. Probatur major. Unio hypostatica contulit quidem meritum operibus Christi; at opera illa non eliciebantur a Christo, nisi ex motu supernaturalis auxilii; sed hoc supernaturale auxilium erat prima gratia actualis: ergo prima gratia actualis fuit in Christo principium meriti.

II. Probatur. Christus habuit gratiam habitualem, & visionem beatificam, a primo suæ conceptionis instanti, ratione unionis hypostaticæ: ergo illas non meruit. Probatur consequentia. Non meruit Christus unionem hypostaticam: ergo non meruit consequentia ad illam.

III. Probatur. Operari naturaliter consequitur ad naturaliter esse: ergo operari supernaturaliter consequitur ad supernaturaliter operari; sed Christus in esse supernaturali constituitur per gratiam: ergo supponere debemus, quod prius illam habuerit, quam per illam supernaturaliter, & meritorie operaretur.

V. Probatur. Scripturæ docent, Christum habuisse gloriam in cœlis, quia mortuus est in terris; adeoque causam meritoriam suæ gloriæ fuisse mortem suam; idem docent & Patres, tam de corporis ejus gloria, quam de nominis exaltatione. Ad Hebr. 2. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria, & honore, coronatum.* Ad Philippen. 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Luc. ult. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Augustinus tract. 104. ad illud Joann. 17. *Pater clarifica Filium tuum*; hæc scribit: *Ut Christus resurrectione glorificeretur, prius humiliatus est passione. Humilitas claritatis est meritum; claritas humilitatis est præmium.*

Dicimus V. Christum meruisse hominibus salutem, & quicquid dicit ordinem ad salutem; meruisse Adamo in statu innocentiæ gratiam; meruisse Angelis bonis gratiam, & gloriam.

I. Probatur I. pars: Ad Ephes. 1. habetur, gratias omnes, etiam illas, quæ dicuntur gratis datæ, datas a Deo fuisse hominibus ex Christi meritis: *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo Jesu.* Hoc insuper definivit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 3. *Nisi in Christo homines renascerentur, nunquam justificarentur, cum ea renascentiam per meritum passionis ejus, gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur.* Et cap. 16. habetur, hominem justum mereri augmentum gratiæ ex meritis Christi: *Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites; in ipsos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent &c.* Et sess. 6. cap. 5. loquens de dispositionibus gratiæ sanctificanti prærequisitis, habet: *Declarat præterea, ipsius justificationis exordium in Adultis Deo per Christum præveniente gratia sumendum esse:* Ex quibus verbis clarissime patet, meruisse Christum hominibus salutem, & quicquid dicit ordinem ad salutem.

II. Probatur eadem prima pars ex Patribus. Jann. I. *De plenitudine ejus omnes nos accepimus*; ad quæ verba S. Thomas in ep.

ad

Digitized by Google

ad Hebr. c. 2. lect. 10. scribit: *Quod de plenitudine ejus acceperint omnes justi, qui fuerunt, sunt, & erunt.* Augustinus conc. 3. in Psal. 36. *Caput nostrum Christus est, corpus capitis illius nos sumus. Nunquid soli nos? Et non etiam illi, qui fuerunt ante nos? Omnes, qui ab initio seculi fuerunt justi.* Hilarius in Psal. 139. *In omnibus Sanctis caput Christus est.*

III. Probatur secunda Conclusionis pars. Christus est caput totius Ecclesiæ; sed Ecclesia erat in statu innocentiæ primorum Parentum: ergo fuit etiam caput illorum, qui in statu innocentiæ Ecclesiam constituebant; sed hi fuerunt primi Parentes: ergo fuit etiam horum caput; sed illis, quorum erat caput, meruit gratiam: ergo primis parentibus in statu innocentiæ meruit gratiam. Prima minor probatur ex Augustino in Psal. 128. *Nunquid modo, & non olim est Ecclesia? Ex quo vocantur Sancti, est Ecclesia in terra.* Unde S. Thomas in loc. cit. affert: *Plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum in intellectualibus creaturis*; hoc est, quod de plenitudine gratiæ Christi acceperunt omnes intellectuales creaturæ, inter quas primi homines in statu innocentiæ, & Angeli etiam adnumerantur.

IV. Probatur tertia Conclusionis pars ex Scripturis. Ad Colos. 2. *Ille, in quo inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter*, qui est Christus, dicitur *caput omnis Principatus, & Potestatis.* Ad Ephes. 1. *Suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem.* Qui dicitur a mortuis suscitatus, qui dicitur super omnes constitutus, qui dicitur in cœlis ad Patris dexterã collocatus, quis negabit, fuisse Christum?

V. Eadem pars probatur ex Patribus. Cyrillus Alexandrinus in illud Isai. 54. *Lætare sterilis, quæ non paris*; ait: *Christum tam hominibus, quam Angelis, fuisse causam sanctitatis.* Et ad c. 1 Joann. *De plenitudine ejus omnes accepimus*; subdit: *tam homines, quam Angeli.* Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum c. 3. *Non aliæ stantem Angelum a ruina potuit custodire; nisi quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare: una est in utroque gratia operata; in hoc, ut surgeret; in illo, ne caderet; in illo, ne vulneraretur; in isto, ut sanaretur: ab hoc infirmitatem repulit; illum infirmari, non sinivit: illius esca, istius medicina.* Gregorius magnus in lib. 1. Reg. c. 2. *Nullus hominum, neque Angelorum est sanctus, nisi per Christum.*

Objiciunt contra has omnes Conclusiones I. Mereri est operari; sed Christus non potuit operari in primo suæ conceptionis instanti: ergo non potuit in illo mereri. Probatur minor. In primo suæ conceptionis instanti fuit esse Christi: ergo non fuit operari Christi. Probatur consequentia; quia prius est esse, quam operari. II. In eodem instanti non potest quis consultare, discurrere, decernere, & operari; sed sic fuisset, si Christus meruisset in primo suæ conceptionis instanti: ergo &c. Probatur minor. Actus meritorius est actus liber; sed ad actum liberum illa omnia requiruntur: ergo pariter ad actum meritorium: ergo si Christus in illo actu meruisset, in uno, & eodem instanti fuissent consultare, discurrere, deliberare, & operari. III. naturalis operatio præsupponitur ad liberam: ergo nemo potest in primo instanti operari. IV. Christus meruit in primo instanti mortis suæ: ergo meruit post vitam. Probatur antecedens; quia meruit per mortem suam. V. Christus meruit per vulnus sibi inflictum a Longino; sed hoc fuit post mortem: ergo Christus meruit post mortem. Probatur major. Patres docent, ex illo vulnere fluxisse sacramenta, formatam fuisse Ecclesiam &c. VI. Resurrectio Christi fuit causa nostræ resurrectionis; sed resurrectio Christi fuit post mortem: ergo Christus meruit post mortem. VII. Psal. 44 habetur: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*: ergo Christus meruit gratiam habitualem. Probatur consequentia. Verbum *propterea* indicat causalitatem; *oleum lætitiæ* significat gratiam habitualem; ergo &c. VIII. Perfectius est habere gratiam ex propriis meritis, quam sine illis; sed Christo debemus tribuere quod est perfectius: ergo &c. IX. Augustinus lib. de correp. & grat. c. 11. de Adamo dicit: *Ille in illis bonis Christi morte non eguit*: ergo Adam in statu innocentiæ, de quo loquitur Augustinus, non habuit gratiam originalem ex meritis Christi prævisis, sed ex mera Dei gratia, & liberalitate. X. Gratia, quam nobis promeruit Christus, fuit medicinalis; sed Adam non eguit gratia medicinali in statu innocentiæ: ergo &c. XI. Apostolus II. ad Cor. 5. ait: *Si unus pro omni-*

Digitized by Google

omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt: ergo Christus tantum pro mortuis mortuus est; sed Adam in statu innocentiæ non erat mortuus: ergo &c. XII. Christus mortuus est pro fratribus, qui ex uno prodierunt; sed Angeli non fuerunt Christi fratres, nec ex uno prodierunt: ergo &c. Probatur major ex Apostolo ad Hebr. 2. *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, propter quod non confunditur fratres eos vocare, dicens. Narrabo nomen tuum fratribus meis.* XIII. Augustinus in Enchiridio c. 16. *Non pro Angelis mortuus est, sed idem etiam pro Angelis sit quicquid hominum per ejus mortem redimitur, & liberatur a malo; quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam post inimicitias, quas inter homines, & sanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemptione ruina illius angelica detrimenta reparantur.* Quæ verba explicantur, quod sedes Angelorum, quæ vacuæ remanserant, per homines erant implendæ per Christi mortem: ergo vere pro Angelis non est mortuus. XIV. Christus non est caput Ecclesiæ Angelorum, sed hominum: ergo non meruit Angelis, sed hominibus gratiam. XV. Si Christus esset mortuus pro Angelis, Angeli non habuissent beatitudinem ante Christi mortem; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur major. Quia Christus mortuus est pro hominibus, homines non habuerunt beatitudinem ante Christi mortem: ergo idem dicendum est de Angelis.

Respondemus ad I. Sufficere ad prioritatem, quam habet esse ad operari, quod sit prioritas naturæ, & non requiri, quod sit prioritas temporis. Exemplum afferunt in sole, de quo dicunt, quod eodem instanti fuit, & illuminavit. Revera instans temporis plura signa complectitur; & non est repugnantia, quod in uno signo priori sit esse, & in altero posteriori sit operatio; & hæc est prioritas naturæ; quæ etiam per dependentiam explicatur, quatenus operari ab esse dependeat.

Ad II. Illa omnia verificantur in illis, qui imperfecte cognoscunt, adeoque indigent consultatione, discursu, deliberatione, operatione, quæ eodem temporis instanti fieri non possunt. At qui perfecte intelligit, unico actu illa omnia perficit; & sic sufficit unicum temporis instans ad illa omnia perficienda, & perfecte etiam complenda. Sic fuit anima Christi propter perfectam scientiam, qua erat imbuta.

Ad III. distinguitur antecedens: naturalis operatio præsupponitur ad liberam, prioritate naturæ, conceditur; prioritate temporis, negatur. Non enim implicat, ut quamplurimi docent, quod homo eodem temporis instanti intelligat, & velit idem objectum; & tamen intellectio est naturalis operatio, volitio est libera.

Ad IV. Negatur antecedens; quia in primo mortis instanti non erat Christus homo, quum tunc fuerit anima Christi a corpore separata; & quia non erat, nec merebatur. Ad probationem ejusdem antecedentis distinguitur propositio illa: Christus meruit per suam mortem in fieri, conceditur; tunc enim supponitur vivens adhuc; in facto esse, negatur; quia tunc jam supponitur mortuus. Si dicant, quod Christus meruit per mortem completam, quia mors nondum completa non est mors; adeoque meruit per mortem in facto esse; dicimus, quod meruit objective per mortem completam, quia vivens illam obtulit Patri; non vero meruit formaliter, quia tunc nec erat homo, nec erat viator, quod requiritur ad meritum formale.

Ad V. Ab illo vulnere, quod Christus accepit post mortem, emanarunt sacramenta, ecclesia, salus &c.; sed tanquam a causa meritoria objectiva; quia Christus prævidens illud futurum, obtulit Patri adhuc vivens; non vero tanquam a causa meritoria formaliter, quia non fuit actus vitalis, & moralis; quod in idem coincidit cum præterita responsione de morte.

Ad VI. Distinguitur major: Resurrectio Christi fuit causa exemplaris nostræ resurrectionis, conceditur; fuit causa meritoria; subdistinguitur, meritoria objective, conceditur; meritoria formaliter, negatur. Explicatur distinctio. Fuit causa exemplaris, quia sicut resurrexit Christus, ita resurgemus & nos. Fuit etiam causa meritoria objective, quia Christus prævidens illam, obtulit Patri; & in hoc sensu fuit causa nostræ resurrectionis, & nostræ justificationis. Non fuit autem causa meritoria formaliter, quia Christus pro illo tunc non erat amplius viator, & per consequens non erat in statu merendi formaliter.

Ad VII. Primo Augustinus, Nazianzenus, & Anselmus, per oleum lætitiæ non intelligunt gratiam habitualem, sed Divi-

Digitized by Google

vinitatem; secundo dato, quod per oleum lætitiæ gratia intelligatur, verbum *propterea* non significat caussam meritoriam, sed denotat caussam finalem. Unde sensus verborum illorum non est hic: Deus dedit tibi oleum, quia dilexisti justitiam: sed hic alius: Dilexisti justitiam, & ut illam diligeres, Deus dedit tibi oleum lætitiæ.

Ad VIII. Distinguitur minor: Christo debemus tribuere quod est perfectius, ubi rerum ordo non invertitur, conceditur; ubi invertitur, negatur. Et quidem rerum ordo inverteretur, si Christus operaretur absque gratia, & meritorie operaretur, quia hæc sequitur unionem hypostaticam, tanquam sui connaturalis proprietas. Insuper; perfectius est mereri post mortem, quam non mereri; perfectius est mereri gratiam essentialem, quam non mereri; perfectius est obtinere prædestinationem omnium hominum, & Angelorum, quam non obtinere: Et nihilominus primum non tribuimus Christo, quia non erat in statu viæ; nec tribuimus secundum, quia aliquando fuisset sine illa; non tribuimus tertium, quia sic Dei justitiæ non congruebat: Ita pariter, quanvis fuisset Christo perfectius mereri gratiam, quam non mereri, illi tamen non tribuimus, quia antequam mereatur non est in statu gratiæ; hic autem status requiritur ad merendum magis, quam status viæ &c.

Ad IX. Verum est, quod Adam absolute loquendo in statu innocentiæ non egut Christi morte; indigebat tamen meritis Christi prævisis ante decretam ejus mortem. Et sic intelligendus est Augustinus, cujus verba optime cum nostra responsione concordantur. Christus enim fuit prævisus ante Adæ prævisionem; at Christi mors fuit prævisa post Adæ culpam; ut suo loco firmavimus: Unde bene potuit Adam in statu innocentiæ indigere Christi meritis, quanvis Christi morte non indiguerit.

Ad X. Dicitur, quod quanvis gratia Christi applicata infirmis fuerit medicinalis, quando fuit tamen applicata sanis, talis non fuit. Ratio est, quia Christus ita attemperavit gratiam suam, ut si infirmis applicaretur, effet medicinalis, & sanativa, si vero applicaretur sanis, esset justificativa, & sanctificativa.

Ad XI. Quando sermo est de Christo mortuo, seu de morte Christi, non comprehendimus nos Adamum in statu innocentiæ, quum pro Adamo in tali statu Christus non sit mortuus, ut diximus; Apostolus autem loquitur de Christo mortuo, seu de morte Christi, ut ejus verba perspicue ostendunt. Ex meritis igitur Christi fuit Adæ in statu innocentiæ gratia collata, non autem ex morte; quum mors Christi prævisa fuerit post Adamum prævisum, & post prævisionem etiam ipsius culpæ.

Ad XII. Verba Apostoli intelligenda sunt de hominibus, & pariter sunt accipienda de sanctificatione per modum redemptionis, quod patet ex contextu. Sanctificatio autem per modum redemptionis hominibus tantum convenit, non Angelis. Homines sunt fratres, non Angeli; & hominibus, non Angelis, competit procedere ab uno.

Ad XIII. Concedimus, Christum non fuisse mortuum pro Angelis, sed dicimus, pro Angelis meruisse; ut toties fuit dictum. Et quanvis admittamus explicationē Augustini, qua aliquo modo possit dici, fuisse etiam pro Angelis mortuum, ultra tamen illam, dicimus quoque meruisse Christum pro Angelis, sensu a nobis explicato.

Ad XIV. Augustinus, Bernardus, aliique Patres, docent, eandem esse Angelorum, & hominum Ecclesiam. Ratio autem hæc est; ideo homines unam constituunt Ecclesiam, quia inter se conveniunt per visionem, & charitatem in Patria; quia etiam Angeli, & homines conveniunt in via in uno Deo credito, & adorato, & in patria in uno Deo viso, & amato, unam quoque constituent Ecclesiam.

Ad XV. Ideo homines post mortem Christi consequuti sunt beatitudinem, quia egebant satisfactione, & reconciliatione, quæ per solam Christi mortem consummatæ sunt. Non sic vero Angeli, qui nunquam ceciderunt, qui nunquam per culpam mortui sunt.

Dicimus V. Meritum Christi fuisse infinitum; hoc est quemlibet actum meritorium fuisse in Christo infinite meritorium. Est communis inter Thomistas post S. Thomam 3. p. q. 1. ar. 2, ad 2., & alibi; est etiam S. Bonaventuræ in 3. dist. dist. 13. ar. 1. q. 2., & sequuntur eam Suarez, Vasquez, Amicus, Esparza, Maderus, Cacherarus &c. contra Scotum, & Scotistas, Nominales &c.

I. Probatur. Ex Extravagant. Clementis VI.,

Digitized by Google

VI., quæ incipit *Unigenitus*, habemus, Christi merita fuisse infinita. Loquens enim de thesauro Ecclesiæ, hæc subdit: *De cujus consumptione non est aliquatenus formidandum, propter infinita merita Christi*: Quibus verbis Pontifex appellat absolute Christi merita infinita, & propter ipsa dicit, Ecclesiæ thesaurum esse inconsumptibile, quod idem est ac dicere pariter infinitum: Non esset autem thesaurus Ecclesiæ infinitus, nisi contineret res infiniti valoris: ergo si Pontifex appellat thesaurum Ecclesiæ inconsumptibile, infinitum, quia continet merita Christi, merita Christi sunt infiniti valoris.

II. Probatur. Satisfactio, & meritum, pari passu procedunt: ergo ubi est satisfactio infinita, ibi est meritum infinitum; sed quilibet actus satisfactorius Christi fuit infinite satisfactorius: ergo quilibet actus meritorius Christi fuit infinite meritorius. Probatur antecedens. Quantitas meriti, & satisfactionis attenditur penes valorem moralem; & sicuti nullum potest excogitari debitum, pro quo solvendo Christi satisfactio non sit condigna, sic nullum potest dari præmium, pro quo assequendo non sit condignum meritum Christi.

III. Probatur. Fuit in Christo valor moralis infinitus: ergo fuit in Christo meritum infinitum. Sequitur consequentia, quia tantum est meritum, quantus est valor moralis; & quilibet actus tantum est meritorius, quantum valet. Probatur antecedens. Valor moralis provenit a dignitate, & sanctitate; sed in operibus Christi fuit valor proprius proveniens a dignitate, & sanctitate simpliciter infinita, & quæ intrinsece, & formaliter se habet: ergo valor moralis operum Christi fuit simpliciter infinitus. Probatur minor. Valor moralis operum Christi proprius provenit a Persona Verbi, quæ est unita mediate illis operibus, non præcise per modum causæ efficientis, sed etiam, ut ajunt, per modum formæ, & termini intrinseci; sed dignitas, & sanctitas Personæ Verbi est simpliciter infinita: ergo &c.

Obstant I. Opus meritorium Christi vel est opus creatum, vel increatum? Si increatum, non est meritorium, quia est opus Dei, qui mereri non potest. Si creatum, est finitum, quia nulla creatura est infinita: Si finitum: ergo finiti valoris. II. Christus vel meruit æqualiter per omnes actus suos, vel inæqualiter; non æqualiter, quia aliter eodem modo meruisset per unum suspirium, per unam sudoris guttam, per unam tantummodo lacrimam, ac per totam passionem, & mortem, quod non est dicendum: neque inæqualiter, quia quum essent infiniti valoris, non datur unum infinitum majus alio. III. Actus humani Christi denominative tantum erant a Supposito, elicitive vero, & proprie erant ab ipsa humanitate, gratiis & virtutibus finitis a Deo exornata: ergo erant simpliciter finiti. Probatur antecedens. Si in Christo esset suppositum humanum, tantum denominaret ejus actus, quum hoc sit munus ejus terminare naturam, & ultimate complere, non autem agere, nec elicere, quia hoc spectat ad naturam; sed Verbum supplet vices Suppositi humani: ergo tantum denominat, non elicit, actus Christi. IV. Etiam si Persona divina operetur cum humana natura, non operatur tamen modo infinito, sed finito: ergo actus, qui procedit ab illo, est simpliciter finitus. Probatur antecedens; quia non agit ut Persona Divinitatis, sed ut Persona humanitatis assumptæ: ergo agit modo finito, non infinito. V. Valor meriti non solum desumitur a Personæ operantis sanctitate, ac dignitate, sed etiam ab aliis circumstantiis; illa enim est principium quod, hæ vero faciunt principium quo; sed principium quo est finitum: ergo quanvis principium quod sit infinitum, valor meriti erit finitus. VI. Sanctitas substantialis infinita non tribuit humanitati infinitam sanctificationem: ergo neque tribuit operibus humanitatis valorem infinitum. VII. Sine Dei acceptatione opera Christi nec sunt satisfactoria, nec meritoria; sed si haberent valorem simpliciter infinitum, non egerent libera Christi acceptatione, quia necessitarent Christum ad acceptationem: ergo valorem simpliciter infinitum non habent. VIII. Merito simpliciter infinito debet respondere præmium simpliciter infinitum; sed operibus Christi non datur præmium simpliciter infinitum: ergo ejus opera non habuerunt meritum simpliciter infinitum. Probatur minor. Meritum Christi vel est condignum pro omni præmio divisive, vel collective accepto; si divisive, præmium non est infinitum; si collective, præmium non est adæquatum;

Digitized by Google

tum ; adeoque plus meruit Christus, quam possit Deus præmiare ; major esset terminus omnimerentiæ Christi, quam omnipotentiæ Dei ; denique meritum infinitum Christi haberet terminum impossibile.

Respondemus ad I. dicendo, esse opus creatum; quando dicitur in argumento, esse opus finitum, quia est creatum, distinguitur; physice, conceditur; moraliter, negatur. Certum est, quod entitative quodlibet opus Christi erat finitum, quia erat creatum ; at in genere moris, erat infinitum, quia erat valoris infiniti.

Ad II. dicitur, quod opera Christi præter valorem sibi proprium, qui proveniebat a dignitate substantiali personæ, habebant alium valorem, qui erat communis omnibus operibus Justorum, & proveniebat a sanctitate accidentali, ab intensione actus, a bonitate objecti. Quanvis igitur opera Christi omnia pro priori valore fuerint æqualia, secundum vero valorem posteriorem fuerunt inæqualia. Inæqualitas autem, quæ requiritur ad meritum, attendenda est præcipue circa actus intensionem, & objecti bonitatem; quia circa hæc duo exerceatur præcipue libertas; quum non subsit libertati valor proveniens a substantiali dignitate personæ; & per hoc opera Christi habent inæqualitatem, quæ requiritur ad inæqualitatem merendi.

Ad III. Falsum est, quod actus humani Christi denominative tantum sint a Persona; quia actiones sunt Suppositorum; Et quanvis a Suppositis denominentur, non per hoc tamen fit, quod Suppositа non operentur. Differentia stat in hoc inter suppositum, & naturam, in actibus, qui exercentur; quod operatur natura, & operatur Suppositum; actus tamen a supposito denominatur, & non a natura.

Ad IV. dicitur, quod operatur finite Persona Verbi, quatenus est Persona humanitatis, sed physice; operatur tamen infinite, seu modo infinito, moraliter. Ut enim conformetur humanitati, quæ finita est, sufficit, ut modus physice operandi sit finitus, & operationes secundum entitatem sint finitæ. Attamen quia eadem Persona est Divinitatis, & humanitatis; & hæc est simpliciter infinita, si non habent ejus actus humani infinitatem in entitate, habent in valore; qui ut infinitus humanitati non repugnat, sicut repugnat entitas infinita.

Ad V. Ad infinitum simpliciter, quod sumitur pro eo, quod est infinitum in omni genere, admitti potest, quod omnia, ex quibus consurgit, sint infinita; at ad infinitum simpliciter, quod accipitur pro eo, quo majus dari non potest in aliquo determinato genere, non requiritur illud ipsum; sed sufficit, quod sit infinitum illud, quod est præcipuum, & formale in tali genere. Sufficit igitur in operibus Christi, ut sint infinita simpliciter, quod sit infinitum principium quod, absque eo quod requiratur, esse pariter infinitum principium quo.

Ad VI. dicit Cacheranus, quod pro re tanta est sanctificatio in humanitate Christi, quantus est moralis valor in ejus operibus; & sicut illa, ita iste, habet infinitatem solum in genere participato, & creato: Pro modo tamen loquendi infinitas hæc potest dici infinitas simpliciter respectu valoris moralis operum, non respectu sanctificationis naturæ. Rationem subdit; quia respectu valoris operum est infinitas omnino summa; non sic tamen est respectu sanctificationis naturæ, quia datur sanctitas Dei, quæ est illa major.

Ad VII. Valor operis meritorii, vel satisfactorii, non est tantum, quando in actu secundo accipit præmium, vel extinguit debitum, sed etiam quando in actu primo est potens illud exequi. Et hoc sufficit, ut præcisa etiam acceptione, quæ dicit ordinem ad actum secundum, salvetur in operibus Christi infinitas simpliciter ad merendum, & ad satisfaciendum.

Ad VIII. dicit Cacheranus cum pluribus aliis, præmium condignum infiniti valoris operum Christi esse aliam unionem hypostaticam, quæ est bonum non absolute increatum, non absolute creatum, sed partim increatum, & ex parte creatum. Fuse de hoc præfatus Auctor tractat, ad quem remittimus Legentes, si de illo plura desiderant.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTAT. CLXXXVI.

De Gratia Christi. An fuerit in ipso, præter gratiam unionis, gratia habitualis? Quæ, qualis, & quanta fuerit? An gratia actualis? An gratiæ gratis datæ? An habitus virtutum, & Spiritus Sancti dona?

QUadruplex in Christo distinguitur Gratia, unionis nimirum, habitualis, gratis data, & gratia capitis. De prima, quæ est ipsamet hypostatica unio, satis actum est in superioribus; dicitur autem gratia, quia concessa est a Verbo humanitati citra ullum debitum, & humanæ naturæ meritum. Gratia autem habitualis, quomodocumque explicetur, quod suo loco videbitur, est donum Dei, quo anima sanctificatur, & fit Deo grata. Gratia gratis data complectitur dona supernaturalia, quibus Christus ornatus a Deo fuit, ut adimpleret Redemptoris, & Legislatoris munera. Gratia denique capitis est eadem gratia habitualis Christi, quatenus est principium sanctificandi sua membra. De hac ultima gratia peculiari Dissertatione inferius tractabitur; in hac agemus de secunda, sicut & de gratia actuali, quæ est etiam auxilium Dei ad omne bonum; & de gratiis gratis datis, de habitibus nimirum virtutum, & de Spiritus Sancti donis.

Dicimus I. Animam Christi revera fuisse gratia habituali illustratam. Est communis inter Theologos, contra quosdam paucos, quos commemorat Paludanus, & qui dicebant, gratiam habitualem fuisse Christo superfluam.

I. Probatur ex Scripturis. Isai. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini*. Nomine Spiritus Domini intelligitur gratia habitualis, ejusque permanentia in Christo per alia verba significatur; ut explicat S. Cyrillus initio lib. 2. in Isaiam. Isai. 61. ubi loquens Propheta in persona Christi, dicit: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me*. Hæc verba vaticinata esse de Christo, ipsemet Christus asseruit Luc. 4., & illorum hic est sensus apud Fraffen: „ ideo Spiritus Sanctus, „ seu Spiritus Domini, per donum gratiæ „ habitualis ineſt Christo, quia ipse per „ unionem hypostaticam unctus est gratia „ substantiali & increata. „ Joann. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ, & veritatis*. In quibus verbis plenitudo gratiæ significat gratiam creatam, eamque habitualem, & perseverantem; quia statim ad illa subsequuntur hæc alia: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Joann. 8. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Luc. 1. *Quod nascetur ex te sanctum*; ubi per *nascetur* intelligunt Patres conceptionem, non tantum nativitatem; unde Bernardus scribit hom. 4. super Missus est: *Singulariter sanctum fuit quicquid Virgo concepit*; unde hanc gratiam habitualem habuit Christus primo suæ conceptionis instanti.

II. Probatur ex Patribus. Augustinus lib. 15. de Trinit. c. 26. *Dominus ipse Jesus non solum Spiritum Sanctum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo; & propterea dictus est plenus gratia, quia unxit eum Deus Spiritu Sancto; non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia*. Patres alii communiter docent, Christum fuisse natura sanctum; id est, ut explicat Hennus, non prius tempore habuisse naturam, quam gratiam sanctificantem. Patres etiam unanimiter asserunt, fuisse in Christo omnes perfectiones naturales, & supernaturales utriusque naturæ; inter supernaturales ad humanam naturam spectantes præcipua fuit gratia habitualis.

III. Probatur Rationibus. I. Inter Christum, & alios Prædestinatos, fuit conformitas sanctitatis; sed non potuit esse conformitas sanctitatis, nisi ratione gratiæ habitualis: ergo fuit in Christo gratia habitualis. Major patet ex illo Apostoli ad Rom. 8. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse Primogenitus in multis Fratribus*. Minor etiam constat, quia fundamen-

Digitized by Google

mentum hujus conformitatis est paritas gratiæ sanctificantis. II. Gratia sanctificans est perfectio in Angelis, & hominibus, & non est inconveniens gloriæ Christi, nec repugnans hypostaticæ unioni: ergo non est deneganda Christo. Probatur major; quia gratia sanctificans confert ad pulchritudinem spiritus angelici, & animæ rationalis, illosque maxime illustrat, ex una parte; ex altera vero unio hypostatica primo, & per se solum dicit oppositionem cum propria humanitatis subsistentia: ergo non repugnat gratiæ sanctificanti, quæ est distincta omnino a subsistentia humanitatis, & animam Christi maxime etiam illustrat. III. Anima Christi debuit etiam uniri Deo per cognitionem, & amorem supernaturalem, ultra physicam unionem humanitatis ad Verbum; sed necessaria fuit gratia habitualis ad elicitionem naturalem actuum cognitionis, & amoris supernaturalium: ergo fuit etiam in Christo gratia habitualis.

Obstant I. Christus nullam habuit adoptivam filiationem; sed gratia habitualis datur tantum ad adoptivam filiationem; ergo non fuit in Christo. Major ex sequentibus Dissertationibus patebit. Minor probatur. Formalis effectus gratiæ habitualis est reddere illam habentem filium adoptivum Dei: ergo gratia habitualis tantum datur ad adoptivam filiationem. Probatur antecedens. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 10. docet, justificationem, cujus habitualis gratia est causa formalis, esse translationem a statu peccati ad statum adoptionis filiorum Dei; sed non potest esse forma in subjecto sine suo effectu formali: ergo effectus formalis gratiæ habitualis est reddere illam habentem filium adoptivum Dei: ergo non potuit in Christo esse gratia habitualis, quin esset filius adoptivus Dei. II. Gratia habitualis reddit illam habentem Deum per participationem; sed qui est Deus per essentiam, cujusmodi est Christus, non potest esse Deus per participationem: ergo Christus non habuit gratiam habitualem. III. Subjectum continens aliquam perfectionem eminenter, non potest illam continere formaliter; sed ratione unionis hypostaticæ continet gratiam habitualem eminenter Christus: ergo non potest eam continere formaliter. IV. Gratia habitualis datur a Deo, ut anima fiat Deo grata; sed anima Christi jam erat Deo grata per gratiam unionis, & non poterat fieri magis grata, quam erat, per gratiam habitualem: ergo non fuit in Christo gratia habitualis. Probatur minor. Anima Christi per gratiam unionis erat Deo grata infinite: ergo non poterat fieri magis grata, quam erat.

Respondemus ad I. quod esse filium adoptivum Dei est effectus secundarius gratiæ habitualis, non primarius: Et quamvis effectus formalis primarius non possit a sua causa separari, potest tamen separari secundarius. Quod autem adoptiva filiatio sit secundarius effectus gratiæ habitualis, sic ostenditur a Fraſſen, quia gratia habitualis est forma quædam absoluta, adoptiva autem filiatio est relatio; nulla autem relatio est effectus primarius alicujus absoluti. Primarius autem effectus gratiæ habitualis est reddere subjectum Deo gratum gratitudine formali; ad quem effectum sequitur filiatio, quando subjectum illius est capax.

Ad II. Qui est Deus per naturem secundum unam rationem, potest esse Deus per participationem secundum alteram; & in hoc non est contradictio, quæ esset, si esset secundum unam, & eandem rationem per naturam, & per participationem Deus. Christus est Deus per essentiam, ratione substantiæ, & naturæ divinæ, quæ per unionem hypostaticam fuit ipsi communicata; est Deus autem per participationem, ratione habitualis gratiæ, quam recepit: Sic respondet pariter Fraſſen.

Ad III. Idem Fraſſen respondet distinguendo. Si eminentialis continentia non solum sit effectiva rei, quam dicitur continere, sed etiam exequutiva effectuum, quos res illa potest præstare, concedit; si tantum sit productiva illius rei, quam eminenter dicitur continere, non vero exequutiva effectuum, quos potest edere res illa, negat. Proinde subdit, quod quamvis gratia unionis eminenter contineat omnem gratiam, non potest tamen producere eosdem effectus, quos per se præstat gratia habitualis in anima Christi; quia nec animam Christi sanctificat, ut facit gratia habitualis, hoc est formaliter; nec constituit eam in statu, ut possit connaturaliter edere actus supernaturales, & meritorios.

Ad IV. Certum est, quod ille, qui est infinite gratus non potest esse magis gra-

tus in eodem genere gratificationis ; at in alio genere potest. Anima Christi per unionem hypostaticam est grata Deo infinite gratitudine substantiali ; hoc autem non impedit, quod sit etiam grata Deo in alio genere per gratiam habitualem, scilicet in genere gratitudinis accidentalis. Quod quidem patet etiam ex eo, quod quanvis anima Christi per unionem hypostaticam habuerit alias perfectiones substantiales infinite, habuit tamen quoque omnes dotes accidentales, quibus fuit illustrata ejus humanitas ; ut docet Frassen.

Dicimus II. Christum habuisse gratiam habitualem primo suæ conceptionis instanti ; fuisse in illo ad aliqualem sanctificationem, & ad connaturalem modum eliciendi actus supernaturales : fuisse ejusdem speciei, & rationis essentialis, ac in Angelis, & hominibus : fuisse denique physice, & moraliter infinitam ; Num vero fuerit summa moraliter, & non physice forsitan Deo fortunante, videbitur in tracta. de grat. summam vero moraliter, sed non physice. Plures habet partes Conclusio.

I. Probatur I. pars, quod scilicet Christus habuerit gratiam habitualem primo suæ conceptionis instanti. Luc. 1. dicitur : *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei* ; si nascitur sanctum ; ergo jam antequam nascatur est sanctum : ergo sanctum in conceptione ; unde Bernardus, ut diximus, hom. 4. sup. Missus est : *Singulariter sanctum fuit quicquid Virgo concepit*. II. Christus habuit gloriam primo suæ conceptionis instanti, ut communiter docet Patres, & Theologi ; ergo eodem instanti habuit gratiam. Consequentia bene infertur, quia gratia præcedit gloriam, & gloria supponit gratiam. III. Anima Christi fuit sancta etiam accidentaliter primo suæ conceptionis instanti, ut alibi diximus ; sed non potuit esse sancta accidentaliter, nisi per gratiam habitualem : ergo &c. IV. Christus meruit primo suæ conceptionis instanti ; at meritum non est sine gratia : ergo &c. V. Non decebat, quod humanitas dum divinitati uniretur, esset sine gratia ; ergo quando fuit naturarum unio, fuit etiam gratiæ communicatio.

II. Probatur II. pars, quod scilicet fuerit in Christo gratia habitualis ad aliqualem sanctificationem, & ad connaturalem modum eliciendi actus supernaturales ; quæ est sententia S. Thomæ, & omnium Thomistarum, & fere omnium Neotericorum, contra Vasquez putantem, Christi humanitatem non sanctificari per gratiam habitualem, præsertim in genere causæ formalis ; & contra alios quosdam, quos recenset Cacheranus, qui hanc nostram sententiam propugnat, & cujus adhibemus rationes, & responsiones. I. Christus habuit omnem modum sanctificationis, cujus est capax ; sed est capax sanctificationis accidentalis, quæ est aliqualis sanctificatio, & quæ provenit a gratia habituali : ergo illam habuit. Minor probatur. Si non esset capax gratiæ accidentalis, & finitæ, ideo esset, quia habuit gratiam substantialem, increatam, & infinitam ; sed hoc ipsum probat, quod Christus neque habuerit scientiam creatam, quia habuit increatam, quod est falsissimum : ergo ratio illa, quæ est Vasquesii, nil probat contra sententiam nostram. II. Connaturalis modus eliciendi supernaturalis actus, est quod eliciantur dependenter ab habitibus virtutum per se infusarum, & præcipue a charitate, quæ vel est indistincta, vel est inseparabilis, a gratia habituali ; sed conveniens fuit, quod Christus per connaturalem modum ediderit supernaturales actus : ergo ad hanc connaturalitatem in ipso servandam, debet in ipso admitti gratia habitualis.

III. Probatur III. pars, quod nimirum gratia habitualis Christi fuerit ejusdem speciei, & rationis essentialis, ac in Angelis, & hominibus justis. I. In hoc differunt gratia habitualis Christi, & illa Angelorum, ac hominum justorum, quod una est intensior altera ; sed intensio non variat essentiam, quam intendit : ergo sunt omnes ejusdem speciei, & essentiæ. Probatur major. Differentia est, quod una sit perfectior altera ; sed major perfectio est major intensio : ergo differentia est, quod una sit intensior altera. II. In naturalibus subjectis eadem est forma, quæ est in capite, ac quæ est in cæteris membris : ergo in Christo, qui est nostrum caput in supernaturalibus, eadem est forma, seu gratia, ac in nobis, qui sumus ejus membra. Non eadem numero, quia hæc repugnat : ergo eadem specie. III. Nequit dari gratia habitualis, quæ non sit in una specie atoma, & quæ admittat specificam diversitatem, ut videbitur suo loco : ergo nequit esse in Christo gratia habitualis,

quæ

Digitized by Google

quæ specie differat a nostra. IV. Charitas, & visio beata in Christo sunt ejusdem speciei, ac in nobis: ergo pariter gratia habitualis. Consequentia sequitur; quia charitas vel est indistincta, vel est inseparabilis a gratia habituali; & hæc est proprium beatificæ visionis semen. V. Si esset gratia habitualis Christi diversa specie a nostra, vel esset ratione subjecti, vel effectus formalis, vel proprietatum, vel alicujus prædicati cum ipsa gratia specialiter identificati, vel infinitatis ipsius gratiæ Christi; sed ex nullo ex his capitibus: ergo &c. Probatur minor. Non primum; quia subjectum inhæsionis, scilicet anima, est eadem specie; ulterius subjectum inhæsionis tribuit tantum numericam, non specificam diversitatem; subjectum etiam denominationis, quod est totum compositum, seu suppositum, non tribuit hanc specificam diversitatem; quia sicut eam non tribuit humanitati, ita nec tribuit gratiæ. Non secundum; quia diversitas effectus formalis, quæ est filiatio adoptiva, proveniens ex incapacitate subjecti, aut etiam diversitate, non infert diversitatem specificam formæ. Non tertium; quia, quod ex gratia habituali in Christo non fluant habitus fidei, spei, pœnitentiæ, & similium, qui ex eadem in nobis emanant, non provenit ex diversitate gratiæ, sed ex conditione subjecti, quod illorum habituum est incapax. Non quartum; quia quod gratia habitualis Christi sibi identificet habitum luminis gloriæ, & sit per se ipsam immediatum principium actuum visionis, & amoris, qui specie a nostris differant; hoc non provenit præcise ex ipsa gratia, sed aliunde; ultra quod illud gratis, & arbitrarie asseritur; ut Cacheranus observat. Non quintum denique; quia sola infinitas essentialis speciem mutat; infinitas autem, quæ est in habituali gratia Christi, vel secundum aliquos est tantum moralis, vel juxta alios est physica, sed intensiva solum, & gradualis; quod nunc dictum, explicamus, atque probamus.

IV. Probatur IV. conclusionis pars I. Supponimus ex Philosophicis possibilitatem, seu non repugnantiam, infiniti cathegorematici; atqui hoc supposito, non exigitur limitatio, immo exigitur infinitas intensiva, seu entitativa in Christi gratia habituali: ergo gratia habitualis Christi est intensive, & entitative infinita. Probatur minor. Per S. Thomam 3. p. q. 7. ar. 11. ideo exigitur limitatio, quia capacitas animæ Christi recipientis gratiam est finita; sed hoc quanvis sit verum supposita repugnantia infiniti cathegorematici, falsum est tamen supposita ejusdem non repugnantia: ergo &c. Major est S. Thomæ in his verbis: *Gratia habitualis Christi secundum quod est quoddam ens, necesse est, quod sit ens finitum; est enim in anima Christi, sicut in subjecto; anima autem Christi est creatura quædam habens capacitatem finitam.* Minor probatur. Capacitas animæ Christi alia est naturalis, alia est obedientialis; prima commensuratur rei, cujus est capacitas, & in re finita est finita: secunda commensuratur principio, cui res obedit, & in re etiam finita est infinita, quando principium est infinitum; sed capacitas in anima Christi in ordine ad gratiam est capacitas obedientialis, & refertur ad Deum, qui est principium infinitum: ergo &c. Eadem minor probatur pro altera parte. In Christo quod maxime exigit gratiam habitualem est gratia unionis, seu sanctitas substantialis; sed sanctitas substantialis in Christo est infinita: ergo exigit gratiam habitualem infinitam. Probatur major. Gratia habitualis se habet in ordine ad sanctitatem substantialem quasi passio ad essentiam, & quasi proprietas ad naturam; sed essentia exigit passionem, & natura exigit proprietatem, quantum fieri potest, sibi proportionatam, & commensuratam: ergo gratia unionis, seu sanctitas substantialis in Christo exigit gratiam habitualem infinitam. Probatur minor. Si exigeret, & non haberet, ideo esset, quia Deus exigentiam illam impediret; sed hoc Deus non facit: ergo &c. Probatur minor. Non debuit Deus exigentiam frustrare, quia non est alia fortior exigentia ad aliquod impossibile cum gratia infinita; ulterius, quia in ordine ad gratiam finitam non est assignabile aliquid exigens hanc potius, quam illam determinatam intensionem; ut in responsionibus videbitur.

V. Probatur eadem IV. pars, scilicet, quod etsi sit infinita physice in Christo gratia habitualis, non sit tamen summa. Gratia Christi habitualis, quanvis intensive, & entitative infinita, non continet omnes gradus gratiæ: ergo non est summa. Antecedens supponimus ex Philosophicis, in quibus probavimus, infi-

nitum qua infinitum non dicere omne; insuper dari posse infinitum unum majus alio, etiam in eodem genere. Consequentia sequitur; quia quum non contineat omnes gradus gratiæ, est capax additionis, & potest etiam produci in alio gratia, quæ contineat gradus illos, & alios; unde gratia illa non erit summa nequidem negative.

VI. Probatur eadem IV. pars, nimirum, quod gratia Christi habitualis fuerit infinita, & summa moraliter. Gratia Christi habitualis moraliter sumpta importat moralem dignificationem, quam a divino Suppositio habet; sed divinum Suppositum infinitum est, ac summum, & non potest dari aliud ipso majus, aut quod habituali gratiæ magis conjungatur: ergo gratia sic moraliter accepta habet aliquam infinitatem, & summitatem.

Objiciunt I. contra singulas Conclusionis partes. Hilarius, & Hieronymus in explicatione vaticinii Isaiæ: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me*; docent, fuisse illud in Christi baptismo adimpletum; quando scilicet super eum Spiritus Sanctus in columbæ specie visibiliter apparuit: ergo non ante baptismum accepit Christus Spiritum Sanctum, seu gratiam. II. Si sanctificatio in Christo proveniret non a sola sanctitate increata Verbi, sed etiam a sanctitate creata, gratiæ habitualis, Complexum ex humanitate, & Verbo, hoc est Christus, esset quid perfectius, & sanctius Verbo ipso secundum se; sed hoc est omnino falsum: ergo &c. III. Ideo habitus virtutum infusarum præsupponunt gratiam habitualem, quia quum sint ipsæ ordinis supernaturalis, debent præsupponere subjectum constitutum in eodem supernaturali ordine; sed hæc ratio non habet locum in Christo: ergo &c. Probatur minor. Humanitas Christi per gratiam unionis etiam præcise acceptam melius elevatur ad esse supernaturale, & divinum, quam per gratiam habitualem elevetur: ergo ratio illa in Christo non habet locum; adeoque non est necessaria in ipso gratia habitualis ad connaturalem modum eliciendi actus supernaturales. IV. Gratia habitualis nostra facit nos filios Dei adoptivos; sed gratia habitualis Christi non fecit Christum filium Dei adoptivum: ergo non est ejusdem speciei cum nostra. V. Gratia nostra est particularis, gratia Christi fuit universalis, quia habebat influxum in omnem gratiam nostram: ergo inter se differunt specie. Probatur consequentia; quia forma universalis, & forma particularis, specie differunt. VI. Si valeret nostra ratio pro infinitate physica gratiæ habitualis Christi, posset per eandem probari etiam infinitas extensiva, seu entitativa habituum virtutum per se infusarum; quia hi etiam sunt in Christo, & sunt proprietates, & passiones gratiæ unionis, vel saltem se habent ad gratiam habitualem, sicut hæc se habet ad gratiam unionis: unde sicut ex infinitate unionis infertur infinitas gratiæ habitualis, ita ex infinitate gratiæ habitualis posset inferri infinitas habituum; & deinde ex infinitate habituum infinitas actuum; quod nemo admitteret. VII. Sanctitas substantialis Christi non solum sanctificat ipsum infinite, sed etiam summe: ergo pariter exigit gratiam habitualem non solum infinitam, sed etiam summam. Probatur consequentia. Ideo dicitur infinita gratia habitualis, quia sanctitas substantialis est infinita: ergo pariter ideo gratia habitualis dicenda est summa, quia sanctitas substantialis est summa. VIII. Si gratia habitualis Christi accepit a Verbo moralem infinitatem, & summitatem: ergo accepit etiam physice; quum eadem sit ratio.

Respondemus ad I. Hilarium & Hieronymum non intellexisse, quod Christus trigesimo ætatis suæ anno, qui est annus, quo baptizatus est in Jordane a Joanne, habitualem gratiam acceperit; sed tantum quod die illo innotuit mundo, per Patris vocem, & per Spiritus Sancti figuram, illum esse Christum; hoc est omnibus Spiritus Sancti donis unctum.

Ad II. Negatur sequela. Tunc enim complexum illud ex humanitate, & Verbo esset quid sanctius, quando in hujusmodi complexo sanctificatio Verbi proveniret etiam a sanctitate creata; sed hoc falsum est, quia sanctificatio Verbi non provenit a sanctitate creata. Si vero intelligitur, quod in tali complexo sanctificatio humanitatis proveniat etiam a gratia habituali; nec etiam admittitur sequela illa; quia sicut dicitur, nihil esse sanctius Verbo secundum se, ita jure præsumitur dicendum, nihil esse sanctius humanitate sanctificata Verbi sanctitate.

Ad III. Non supponunt habitus infusi, connaturaliter loquendo, subjectum consti-

Digitized by Google

stitutum in supernaturali esse, nisi per formam sibi proportionatam proxime, & immediate; hæc autem sola est gratia habitualis, quæ se habet ad hujusmodi habitus, ut natura ad suas potentias. Gratia autem unionis, quanvis exigat tales habitus eminentiori quidem modo; attamen cum ipsis habitus exigit quoque gratiam habitualem, quæ illarum est radix. Unde fit, quod exigendo gratiam habitualem, & exigendo habitus infusos aliarum virtutum, gratia unionis, illos omnes exigat cum ordine inter se connaturali; hoc est cum antecedentia, & consequentia inter illos, exigendo nimirum habitus infusos ad gratiam habitualem, & gratiam habitualem ante habitus infusos; hos mediate, illam immediate.

Ad IV. Quod constituere filium Dei adoptivum est effectus secundarius gratiæ, & quidem moralis, adeoque ab ea separabilis, & præcipue quando subjectum illius effectus est incapax. Christus revera illius effectus est incapax, quia, quum respectu Dei non sit persona extranea, non potest a Deo adoptari.

Ad V. Ad differentiam specificam sufficere, quando habeant esse tale per se, & natura rei, quanvis aliquando id tantum habeant per accidens. Quod Christi gratia sit universalis, non provenit ex natura sua, sed ex conjunctione ad personam divinam: Unde si per impossibile humanitas desineret esse conjuncta Verbo, & gratiam suam habitualem retineret, gratia illa non esset universalis, sed peculiaris. Ulterius, si gratia Christi esset in nobis, & gratia nostra esset in Christo; tunc nostra esset universalis, quia esset in Christo; & illa Christi esset peculiaris, quia esset in nobis.

Ad VI. Dicitur, hanc esse differentiam, quia infinitas extensiva actuum meritoriorum, quos Christus eliciebat ut viator, dependebat a voluntate Christi, quum Christus poterat illos multiplicare ad libitum; & quando nollet eos multiplicare, infiniti non erant. Infinitas vero intensiva nullo modo a voluntate Christi dependebat, quia cujuscunque actus infinitas ab unione hypostatica dependebat, quæ a voluntate Christi impediri non poterat.

Ad VII. Gratia habitualis est infinita in Christo, & non summa. Infinita, ut probatum est 4. con. parte. Non summa, quia non continet omnes gradus gratiæ, cum enim sit aliquod creatum non potest continere omnem perfectionem etiam possibilem. Quanvis igitur sanctitas substantialis infinitam gratiam habitualem exigat; non tamen potest exigere summam; hæc enim non potest stare in linea, & conceptu alicujus creatæ perfectionis, cum nihil extra Deum adeo sit perfectum, ut dicat omne, & summum. At vero gratia habitualis infinita in Christo prout exigita a sanctitate substantiali non extrahitur a conceptu, & linea creata, ideo admittenda est in Christo, cujus humanitas est capax.

Ad VIII. Differentia est inter infinitatem physicam, & moralem; quia physica est secundum intensionem actuum, moralis vero secundum valorem. Hic quidem potest esse infinitus, & summus, ille autem potest esse infinitus, sed non summus. Ratio est, quia valor moralis, ut diximus, consistit in morali dignificatione, quæ a divino Supposito habetur; ac proinde quum divinum Suppositum sit infinitum, & summum, ipsa etiam dignificatio est infinita & summa. Infinitas vero physica, & summitas, consistit in omnibus gradibus possibilibus, infinitas autem, & non summitas, consistit in gradibus infinitis, sed non in omnibus possibilibus: unde potest stare, quod gratia habitualis sit infinita, & non summa.

Dicimus III. In Christo fuisse Gratiam actualem, ac pariter Gratias gratis datas. Est communis contra Suarez putantem, visionem beatificam suppleviss in Christo vices gratiæ actualis.

I. Probatur I. pars ex Scripturis. Matth. 16. dicitur Christus ductus in desertum a Spiritu Sancto, ut tentaretur a Diabolo; sed docet Chrysostomus, non duxisse illum Spiritum Sanctum, nisi mediante speciali instinctu, & auxilio: ergo fuit in Christo hoc speciale auxilium; atqui hoc intelligitur sub actualis gratiæ nomine: ergo &c.

II. Probatur eadem pars. Si Christus non habuit gratiam actualem, ideo est, quia habuit visionem beatificam, ut putat Suarez; sed hæc ratio nulla est: ergo habuit Christus gratia actualem. Probatur minor. Visio beatifica quanvis dirigat operationes, quæ concernunt statum comprehensoris, non dirigit tamen illas, quæ concernunt statum viatoris:

etiam

Digitized by Google

ergo Christus in statu viatoris indiguit etiam actuali gratia: ergo ratio illa nulla est.

III. Probatur eadem pars. Christus ut viator operabatur supernaturaliter magis circa unum objectum, quam circa aliud; sed hoc non proveniebat a visione beatifica: ergo ab actuali gratia. Minor probatur. Visio beatifica æqualiter proponebat Christo omnia objecta: ergo non magis unum, quam aliud. Probatur antecedens. Visio beatifica non determinabat Christum ad specialem operationem circa unum objectum magis, quam circa aliud: ergo æqualiter ipsi proponebat omnia objecta: ergo quod circa unum magis, quam circa aliud, operaretur, a gratia habituali dependebat.

IV. Probatur II. pars; quod scilicet fuerint in Christo gratiæ gratis datæ; nimirum, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum. Augustinus ep. 57. ad Dardanum scribit: *Sicut in capite sunt omnes sensus, ita & in Christo omnes gratiæ.* In quibus verbis primo observamus particulam *omnes*, per quam importatur, quod sicut in homine non est sensus, qui non sit in capite, ita non est gratia, quæ non sit in Christo. Secundo particulam *sensus*, per quam significatur, quod sicut in homine sunt sensus, qui respiciunt particulare bonum hominis illum habentis, & alii, qui connotant bonum commune; ita in Christo sunt gratiæ, quæ sanctificant, & perficiunt ipsum Christum, & sunt gratiæ, quæ sunt ad bonum nostrum. Illæ sunt gratia unionis, gratia habitualis &c. Hæ vero sermo scientiæ, sermo sapientiæ, gratia sanitatum.

V. Probatur eadem pars in particulari. In Christo est abundantia conditionis divinarum rerum per altissimas causas, cum facilitate explicandi eas modis sublimibus, & mirabilibus; sed hæc est sapientia: ergo est in ipso sermo sapientiæ. Est pariter abundantia cognitionis rerum humanarum, & divinarum per inferiores causas, cum facilitate eas manifestandi humano, & communiore modo; sed hæc est scientia: ergo est in ipso sermo scientiæ. Hæ duæ gratiæ habentur. Luc. 4. *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant ex ore ipsius*: ex Matth. 7. *Admirabantur turbæ super doctrina ejus: erat autem docens eos sicut potestatem habens.* In Christo etiam erat fides; non quidem theologica, ut importat obscuritatem, sed ut dicit singularem certitudinem, & intelligentiam mysteriorum fidei, abstrahendo ab obscuritate; vel ut significat firmam fiduciam ea impetrandi a Deo, quæ postulantur. Gratia sanitatum, & operatio virtutum illetantum negabit quod in Christo fuerint, qui Evangelium non legerit. De Prophetia sunt textus apertissimi Deuter. 18. *Prophetam de gente tua, & de Fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus*: & Luc. 7. *Propheta magnus surrexit in nobis*: Et 24. *Qui fuit vir Propheta potens in opere, & sermone.* Discretio spirituum, quæ est potestas penetrandi secreta cordium, & judicandi, quo animo loquantur homines, & quo spiritu ducantur, dum aliquid aut dicunt, aut faciunt, quod in Christo fuerit; innuitur Matth. 9. *Cum vidisset Deus cogitationes eorum, dixit: ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et 12. *Jesus autem sciens cogitationes eorum.* Genera linguarum, & interpretationem sermonum quis Christo inficias ibit, quum in Evangelio habeamus Luc. 1. fuisse illum in duodecim annorum ætate cum Doctoribus disputantem; & Matth 13. dicentem: *Eructabo abscondita a constitutione mundi?* Si de facto non fuit loquutus alienâ lingua ab illa, qua tunc temporis utebantur Judæi, quis dicet, quod aliorum idiomata nesciret.

Opponunt I. Gratia actualis non fuit necessaria Christo, nec ex parte intellectus, nec ex parte voluntatis: ergo non fuit in Christo. Probatur antecedens. Non ex parte intellectus, quia hic satis erat a lumine gloriæ illustratus: neque ex parte voluntatis, quia posita illustratione intellectus, voluntas non poterat se non determinare ad actum supernaturalem. II. Necessitas auxilii supernaturalis ad supernaturalem actum provenit ex improportione potentiæ naturalis creatæ ad illum, & ex indigentia concursus divini ad eundem; sed hæc omnia optime supplebantur in Christo per hypostaticam unionem: ergo &c. Probatur minor. Verbum & erat supernaturale, & erat divinum: ergo & supplebat improportionem ad supernaturaliratem, & & indigentiam divini concursus. III. Prophetia importat obscuritatem: ergo

non

Digitized by Google

non fuit in Christo. Probatur antecedens. Est de essentia propheriæ obscuritas, debet enim esse obscura, & ænigmatica: ergo prophetia importat obscuritatem. IV. Fides ex Apostolo est argumentum rerum non apparentium: ergo neque in Christo fuit. Probatur consequentia. Quod non apparet non cognoscitur evidenter; sed Christus omnia cognovit evidenter: ergo non fuit in ipso cognitio rerum non apparentium.

Respondemus ad I. cum Henno, quod potest dici, Christum habuisse gratiam actualem ex parte voluntatis improprie dictam, quatenus ab uno actu voluntatis deliberato, & perfecte libero, movebatur ad alium voluntatis actum; puta ab intentione finis ad mediorum electionem. Cæterum opinio Suarez quanvis possit admitti pro amore Dei beatifico, qui consequitur ad visionem, quæ proponit sufficienter objectum beatificum, & ad illius amorem efficaciter movet; non admittitur tamen pro operationibus aliis supernaturalibus, quæ pertinent ad viatoris statum; ut idem Hennus discurrit.

Ad II. Negatur, quod Verbum suppleat improportionem illam, & indigentiam. Non improportionem, quia deberet hoc præstare per influxum effectivum physicum in actus; sed hic influxus effectivus physicus non a solo Verbo præstatur, ut a tota simul Trinitate. Idem judicium est de divini concursus indigentia, qui etiam datur a Deo, hoc est a tribus simul Personis, & non a sola Verbi persona.

Ad III. Prophetia non est aliquando obscura de essentia, sed tantum ex permissione Dei; ex se autem non requirit essentialiter nec claritatem, nec obscuritatem; sed Deus aut unam, aut alteram, indifferenter permittit; prout sibi, ob occultos suæ providentiæ fines, placet magis.

Ad IV. Fides continet obscuritatem, & certitudinem; prout continet obscuritatem, non fuit in Christo; fuit autem prout continet certitudinem. Cæterum, ut diximus, si non fuit fides in Christo prout est fides theologica, fuit quidem absque dubio, prout dicit doctrinam fidei, quam Christus rudes docebat, se ad illorum captum accommodando, præsertim per parabolas, quas sæpissime in usu habebat: & prout etiam imperat firmam fiduciam impetrandi, quæ a Deo postulabat; ut satis clarum est.

Dicimus IV. fuisse in Christo habitus virtutum infusarum, & Spiritus Sancti dona; quatenus illæ non sunt incompossibiles cum statu beatifico; & hæc fuisse non tantum quoad habitum, verum etiam quoad aliquem actum.

I. Probatur I. Conclusionis pars. Fuit in Christo gratia habitualis, quæ est sanctitas accidentalis: ergo fuerunt pariter in ipso virtutes per se infusæ. Antecedens in prima Dissertationis hujus conclusione probatum est; consequentia probatur. Ideo fuit in Christo gratia habitualis, ut sanctificaret substantiam animæ; sed virtutes per se infusæ sanctificant potentias animæ: ergo ex qua ratione fuit in Christo gratia habitualis, fuerunt pariter in ipso virtutes per se infusæ.

II. Probatur eadem pars. Ponitur in Christo gratia habitualis, ut salvetur connaturalis modus eliciendi actus supernaturales dependenter ab habitibus virtutum per se infusarum: ergo pari ratione debent in Christo admitti ipsi habitus virtutum per se infusarum. Verbum autem unitum potentiis animæ reddit quidem illas radicaliter, & remote, at non formaliter, & proxime, proportionatas, & bene dispositas ad supernaturaliter operandum; quemadmodum de Verbo animæ unito diximus. Unde Tridentinum sess. 6. cap. 7. explicat justificationem, & sanctificationem per susceptionem gratiæ, & donorum.

III. Probatur eadem pars singillatim. Et quidem primo de virtutibus theologicis loquentes, illas in Christo admittimus, quæ non sunt incompossibiles ex natura sua cum statu beatifico. Ita est omnino charitas, unde simpliciter admittitur in Christo habitus charitatis, & de hoc nemo dubitat. Excluduntur autem fides, & spes; quia fides theologica nullum habet locum in Beatis, adeoque nec in Christo comprehensore; similiter spes, si intelligatur habitus spei sub sua propria, & rigorosa significatione. Attamen quia plures docent, reperiri in Beatis spem quoad substantiam, & fidem quoad certitudinem; ideo dici etiam potest, quod in Christo detur simpliciter habitus charitatis; simpliciter vero non detur habitus fidei, sed medio modo; & detur quoad substantiam, non quoad denominationem, habitus spei. Devenien-

do

Digitized by Google

do modo ad virtutes morales, excludimus habitum pœnitentiæ; quia in Christo nunquam fuit, nec potuit esse peccatum. Verum quia pœnitentia potest etiam esse de peccato alieno; ideo aliqui ponunt in Christo pœnitentiæ habitum quoad substantiam, sed non sub propria pœnitentiæ denominatione, ut dictum est de spe. Ponuntur etiam habitus virtutum moralium naturalium per se acquisibilium; ut communiter docent Theologi contra Lorcam; de qua re consulendus est Cacheranus, qui fuse de his agit.

IV. Probatur II. Conclusionis pars, quæ, ut idem Cacheranus ait, est veritas ad fidem spectans, contra Abailardum, qui a Christo, & a cæteris Beatis timoris donum excluſit, & cujus error ab Alphonso de Castro inter hæreses recensetur. Dona Spiritus Sancti vel accipiuntur lata quadam significatione, & sunt omnia bona gratiæ, & omnia supernaturalia beneficia; vel sumuntur stricte, & proprie, & sunt septem insigniora charismata, ex quibus quatuor ad intellectum pertinent; nimirum, intellectus, sapientia, scientia, consilium; tria vero ad voluntatem; nempe, timor, pietas, fortitudo: Sed hæc posteriora fuerunt omnia in Christo: ergo &c. Minor probatur. Donorum munus est disponere recipientem ad recipiendam divinam motionem modo superiore, & extraordinario, quo mobile magis agatur, quam agat, magis moveatur, quam se moveat; sed hoc nulli magis, quam Christo, debebatur: ergo fuerunt illa proprie Spiritus Sancti dona in Christo. Probatur minor. Illi debetur specialis cum Deo conjunctio, & ab eodem motio in operari, qui habet specialissimam, & supremam cum Deo unionem in esse; sed Christus habet specialissimam, & supremam cum Deo unionem in esse: ergo Christo debetur specialis cum Deo conjunctio, & ab eodem motio in operari. Unde Isai. 11. intelligitur dictum de Christo: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritu timoris Domini.* Et Lucæ 4. expresse de Christo dicitur: *Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane, & agebatur a Spiritu in deserto.*

V. Probatur eadem pars. Innocentius III. Romanus Pontifex, in epistola sua, quæ inter illas S. Bernardi est 194., damnat propositionem Abailardi, simpliciter excludentis donum timoris a Christo: ergo ex Romanis Pontificibus admittenda sunt in Christo Spiritus Sancti dona. Unde error Abailardi, ut nuper diximus, vocatur hæresis a Castro, Sandero, Suarez, aliisque.

VI. Probatur eadem pars singillatim. Fuerunt, & sunt, in Christo actus timoris, fortitudinis, consilii, & pietatis: ergo fuerunt, & sunt, in Christo Spiritus Sancti dona, non solum quoad habitum, verum etiam quoad actum. Probatur antecedens de dictis donis, nam de aliis omnes conveniunt. Actus timoris vel provenit ab habitu virtutis moralis, aut spei theologicæ, & habet pro objecto malum imminens, cujus est fuga, vel sumitur prout est actus doni, & habet pro objecto primario præcellentiam majestatis, & supereminentiam bonitatis divinæ, cujus est reverentialis subjectio per modum cujusdam fugæ; ut ait Cacheranus; sed quanvis excludatur a Christo, & a Beatis, timor mali culpæ, & separationis a Deo, saltem tanquam possibilis naturæ intellectuali secundum se; ut excludunt communiter Theologi, quanvis ponant in Christo Cajetanus, & Gonetus; non est tamen ratio, ut excludatur a Beatis, & a Christo, timor reverentialis, qui vocatur timor securus. Insuper; donum pietatis primario non spectat ad compassionem proximi constituti in miseriis, ut putavit Durandus; sed ad Religionis cultum, qui exerceri potest in Patria; quanvis etiam actus compassionis possit esse in Patria, non respectu Beatorum, sed Viatorum, qui sunt in miseriis constituti, & dum modo sine anxietate sit. Ulterius; donum consilii habet ex sua ratione formali pro actu proprio verum judicium de rebus agendis; per accidens autem est, quod hoc fiat in dubiis, & cum inquisitione, & consultatione: unde non repugnat, quod sit in Christo, & in Beatis. Denique; donum fortitudinis licet habeat pro actu primario superare adversitates, & pericula vitæ, quod non habet locum in Patria; habet tamen pro actu secundario, vel gaudium de periculis superatis, vel voluntatem conditionatam sustinendi, & vincendi pericula ulteriora, si hoc esset possibile, & necessitas urgeret.

VII. Probatur eadem pars. Communiter Theo-

Digitized by Google

Theologi docent, dona Spiritus Sancti infundi Justis omnibus simul cum gratia habituali: ergo debuerunt infundi Christo, in quo fuit gratia habitualis ejusdem speciei cum illa, quæ infunditur Angelis, & hominibus justis, sed intensior, & major, quam sit in cæteris.

Arguunt I. Isai. 11. dicitur de Christo: *Erit Fides cinctorium renum ejus*: ergo revera fuit fides in Christo. II. Fides est perfectior omnibus moralibus virtutibus; sed virtutes morales fuerunt in Christo: ergo multo magis fuit fides; quo enim virtutes sunt perfectiores, eo nobis major est ratio ponendi illas in Christo. III. In Christo est magnificentia, & tamen non sunt in illo divitiæ, seu magni sumptus, circa quos magnificentia exercetur; ergo pariter, quamvis in Christo non sit res non visa, quæ est fidei objectum, est tamen in ipso fides theologica. IV. Non fuerunt in Christo liberalitas, temperantia, continentia, & prudentia, quæ sunt virtutes morales: ergo non fuerunt in Christo virtutes morales. Probatur antecedens. Liberalitas nequit esse in Christo, qui fuit pauperrimus; neque fuit temperantia, & continentia; quum Christus non habuerit motus inordinatos, qui a fomite, qui in Christo non fuit, proveniunt; neque prudentia, quæ acquiritur cum scientia acquisita, quæ in Christo non fuit. V. Illa Spiritus Sancti dona fuerunt in Christo, quæ sunt in ordine ad vitam contemplativam, non vero activam; sed dona Spiritus Sancti plura sunt, quæ respiciunt vitam activam: ergo hæc non fuerunt in Christo. Major est certa; quia vita activa non habet locum in beatitudine supernaturali, bene autem contemplativa; Minor probatur: Consilium, scientia, pietas, & timor, respiciunt dumtaxat vitam activam. VI. Consilium importat dubitationem, hæsitationem, & ignorantiam, sed hæc non fuerunt in Christo: ergo neque consilium fuit. Probatur major. Ubi habet locum hæsitatio, & ignorantia de eo, quod est agendum, consilium adhibetur: ergo consilium importat dubitationem, hæsitationem, & ignorantiam. VII. Psal. 17. dicitur: *Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum*; quæ verba de Christo intelligit Apostolus. VIII. Virtutes morales habentur per acquisitionem: ergo non fuerunt in Christo. Probatur antecedens. Habentur per multiplicationem actuum: ergo habentur per acquisitionem.

Respondemus ad I. Fides de qua loquitur Isaias, non est illa, quæ est assensus supernaturalis rebus obscure divinitus propositis; sed est fidelitas, & veracitas in promissis; ut ad locum Isaiæ observat S. Hieronymus. Hæc autem virtus est moralis, dicit perfectionem sine imperfectione, quum importet conformitatem dictorum ad facta, factorum ad verba, seu promissa; ideo fuit in Christo.

Ad II. Virtutes non quia dicunt perfectionem sunt in Christo, sed quia dicunt perfectionem, & non dicunt imperfectionem. Et tunc dicunt imperfectionem, quando habent oppositionem ad statum Christi. Virtutes morales sunt in Christo, sed quæ dicunt perfectionem, & non imperfectionem, & ad statum Christi oppositionem non dicunt. Fides vero habet hanc oppositionem; unde quamvis ex objecto sit perfectior virtutibus moralibus, ratione hujus oppositionis in Christo non ponitur.

Ad III. Opes, & magni sumptus sunt tantum objectum materiale virtutis magnificentiæ, objectum vero formale est modus servandus in distributione opum, & in sumptibus faciendis. Christo etsi defecerit objectum materiale, non defecit tamen objectum formale magnificentiæ. Deficientia autem objecti materialis non destruit virtutem, quam vere destruit formalis objecti defectus. At ratio formalis fidei in Christo Domino non potuit habere locum; unde non mirum, si dicimus, in ipso non fuisse fidem, fuisse magnificentiam.

Ad IV. Sufficit ad liberalitatis habitum, quod sit habitus studiosus recte afficiens voluntatem circa actus liberalitatis exercendos; hic autem habitus potest etiam esse in homine pauperrimo, licet deficiat actus ob opum deficientiam. Verum Christus habuit etiam actum, non divitiarum, sed miraculorum, erogatione; præcipue quando Matth. 14. & 15. hominum multitudinem maximam bis saturavit. Temperantia, & continentia, impediunt, ne sint motus inordinati, & non temperant tantum; temperant quidem in gradu communi, in gradu vero heroico non solum temperant, sed etiam efficiunt, ut nullo modo sint. Unde Christus quum habuerit temperantiam, & continentiam in gradu heroico, illas habuit, ut in eo nulli essent motus inor-

Digitized by Google

dinati circa sensibilia. Prudentia denique reperitur & cum scientia acquisita, & cum aliis virtutibus moralibus, quarum est regula, & norma: unde etiam si Christus in conceptionis instanti scientiam acquisitam non habuisset, habuisset tamen in eo instanti prudentiam simul cum aliis virtutibus moralibus, quæ sine illa sunt sine ordine, & regula.

Ad V. Ex donis Spiritus Sancti sunt quæ adæquate respiciunt vitam contemplativam, & quæ inadæquate respiciunt vitam activam, & inadæquate etiam vitam contemplativam: Unde ex hoc capite omnia fuerunt in Christo. Cæterum Christus & exercuit, & exercet, vitam activam, quatenus exercet munera veri capitis moralis erga Angelos, & homines; quæ quidem munera semper includunt influxum aliquem, & aliqualem directionem erga capitis membra. Illa autem operatio nequit ad vitam contemplativam spectare, sed ad activam pertinet.

Ad VI. Consilium præcise, & formaliter sumptum non supponit hæsitationem, & ignorantiam, sed dicit actum intellectus, quo voluntatis actio dirigitur. Multoties in Scripturis consilium tribuitur Deo; ut Psal. 32. *Consilium autem Domini permanet*: Psal. 65. *Terribilis in consiliis super filios hominum*: Prov. 8. *Ego sapientia habito in consilio*: Igitur consilium ex se imperfectionem non dicit, hoc est hæsitationem, & ignorantiam. Verum quidem est, quod ut est in nobis imperfectiones illas habet sibi annexas; sed hoc provenit ex imperfectione nostra, non vero ex ratione sua.

Ad VII. In verbis illis *sperare* non accipitur pro actu spei, sed pro confidentia, qua quis confidit alteri suam salutem, ut ait Frassen. Hoc probat Apostolus, quia ubi David dicit: *Sperabo in eum*; ipse scribit: *Ero fidens in eo*. Potuit igitur, subdit Frassen, esse desiderium aliquod in Christo respectu gloriæ corporis consequendæ, non vero spes propriè dicta. Et desiderium istud potuit oriri ex summa charitate in Deum, propter quem desiderabat corporis gloriam.

Ad VIII. dicimus quoque cum Frassen, virtutes morales, etsi humano studio acquirantur, posse tamen divinitus infundi, sicut theologicæ infunduntur; sed cum hac differentia, quod theologicæ non possint haberi, nisi per infusionem, unde necessario infunduntur, morales vero infunduntur per accidens, quia habentur per acquisitionem, & possunt haberi per infusionem. Firmum igitur remanet, quod fuerint in Christo non solum virtutes theologicæ, sed etiam virtutes morales, & omnes fuerint in primo suæ conceptionis instanti, simul cum gratia habituali, in ipso infusæ; sed illæ tantum, quæ nullam imperfectionem in se includunt, & connotant; ut hactenus probatum est.

DISSERTAT. CLXXXVII.

De Scientia Christi: An in Christo fuerit Scientia? Quotuplex? Et Qualis? Et quando inceperit in ipso esse?

Scientia, quæ in Christo fuit, vel fuit increata, seu divina, vel creata, seu humana. Illa est propria Dei, & hic non habet locum, quem habuit in prima harum Dissertationum parte. Creata, vel humana est scientia Christi prout homo est; & dicitur triplex, acquisita nimirum, infusa, & beatifica. Prima sensu, & experientia acquiritur; secunda infusam gratiam consequitur; tertia Beatorum, sive Angelorum, sive hominum, est propria. Non habemus hic Adversarios, qui effutiebant, in Christo fuisse ignorantiam; contra hos enim satis egimus suo loco. Contra illos tamen calamum aquimus, qui ponunt in Christo scientiam, & ablegant ignorantiam; sed ponunt tantummodo scientiam increatam, & negant creatam, sive humanam. Qui fuerint hujusce erroris propugnatores, hic primo enumerandum.

Primo fuerunt Monothelitæ, qui contendebant, ut unicam fuisse in Christo voluntatem, unicum quoque fuisse intellectum; & ut illam fuisse divinam, & in-

Digitized by Google

increatam, hunc quoque divinum, & increatum fuisse. Unde ex hoc negabant in Christo scientiam omnem creatam, & humanam.

Secundo alii asseruerunt, Christum usum fuisse solum scientia increata. Hi fuerunt quidem orthodoxi, at in hoc errarunt. Fuerunt tempore S. Bonaventuræ, qui & de ipsis perhibet testimonium; testatur quoque Capreolus in 3. dist. 14. q. 1. ar. 1. de Joanne a Ripa; ut ait Frassen: Quos affert P. Boucat differt. 6. ar. 1.

Tertio Hugo Victorinus tom. 3. tract. de scientia animæ Christi in hunc eundem errorem propendere videtur; ut asserit laudatus P. Boucat cit. loc., & Frassen ejus verba affert, quæ sunt: „ Indubitanter dicendum est, quod alia sapientia, quam divina, non fuit in Christo; „ si enim sapientia animæ Christi alia esset a divina sapientia, minor esset .... „ Ideo, ut illam veritatem firmiter teneamus, quod illa anima nihil ignoravit, „ sed omnia scivit, dicendum est, quod „ non alia sapientia erat illa anima sapiens; sed in Deo per naturam, in illa „ anima per gratiam. „

Dicimus I. De Fide catholica haberi, in Christo fuisse scientiam creatam, & humanam, præter increatam, & divinam.

I. Probatur ex Scripturis. Joan. 8. loquens Christus de Patre, ait. *Scio eum, & sermonem ejus servo*. Intelligitur quidem scientia creata, quæ correspondet observationi præceptorum Patris, cui connexionem non dicit scientia increata. Joan. 13. *Insuper sciens, quia venit hora ejus, ut transeat de hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, &c.* Vere Christus ut homo Patris præceptum servabat, ut homo patiebatur, ut homo transibat de hoc mundo ad Patrem: ergo ut homo hæc omnia cognoscebat; scilicet scientia humana, & creata cognoscebat: Matth. 8. dicitur, Christum fuisse miratum; divina scientia non miratur, sed humana: Lucæ 2. habetur, Christum crevisse in sapientia; non potest intelligi hic profectus, quomodolibet explicetur, de sapientia divina, sed de humana: Ad Hebr. 5. legitur: *Didicit ex his, quæ passus est*; discere repugnat scientiæ divinæ, & convenit creatæ. Joann. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis*: Non fuisset veritatis plenus, si omnem scientiam non habuisset, cum ipso quidem compatibilem, qualis est scientia creata, & humana.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Agatho Papa in ep. Synodi Romani docet: *Confitemur in Christo omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent, duas naturas ejus prædicamus, & unamquamque proprietates naturales habere confitemur; divinam omnia, quæ divina; humanam omnia, quæ humana sunt, absque ullo peccato*. S. Leo magnus, quem laudat Concilium generale VI., & de eo asserit: *De duabus naturis Christi Domini agit utraque forma, cum alterius unione, quod est proprium; Verbo scilicet operante, quod Verbi est; & carne exequente, quod carnis est*.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium generale VI. act. 4. refert, & suscipit verba Agathonis Papæ, quæ retulimus; affert insuper, & recipit alia S. Leonis, quæ pariter scripsimus; & subdit ad illa: *Neque enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei, & creaturæ, ut neque quod creatum est in divinam educamus essentiam, neque quod eximium est divinæ naturæ ad competentem creaturis locum dejiciamus*. Concilium Romanum sub Martino I. in collat. 5. in profes. fidei definit, *omnia in Christo esse duplicia*. Igitur si in Christo sunt duæ voluntates, sunt pariter duo intellectus; si sunt duæ operationes, sunt etiam duæ cognitiones; si sunt omnia, quæ pertinent ad naturam humanam, est intellectio creata etiam, quæ naturam humanam constituit, quum sit homo animal rationale.

IV. Probatur ex Patribus. Ambrosius lib. de Incarnat. *Puer autem crescebat, & confortabatur, & implebatur sapientia, & gratia Dei erat cum illo, & puer nostræ nomen ætatis est; nec confortari virtus poterat Dei, nec crescere Deus, nec altitudo sapientiæ Dei, nec plenitudo Divinitatis impleri. Quæ igitur implebatur, erat non Dei, sed nostra sapientia*. S. Fulgentius resp. 3. ad Ferrandum Diaconum: *Quod si animæ Christi non ad mensuram dedit Deus spiritum, necesse est, ut nihil minus habeat sapientiæ, nihil minus scientiæ. Spiritus enim ille Spiritus est scientiæ, & intellectus, consilii, & fortitudinis, scientiæ, & pietatis. Ac per hoc non solum ad divinitatem Christi, sed ad ejus quoque animam illa perfectionis prærogativa pertinet, quam ipsi Christo Beatus assignat Apostolus dicens: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ abscondit*. Beda in Dom. 1. post Epiphaniam: *Et Jesus proficiebat scientia & gra-*

& gratia apud Deum, & homines: Natura vera humanitatis indicat, in qua proficere ad tempus voluit, qui in divinitate idem est, & anni ejus non deficient. Juxta hominis quippe naturam proficiebat sapientia. Denique Patres omnes, qui contra Monothelitas scripserunt, in Christo esse non unam, hoc est increatam, sed duas operationes, increatam scilicet, & creatam.

V. Probatur Rationibus. I. In Christo fuit intellectus, & intellectus non fuit in eo frustraneus: ergo vere habuit scientiam creatam. Antecedens patet; quia ex probatis in superioribus in Christo fuit anima: ergo fuit intellectus; nihil autem debet in Christo admitti, quod sit frustraneum. Consequentia sequitur; quia propria actio intellectus est intellectio, & perfectior est scientia. II. In Christo fuit vera, & perfecta humanitas; sed non fuisset talis sine creata intellectione: ergo fuit in Christo creata intellectio. Probatur minor. Imperfectum est, quod suo fine caret; sed humanitas quatenus intellectiva caret suo fine sine intellectione: ergo imperfecta fuisset. Probatur minor. Humanitas quatenus intellectiva est propter creatam intellectionem; quia omnis potentia est propter suam operationem: ergo hanc habet pro fine: ergo sine hac caret suo fine. III. Intellectus Christi est capax omnis scientiæ: ergo Christus habuit omnem scientiam creatam. Consequentia bene infertur; quia omnis perfectio, quæ sit possibilis, tribuenda est animæ Christi. Antecedens negari non potest; quia non est intellectus Christi deterioris, aut æqualis conditionis cum aliis intellectibus, qui suo modo sunt capaces saltem plurium scientiarum: ergo quum intellectus Christi sit superioris, & melioris conditionis, capax est omnis scientiæ. IV. Anima Christi non poterat intelligere intellectione increata, neque etiam de potentia absoluta: ergo intelligebat creata intellectione. Probatur antecedens. Ex S. Thoma intelligere divinum est substantia Dei; sed quod est de substantia Dei neque per absolutam potentiam convenire potest creaturæ: ergo scientia increata non potest convenire animæ Christi, neque de potentia absoluta. V. Si intellectus humanus Christi esset intelligens per scientiam increatam, vel hoc esset habitualiter, vel actualiter; sed neutrum dici potest: ergo &c. Probatur minor. Non habitualiter, quia scientia increata est substantia, & non habitus: Non actualiter, quia cognitio illa non posset produci ab intellectu creato, quum aliter esset creata, & non increata; neque ab intellectu increato, quia actualis intellectio est proprius effectus intelligentis, & non alterius.

Dicimus II: In Christo fuisse scientiam acquisitam, infusam, ac beatificam. Est communis inter Theologos.

I. Probatur Conclusio de scientia acquisita. I. Isai. 7. de Christo dicitur: *Antequam sciat vocare Patrem, aut Matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ.* Ad quæ verba Ambrosius lib. de Incarnat. dom. sacr. scripsit illa, quæ nuper ad primæ Conclusionis probationem attulimus: *Sensus hominis profecit, sicut scriptum est; & Jesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia, apud Deum, & homines. Quomodo proficiebat sapientia Dei? Doceat te ordo verborum, profectus est ætatis, & profectus sapientiæ, sed humanæ est: ideo & ætatem ante præmisit, ut secundum hominem crederes dictum; ætas enim non divinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat, ætate hominis proficiebat, sapientia hominis; sapientia autem sensu proficit, quia a sensu sapientia.* Isai. etiam cit. loc: *Butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Hieronymus supra eundem Isaiæ locum scribit: *Adhuc pannis involutus, & butyro pastus, ea melle, habebit boni, malique judicium, ut reprobans mala, eligat bona: non quod hoc fecerit, aut reprobaverit, vel elegerit, sed quod scierit reprobare, & eligere; ut per hæc verba noscamus infantiam humani corporis divinæ non præjudicasse sapientiæ.* II. Luc. 2. dicitur: *Jesus proficiebat ætate, & sapientia, coram Deo, & hominibus:* In quibus verbis duo sunt advertenda; primum, quod hic profectus non erat in scientia infusa; hujus enim plenitudinem acceperat: ergo in acquisita: alterum, quod non erat in apparentia tantum, sed in scientia experimentali, quæ fit temporis tractu; ut enim asserit Augustinus lib. 83. qq. quæst. 8. Verba Evangelistarum, quando historias narrant, debent accipi, ut sonant. III. Christi anima fuit perfecta non solum secundum portionem superiorem, sed etiam secundum inferiorem; & non solum quantum ad statum patriæ, sed pariter viæ; hic autem status duplex est, scilicet naturæ innocentis, & naturæ lapsæ:

ergo

ergo Christus debuit habere scientiam secundum omnem statum; sed per hoc importatur, quod habuerit scientiam acquisitam: ergo &c. Probatur minor subsumpta. Secundum statum patriæ Christus habuit scientiam beatam; secundum statum viæ naturæ innocentis habuit scientiam infusam; secundum statum viæ naturæ lapsæ habuit scientiam acquisitam. Et hæc est ratio S. Bonaventuræ. IV. Cognitio Christi debuit esse perfecta secundum omnes modos cognoscendi; sed inter modos cognoscendi est scientia acquisita: ergo &c. Probatur minor. Res tripliciter cognoscuntur; vel secundum esse, quod habent in Verbo, vel secundum esse, quod habent in creato intellectu, vel secundum esse, quod habent in proprio genere: Secundum primum habuit scientiam beatam; secundum alterum scientiam infusam, secundum tertium scientiam acquisitam. V. S. Thomas probat hanc Conclusionem ex illo ad Hebr. 5. ubi legitur: *Cum esset Filius Dei didicit ex his, quæ passus est, obedientiam*; ad quæ subdit Glossa: *Id est expertus fuit: ergo*, infert S. Doctor, *fuit in Christo aliqua experimentalis scientia, quæ est scientia acquisita*.

II. Probatur Conclusio de Scientia infusa. I. Ad Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*: ergo si in Christo sunt omnes thesauri scientiæ Dei, est etiam scientia infusa. II. Joann. 7. dicebat Christus: *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me*; hoc est; scientia, quam habeo, non meis viribus habui, non eam me Magister aliquis docuit, sed Pater meus illam mihi contulit. III. Christus habuit plenitudinem gratiæ infusæ: ergo habuit pariter plenitudinem scientiæ infusæ. Consequentia sequitur; quia sicut se habet gratia ad voluntatem, ita se habet scientia ad intellectum. IV. Si Christus non habuisset scientiam infusam, vel ideo esset, quia scientia infusa pugnaret cum scientia beata, vel quia esset superflua in habentibus scientiam beatam; sed neutrum sequitur: ergo &c. Probatur minor. Non primum, quia Augustinus docet quæst. 26. ad Orosium: *Cognitio creaturæ in semetipsa est vespera, in Deo est mane*; sed idem Augustinus docet lib. 4. sup. Genes. ad liter. *In cœlesti patria simul est mane, & vespere*: ergo in Christo utpote beato est mane, & vespere; hoc est, reperitur scientia infusa, & beata. Non secundum; quia non est superfluum cognoscere idem objectum per aliud medium, quod fuit cognitum per unum medium; sed cognoscere idem objectum per scientiam beatam, & per scientiam infusam, est cognoscere per plura media: ergo non est superflua in Christo scientia infusa, quanvis in ipso sit scientia beata. V. Christus assumpsit humanitatem perfectam; sed perfecta non fuisset humanitas, nisi in ea fuisset scientia: ergo fuit scientia in humanitate assumpta; non fuit scientia acquisita, quia in primo suæ conceptionis instanti assumpta fuit humanitas: ergo fuit scientia infusa. VI. Hanc scientiam infusam Angeli in sui creatione habuerunt, habuit etiam Adam, quando a Deo creatus est: ergo a fortiori eam habuit Christus.

III. Probatur Conclusio de Scientia beata. I. Anima Christi, adhuc mortalis, & viatoris habuit intuitivam Dei visionem: ergo habuit scientiam beatam. Consequentia bene infertur; scientia enim beata in intuitiva Dei visione consistit: Antecedens probatur. Joann. 3. dicebat Christus: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo*; quibus verbis patet, quod Christus, quum adhuc esset viator, & mortalis in terris, dicebat se esse in cœlis; sed non erat in cœlis corporea, & locali præsentia: ergo mentali, & spirituali; sed esse in cœlo præsentia mentali, & spirituali est esse in cœlo ratione animæ, & spiritus; & esse in cœlo ratione animæ, & spiritus, est Deum intuitive videre: ergo Christus adhuc mortalis, & viator Deum intuitive videbat. II. Christus in eodem cap. 3. Joann. dicebat Nicodemo, se esse testem oculatum illorum, quæ erant in cœlis, & se esse Prophetam in terris narrantem omnia, quæ erant in cœlis; quod quidem in nullo Prophera fuerat factum: *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur; qui de cœlo venit, super omnes est; quod vidit, & audivit, hoc testatur*: ergo si Christus ea omnia vidit, quæ in cœlo sunt, & ea vidit, dum in terris esset; adhuc in terris agens, intuitivam Dei visionem habuit, & per consequens scientiam beatam. III. Joann. 12. Christus quoque dicebat: *Si quis mihi ministrat, me sequatur; & ubi ego sum, illic & minister meus erit*; quum ergo Christus dixerit, *sum*, non autem dixerit, *ero*; apertissime liquet, jam tunc habuisse

Digitized by Google

buisse claram, & intuitivam Dei visionem, adeoque scientiam beatam. IV. Joann. 3. *Si dixero, quoniam nescio eum, ero similis vobis, mendax; sed scio eum, & sermonem ejus servo.*; hæc verba dicebat Christus adhuc in terris agens; & ea dicebat ut homo; aliter non dixisset: *& sermonem ejus servo*: ergo si Christus in terris agens, & ut homo loquens, dixit, se scire Patrem, utique Patris intuitivam Dei visionem habuit, adeoque scientiam beatam. V. Augustinus lib. 83. qq. q. 65. allegorice exponens resurrectionem Lazari a Christo Domino factam, docet, Linteamina Lazari significare abstractivam Dei visionem: *Post hanc vitam auferentur omnia velamenta, ut facie ad faciem videamus*: Docet insuper, nos post mortem habituros Dei visionem intuitivam, Christum autem habuisse ante mortem: *Quantum autem interest inter hominem, quem Dei sapientia gestabat, per quem liberati sumus, & cæteros homines, hinc intelligitur, quod Lazarus, nisi exiens de monumento, non solvitur, idest etiam renata anima, nisi resolutione corporis, libera ab omni peccato, & ignorantia esse non potest, quamdiu per speculum, & in ænigmate videt Dominum. Illius autem linteamina, & sudarium, qui peccatum non fecit, & nihil ignoravit, in monumento inventa sunt*: Docet denique, Christum etiam in terris agentem, & in mortali carne existentem, Deum absque velamine cognovisse, & nihil ignorasse: *Ipse solus in carne, non tantum in monumento non est oppressus, ut aliquod peccatum in eo inveniretur; sed nec linteis implicatus, ut eum aliquid lateret, aut ab itinere retardaret*. VI. Eusebius Cæsariensis lib. 10. de demonstrat. evangel. c. 21. ad verba illa Psal. 21. *In te projectus sum ex utero; de ventre matris meæ Deus meus es tu*; in Christi persona alloquens, hæc scribit: *Cum enim adhuc in penetrali gestantis me Genitricis essem, te Deum meum intuebar*; & rationem reddens, subdit, quod anima Christi quanvis carni conjuncta, ejus tamen vinculis non tenebatur: *Tanquam in tanta carnis communione manens impermixtus, & sincerus, sive potius vel tunc incorporeus existens, & vinculis solutus omnibus*. VII. Per hypostaticam unionem natura humana elevata est ad supremum esse: ergo debuit pariter elevari ad perfectissimam operationem, qualis est intuitiva Dei visio. VIII. Christus adhuc mortalis, & viator fuit causa, ut homines essent comprehensores: ergo ipse adhuc mortalis, & viator fuit comprehensor. IX. Conveniens non erat, ut Filius Dei naturalis tandiu hæreditate sua fraudaretur: ergo illam habuit adhuc mortalis existens. X. Illa visionis suspensio in Christo nihil ad salutem humani generis conferebat; immo potius conferebat illius possessio: ergo in Christo adhuc in terris agente non fuit visionis intuitivæ suspensio, sed potius possessio.

Arguunt I. Quæ Christus per creatam scientiam cognoscere poterat, sufficientissime per increatam, & divinam cognoscebat: ergo scientia creata fuit in ipso frustranea, & inutilis. II. Ideo Christus non habuit subsistentiam creatam, quia sufficienter per increatam subsistentiam subsistebat; sed etiam per increatam scientiam sufficienter intelligebat: ergo non fuit in ipso scientia creata. III. Non erat inconveniens, ut esset in Christo potentia intellectiva creata, & non esset creata intellectio: ergo quanvis ponatur in Christo potentia intellectiva creata, non per hoc poni debet creata intellectio. Probatur antecedens. Fuit in Christo potentia generativa, & tamen non fuit actualis generatio: ergo potuit etiam in ipso esse potentia intellectiva creata, & non esse creata intellectio. IV. Patres communiter negarunt Christo scientiam acquisitam: ergo non est in ipso admittenda. Probatur antecedens. Patres negarunt Christo in scientia profectum; sed profectus est tantum in scientia acquisita, non vero in infusa, & beata: ergo Patres negarunt Christo scientiam acquisitam. Probatur major ex Athanasio orat. 4. cont. Arianos, qui admittit scientiæ progressionem in Christo, sed eam fuisse tantum, asserit, externam manifestationem scientiæ, non vero proprie acquisitionem. Ait enim: *Corporis igitur proprius ille profectus, etenim proficiente ipso, proficiebat in eo divinitatis apud illos, qui intuebantur, ostensio; quanto autem magis divinitas aperiebatur, tanto copiosius augebatur apud omnes homines. Quis est ille, qui dicitur profectus, nempe, ut dixi, Deificatio illa est, & gratia hominibus, a sapientia communicata, cum in ipsis peccatum, & insita corruptela deleretur, ad similitudinem, & cognitionem Verbi: sic enim augescente, secundum ætatem, corpore, augebatur etiam in eo divinitatis ostensio, palamque monstrabatur omnibus*

Digitized by Google

nibus templum ipsum esse Dei, ac Deum in corpore. Nazianzenus orat. 25. *Ille Christus proficiebat ut ætate, ita sapientia, & gratia, non quod incrementum ista caperent, quid enim eo, quod ab initio perfectum exstitit, posset esse perfectius? sed quod paulatim aperirentur, ac se proderent.* Bernardus homilia 2. super *Missus est*, demonstrat, nullum perfectionis incrementum in anima Christum habuisse, ait enim: *Neque minus habuit sapientiæ: vel potius non minor fuit sapientia Jesus conceptus, quam natus, parvus, quam magnus: sive ergo latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive grandiusculus interrogans Doctores in templo, sive jam profecta ætatis decens in populo, æque perfectè plenus fuit Spiritu sancto; nec fuit hora in quacumque ætate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui Conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur: sed a principio perfectus, a principio in quem plenus fuit Spiritu sapientiæ, & intellectus, spiritu consilii, & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis, & spiritu timoris Domini.* Mox illud Evangelistæ de profectu Christi declarans: *Nam quod de sapientia, & gratia hic dictum est, inquit, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat, intelligendum est: non quia videlicet aliquid eimorum accederet, quod ante non haberat, sed quod accidere videretur, quando volebat ipse, ut videretur. Tu homo, cum profectis, non quando, nec quantumvis proficis; sed te nescientem, suus moderatur profectus, tua vita disponitur. At vero puer Jesus, qui disponit tuum, ipse disponebat & suam; & quando volebat, & quibus volebat sapientior; quando, & quibus volebat sapientissimus; quamquam in se nunquam esset nisi sapientissimus; similiter & cum semper plenus omni gratia fuisset, sive quam apud Deum, sive quam apud homines habere, haberet pro sua tamen arbitrio eam nunc plus, nunc minus ostendebat, prout earumdem, vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat.* V. Per scientiam infusam Christus cognoscebat objecta omnia & clarius, & perfectius: ergo superflua fuit in ipso scientia acquisita. VI. Scientia beata, & scientia acquisita sunt incompossibiles in eodem intellectu: ergo si Christus habuit scientiam beatam, non habuit acquisitam. Probatur antecedens. I. ad Cor. 13. *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur*; quibus verbis loquitur Apostolus de scientia beata incompossibili cum scientia maxime acquisita. VII. Scientia, & opinio non possunt stare simul in eodem intellectu: ergo neque scientia beata, & infusa. Probatur consequentia. Scientia, & opinio habentur per medium creatum; scientia infusa per medium creatum, scientia beata per medium increatum: ergo si non possunt stare simul scientia, & opinio, quæ sunt per medium creatum, a fortiori non possunt scientia infusa, & beata, quarum prima est per medium creatum, altera vero per increatum. VIII. Scientia infusa comparata ad beatam est imperfecta, & est minus lumen; sed scientia beata est perfecta, & est majus lumen: ergo non possunt esse simul. IX. Una, & eadem facultas nequit habere, simul, & elicere duas actiones: ergo neque intellectus potest simul elicere duas cognitiones, quarum una sit infusa, altera beata. X. Ex Scripturis habetur, Christum non habuisse scientiam beatam: ergo illam non habuit. Probatur antecedens. Joan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Joann. 17. *Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus fieret apud te.* Luc. 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

Respondemus ad I. non esse frustraneum, quod idem fiat per diversas facultates, & virtutes, quamvis admitti possit, si fiat per eandem facultatem, & virtutem. Christus per scientiam increatam, & divinam cognoscebat objecta ut Deus, seu per intellectum divinum; per scientiam vero creatam cognoscebat objecta ut homo, seu per intellectum humanum. Quum igitur fuerit in Christo duplex intellectus, divinus, & humanus; non fuit frustraneum, quod uterque intellectus circa eadem objecta suas exercuerit cognitiones, perfectiori quidem modo per scientiam increatam, per creatam vero modo minus perfecto.

Ad II. negatur paritas; & ratio disparitatis est, quia per multiplicationem subsistentiæ multiplicantur suppositæ, quæ non multiplicantur per multiplicationem naturæ, facultatis, & operationis. Unde non potest una persona duplicem habere subsistentiam; potest autem habere duplicem naturam, duplicem facultatem, duplicem operationem. In Christo autem si essent duæ subsistentiæ, essent duo intelligentes, invicem separati, & se-

Digitized by Google

& sejuncti; ut quum sint in eo duæ naturæ, duæ facultates, duæ operationes, unus est dumtaxat intelligens, ratione scilicet unitatis suppositi.

Ad III. negatur etiam paritas; & disparitas est, quia fuerunt in Christo omnes facultates, & actus ipsarum, qui ad redemptionis finem conferebant. Ad hunc finem conducebat utique actuale exercitium intellectus creati animæ Christi; nullo modo autem conducebat potentia generativa; & hinc est, quod in Christo fuit actus potentiæ intellectivæ creatæ, & non fuit actus potentiæ generativæ.

Ad IV. Patres intelliguntur, non fuisse in Christo sapientiæ, & scientiæ incrementum ratione divinitatis, sed dumtaxat ratione humanitatis. Sic explicantur a Ruperto lib. 1. in Genes. c. 21., ubi exponens illud Isaiæ 11., in quo habetur, super Christum requievisse spiritum sapientiæ, & intellectus, inquit: *Quia ille, in quem, hæc dicuntur, cum non tantum homo, sed & Deus sit, licet secundum humanitatem sapientia, ætate, & gratia, profecerit; attamen secundum id, quod est, & erat Deus, nullum profectum habuit.* Athanasius quoque loco in objectione citato subdit: *Verumtamen si contentiosius in eo perseverent, quod Christus interrogaverit, audiant a nobis, nullam in Divinitate ignorantiam esse; carnis vero esse proprium ignorare.*

Ad V. dicitur, quod non sufficit ad perfectionem intellectus Christi cognoscere omnia cognoscibilia, sed requiritur etiam, ut eadem cognoscat omni modo, quo cognoscibilia sunt. Quum igitur objecta diverso modo cognoscantur per scientiam acquisitam, ac per scientiam infusam; inde est, quod in Christo præter scientiam infusam fuit etiam scientia acquisita.

Ad VI. Apostolus explicatur de destructione scientiæ, non secundum habitum, neque secundum actum, & exercitium quodcunque, sed secundum actum, & exercitium, quod tantum spectet ad aliorum institutionem. Quod quidem ex aliis verbis constat, quæ prophetias, & linguas respiciunt, & quarum usus institutionem respicit.

Ad VII. Scientia increata, & creata, magis distant quam scientia, & opinio, in ratione quidem entis, non vero in ratione scientiæ; & ratio est, quia ambæ scientiæ assensum firmissimum reddunt, quamvis per rationes distinctas; & hinc est, quod non est repugnans, ut in eodem intellectu inveniantur. At scientia, & opinio, licet conveniant in ratione entis creati, disconveniunt tamen in ratione assensus; quia scientia certum reddit assensum, opinio dubium.

Ad VIII. Tunc cognitio imperfecta excluditur per perfectam, quando est absolute imperfecta, non vero quando solum est imperfecta comparative, & perfectioni non opponitur. Scientia infusa non est absolute, sed comparative imperfecta, per comparationem scilicet ad beatam, & scientiæ beatæ non opponitur; unde per hanc non excluditur. Insuper majus lumen, & minus lumen, non possunt stare simul, si sint ejusdem ordinis, cujusmodi sunt lumen solis, & lumen syderum; non vero si sint ordinis diversi. Diversi autem ordinis sunt scientia beata, & scientia infusa; quia illa pertinet ad ordinem gloriæ, & ad statum Comprehensorum, hæc vero spectat ad ordinem gratiæ, & ad statum Viatorum.

Ad IX. Frassen distinguit majorem; una, & eadem facultas non potest habere, & elicere duas operationes adæquatas, concedit; inadæquatas, negat. Cognitio beata, seu beatifica, quæ habetur per medium beatificum, hoc est per essentiam divinam; & cognitio infusa, quæ habetur per medium infusum, nimirum per species divinitus inditas; non sunt adæquatæ, sed inadæquatæ; quia possunt haberi circa idem objectum, quamvis per diversum lumen; & una alteri subordinatur, ut minus perfecta perfectiori.

Ad X. Locus Joann. 7. explicatur de glorificatione Christi in Ascensionis die, non de gloria animæ; & ita explicat Augustinus tract. 32. in Joannem. Alia loca intelliguntur de gloria corporis, & de exaltatione nominis; ut dicitur ad Philippens. 2. *Propter quod & Deus exaltavit illum &c.*, & sic intelligit Augustinus tract. 104. in Joannem. Ratio autem utriusque est, quia Christus illam claritatem ibi a Patre postulabat, qua ipse Patrem clarificavit; hæc autem alia non fuit, quam nominis manifestatio, & majestatis Patris; quod colligitur ex aliis Christi verbis, quibus ad Patrem dicebat: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.*

Dicimus III. In Christo fuisse Scientiam beatam, & scientiam infusam, a primo sui conceptionis instanti; per scientiam infu-

Digitized by Google

infusam cognovisse res omnes necessarias, species omnium entium existentium, artes omnes, & omnis generis disciplinas; per scientiam vero beatam non cognovisse omnia possibilia, sed omnia existentia, in quacunque temporis differentia. Plures habet partes Conclusio.

I. Probatur, quod in Christo fuerit scientia beata a primo suæ conceptionis instanti. I. Pluribus Scripturarum textibus probavimus, Christum ante mortem habuisse scientiam beatam; sed non est ratio, ut dicamus, eam habuisse hoc vel alio suæ vitæ tempore, & non potius a primo suæ conceptionis instanti: ergo ab hoc primo instanti dicendum est eam habuisse. II. In monte Thabor habuit Christus gloriam corporis: ergo antecedenter habuit gloriam animæ; sed nullum est tempus aptius, quo eam haberet, quam primum suæ conceptionis instans: ergo &c. III. Anima Christi habuit gloriam, seu visionem beatificam, ex ipsa incarnatione, seu ex unione hypostatica cum Verbo; sed nullum fuit instans, quo anima Christi non fuerit Verbo unita: ergo quoquumque suæ vitæ instanti illam habuit: ergo a primo suæ conceptionis instanti habuit. Major probatur ex Joann. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*; post quæ hæc sequuntur alia verba: *Verbum caro factum est habitavit in nobis*. IV. Hoc ipsum habetur ex universali Ecclesiæ traditione; nullus enim ex Catholicis negavit unquam, Christum, ubi primum cœpit vivere, Deum intuitive vidisse; adeoque contraria sententia erronea habeatur; quia repugnat unanimi non tantum Theologorum, sed Christianorum omnium consensui.

II. Probatur, quod anima Christi habuerit scientiam infusam a primo suæ conceptionis instanti. I. Anima Christi omni tempore habuit scientiam vespertinam: ergo a primo suæ conceptionis instanti habuit. Consequentia sequitur; quia non loquitur de scientia acquisita, quæ tractu temporis habetur, sed de infusa, quæ si omni tempore fuit in Christo, fuit quidem in ipso a primo suæ conceptionis instanti. Probatur antecedens; quia non convenichat, animam Christi esse sine scientia vespertina, per quam objecta in seipsis cognoscuntur; aliter pro illo temporis instanti, quo Christus eam non habuisset, anima Christi ignorantia laborasset. II. Angeli habuerunt scientiam infusam a primo creationis ipsorum instanti: ergo pariter anima Christi; quia aliter fuisset deterioris conditionis ac Angeli. III. Adam habuit scientiam infusam pariter a primo suæ creationis instanti: ergo etiam anima Christi, ne dicatur Adæ anima inferior. IV. Anima Christi a primo suæ conceptionis instanti perfectum habuit discursum: ergo habuit scientiam infusam. Probatur consequentia. Perfectus discursus animæ Christi haberi non poterat per scientiam acquisitam, quæ nondum in ipso erat; neque per scientiam beatam, per quam objecta cognoscebantur in Deo, non in seipsis: ergo per scientiam infusam haberi poterat.

III. Probatur, quæ objecta cognoverit per scientiam infusam; scilicet, res omnes necessarias, species omnium entium existentium, artes omnes, & omnis generis disciplinas. I. Omnis naturalis perfectio, quam quælibet res creata habere potest, fuit in humanitate Christi: ergo ipsius anima habuit cognitionem illorum omnium, quæ diximus. Probatur consequentia. Illorum omnium, quæ diximus, cognitio confert ad perfectionem mentis creatæ: ergo si humanitas Christi habuit perfectionem omnem, quam quælibet res creata habere potest, habuit etiam cognitionem illorum omnium, quæ diximus; sed non cognovit objecta illa per scientiam acquisitam, ut patet: ergo per scientiam infusam. II. Scientia, quæ fuit Christo infusa, fuit perfectior scientia, quæ fuit infusa Adamo innocenti, & Angelis, quando fuerunt primo creati: ergo ad plura objecta se extendit, & illorum species minus abstractæ, ac proinde clariores, fuerunt ipsi inditæ; sed per hoc importatur, quod cognoverit objecta, quæ diximus: ergo &c. III. Christus per scientiam infusam cognovit mysteria divina, Deum scilicet unum, & trinum, non solum quantum ad quæstionem an sit, sed etiam quantum ad quæstionem quid sit; Cognovit omnia entia, quæ per se sunt supernaturalia, ut sunt virtutes theologicæ, gratia, lumen gloriæ, visio beatifica &c. Cognovit cogitationes cordium, & futura etiam contingentia: ergo cognovit objecta omnia, quæ diximus. Probatur antecedens. Quanvis Christus mysteria divina non cognoverit per scientiam infusam intuitive, cognovit tamen quidditative;

sed hoc sufficit; ut ea cognoverit per scientiam infusam, & non per beatam: ergo &c. Ulterius; Omnium entium, quæ per se sunt supernaturalia, quum sint creata, & sint per consequens finitæ, & limitatæ entitatis, possunt dari species infusæ ergo hæ fuerunt Christo indita. Insuper; Matth. 9. dicitur de cogitationibus cordium: *Cum vidisset Jesus cogitationes eorum*; & cap. 12. *Jesus autem sciens cogitationes eorum*: Et Joann. 2. *Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat, quid esset in homine*. Et de futuris Luc. 10. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere sedentes pœnituissent*; & quidem sunt hæc futura, & sunt conditionata futura. Denique; ad Christi ministerium spectabat cognoscere arcana cordium, futura absolute, & conditionate futura; ut homines instrueret, doceret, argueret, reprehenderet, puniret etiam aliquando: ergo illa omnia per scientiam infusam cognovit.

IV. Probatur, quæ objecta cognoverit per scientiam beatam, & quæ non cognoverit, nimirum, quod non fuerit comprehensiva, quod non viderit omnia possibilia, quod viderit omnia existentia, in quacumque temporis differentia concipiantur. I. Anima Christi est finita tum quoad entitatem, tum quoad potentiam intellectivam; sed essentia divina ut comprehensibilis est infinita: ergo ab Anima Christi comprehendi non potest. II. Augustinus lib. 83. qq. q. 14. docet, *Quod se comprehendit finitum est sibi*; sed essentia divina in comparatione ad animam Christi non est finita: ergo ab anima Christi non comprehenditur. III. Cognitio omnium possibilium est cognitio comprehensiva divinæ omnipotentiæ; sed Christus non habuit cognitionem comprehensivam: ergo non habuit cognitionem omnium possibilium. IV. Si Christus cognovisset omnia possibilia, vel ea cognovisset per plures cognitiones, vel per unam; sed utrumque repugnantiam importat: ergo ille non cognovit. Probatur minor. Non per plures, quia essent numero infinitæ cognitiones istæ, quum infinita sint possibilia; repugnat autem in Christo fuisse infinitas numero cognitiones. Neque per unam, quia hæc cognitio fuisset intensive infinita, quod pariter in Christo implicat. V. Beati in Verbo vident illa omnia, quæ ad ipsos spectant: ergo etiam Christus per scientiam beatam cognovit omnia illa, quæ spectabant ad illius statum, ministerium, & dignitatem; sed res existentes, in quacumque temporis differentia concipiantur, spectant ad statum, ministerium, & dignitatem Christi; ergo ea omnia per scientiam beatam cognovit. Probatur minor subsumpta. Christus enim fuit a Patre constitutus, Hominum, & Angelorum Judex, rerum omnium Dominus, Mundi magister, Ecclesiæ caput: ergo ad ipsum res omnes existentes, in quacumque temporis differentia concipiantur, spectant; hoc est pertinent ad ipsius statum, ministerium, & dignitatem.

Obstant I. Christus meruit scientiam beatam: ergo non habuit illam a primo suæ conceptionis instanti. Sequitur consequentia; meritum enim præcedit præmium: ergo antecedenter ad visionem beatam debebat esse in Christo meritum: ergo visio seu scientia beata fuit post primum Christi conceptionis instans. Antecedens probatur. Perfectius est aliquid habere ex merito, quam sine merito; sed Christo tribuendum est quod est perfectius: ergo dicendum est, Christum meruisse scientiam beatam. II. Scientia infusa debebat Christo infundi, quando ejus ministerii opportunitas id exigebat; sed ejus ministerii opportunitas id non exigebat a primo suæ conceptionis instanti: ergo a primo suæ conceptionis instanti scientiam infusam non habuit. Probatur minor. Sui ministerii opportunitas tunc exigebat, quando suum ministerium explere incipiebat; sed non incepit illud explere a primo suæ conceptionis instanti; ergo ejus ministerii opportunitas tunc illud non exigebat. III. Cognitio divinorum mysteriorum in Christo vel fuit obscura, vel clara; neutrum dici potest: ergo non fuit. Probatur minor. Non obscura, quia cognitio obscura non potest stare simul cum cognitione evidenti, qualis est scientiæ beatæ de eodem objecto in eodem intellectu: Neque clara; quia vel haberetur per cognitionem creatam, vel per speciem impressam, vel per evidentiam in attestante, vel revelante; non primum; quia nulla creatura habet connexionem in ratione effectus cum SS. Tri-

nitate,

nitate, vel cum aliis mysteriis; neque secundum, quia non est possibilis species impressa, quæ repræsentet Trinitatem; neque tertium, quia ex evidentia in attestante non resultat evidentia rei testificatæ. IV. Per scientiam infusam non possunt cognosci entia supernaturalia; sed gratia sanctificans, & lumen gloriæ sunt entia supernaturalia: ergo cognosci non possunt per scientiam infusam. V. Si Christus cognovit per scientiam infusam lumen gloriæ, cognovit etiam per eandem visionem beatificam; sed hanc non cognovit: ergo nec illud cognovit. Probatur minor. Si cognovisset visionem beatificam per scientiam infusam, per eandem cognovisset ejusdem visionis objectum; sed objectum visionis beatificæ cognoscitur tantum intuitive, non per scientiam infusam; ergo &c. VI. Secreta cordium cognoscere est proprium solius Dei; I. Reg. 16. *Homo videt, quæ parent, Deus autem intuetur cor*: Jerem. 17. *Pravum est cor hominis, & inscrutabile, & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda*: ergo Christus non cognovit illa per scientiam infusam. VII. SS Patres docent, Christum cognovisse secreta cordium per scientiam divinam, & increatam, non per scientiam creatam, & humanam: ergo non cognovit illa per scientiam infusam. Probatur antecedens. S. Ambrosius lib. 5. in Luc. ad illa verba: *Ut autem vidit cogitationes eorum*; & S. Hieronymus ad c. 9. Matth. hoc ipsum aperte docent. VIII. Cognitio, & revelatio futurorum est propria solius Dei: ergo non cognovit Christus illa per scientiam infusam. Probatur antecedens. Isai. 41. *Annunciate ea, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos*: Tertullianus in Apologet. c 20. *Idoneum opinor testimonium divinitatis veritas divinationis*. IX. Si Christus cognoscit secreta cordium, & futura contingentia per scientiam beatam: ergo superfluum est eadem cognoscere per scientiam infusam. X. Si Christus cognovisset futura contingentia, vel ea cognovisset in ipsorum causa, vel in revelatione Dei, vel in decreto divino, vel in seipsis immediate; sed in nullo ex his: ergo per scientiam infusam illa non cognovit. Probatur minor. Non in ipsorum causa, quia hæc supponitur indifferens; non secundum, quia esset per medium extrinsecum, & cognitio per medium extrinsecum non est scientifica; non tertium, quia per scientiam beatam cognoscuntur in decreto Dei, vel in essentia Dei, non per scientiam infusam; non quartum, quia futura contingentia in seipsis non sunt cognoscibilia. XI. S. Isidorus c. 42. ait: *Trinitas sibi soli nota est, & homini assumpto*: ergo si Trinitas comprehendit seipsam, ipsam etiam Trinitatem comprehendit homo assumptus, qui est Christus. XII. Visio omnium possibilium est terminative infinita, non intensive; sed quælibet visio intuitiva Dei est infinita etiam terminative, non intensive: ergo quemadmodum hæc non repugnat in quolibet Beato, ita nec illa repugnabit in Christo; Ratio autem utriusque est, quia quanvis utraque visio se extendat ad infinitatem, non tamen videt infinitatem infinito modo; & ideo non est intensive, sed terminative, infinita.

Respondemus ad I. quod licet Christus meruit gloriam sui corporis, non meruit tamen gloriam suæ animæ; quum hanc habuerit ab initio suæ conceptionis, non titulo mercedis, sed jure filiationis naturalis, & per modum naturæ. Responsio est Frassen; qui subdit ulterius, generatim loquendo perfectius esse rem habere ex merito, quam sine merito; at aliquando per accidens potest dari casus, in quo sit melius rem habere sine merito, quam per meritum; & tunc esset casus ille, quando rem habere per meritum derogaret dignitati naturali, & perfectioni naturaliter debitæ. Quum ergo beatitudo ratione hypostaticæ unionis sit debita quasi nativo jure Christo; præjudicium fuisset dignitati ipsius illam mereri per studium, & laborem.

Ad II. Ab utero incepit Christus ministerium suum adimplere, quando nimirum Joannem in utero Matris suæ sanctificavit; unde sicut nullum fuit instans in vita Christi, in quo nostram salutem non operaretur, ita nullum debuit esse instans, in quo scientiam infusam non haberet. Etiam alia exhibuit Christus in utero Matris existens erga Sanctissimam Matrem suam, quibus ministerium suum explebat; & ex utero prodiens erga alios etiam alia præstitit in ipsorum sanctificationem; ut in præsepio existens erga Pastores, in templo erga Simeonem, & Annam, & præcipue erga suum putativum Patrem, S. Josephum, in quocumque tunc temporis reperiebatur loco.

Digitized by Google

Ad III. Dicit Fraſſen, cognitionem illam fuiſſe claram ratione ſpeciei impreſſæ, cujus poſſibilitatem ſupponit ſatis abunde probatam. Nos probavimus etiam ſuo loco poſſibilitatem ſpeciei impreſſæ in aliorum principiis, ſecundum quæ eſt realiter a Deo diſtincta; & in principiis noſtris, in quibus eſt a Deo realiter diſtincta: Unde quum in utroque ſyſtemate non repugnet ſpecies impreſſa, dicendum eſt, per illam bene ſcientiam infuſam Chriſti fuiſſe claram.

Ad IV. Quod non per hoc, quod Gratia ſit participatio divinæ naturæ, dicendum eſt, quod cognoſci non poſſit, niſi divina natura cognoſcatur. Non enim eſt participatio ſubſtantialis, & entitativa divinæ eſſentiæ, quum hæc ſit indiviſibilis, ſed tantum dicitur participatio per quandam imitationem; unde non eſt neceſſe, quod quando gratia cognoſcitur quidditative, quidditative etiam cognoſcatur divina eſſentia. Cognoſcitur enim ſufficienter quoad *an ſit*, quamvis non cognoſcatur quoad *quid ſit*. Univerſim autem negatur, quod per ſcientiam infuſam non poſſint cognoſci entia ſupernaturalia ſaltem quoad *an ſint*, licet etiam aliquo modo cognoſcantur quoad *quid ſint*.

Ad V. Non per hoc, quod videtur medium, quo objectum aliquod cognoſcitur, debet etiam videri objectum ipſum. Et ratio eſt, quia medium illud, quo objectum percipitur non eſt ratio cognoſcendi objectum illud cuilibet intellectui, ſed tantum illi intellectui, in quo eſt formaliter ſecundum entitatem propriam. Itaque intellectus Chriſti videns viſionem beatificam in alio intellectu exiſtentem, & ad Deum terminatam, non per hoc videt Deum ſaltem intuitive, ſed ad ſummum abſtractive; ut ait Fraſſen.

Ad VI. Cognoſcere ſecreta cordium eſt proprium ſolius Dei, quatenus illi ſoli hoc naturaliter convenit; ex ejus tamen beneficio poteſt alteri intellectui communicari; undo cognitio, quam Deus habet per naturam, ille alter intellectus haberet per gratiam, per privilegium &c.

Ad VII. SS. Patres ex perceptione ſecretorum cordium arguiſſe Chriſti divinitatem, quia nullus eſt purus homo, qui poſſit hoc ſibi propriis viribus vindicare, vel propriæ naturæ tribuere. Non per hoc tamen negarunt, cognitionem aliquam ipſorum minus perfectam poſſe alicui creaturæ a Deo communicari. Teſtem adducimus S. Ambroſium lib. 2. in Luc. ex illo Apoſtoli I. ad Cor. 14., quo probat, aliquos homines penetraſſe ſecreta cordium ex ſpeciali virtute, quæ a Deo fuerat ipſis communicata.

Ad VIII. Cognitio futurorum eſt etiam Deo propria, quatenus ſcilicet Deus eam habeat a ſemetipſo, & non ab altero ſibi communicatam; ex natura ſua habeat, & non ex privilegio; uti eam habent homines illi, quibus ipſe eam communicavit.

Ad IX. Si multiplicitas modi cognoſcendi non officit præſtantiori cognitioni, cognoſcere rem pluribus mediis, & modis, non eſt inutile, ſed potius juvat. Scientia autem infuſa non officit ſcientiæ beatæ ex una parte, & ex altera conducit maxime ad illuſtrandam animam Chriſti. Unde dicendum eſt, quod quamvis Chriſtus cognoverit ſecreta cordium, & futura contingentia, per ſcientiam beatam, non tamen inutiliter, & otioſe cognovit eadem per ſcientiam infuſam.

Ad X. Chriſtus cognovit futura contingentia in ſeipſis per ſcientiam infuſam. Et ratio eſt, quia Chriſtus per ſcientiam infuſam cognoſcit per ſpecies proprias ea omnia, quæ ſunt in ſeipſis per ſpecies proprias cognoſcibilia, & repræſentabilia; ſed futura contingentia ſunt repræſentabilia per ſpecies proprias: ergo &c. Probatur minor; quia quodlibet ens ſub ratione, qua ens eſt, eſt intelligibile; futuritio autem, & contingentia ſunt revera aliquid, & ideo ſunt ens, & per conſequens ſunt intelligibilia.

Ad XI. S. Iſidorus explicatur de perfectione cognitionis, quæ eſt in Trinitate, & ſuo modo in anima Chriſti, non autem de cognitionis comprehenſione, quæ eſt in Trinitate, & nullo modo eſt in anima Chriſti. Alii aliter explicant S. Doctorem, dicendo nimirum, ipſum intellexiſſe, quod ſicut Incarnationis myſterium eſt incomprehenſibile, ita eſt myſterium Trinitatis; & in hujuſce explicationis confirmationem adducunt alia Iſidori verba lib. 1. ſentent. c. 3., quæ ſunt: *Sola Trinitas ſibi integre nota eſt, & humanitas a Chriſto ſuſcepta.*

Ad XII. dicitur, quod diſcrimen eſt inter cognitionem Dei ut infiniti, & infinitorum objectorum cognitionem; quia cognitio Dei ut infiniti poteſt haberi finito

Digitized by Google

nito modo; & ratio est, quia non requiritur, ut fit tanta perfectio in cognoscente, quanta est in objecto cognoscibili. At cognoscens infinita objecta debet habere virtutem infinitam; & ratio est illa, quam superius adduximus; vel enim videret per unicam visionem, vel per plures; si per unicam, hæc deberet esse infinita, quia actu repræsentaret infinita objecta, quæ in ipsa relucerent: Si per plures, hæ plures deberent esse infinitæ, quia quemadmodum sunt infinita possibilia, ita deberent esse infinitæ visiones, per quas infinita objecta viderentur. Itaque in visione infinitorum objectorum non potest fieri recursus ad modum cognoscendi finitum, quemadmodum fit in visione objecti infiniti; quia hoc non percipitur totum, illa autem deberent percipi omnia; & quum hoc non percipiatur totum, hinc est quod finito modo percipitur; & quum pariter illa debeant percipi omnia, non possunt finito modo, sed debent infinito modo percipi.

DISSERTAT. CLXXXVIII.

De Filiatione, & Subjectione Christi. De Felice, & Elipando, eorundemque erroribus. An Christus fuerit Dei Servus? An Filius Dei adoptivus? An Filius Dei naturalis?

PRÆMITTIMUS primo, Filiationem duplicem esse, naturalem scilicet, & legalem seu adoptivam. Illa est, qua quis per viam naturæ ab alio generatur, & nascitur: Hæc vero, qua quis per vim legis ab alio in Filium assumitur, & habetur. Respectu Dei Filius naturalis ipsius, nemine contradicente, est secunda Trinitatis Persona, Verbum æternum, quod est Filius naturalis Dei Patris. Respectu ejusdem Dei creaturæ omnes rationales per sanctificantem gratiam justificatæ, & ad gloriam prædestinatæ, sunt Filii ipsius adoptivi. Quia ergo Christus est Deus, & homo; ut Deus est, Filius Dei naturalis est; ut autem est homo, an sit Dei Filius naturalis, an vero adoptivus, olim quærebatur, modo vero non controvertitur in re, sed in vocibus omnino contenditur; ut videbimus. Verum ut certa ab incertis segregemus, subdimus, indubitatum esse apud Catholicos omnes, Christum ut Deum, seu ut subsistentem in natura divina, non esse Filium Dei adoptivum. Fides enim catholica docet, ipsum esse Filium naturalem Patris, ipsi consubstantialem, & coæternum: ergo docet pariter, ut talem non esse adoptivum. Remanet ergo tantum difficultas de Christo ut homine, an ipsi competat filiatio adoptiva? Hoc autem docet P. Feraud in triplici sensu posse intelligi: primo, si ponatur Christus purus homo, non Deus; ut blasphemavit Photinus: secundo, si dicatur, in Christo fuisse duo suppositа, quorum unum constituebat Filium Dei naturalem, aliud vero Filium Dei adoptivum; ut delirabat Nestorius: tertio si admittatur in Christo una sola persona, increata, & divina, & duplex natura, humana, & divina, & dicatur, ipsum secundum humanitatem, vel in quantum est homo, esse Filium Dei adoptivum; & secundum divinitatem, vel in quantum est Deus, esse Filium Dei naturalem. Affert idem P. Feraud, quod in primo sensu, nullus, excepto Photino, in Christo admisit filiationem adoptivam: in secundo sensu posuit illam Nestorius; an vero posuerint Felix, & Elipandus, alii affirmant, ut P. Feraud; alii negant, ut Juenínus, qui vult, in tertio sensu admisisse; quanvis omnes dicant, quod Nestoriani fuerunt Elipandus, Archiepiscopus Toletanus, & Felix, Urgelitanus Episcopus; qui damnati fuerunt in Concilio Francofordiensi, sub Hadriano Pontifice, & Carolo magno Imperatore; unde Du-Hamel scribebat; ultimam Nestorianæ hæresis velut sobolem fuisse, quæ Caroli magni tem-

Digitized by Google

temporibus exorta est in Hispania, a duobus Episcopis, Felice Urgelitano, & Elipando Toletano, propagatam. Hi enim, subdit ipse, Christum Deum, & hominem fatebantur; sed in eo duos Filios inesse, unum naturalem, qui Deus est, adoptivum alterum, qui est homo, prædicabant. Sed de hoc alii non conveniunt, si intelligunt duas personas; immo nos contrarium mox asseremus cum Juenino, ac probabimus. In tertio vero sensu, quidam ex Catholicis admittunt in Christo adoptivam filiationem; & inter hos adnumerant Durandum, Basolum, aliosque. De Scoto dicunt Discipuli ejus, quod in hoc fuerit problematicus; alii vero asserunt, quod magis ad adoptivam filiationem in Christo admittendam inclinaverit. Thomistæ vero omnes, aliique Scholastici communiter, neque in Christo ut homine adoptivam sustinent filiationem, & omnino volunt, Christum, etiam ut hominem, fuisse Dei Filium naturalem.

Præmittimus secundo circa subjectionem Christi, quam dicunt etiam aliqui servitutem; quod subjectio tria dicit, inæqualitem, dependentiam, & obedientiam; & quod per obedientiam servitus importatur. Cacheranus vero asserit, subjectionem latius patere, quam servitutem proprie dictam; quia hæc est solum ad Dominum, illa vero est ad quemcunque Superiorem; nimirum Subditi ad Principem, Filii ad Patrem, Uxoris ad Virum, Famuli ad Herum. Ratio est, quia Dominus ad Superiorem addit jus proprietatis ad jus jurisdictionis; jus scilicet disponendi pro libito in usum quemcunque ad jus præcipiendi, & obligandi per leges, & jussa. Et hinc est, quod dividunt servitutem generalissime sumptam in naturalem, & legalem, seu in natam, & politicam, physicam quodammodo, & civilem. Naturalis fundatur in natura, & est illa, qua quis est alteri subjectus ratione productionis, ut filius Patri, creatura Deo: unde Angeli, & primi Parentes, etiam in statu innocentiæ, fuerunt Dei servi hoc servitutis genere; quia a Deo creati. Servitus legalis non a natura, sed a lege introducta est, ex Augustino lib. 16. de civit. Dei c. 9., & est pœnalis quædam conditio eorum, qui aut bello capti, aut venditi, alterius dominio subjiciuntur. Hac servitute qui peccat dicitur peccati, & Diaboli servus; attamen Fraſſen hanc servitutem appellat peccaminosam, & per eam tertiam servitutis speciem constituit, quam dicit esse illam, qua creatura rationalis peccato, vel Diabolo subjicitur, de qua I. Joann. 10. *Qui facit peccatum servus est peccati*. Et subinde addit quartam quoque speciem servitutis, quam vocat pœnalem, & quam ait, consistere in affectu illo, quo creatura rationalis obedit Deo metu pœnæ subeundæ, & de qua Apostolus scribit ad Roman. 2. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore*. Inter servitutem naturalem, & legalem, hoc ponitur discrimen, quod prima non excludit jus, ut ait P. Feraud, ad communicandum in bonis, & honoribus; secunda vero excludit. Unde Filii quanvis sint servi naturales Patris, habent tamen jus ad communicandum cum illis in bonis, & honoribus. Similiter Angeli, Primi Parentes in statu innocentiæ, & Sancti etiam Vivi, sunt proprie servi Dei, & sunt etiam filii per adoptionem, & gratiam; unde cum eo in bonis communicant; juxta illud Apostoli ad Roman. 8. *Si Filii, & Hæredes*. Deveniendo modo ad Christum, subjectio, quæ provenit ex obedientia, vel est in ordine ad præcepta naturalia, vel ad positiva & divina, vel ad positiva & humana. Prima sunt præcepta juris naturalis, & ad illa Christus, ut homo est, fuit stricto jure obligatus, quia Deus neminem ab illorum observatione eximit. Non tamen obedit Parentibus ex debito, quia quartum præceptum Decalogi comprehendit Filios, qui sunt Parentibus inferiores, cujusmodi non erat Christus. Secunda præcepta sunt illa Legis Moysis, & ad hæc Christus non tenebatur, quia erat Moyse superior. Tertia præcepta sunt Principum Edicta; & neque ad hæc adstringebatur Christus, quia ratione humanitatis conjunctæ Personæ Verbi, potestatem habebat, quæ erat omni humana potestate superior. His præmissis, Elipandus, & Felix, asserebant, Christum ideo esse, & dici debere Filium adoptivum, quia esset, & dici deberet servus: Concilii autem Francofordiensis Patres docebant, ideo Christum nec esse, nec dici debere Filium adoptivum, quod nec sit, nec dici debeat Dei servus. Unde Felix, & Elipandus, dixerunt Christum fuisse Dei servum; attamen cum additione, quæ fit a quibusdam, Christus prout homo, Scholastici quidam

Digitized by Google

dam voluit veram hanc propositionem esse: Christus prout homo est servus Patris; & inter hos est Silvius apud Juenninum. Alii negant illam omnino negant, uti est Thomassinus, & alii multi, quibus additur ex nostris B. Ferand.

Tempus est modo, ut ad Felicem, & Elipandum, deveniamus, ipsorumque historiam describentes, errores pariter, quos propugnarunt, in aperto ponamus. Anno Erae christianae circiter 785. Elipandus, Toletanus Archiepiscopus, a Felice, Episcopo Urgelitano, quaesivit, datis ad ipsum literis, quid de Christi humanitate sentiret? Felix respondit, Christum & esse, & debere dici, Filium Dei adoptivum. Hanc ipsam suam responsionem rationibus, & auctoritatibus Felix munivit, adeoque Elipandus facili negotio ipsi subscriberet. unde ambo apertis vobis, & audientibus omnibus, docuerunt, Christum esse Dei Filium adoptivum. Invaluit rumor, & per Hispaniam, & per Galliam, & per Germaniam, & denique per Italiam ipsam. In Italia fuit Paulinus, Aquilejae Episcopus, qui anno 791. Forojulii habuit Synodum, & in ea hanc haeresim damnavit. In Hispania Beatus, Presbiter Asturicensis, & Heterius, Episcopus Uxamensis, eandem e vulgaris libris impugnarunt. Universalis Ecclesiae clavum regebat Hadrianus I. Rom. Pont., qui erroris hujusce modi notitiam percipiens, ad Episcopos Hispaniae scripsit epistolam, in qua illum egregie confutavit. Sacri Romani Imperii solium occupabat Carolus, cognomento magnus, qui Hadrianum rogavit, ut Synodum haberet, in qua haeresis haec damnaretur. Antequam autem Concilium haberetur, Felix Ratisponam venit ad Carolum, & erroris convictus, missus fuit ad Hadrianum Pontificem Romam, coram quo errorem suum damnavit; & hoc factum est anno 792. Assumsit deinde, propter Elipandi impulsum, Felice ad pristinum errorem redeunte, hoc in causa fuit, ut Concilium a Hadriano convocante illud, & Carole postulante, Francofordii celebraretur ann. 794. In hoc Concilio iterum haeresis damnata est; Felix a sua Sede expulsus, Lugdunem relegatus periit, & incertum est, an vera viderit, an autem in sua haeresi obierit; Elipandus vero certum est, quod in sua obstinatione perstitit, & in ea etiam mortuus est. Aliter de Elipando scribit Natalis Alexander; quod scilicet in Ecclesiae communione mortuus fuerit; sed Chronica Luitprandi, aliaque monumenta, quae profert, ad hoc probandum, ipsimet quoque suspecta sunt.

Haec certa sunt apud omnes, qui convenient in asserendo, Felicem, & Elipandum, asseruisse, Christum esse Filium adoptivum Patris. Discon venientia vero in eo est I. an Felix, & Elipandus, dum asserebant, Christum esse Filium adoptivum, negaverint quoque Filium esse naturalem? II. an Felix, & Elipandus dixerint absolute, ac sine restrictione, vel additamento Christum esse Filium adoptivum, an vero cum hac restrictione, & hoc additamento; *Prout homo est*?

Scotus in I. dist. 10. q. 1. in reportatis ead. dist. q. asserit, Christum dici posse Filium adoptione; verum est tamen, quod addit, vitandum esse eum loquendi modum, propter Haereticos, qui eo abutuntur. Nullam mentionem facit Scotus Felicis, & Elipandi, quia Acta Concilii Francofordiensis perierant, & ad ejus notitiam non pervenerant: Et dum dicit, propter Haereticos, non alios, quam Nestorianos intelligit. Attamen postquam inventa sunt Acta praefati Concilii, quum opponeretur Scotistis, Scotum propugnasse errorem Felicis, & Elipandi, responderunt; Scotum sensum suum explicasse non in sensu istorum, sed in alio germano, & catholico. Nimirum dicunt, quod Felix, & Elipandus contendebant, Christum esse Filium adoptivum in sensu Nestorii, qui admittens inter Verbum, & humanitatem solam unionem moralem, quae constituit adoptionem, negabat personalem unionem, quae filiationem naturalem constituit. Scotus vero admittens vere hanc personalem unionem, filiationem naturalem cognoscit, ratione cujus Christus dicitur Filius naturalis; ac non per hoc, si restrictio in eo fiat ad solam humanitatem, Christus ut homo dici non potest etiam Filius adoptivus.

Durandus etiam, cui plures subscribunt, voluit, Christum absolute dici non posse filium adoptivum, cum additamento tamen, *secundum humanitatem*, vel *prout homo est*, dici posse. Si ei opponatur error Felicis, & Elipandi, respondent Sectatores ipsius, Felicem, & Elipandum, dixisse, Christum esse filium adoptivum,

sed

sed sine additamento, *prout homo est*; & ideo fuisse hæreticos; Durandum vero dixisse, esse filium adoptivum, sed cum additamento; & ob inde non esse Felici, & Elipando, æquiparandum.

Denique S. Thomas, cui fere omnes Scholastici adhærent, docuit, Christum nec absolute, nec cum additamento, dici posse filium Dei adoptivum. Ita in 3. p. q. 23. ubi non meminit literarum, quas ad Episcopos Hispaniæ Hadrianus dedit, nec definitionis in Concilio Francofordiensi factæ; propter rationem nuper a nobis allatam; Sequaces tamen ipsius doctrinæ asserunt, & Hadrianum, & Francofordiense Concilium, damnasse omnem in Christo adoptionem, etiam si admittatur supposita hypostatica unione, & cum restrictione, vel additamento ponatur, *prout homo est*. His positis

Dicimus I. Felicem, & Elipandum, admittentes filiationem adoptivam, agnovisse in Christo filiationem naturalem, contra Nestorium eam negantem; nec absolute, & simpliciter dixisse Christum esse filium Dei adoptivum, sed cum additamento, *secundum humanitatem*, vel *prout homo est*.

I. Probatur prima Conclusionis pars. I. Felix, & Elipandus, admiserunt in Christo unionem substantialem Verbi cum natura humana, quam Nestorius inficiabatur: ergo admiserunt filiationem naturalem, quam Nestorius negabat. Consequentia sequitur; quia qui subsistit in persona, quæ natura est filius Patris, natura etiam est filius; ergo si Christus subsistit in persona, quæ natura est filius Patris, natura etiam est filius. Antecedens probatur. Impugnatores Felicis, & Elipandi, qui fuerunt Beatus, Hetherius, Alcuinus, aliique; immo Damnantes illos, scilicet Hadrianus, Paulinus, Patres Concilii Francofordiensis, nullam fecerunt mentionem unionis hypostaticæ, ut ab iisdem negatæ, nullum testimonium pro ea adduxerunt; sed potius illa supposita, ex illa probarunt, stare non posse adoptionem, quam illi astruebant: ergo vere Felix, & Elipandus, unionem substantialem Verbi cum humana natura admiserunt. II. Felix, & Elipandus, in Concilio Francofordiensi, catholicum hominem sic interrogabant: *Cur times adoptivum Christum Dominum nominare?* Concilium respondit in ep. ad Episcopos Hispaniæ: *Ideo dico tibi, quia nec Apostoli, cum sic vocaverunt, nec S. Dei catholica Ecclesia consuetudinem habet eum sic nominandi, immo nec credere eum adoptivum esse*. Ex his infertur, quod si Felix, & Elipandus, negassent Christum esse Filium Dei naturalem cum Nestorio, illam interrogationem non fecissent; quia eis facile responderi poterat ab homine catholico: timeo, ne Nestorianus sim. Insuper Concilium non dixit, non vocandum esse Christum filium adoptivum, quia duæ in eo admittebantur cum Nestorio Personæ, sed tantum, quia cum sic non vocaverunt Apostoli, nec Ecclesia nominabat: ergo vere Felix, & Elipandus, Christum Filium Dei naturalem agnoscebant. III. Felix, & Elipandus admiserunt realem, & proprie dictam idiomatum communicationem, inter Verbum, & humanam naturam: ergo admiserunt hypostaticam unionem: ergo admiserunt filiationem naturalem. Probatur antecedens ex verbis Elipandi in Confessione fidei, quam Carolo magno misit: *Quem*, æternum Dei filium, *Scriptura sacra testatur pro salute humani generis, deitate exinanita, hominem factum, circumcisum, baptizatum, flagellatum, crucifixum, mortuum, sepultum, servum, peregrinum, leprosum; & quod deterius est, non solum ab Angelis, sed etiam ab hominibus minoratum, vermem esse dictum*.

II. Probatur secunda Conclusionis pars. I. testimonio Jonæ, Aurelianensis Episcopi, qui fuit Felici, & Elipando, coævus, lib. 1. de cultu imaginum, sic de Felice loquentis: *Quoniam juncto sue sceleratissimo errori Elipando, Toletana urbis Episcopo, Christum secundum humanitatem, non esse proprium Filium Dei*, sed adoptivum; & subdit, quod eadem sententia in Concilio Francofordiensi damnata est. II. testimonio Amnonii lib. 5. de Gestis Francorum c. 87. scribentis, Elipandum interrogationem Felici factam per hæc verba concepisse: *Quid de humanitate Christi sentires?* Non de ipso Christo simpliciter, sed de humanitate: & Felicem respondisse: *Esse adoptivum*. III. testimonio Adonis Viennensis in Chronico ad ann. 793. de Synodo Francofordiensi hæc scribentis: *In hac Synodo hæresis cujusdam Episcopi, Felicis nomine, damnata est, qui Christum, secundum quod homo est, adoptivum Dei Filium dicebat*. IV. testimonio Hadriani Papæ in epistola ad Episcopos Hispaniæ referentis errorem illorum, & dicentis fuisse illum de Christo secundum carnem: *Materia an-*

Digitized by Google

autem causalis perfidiæ inter cætera rejicienda de adoptione Jesu Christi filii Dei secundum carnem, falsis argumentationibus digesta perfidorum verborum ibi stramina, incomposito calamo legebantur. Hæc catholica Ecclesia nunquam credidit, nunquam docuit, nunquam male credentibus assensum præbuit. V. testimonio Concilii Francofordiensis in epistola ad Episcopos Hispaniæ: *Quam adoptionem pravissimo sensu, qui scripsit epistolam, ad Christi voluit transferre humanitatem.* VI. testimonio fidei confessionis, quam Elipandus ad Carolum magnum misit: *Homo interior in una, eademque Dei & hominis persona deglomeratus . . . . . filius adoptivus humanitate, & non adoptivus divinitate, mundum redemit.* Hæc omnia testimonia a Juenino afferuntur, & ab ipso nos excripsimus.

Arguunt I. Jonas citatus refert, Felicem, & Elipandum, fuisse in Francofordiensi Concilio cum Nestorio damnatos: ergo idem cum Nestorio sentiebant. II. Concilium Francofordiense in epistola ad Episcopos Hispaniæ alloquens Felicem, & Elipandum, habet: *Nonne olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab universali sancta Ecclesia refutata est, etiam & damnata?* III. In libro Sacrosyllabo Paulini Aquilejensis, in Francofordiensi Concilio probato, hæc leguntur: *Dei ergo Filius qua ratione potest credi adoptivus, qui inseparabiliter assumpto homine, in una persona coeunte utraque natura, non duo filii, alius Dei, & alius hominis, vel (sicut illi errando æstimant) adoptivus sit filius Dei.*

Respondemus ad hæc omnia cum citato Juenino, errorem Felicis, & Elipandi damnatum fuisse implicite, & virtualiter in Nestorio, non vero explicite, & expresse; quatenus nimirum definitum fuerat contra Nestorium, in Christo unam esse personam; ex unitate autem personæ sequitur necessario unitas filiationis, naturalis nempe; quia filiatio non cadit in naturam, sed in personam; quanvis hoc Felix, & Elipandus cum Nestorio non dicerent; & hinc est, quod ipsorum error implicite, & virtualiter, damnatus fuit in Nestorio. Non fuit autem damnatus explicite, & expresse, quia nihil ipsius legimus in Cyrillo, in Concilio Ephesino I., & in aliis Patribus, qui contra Nestorium pugnarunt. Subdit Jueninus, quod eodem modo intelligi debent Jonas, & Patres Concilii Francofordiensis, dicentes, errorem Felicis, & Elipandi, fuisse in Nestorio prædamnatum, quo intelliguntur Scholastici, qui arguendo dicunt, Durandum, asserentem, Christum dici posse hominem Dominicum, fuisse etiam in Nestorio prædamnatum: ergo sicut nemo diceret, per hoc fuisse damnatum Durandum cum Nestorio, quia negasset unitatem personæ, ita nec quis jure affirmabit, Felicem, & Elipandum, fuisse cum Nestorio damnatos, quia negassent unitatem personæ in Christo. Denique concludit Jueninus, verba illa Sacrosyllabi: *sicut illi errando æstimant*: non referenda esse ad alia, quæ præcedunt: *Non duo filii, alius Dei, & alius homini*; sed ad illa, quæ immediate sequuntur: *Adoptivus sit filius hominis*; ita ut sit sensus: Non possunt esse duo filii in Christo, itaut filius hominis dici possit adoptivus, sicut illi, Felix, & Elipandus, arbitrantur.

Dicimus II. Christum etiam secundum humanitatem, seu ut hominem, non esse Filium Dei adoptivum, sed naturalem.

I. Probatur ex Scripturis. Ad Rom. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; sed secundum humanitatem traditus est: ergo secundum humanitatem est proprius Dei filius, non adoptivus. Quod confirmat Hadrianus Papa in epistola ad Episcopos Hispaniæ: *Scimus enim, quia non est traditus secundum divinitatem, sed secundum id, quod homo erat.* Joann. 3. Joannes Baptista hæc de filio Dei dicit: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit ei in manus ejus*; sed hic filius non est adoptivus, tum quia vocatur filius simpliciter, & consequenter cum adoptionis exclusione; tum etiam, quia vocatur filius, cui Pater dedit omnia; filius, cui Pater dat omnia, est filius natura, non adoptione: Est autem hic filius prout est homo; quia hæc ad illa subsequuntur verba: *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Qui credit in filium, habet vitam æternam*: Ad quæ scribit Augustinus tract. 14. in Joann. *Pater diligit filium, sed quomodo Pater filium, non quomodo Dominus servum; quomodo amicum, non quomodo adoptatum.* Joann. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*. Non dixit ad Patrem nostrum, sed ad Patrem meum, & Patrem vestrum; quia alia ratione est Pater suus, alia noster; suus enim est naturalis Pater, noster vero adoptivus; quod pariter Augustinus roborat tract. 21. in

Digitized by Google

Joann. *Cui dicimus Pater noster? Patri Christi. Qui ergo Patri Christi dicit, Pater noster, quid dicit Christo, nisi, Frater noster? Non tamen sicut Christi Pater, ita & Pater noster. Nunquam enim Christus nos conjunxit, ut nullam distinctionem faceret inter nos, & se. Ille enim filius æqualis Patri... nos, adoptati per unicum.* Joann. 9. Caiphas interrogabat Christum, an ipse esset Filius Dei? Christus respondit: *Ego sum.* Christus utique respondit in eo sensu, in quo Caiphas eum interrogabat; sed Caiphas interrogabat de proprio, & germano filio: ergo Christus se dixit esse proprium, & germanum Dei filium. Joann. 18. Christus interrogat Cæcum a nativitate, quem illuminaverat: *Tu credis in Filium Dei?* Ipse autem respondit: *Quis est, Domine, ut credam in eum? Dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est*: Nec quidem hìc Christus loquitur de Filio, nisi proprio, & naturali, nec de alio, quam de hoc, Cæcus respondet; & tamen Christus ut homo intelligebatur, tum a seipso interrogante, tum a Cæco respondente. Matth. 4. *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Ad quæ Ambrosius habet lib. 1. de fide c. 5. *Non Moyses filius; non Helias filius, sed hic filius*; & hoc idem fuit, ac dicere; quia Moyses, Elias, aliique omnes, filii erant adoptione, Christus vero filius est natura. Alia Scripturarum testimonia leguntur in epistola Hadriani Papæ ad Episcopos Hispaniæ, & in epistola Synodica Concilii Francofordiensis ad eosdem Episcopos Hispaniæ.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo magnus in epist. ad Flavianum: *Ut sciremus Verbum hoc non esse quod carnem: & ut unum Dei filium & Verbum confiteremur, & carnem.* Gregorius magnus lib. 1. moral. c. 6. *Omnes homines tantummodo homines sunt, ipse autem, Oriens Deus & homo recte dicitur: Omnes, qui in fide Deo nascuntur, superat, quia non ut cæteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat.* Damasus Papa in epist. ad Paulinum Antiochenum: *Anathematizamus etiam eos, qui duos filios esse profitentur, unum ante secula, & alium post carnis assumptionem ex Virgine.* Hadrianus I. in epist. ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ: *Christus distincte dixit: Ascendo ad Patrem meum per naturam, & Patrem vestrum per gratiam adoptionis. Hinc Paulus dixit: Proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum. Scimus, quia non traditus est secundum divinitatem, sed secundum id, quod homo verus erat; illum nimirum, qui traditus est, idest hominem ipsum Apostolus proprium Dei Filium protestatur.* Et in eodem loco Idem: *Manifestavi nomen tuum hominibus. Quod illud nomen, nisi Patris? Nomen, Pater meus, tunc manifestavit hominibus, cum se Patris filium verum, & non putativum, proprium innotuit, & non adoptivum.* Leo IX. epist. ad Petrum Antiochenum: *Deum verum, & hominem verum; proprium in utraque natura, atque perfectum; non commixtionem atque divisionem passum, non adoptivum, neque phantasticum.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Toletanum IV. c. 1. *Naturæ enim in illo duæ, Deus, & Homo: Non autem duo Filii, & Dii duo, sed idem una persona in utraque natura perferens passionem, & mortem, &c.* Concilium Toletanum VI. c. 1. *Ut idem filius Dei Patris esset filius hominis, Deus perfectus, & homo perfectus; ut Deus perfectus & homo esset unus Christus, naturis in duabus una persona, &c.* Concilium Francofordiense citatum supra: *Porro adoptivus dici non potest, nisi is, qui alienus est ab eo, a quo dicitur adoptatus, & gratis ei adoptio tribuitur: quoniam non debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio præstatur.* Et infra: *Unde & in Dei Filium non cadit nomen adoptionis, quia semper verus Filius, semper Dominus, ac per hoc, & post assumptum hominem veri Filii vocabulum non amisit, qui nunquam verus desiit esse Filius.* Concilium Forojulii in Symbolo edito in ipso: *Non alter hominis filius, & alter Dei; sed unus idemque Dei hominisque filius, in utraque natura, divina scilicet, & humana, Deus, & homo verus: non adoptivus, sed proprius; quia nunquam fuit, propter hominem, quem assumpsit, a Patre alienus.* Concilium Ratisponense ann. 792. habitum, eundem errorem damnavit; ut testatur Alcuinus lib. 1. cont. Elipandum: *Hæc eadem vestri erroris secta, eodem glorioso Principe præsidente, præsente Felice, quem multum laudare soles, vestræ partis tunc temporis defensore, ventilata est in celeberrimo loco, qui dicitur Raiginisburg, & synodali actione Sacerdotum Christi, qui ex diversis christiani imperii partibus convenerant, anathemate damnata.* Eandem quoque hæresim damnarunt Concilium Romanum sub Leone III., Synodus Aquisgranensis celebrata ann. 799.

IV. Probatur ex Patribus. Hilarius lib. 10. de

Digitized by Google

de Trin. *Non alius filius hominis, quam qui filius Dei est: neque alius in forma Dei, quam qui in forma servi perfectus homo natus est*. Et lib. 6. paulo ante finem quamlibet adoptionem a Christo excludit; expendit illud ad Rom. 8. *Qui proprio Filio suo non pepercit*, quod sine dubio intelligitur de Christo, ut homo est; & scribit: *Numquidnam etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen?* Augustinus tract. 2. in Joann. c. 1. exponens illud: *Quotquot autem &c.* ait: *Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille Unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius*. Et in Psal. 48. *Si ille unius, unde nos Fratres? Nisi quia unicus natura, nos gratia fratres Christi*. S. Ildephonsus, Archiepiscopus Toletanus, præcessor, & tempore proximus Elipando, lib. de virginit. Mariæ scribit: *Ideo non est adoptivus filius, sed adoptator, ut ita dicam, cæterorum*. Chrysostomus explicans Apostoli verba: *Tanto melior Angelis effectus, quanto præ illis differentius nomen hæreditavit: Cui enim dixit Angelorum, Filius meus es tu?* Sic discurrit: *Nam si est gratia filius, non solum non est Angelis præstantior, sed etiam minor. Quomodo? Quoniam homines quoque justi vocati sunt filii, & nomen filii, nisi sit filius proprius, & germanus, non potest ostendere excellentiam*. Cyrillus Hierosol. catech. 7. *Dicebat confidenter: Vado ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum: non dicit ad Patrem nostrum; sed dividens primum dicit quod erat proprium, ad Patrem meum, qui ejus Pater est natura: deinde subdit, Patrem vestrum, qui est per adoptionem*.

V. Probatur Rationibus. I. Adoptio humanitatis Christi vel facta est ante unionem hypostaticam, vel post illam; non primum; quia Christi humanitas nec per instans fuit sine unione cum Verbo: nec secundum, quia humanitas ratione unionis habebat jam jus ad hæreditatem, quum propter unionem jam fuerit infinitè sancta; sed qui jus habet ad hæreditatem adoptari non potest; dicitur enim in libro Sacrosyllabo: *Gratis adoptio tribuitur, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo, adoptio præstatur*. II. Christi humanitas post unionem non fuit extranea, sed Verbi propria; ergo adoptari non poterat. Sequitur consequentia; quia extraneus adoptatur, non proprius; & hinc est quod filius a proprio Patre adoptari non potest. Et ob hoc etiam legitur in Sacrosyllabo: *Hoc ideo posuimus, ut patenter daretur intelligi, eum dici adoptivum, qui nondum prius fuerat proprius filius adoptantis. Unde in Dei Filium non cadit nomen adoptionis, quia semper verus filius, semper Dominus, ac per hoc & post assumptum hominem, veri Filii vocabulum non amisit, qui nunquam verus desiit esse filius*. III. Non naturæ, sed personæ, proprie convenit filiatio; sed in Christo est una persona: ergo est una filiatio; atqui Christi persona jam habebat filiationem naturalem: ergo eidem convenire non poterat filiatio adoptiva. Major est certa ex S. Thoma, docente, quod non natura, sed persona dicitur Filius. IV. Adoptare est desiderare, & nondum habere, filium, qui proinde assumitur per adoptionem, ut habeatur: unde infertur, quod sibi adoptare filium est desiderare habere pro filio illum, qui alioquin secundum naturam filius non est; sed humanitas Christi fuit conjuncta Deo re ipsa, & non solo affectu; fuit filia jam natura, antequam potuisset adoptari: ergo non fuit Dei filia adoptiva. Hoc etiam invenimus argumentum in Sacrosyllabo: *Omnis adoptio ex affectione ducit vocabuli sui originem, quanquam etymologiæ suæ non videatur trahere similitudinem. Habet nanque ex utraque parte: Utinam, adverbium eleganter insitum, ut si dicas: Utinam sis mihi in filium adoptivum. Et e contra: Utinam merear a te in filium adoptari! Ex affectu quidem dilectionis pars subrepit parti, ut in utraque conveniat dilectionis affectus*. V. A quo poterat adoptari Christus, si in quantum homo fuisset filius adoptivus? Non a Patre; quia jam Patris erat filius naturalis: non a tota Trinitate, quia aliter fuisset a semetipso adoptatus: ergo vere non fuit filius adoptivus, neque secundum humanitatem. VI. Si Christus secundum humanitatem fuisset filius adoptivus, fuissent in Christo duo filii; sed hoc definitum est contra Nestorium, esse falsum, impium, & hæreticum; ergo &c. Probatur major. Fuisset filius naturalis, qui fuisset Christus secundum Divinitatem; & fuisset filius adoptivus, qui etiam fuisset Christus secundum humanitatem: ergo duo fuissent filii in Christo. Et hinc etiam sequeretur, quod Maria Virgo fuisset filii adoptivi, & ascititii Mater, non vero filii proprii, & naturalis Dei; quod sane Nestorianismi putidissime olet.

Digitized by Google

Obstant. I. Irenæus lib. 3. adverſ. hæreſ. c.21. docet: *Propter hoc enim, Verbum Dei homo, & qui filius Dei eſt, filius hominis factus eſt, immixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens, ſit filius Dei*. II. Marius Victorinus lib. 1. contra Candidum Arianum inquit: *Nos adoptione filii, ille natura etiam, & quadam adoptione filius, & Chriſtus, ſed ſecundum carnem*. III. Hilarius lib.2. de Trinit. poſt medium, de Chriſti nativitate loquens ſcribit: *Ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*. IV. S. Ildephonſus, & S. Julianus, ambo Toletani Archiepiſcopi, Elipandi præceſſores, in miſſa de Cœna Domini hæc dicebant: *Qui per adoptivi hominis paſſionem, dum ſuo indulſit corpori*: Et in miſſa de Aſcenſione: *Hodie Salvator noſter poſt adoptionem carnis, ſedem repetivit Deitatis*. V. Filius adoptivus eſt, qui habet formam adoptionis; humanitas Chriſti habuit formam adoptionis: ergo eſt filius adoptivus. Major eſt certa; quia forma, quæ operatur neceſſario, ſemper ſuum habet effectum; minor etiam conſtat; quia forma adoptionis eſt gratia habitualis, quam diximus fuiſſe in Chriſto; conſequentia ſequitur. VI. Chriſtus ſecundum humanitatem non eſt filius Dei naturalis: ergo eſt filius Dei adoptivus. Probatur antecedens. Chriſtus ſecundum humanitatem non eſt genitus filius Dei: ergo non eſt filius Dei naturalis: ergo eſt adoptivus; non enim datur medium. VII. Auguſtinus lib.de Prædeſtinat. Sanctor. c.15. docet: *Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicunque chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus*: ergo Chriſtus eſt filius Dei gratia, & adoptione, ſicuti ſunt cæteri homines, non natura, ut eſt Verbum filius Dei. VIII. Cyrillus dialog.3. de Trinit. *Conſtat igitur, tunc recte datum eſſe Filio nomen, quod eſt ſuper omne nomen; cum etiam forma noſtra aſſumpta, velut unus e nobis in Filium adſcriptus eſt Dei, adoptatus nobiſcum, & propter nos, verus ille, & germanus, ut & nos propter ipſum filii ſupernaturalis gloriæ ſimus participes*. IX. In re, da qua agimus, non conſtat nec de definitione Hadriani, nec Concilii Francofordienſis: ergo liberum eſt omnibus aliter ſentire, ac nos uſque modo probavimus. X. Nec quæ diximus in prima Concluſione de Felice, & Elipando, in quæſtione facti, ad fidem pertinent; nec quæ in hac poſteriori Concluſione probavimus, ſic dici poſſunt de fide eſſe, ut contraria aſſertio, Chriſtum ſcilicet eſſe ac dici poſſe filium Dei adoptivum, valeat cenſura aliqua cum juſtitia inuri: ergo nulla ex dictis res eſt ad fidem pertinens.

Reſpondemus ad I. Verborum Irenæi ſenſum eſſe hunc, quod Dei filius factus ſit homo, ut homo juſtificatus per merita ipſius, fiat filius Dei per adoptionem. Hoc clare patet in iiſdem verbis, ſi recte accipiantur; illa enim, quæ ſunt: *Ut adoptionem percipiens, ſit filius Dei*: non referuntur ad illa alia: *Qui filius Dei eſt, filius hominis factus eſt*: Scilicet non referuntur ad Chriſtum, ſed ad hominem quemcumque, qui conſequutus ſit gratiam juſtificationis. Falſum eſt propterea, Irenæum aliter docuiſſe, ac docuerunt Hadrianus Papa, & Concilium Francofordienſe, ut putavit Vaſqueſius, in hoc ſane deceptus, 3.p. diſp.89. c.5., & advertit Jueninus, cujus hæc etiam eſt reſponſio.

Ad II. De quadam adoptione loquutus eſt Marius Victorinus, non de rigoroſa adoptione; dicit enim: *& quadam adoptione filius*. Et ideo vocavit Chriſtum filium adoptivum ſecundum carnem, quia ejus humanitas, nullis meritis præcedentibus, electa fuit, ut eveheretur ad filiationem naturalem per hypoſtaticam unionem. Hæc autem adoptio impropria nimis eſt adoptio; in hoc enim ſenſu omnis electio ſine præcedentia meritorum eſſet adoptio. Sed non eſt illa, de qua in præſentiarum nos loquimur, ut ex ſe patet.

Ad III. dicunt Librariorum fuiſſe errorem, ut in Hilarii textu pro verbo *adoratur*, verbum ponerent *adoptatur*. Et revera cum primo verbo magis genuinus eſt ſenſus, quam cum ſecundo. Sic enim leguntur verba illa: *Aliud intelligitur, aliud videtur. Parit Virgo, partus a Deo eſt, infans vagit, laudantes Angeli audiunt, panni fordent, Deus adoratur: ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur*. Alii vero explicant de impropria adoptione, quatenus nimirum eſt collatio doni, quod Chriſti humanitas non meruerat; ut dictum eſt in reſponſione ad ſecundum.

Ad IV. reſpondet Concilium Francofordienſe verbis hiſce: *Melius eſt teſtimonio Dei Patris credere de ſuo filio, quam Hildephonſi veſtri, qui tales vobis compoſuit preces in Miſſarum ſolemniis, quales uni-*

ver-

Digitized by Google

versalis & sancta Dei non habet Ecclesia. Et si Hildephonsus vester in orationibus suis Christum adoptivum nominavit, noster vero Gregorius, Pontifex Romanæ Sedis, clarissimus toto orbe Doctor, in suis orationibus semper eum Unigenitum nominare non dubitavit. Alii dicunt, verba illa non esse Hildephonsi, sed alterius; quod plane constat, quia sunt contraria verbis aliis ejusdem Sancti, quæ nos in Patrum testimoniis attulimus.

Ad V. distinguitur propositio illa: Forma, quæ necessario operatur, semper producit suum effectum, si subjectum sit capax hujusmodi effectus, conceditur; si sit incapax, negatur. Humanitas Christi, quia in primo instanti suæ existentiæ fuit verbo unita, & per hoc effecta Dei filius naturalis, non fuit amplius capax adoptionis; unde forma, quæ est gratia habitualis, quam diximus fuisse in Christo, quoad hoc tamen non produxit effectum suum, quia invenit subjectum, hoc est Christum, incapax ad recipiendum illum, propter filiationem naturalem, quam antecedenter per hypostaticam unionem habuerat.

Ad VI. Quanvis Christus non sit filius per generationem, est tamen filius per unionem substantialem; & hoc sufficit, ut sit filius naturalis. Et hìc quidem loquimur de Christo, prout homo est; quia prout homo est filius per unionem substantialem; in primo enim instanti conceptionis suæ ejus humanitas conjuncta fuit Verbo: Unde quanvis Christus ut homo non sit filius per generationem, quia prout homo non processit a Patre in similitudinem naturæ; est tamen filius per hypostaticam unionem; & hoc satis est, ut diximus, ut filiationem habeat naturalem.

Ad VII. Augustinus intelligit, quod quemadmodum cæteri homines habent filiationem adoptivam per gratiam, ita etiam Christus per gratiam habuit filiationem naturalem. Humana enim natura per gratiam evecta est ad eam dignitatem, ut naturalem Dei filiationem haberet. Itaque similitudo Augustino non stat in termino, sed in modo habendi; modus habendi est habere per gratiam, qui quidem idem fuit in Christo, & in cæteris hominibus; terminus autem similitudinem destruit; quia Christus per gratiam habuit filiationem naturalem, cæteri vero homines per gratiam habent filiationem adoptivam.

Ad VIII. Non loquitur Cyrillus, ait Natalis Alexander, de filiatione hominis assumpti, sed de ipsa assumptione in unitatem personæ; adeoque filiationis propriæ unigeniti Dei filii homo assumptus, jam est unigenitus Dei filius natura. Assumptio autem gratuita fuit. Et sic ex gratia unionis homo est filius Dei naturalis: licet non propter naturam humanam, sed propter naturam divinam, cum qua indivise unita est humanitas in unitate personæ, & proprietate filii Dei. Hucusque Alexander.

Ad IX. Negatur omnino antecedens. De damnatione enim hæresis Felicis & Elipandi late tractat laudatus Alexander in sec. 8. c. 2. ar. 2., & plurium affert testimonia, quibus damnatio, de qua loquimur, probatur. Eginhardus in Annalibus ad ann. 792. de Felice hæc scribit: *Hujus rei causa ductus est ad Palatium Regis, qui tunc apud Reginum, Bajoariæ civitatem, in qua & hyemaverat, residebat. Ubi & congregato Episcoporum Concilio auditus est, & errasse convictus, ad præsentiam Hadriani Pontificis Romam missus: ubi etiam coram ipso, in Basilica S. Petri Apostoli hæresim confessus est, atque abdicavit. Quo facto ad civitatem suam reversus est.* Concilium vero Francofordiense, cui interfuerunt Hadriani, Romani Pontificis, Legati, Theophilactus, & Stephanus, anathema dixit in Felicem, & Elipandum, ac eorum hæresis Sectatores, nisi redirent ad sanam mentem, & fidem. Hoc patet ex can. 1. *In primordio Capitulorum exortum est de impia & nefanda hæresi Elipandi, Toletanæ Sedis Episcopi, & Felicis Orgellitanæ, eorumque sequacibus, qui male sentientes, in Dei Filio asserebant adoptionem. Quam omnes qui supra Sanctissimi Patres, & respuentes una voce contradixerunt, atque hanc hæresim funditus a S. Ecclesia eradicandam statuerunt.* Præfatus Eginhardus testatur etiam in annal. ad ann. 794. *Rex ad condemnandam hæresim Felicianam, ætatis initio, quando & generalem populi sui Conventum habuit, Concilium Episcoporum ex omnibus regni sui provinciis in eadem Villa congregavit. Affuerunt etiam in eadem Synodo Legati Romani Pontificis, Theophilactus, ac Stephanus, Episcopi, vicem tenentes ejus, a quo missi fuerant, Hadriani Papæ. In quo Concilio & hæresis memorata condemnata est, & liber contra eam communi Episcoporum auctoritate compositus, in quo omnes subscripse-*

Digitized by Google

scripserunt? Denique, ut alia mittamus testimonia, apud Natalem Alexandrum videnda, adducimus illud Adonis Viennensis in Chronico; ubi hæc scribit: *Anno Incarnationis Domini 792. Felix, Urgellitanus Episcopus, hæreticus deprehensus, adoptivum non proprium filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum dogmatizans: qui ad præsentiam Hadriani Pontificis Romam deductus, hæresim verbis solummodo abdicavit. Synodus iterum facta contra supradictam hæresim in Francono-furt, Legatis Sedis Apostolicæ Præsidentibus, Theophilacto & Stephano Episcopis, & auctoritate Sanctorum Patrum convictus, & damnatus est iterum Felix cum errore suo, perpetuoque exilio apud Lugdunum relegatus est. Quem ferunt in eodem ipso suo errore mortuum.* Quæ clariora desiderari possunt testimonia, ut Felicis & Elipandi hæresis damnatio omnibus & singulis constet?

Ad X. Dicimus, quod certe Vasquez putavit, de fide esse Conclusionem, quam propugnamus, & illi oppositam esse hæreticam; de quo tamen valde conqueritur Frassen, & cum eo omnes Scotistæ, majorem in Vasquesio modestiam desiderantes. At quicquid de hoc sit, nos, ut nemini injuriam faciamus, primo dicimus cum Juenino, hæreticam fore propositionem hanc: Christus est & dici potest filius Dei adoptivus: si proferretur cum exclusione filiationis naturalis. Ratio est manifesta, quia excluderetur unio substantialis Verbi cum humana natura, uti eam excludebat Nestorius, quem ob inde Ephesinum Concilium damnavit. Si vero proferatur sine additamento; prout est homo; sive cum additamento; est primo temeraria; quia nec Prophetæ, nec Apostoli, nec Patres, asseruerunt unquam, Christum esse Filium adoptivum, sive cum additamento, sive sine additamento: Secundo est erronea; quia unanimis Theologorum consensus eam judicat Scripturæ, & Patribus adversari, & ex ea sequi personarum pluralitatem in Christo. Denique, etiam si eadem propositio præsupponat personalem unionem Verbi cum humana natura; etiamsi cum additamento exprimatur, aut saltem subintelligatur; esset omnino hæretica, si certo constaret, fuisse illam damnatam ab Hadriano I., & a Concilio Francofordiensi. Et quamvis nos nuper hanc damnationem asseruerimus, quia tamen a non paucis Theologis negatur; & monumenta, quæ damnatione probanda attulimus, non sunt ita perspicua, ut vel negari, vel explicari non possint; inde est, quod eam sine tali censura in eo statu, in quo ad præsens est apud Theologos illos, qui eam acerrime defendunt, omnino relinquimus.

Dicimus III. Christum, etiam prout est homo, nec esse, nec dici posse, aut debere, Patris Servum.

I. Probatur. Christus nunquam sibi Servi nomen attribuit, nec Patri dedit nomen Domini: ergo Christus, etiam prout est homo, nec est, nec dici debet, Patris Servus. Probatur antecedens. Augustinus quæst. sup. Genes. c. 59. ait: *Neque in ipso Evangelio facile invenimus a Christo Deum Patrem Dominum appellatum, quod ejus Dominus esset; quamvis Deum inveniamus in illo loco, ubi ait: Vado ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Ulterius; Passionis tempore, immo quando Christus inter Latrones pendebat, nec sibi servi nomen, nec Patri nomen Domini tribuit; quemadmodum etiam in horto; & nihilominus vere tunc in servi forma apparebat. Unde Hadrianus in epist. ad Episcopos Hispaniæ scribebat: *Enim vero etiam in ipso articulo passionis, in quo servilis forma pati parata erat, ubi omnis humanæ conditionis infirmitas monstrabatur, non eum Dominum appellavit, sed Patrem: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste: Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.*

II. Probatur. Pater in Evangelio Christo loquens, nunquam eum servum nominavit, sed filium solummodo: ergo Christus, etiam ut homo non est Patris servus, sed filius. Antecedens est Hadriani Papæ: *Nusquam eum vocatum a Patre servum legimus, sed filium, & dilectum suum.*

III. Christus ab Apostolis fuit sæpe sæpius Dominus appellatus; nullibi vero Patris servus: ergo non fuit Patris servus, etiam ut homo. Antecedens est pariter Hadriani: *Nullus Evangelistarum, nemo Apostolorum, servum eum commemorat, sed Dominum, & Salvatorem. Nam Thomas cum exploraret vestigia vulnerum, quæ clavi & lancea intulerunt, exclamavit dicens: Dominus meus, & Deus meus. Petrus ait: Domine, tu mihi lavas pedes? Discipuli omnes: Domine, adauge nobis fidem. Paulus, clarissima mundi tuba, semper*

Digitized by Google

per eum Dominum & ipse confitetur, & omnem linguam confiteri procedet.

IV. Probatur. Scripturæ non solum Christum non vocant servum, adhuc ut hominem, sed nec servum vocari debere, innuunt: ergo &c. Probatur antecedens. Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ.* Quem Patrem respectu sui ipsius nominat, respectu cæterarum creaturarum Dominum vocat. Unde inquit Athanasius or. 3. cont. Arianos: *Eam differentiam ipse docuit, pulcherrima interpunctione dicens: Confiteor tibi Pater: deinde: Domine cœli, & terræ. Ubi illum & Patrem suum dixit, & rerum creatarum Dominum.* Ad Heb. 3. Apostolus inducit oppositionem inter Christum & Moysen; & discrimen assignat, quod Moyses fuerit servus in domo Dei, Christus vero filius: *Moyses quidem tanquam famulus fidelis fuit in tota domo ejus: Christus autem tanquam filius in domo sua.*

V. Probatur. Christus a Patribus expresse dicitur, etiam ut homo, quod non fuerit servus Patris: ergo talis non fuit. Probatur antecedens. Dionysius Alexandrinus in epist. ad Paulum Samosatenum, & in responsione ad quæst. 7. ejusdem, negat, Christum, *qui naturæ dominus erat, fuisse natura servum.* Et sibi opponens verba Apostoli: *Formam servi accipiens &c.*; respondet, per verba illa formam non importare naturam, sed apparentiam: *Neque vero forma servi servus est. Ut si famulum suum herus jubeat pellem ovis induere.* Theodoretus in fine dialog. 2. reprehendit Apollinarium, quia corpus Christi dixit stolam, & creaturam, & instrumentum, & Christum ipsum vocavit servum. Augustinus homil. 39., ut eum citant Patres Concilii Francofordiensis: *Dominus noster etiam in forma servi, non servus: sed in forma etiam servi Dominus fuit.*

VI. Probatur. Christus a Pontificibus Romanis, & a Conciliis, non dicitur servus, etiam ut homo: ergo servus non fuit. Probatur antecedens. Hadrianus I. in epist. ad Episcopos Hispaniæ, loquens de Felici, & Elipando, scribit: *Adoptivum eum Filium, quasi purum hominem, calamitati humanæ subjectum; & quod pudet dicere, servum eum, impii & ingrati tantis beneficiis, liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce susurrare?* Concilium Francofordiense in epistola Synodica: *Si Deus verus est qui de Virgine natus est, quomodo potest tunc adoptivus esse, vel servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum, vel adoptivum.*

Objiciunt I. Isai. 42. *Ecce Servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum judicium gentibus proferet:* Matheus autem c. 12. docet, hæc verba de Christo intelligi: *Ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem: Ecce puer meus, quem elegi &c.* II. Isai. 49. *Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi .... parum est, ut sis mihi servus.* III. Psal. 115. Christus se Patris servum dicit: *O Domine, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.* IV Ad Philippens. 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens &c.* V. Ambrosius in psal. 35. *Ex utero Virginis idem & servus exivit, & dominus.* VI Hilarius lib. 11. de Trinit. *Habens Deum suum in dispensatione, cum servus est, & Patrem in claritate, cum Deus sit.* VII. Augustinus epist 178. *In qua infirmitate humanitatis, non solum subditum, sed etiam servum, evidentissime confitemur.* VIII Chrysostomus hom. 7. in ep. ad Philipp. 2. *Sicut in forma Dei perfectus est Deus: ita in forma servi perfectus est servus.* IX Christus ut homo est creatura: ergo Christus ut homo est servus. X. Christus ut homo obedivit Patri: ergo Christus ut homo fuit servus Patris.

Respondemus ad I. Ubi legitur *Servus*, græce legitur παῖς; quæ quidem vox significat servum, & filium: unde 70. Interpretes legunt: *Jacob puer meus, assumam eum. Israel electus meus, suscepit eum anima mea.* In textu hebraico si legitur servus, intelligendus est metaphorice, quatenus significat servitutis exercitium, non servi conditionem. Sic Francofordienses Patres: *Etsi eum Propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, qua factus est Patri obediens usque ad mortem.*

Ad II. & III. Christus in citatis locis dicitur servus non in persona propria, sed aliena; nimirum, quia figurabatur vel a Jacobo, vel a Davide, vel ab aliis Prophetis, qui servi erant, in muneribus, quæ obire debebat. Unde Hadrianus Papa: *Nunquid propterea servi ei nomen imponere debemus, quia sub persona Job, Scriptura eum typice designabat?*

Ad

Ad IV. Sunt qui dicunt, Apostolum intelligendum esse, de officiis servi, quæ Christus obivit, non de servi conditione, quam Christus non habuit. Et sunt, qui explicant, Apostolum loqui de apparentia servi, non de natura; ut paulo ante dictum est.

Ad V. VI. VII. & VIII. Dicitur, quod Patres illi intelligunt, quod natura humana Christi vere fuisset Dei serva, si fuisset sui juris, hoc est cum propria personalitate. Ubi autem fuit juris alieni, hoc est Verbi divini, quod eam terminavit, non fuit, nec dicendus est Christus, ratione ipsius, Dei Servus. Et quando Patres cum sic dicunt, non proprie, sed improprie loquuntur; quod ostendit Damascenus lib. de fid. orthod. c. 2. dicens: *Denominative igitur dicitur servus, non quod ipse sane hoc existat, sed quod propter nos formam servi accepit, & servus nobiscum vocatus est.* Vocatus est scilicet, non propter illud, quod erat, sed propter illud, quod fuisset, si Verbum humanitatem Christi non assumpsisset; ut docet P. Feraud.

Ad IX. Non sufficit, quod sit creata, ut sit serva, aliqua creatura, sed requiritur ulterius, ut sit sui juris. Quanvis enim ad servitutem sumptam secundum officia, ut ait Iueninus, satis sit natura creata, & dependens, non tamen est satis ad conditionem servilem; quia necessarium est quoque ut sit juris sui non alieni. In Christo non reperitur hujusmodi persona, quia natura humana non est sui juris, quum non sit propria subsistentia subsistens; unde Christus etiam ut homo non potest esse, nec potest dici proprie, & in rigore, Dei servus; ut homo enim acceptus, non habet personam humanam; natura humana, quam habet, est creata, est dependens, sed non est personata ab humano, & creato, & dependenti supposito; non potest proinde proprie serva appellari.

Ad X. Christus fuit obediens ut filius, non ut servus; non enim coacte obedivit Patri, nec per timorem, sed per amorem, & libere. Unde Christus ipse in Evangelio dicebat: *Diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et Alcuinus contra Felicem, & Elipandum lib. respondebat iisdem: *Non conditione debitæ servitutis, sed implendæ paternæ voluntatis in salute humana voluntaria obedientia: Nam in Christo quicquid gestum est, totum voluntatis fuit, non necessitatis.*

DISSERTAT. CLXXXIX.

De Prædestinatione Christi. An Christus vere fuerit prædestinatus? An fuerit prædestinatus ut homo? Ad quem terminum fuerit denique prædestinatus? Et an sit caussa, & quæ prædestinationis nostræ?

MULTOS, asserit Du-Hamel, negare, Christum ratione humanæ naturæ prædestinatum dici posse. Ex adverso testatur Cacheranus, alios fuisse in sententia, ut Christus dici non possit prædestinatus, nisi ut homo. Pro hac secunda opinione afferuntur Paludanus, Centinus, Durandus, aliique. Primæ vero sententiæ defensores moventur ex hoc, quia incarnatio spectari potius debet ut Verbi exinanitio, quam ut humanæ naturæ exaltatio; quod docent Athanasius, & Cyrillus. Prædestinatus autem dicitur, qui ad sublimiorem statum elevatur, non vero qui ad objectiorem deprimitur. Unde concludunt, Christum revera nec fuisse, nec dici posse prædestinatum. Addunt etiam, quod prædestinationis subjectum non est natura sed persona; & ratio per ipsos est, quia nequit idem esse subjectum, & terminus prædestinationis; nemo enim prædestinatur ad seipsum, sed provehitur ad aliquid a se distinctum: Chistus autem ut homo est Filius Dei; nequit proinde esse, vel dici, prædestinatus. Communis autem Scholasticorum fere omnium doctrina est, Christum, tum ut hominem, tum sine ad-

Digitized by Google

addito, recte posse dici prædestinatum. Ita S. Thomas 3. p. q. 24. ar. 1., Magister sententiarum in 3. dist. 7. Scotus in 3. dist. 7. q. 3. quibus subscribunt Thomistæ, & Scotistæ omnes, & omnes quoque Recentiores. Major autem est controversia de prædestinationis termino in Christo. Primo enim sunt, qui assignant non filiationem divinam, sed ejusdem declarationem; ita scilicet, ut Christus prædestinatus fuerit, non ad esse, sed ad manifestari filium naturalem hominibus. S. Thomas meminit hujus opinionis, sed ejus Auctores non nominat; videatur in lect. 3. ad Rom. 1. Alii, inter quos Cajetanus, constituunt miraculorum virtutem. Scotus, & Altisiodorensis volunt, Christum principaliter prædestinatum fuisse ad gloriam animæ, & secundario ad esse personale filii Dei, seu ad filiationem Dei naturalem. Thomistæ denique, aliique Theologi docent, filiationem Dei naturalem esse terminum primarium & principalem prædestinationis Christi; & beatitudinem, seu visionem beatificam, aliaque dona collata animæ Christi, fuisse terminum secundarium, & minus principale. Ita enumerat opiniones hasce P. Feraud.

Dicimus I. Christum fuisse prædestinatum, tum ut hominem, tum sine addito.

I. Probatur. Prædestinatio est ordinatio, seu præordinatio in mente divina rerum, quæ fiunt in tempore; sed ab æterno decretum fuit, ut Christus esset in tempore: ergo vere Christus fuit prædestinatus. Minor negari non potest; nihil enim in tempore fit, quod non fuerit ad æterno præordinatum. Ratio est Juenini, desumentis eam a S. Thoma.

II. Probatur. Prædestinatio magis stricte sumpta est divina præordinatio eorum, quæ in tempore fiunt per gratiam; sed vere fuit in Deo Christi præordinatio ad gratiam ab æterno: ergo vere fuit Christus prædestinatus. Ratio desumitur etiam ex S. Thoma a P. Feraud.

Obstant I. Nequit esse prædestinatio sine subjecto, quod prædestinetur; sed in Christo non fuit subjectum prædestinationis: ergo Christus vere non fuit prædestinatus. Probatur minor. Non potuit esse subjectum prædestinationis persona Verbi, quia nihil potuit dari Verbo per gratiam, ratione æqualitatis, quam habet cum Patre. Neque esse potuit humana natura, quia præordinari & prædirigi ad finem, quale est prædestinari, convenit proprie personæ, & non naturæ. II. Nec potest esse prædestinatio sine termino, ad quem fiat prædestinatio; sed respectu Christi nullus esse poterat terminus prædestinationis; ergo Christus non fuit vere prædestinatus. Probatur minor. Non potuit esse terminus filiatio divina, quia persona Verbi non cæpit esse in tempore filius Dei; nec potuit esse terminus natura humana propter rationem modo allatam: ergo respectu Christi nullus esse potuit terminus prædestinationis. III. Non potest idem esse subjectum, & terminus prædestinationis; sed hoc sequeretur, si Christus esset prædestinatus, ut dictum est: ergo &c. IV. Prædestinatio dicit exaltationem; sed per incarnationem Verbum non exaltatur, immo exinanitur: ergo prædestinatio in Christo non habet locum.

Respondemus ad I. dicendo, subjectum prædestinationis in Christo esse personam Verbi. Distinguitur autem quod dicitur: Nihil dari potuit Verbo per gratiam; Verbo prout subsistit in natura humana, negatur: Verbo prout subsistit in seipso, conceditur. Ratio est, quia prout subsistit in natura humana id tantum debetur, quod deberetur naturæ humanæ secundum se spectatæ. Quum autem unio hypostatica non debeatur humanæ naturæ, nec Verbo debetur, prout in natura humana subsistenti. Si non debetur, & datur; datur omnino per gratiam.

Ad II. Distinguitur pariter propositio illa: Persona Verbi non cæpit in tempore esse filius Dei, in se & absolute, conceditur; in natura humana, negatur. Verbum enim, quod in se erat ab æterno filius Dei, incæpit esse filius Dei in humana natura, quia hæc in tempore sibi unita est.

Ad III. Distinguitur major: Idem secundum idem non potest esse subjectum, & terminus incarnationis, conceditur; secundum diversa, negatur. Subjectum quidem prædestinationis Christi est Verbum, prout subsistit in humana natura; terminus est idem Verbum in se ipso spectatum. Unde Verbum in humana natura tendit ut sit naturalis filius Dei; & propter hoc illi unitur, ut in ea filiationem Dei habeat naturalem.

Digitized by Google

Ad IV. Verbum ut subsistit in humana natura in sua prædestinatione exaltatur; quia elevatur ad filiationem Dei naturalem; & quanvis hanc habeat in seipsa, non habet tamen ut subsistens in natura humana. Et quanvis per naturam humanam, quam sibi conjungit, exinanitus appareat, tanto magis tamen elevatur, quo magis dejicitur; quia ex illo abjectiori loco, in quem per naturam humanam, ut sic dicamus, dejectus fuerat, evehitur ad sublimem illum filiationis naturalis Dei; quæ utpote humanitati non debita, nec etiam Verbo, ut in humanitate subsistenti, debebatur.

Dicimus II. Christum fuisse prædestinatum ut hominem; & ad filiationem Dei naturalem ut ad terminum principalem, & primarium; ut ad terminum vero secundarium, & minus principalem, ad gratiam habitualem, ad gloriam animæ, ad beatitudinem corporis, & ad alia dona supernaturalia, quæ consequuntur gratiam unionis.

I. Probatur I. pars. I. Christus ut homo prædestinatus est, ut esset filius Dei: ergo ut homo fuit prædestinatus. Probatur antecedens. Verbum Dei ut subsistens in natura humana prædestinatum fuit ad filiationem Dei naturalem; ut probatum est in antecedenti Conclusionem: ergo Christus ut homo prædestinatus est, ut esset filius Dei. II. Hæc propositio: Christus prædestinatus est filius Dei, quæ est propositio absoluta, est vera: ergo pariter hæc alia: Christus, in quantum est homo, prædestinatus fuit, ut esset filius Dei. Probatur consequentia. Ideo illa prima propositio est vera, in quantum hunc reddit sensum: Verbum prout subsistit in humana natura, prædestinatum est ad filiationem Dei: ergo a fortiori vera est secunda. Probatur consequentia. Christus in quantum est homo idem sonat, ac Verbum prout subsistit in humana natura, & expressius significat secunda, quam prima: ergo si vera est una, a fortiori vera est altera.

II. Probatur II. pars. I. Christus prædestinatus est ad naturalem filiationem Dei: ergo prædestinatus est ad illam ut ad terminum principalem & primarium. Probatur consequentia. In Christo naturalis Dei filiatio est potior & prior omni alio dono gratiæ: ergo si Christus prædestinatus est ad filiationem Dei natoralem, ut ad terminum principalem, & primarium prædestinatus est ad illam. Probatur antecedens. Filiatio Dei naturalis est sanctitas substantialis, divina, & per essentiam; quodcunque autem aliud donum est sanctitas accidentalis; ulterius, nullum aliud gratiæ donum spectat ad constitutionem illius, qui prædestinatur, ut inquit Cacheranus, sicut naturalis filiatio spectat ad constitutionem Christi: ergo si Christus ad hanc prædestinatur, tanquam ad terminum principalem & primarium prædestinatur. II. Christus est vere & proprie prædestinatus filius naturalis Dei: ergo est prædestinatus ad filiationem naturalem Dei ut ad terminum principalem & primarium. Consequentia probatur. Quod vere & proprie est tale, principaliter & primario est tale; sed Christus vere & proprie est filius naturalis Dei prædestinatus: ergo principaliter & primario est prædestinatus ad filiationem naturalem Dei. Primum antecedens potest etiam sic probari. Christus est vere & proprie prædestinatus ab æterno, ad id, quod habuit vere & proprie in tempore; sed vere & proprie in tempore fuit filius Dei naturalis: ergo vere & proprie ab æterno fuit prædestinatus filius naturalis Dei.

III. Probatur III. pars. I. Christus fuit prædestinatus primario & principaliter ad filiationem Dei: ergo secundario & minus principaliter ad gratiam habitualem, ad gloriam animæ, ad beatitudinem corporis, & ad alia dona supernaturalia, quæ consequuntur gratiam unionis. Probatur consequentia. Qui prædestinatur primario ad aliquod, ex quo aliqua sequuntur, est ad hæc alia secundario prædestinatus; sed Christus est prædestinatus primario ad naturalem Dei filiationem, & ex hac sequuntur alia gratiæ dona, quæ in ipso sunt: ergo ad hæc alia gratiæ dona est secundario prædestinatus. II. Alia gratiæ dona sunt in nobis terminus prædestinationis: ergo etiam in Christo, in quo vere sunt, sunt terminus prædestinationis; non quidem principalis & primarius, quia hic est filiatio Dei naturalis, ut probatum est: ergo secundarius, & minus principalis.

Opponunt I. Subjectum & terminus prædestinationis non possunt esse simul, sed prius debet esse subjectum, deinde terminus;

Digitized by Google

minus; sed Verbum ut subsistens in natura humana, quod est subjectum prædestinationis in Christo, & simul cum filiatione naturali Dei, quæ est terminus, & nullo modo est prius: ergo filiatio naturalis Dei non potest esse terminus filiationis Christi. II. Si filiatio Dei naturalis esset terminus prædestinationis Christi, sequeretur quod filius Dei prædestinasset seipsum ad esse filii Dei; sed hoc est absurdum: ergo &c. Probatur sequela. Predestinatio est actus toti Trinitati communis: ergo etiam est actus secundæ personæ, quæ est filius: ergo filius Dei prædestinasset seipsum ad esse filii Dei III. Augustinus tract. 105. in Joann. docet: *Recte non dicitur prædestinatus secundum id, quod est Verbum Dei, Deus apud Deum: Ut quid enim prædestinaretur, cum jam esset?* ergo Verbum non prædestinatur ut sit filius Dei, quum jam sit. IV. Christus est essentialiter beatus: ergo non est prædestinatus ad beatitudinem, ad gloriam accidentaliter: ergo non secundario, & minus principaliter. V. Gratia & gloria debentur Christo ratione unionis: ergo non sunt dona respectu Christi: ergo non fuit prædestinatus ad illas. VI. Prædestinatio est ad illa, quæ de novo adveniunt, & quæ in tempore incipiunt esse; sed Christus ut persona ab æterno fruebatur beatifica visione, adeoque hæc non ipsi advenit, nec in tempore incæpit esse: ergo non fuit ad hæc prædestinatus. VII. Prædestinatio est dumtaxat ad illud, quod in prædestinato est melius, & est præstantius: ergo Christus est tantum prædestinatus ad unum, & non ad plura. VIII. Si Christus ut homo est prædestinatus, etiam humanitas Christi esset prædestinata; sed hoc est falsum: ergo & illud. IX. Verba Apostoli ad Rom. 1. non probant prædestinationem Christi, ut sit filius Dei, sed tantum declarationem, & demonstrationem ipsius sanctificationis, & filiationis Dei: ergo ex Scriptura nullum habetur argumentum ad probandam prædestinationem Christi. Probatur antecedens. Verba Apostoli citato loco sunt: *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.* Patres autem Græci illam vocem *prædestinatus*, legunt: ὁρισθέντος; quæ quidem vox græca non tam significat prædestinatum, quam declaratum, & demonstratum; scilicet ut sit sensus, quod Christus certissimis argumentis fuerit comprobatus filius Dei. X. Filius naturalis Dei non est prædestinatus ad esse hominem: ergo neque Christus ut homo dici potest prædestinatus ad esse naturalem filium Dei.

Respondemus ad I. cum Juenino, quod Verbum prout subsistit in natura humana est realiter simul cum filiatione divina; subsistentia tamen ipsius in natura humana prior est, secundum nostrum concipiendi modum, divina filiatione in eadem natura humana; quia filiatio resultat ex eo, quod Verbum in natura humana subsistat: Unde distinguit propositionem hanc: Terminus prædestinationis debet esse posterior, vel realiter, vel mentaliter, prædestinationis subjecto; concedit: realiter semper, negat. Cacheranus vero respondet, quod in prædestinatione Christi ad naturalem Dei visionem, subjectum prædestinationis est Christus possibilis, terminus est filiatio actualis. Christus possibilis præsupponitur ad filiationem actualem Dei, adeoque prior est illa. Distinguit proinde propositionem: Naturalis Dei filiatio est simul cum Christo actualiter existente, concedit: cum Christo possibili, negat. Si dicatur, Christum mere possibilem non posse esse prædestinationis subjectum; quia subjectum prædestinationis amatur a Deo, ipsi enim vult Deus bonum; Deus autem non amat mere possibilia: occurrit illico dicendo; quod in suis principiis Deus amat possibilia, quanvis amore inefficaci, & simplicis complacentiæ. Et si instetur, quod amor, qui spectat ad ordinem prædestinationis, debet esse efficax: respondet etiam dicens, possibilia posse a Deo amari efficaciter amore, quo ad esse futurum transferantur. Et sic est in casu respectu Christi possibilis, qui efficaciter amatur a Deo, volendo ei filiationem Dei; hoc ipso enim vult etiam ei existentiam; quia Christus per filiationem ipsam existit. Denique Gonetus sex responsiones aliorum huic argumento, quod P. Feraud difficile dicit, exhibet, & ipse etiam addit septimam, qua idem P. Feraud utitur; dicendo nimirum, quod terminus prædestinationis non includitur in subjecto *quo* ejusdem prædestinationis; in subjecto autem *quod* includitur inclusione formali, non includitur inclusione reali. Quæ ut bene con-

concipiantur, dicit, filiationem naturalem esse terminum formalem prædestinationis; humanitatem esse illius subjectum *quo*; Christum ut hominem esse subjectum *quod*. Filiatio naturalis non claudituri in humanitate; in Christo autem includitur realiter, non importatur formaliter, quia licet in Christo ut homine includatur subsistentia Verbi, & hæc sit filiatio naturalis, non tamen importatur in Christo ut homine sub munere filiationis divinæ, sed personalitatis humanæ; quatenus scilicet terminat naturam humanam. Unde quanvis includatur realiter, non importat tamen formaliter in subjecto prædestinationis Christi terminus ejusdem prædestinationis. Hæc P. Feraud,

Ad II. Christus ut Deus prædestinat seipsum ut personam; & in hoc nullum est inconveniens. Christus ut Deus in Jordane laudat seipsum personam; in monte Thabor seipsum etiam ut personam commendat. Tam enim laudatio in Jordane, quam commendatio in monte, sunt actus ad extra, adeoque dependentes a tota Trinitate, & per consequens etiam a filio. Unde sicut argumentum, quod Christus prædestinasset seipsum, sic etiam dicetur, quod Christus laudasset seipsum, & seipsum pariter commendasset. Et quemadmodum in his & similibus casibus dicimus, quod Christus ut Deus laudat & commendat seipsum ut personam; sic quoque in casu nostro affirmamus, quod Christus ut Deus prædestinat seipsum ut personam,

Ad III. Quis nostrum negat, quod Augustinus docet? Christus ut Verbum Dei, Christus ut Deus, non est prædestinatus, ut esset filius Dei: Christus ut homo est prædestinatus. Et ratio est illa Augustini; ideo enim per Augustinum non prædestinatur Christus ut Deus, Christus ut Verbum, quia jam est Deus, jam est Verbum: *Ut quid enim prædestinaretur, cum jam esset?* Sed quum homo in tempore fuerit assumptus in unitatem personæ a Verbo Dei, ut esset naturalis filius Dei, poterat a Deo prædestinari ad naturalem Dei filiationem, quam in præcedenti signo naturæ, non temporis, concipitur non habere.

Ad IV. Christus est essentialiter beatus ratione divinitatis, ratione vero humanitatis est accidentaliter beatus; unde potuit ad beatitudinem & gloriam non primario, sed secundario, prædestinari. Nemo enim dicit, quod omnis beatitudo in Christo, omnis scientia, omnis potentia, & sic de aliis, sit essentialis; solum illæ sunt essentiales, quæ conveniunt Christo ut Deo; illæ vero, quæ conveniunt Christo ut homini, sunt accidentales.

Ad V. Verum est, quod ratione unionis debentur Christo gratia, & gloria, sed non ex debito justitiæ, aut quasi justitiæ; ex debito tantum congruentiæ. Stat autem, quod ratione beneficii detur, quod ex debito congruentiæ debetur: unde quanvis gratia & gloria fuissent Christo debitæ, quia tamen debebantur ex debito congruentiæ, poterat Christus prædestinari ad illas, quatenus illæ sub ratione beneficii poterant ipsi donari,

Ad VI. Concedimus, personam Christi, prout subsistentem in seipsa, non incæpisse frui beatifica visione; at negamus, prout subsistentem in natura humana. Verbum ut subsistens in natura humana, est simul cum filiatione divina; at subsistentia illius in natura humana est posterior ad subsistentiam ipsius in natura divina; hæc enim est æterna, illa vero in tempore. Unde quanvis Verbum ut subsistens in natura divina nunquam incæperit frui beatitudine, Verbum tamen ut subsistens in natura humana incæpit.

Ad VII. dicit Hennus antecedens argumenti propositi esse contra Concilium Valentinum c. 3., & contra Augustinum c. 15. de prædestin. SS., ubi dicit, Christum esse prædestinatum ut sit nostrum caput; & tract. 10. in Joann., ubi habet, Christum fuisse prædestinatum ad claritatem resurrectionis: esse insuper contra communem usum loquendi, quo dicimus, aliquem prædestinatum esse ad Episcopatum, ad Cardinalatum, ad Papatum &c., licet dignitates istæ sint inferiores beatitudine. Hæc Hennus. Cacheranus etiam asserit, gratis fuisse antecedens illud confictum; quia quanvis prædestinatio, quum sit mediorum, præparatio, debeat attingere aliquid, quod habeat rationem finis; non est tamen de ratione finis, ut sit quid perfectissimum in ea linea, sed sufficit, quod in aliqua linea sit tale. In Christo autem, ultra unionem hypostaticam, gloria animæ est quid præcipuum & ultimum in linea perfectionis accidentalis.

Ad VIII. dicit Jueninus, humanitatem fuisse

Digitized by Google

fuisse prædestinatam ad unionem hypostaticam, non vero prædestinatam ad filiationem divinam. Primum probat ex verbis Augustini cap. 40. Enchiridii: *Profecto modus iste, quo natus est Christus de Spiritu Sancto, insinuat nobis gratiam, qua homo, nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cæpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset filius Dei.* Et quamvis dicatur homo, & non humanitas; humanitatem tamen intelligit pro homine Augustinus; & hoc tum quia non homo copulatur Verbo Dei, sed humanitas; tum etiam quia non homo facit unitatem personæ, sed humanitas. Rationem vero secundi dicti desumit, quia natura humana non potest esse filius, quum filiatio cadat in personam, non in naturam; humana autem natura in abstracto non dicit personam, sed abstrahit ab illa. Cacheranus adducit S. Thomam q. 24. ar. 1. ad 2., & S. Bonaventuram in 3. dist. 7. ar. 2. q. 3. ad 2. docentes, humanitati, seu naturæ in abstracto, non convenire prædestinationem: Ex altera parte enumerat Vasquez, & Arriagam, affirmantes, Christi humanitatem recte dici posse prædestinatam ad unionem hypostaticam, & ad alia gratiæ dona; denique profert Suarez, Cardinalem de Lugo, Gabrielem a S. Vincentio, aliosque dicentes, humanitatem Christi proprie & in toto rigore dici prædestinatam ad unionem hypostaticam, aut etiam ad gratiam habitualem; solum vero improprie ad beatitudinem, & nullatenus ad esse filium Dei. Cum his ultimis ipse Cacheranus opinatur, & probat; ut apud ipsum videre est. Modo respondentes ad argumentum oppositum, dicimus, quod sequela majoris non valet; multa enim tribuuntur homini Christo, quæ non dicuntur de humanitate Christi; & multa dicuntur de humanitate, quæ non dicuntur de homine. Unde nullo modo admittenda est argumentatio: Humanitas Christi non est prædestinata: ergo Christus ut homo non est prædestinatus.

Ad IX. Aliter verba illa Apostoli intelligit ab Augustino, qui ea exponit de vera prædestinatione Christi, non de declaratione, ad filiationem Dei. Sic enim ait cap. 15. de prædestinat. SS. *Hoc se Deus esse facturum profecto præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio Sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maxime claruit; quam negare quis potest intelligentium eloquia veritatis? Nam & ipsum Dominum gloriæ, in quantum homo factus est Dei filius, prædestinatum esse didicimus. Clamat Doctor Gentium in capite Epistolarum suarum: Qui prædestinatus est &c.* Et revera hic est sensus obvius verborum illorum, ut cum Patribus aliis Theologi omnes docent.

Ad X. dicimus, Verbum aliquo modo dici posse prædestinatum ad unionem hypostaticam, & humanitatem; & ita tuentur Vasquez, Suarez, Richardus, & alii cum Henno. Et ratio ipsorum est, quia Verbum utrique præsupponitur, & ab utroque distinguitur: ergo nihil obstat, quo minus ad utrumque prædestinetur. Diximus aliquo modo, quia in rigore per prædestinationem importatur collatio alicujus beneficii; nullum autem fuit Verbo beneficium esse hominem. Consequentia autem non currit; quia hæc omnia in prædestinationis rigore, quæ in Verbo locum non habent, ut vere prædestinetur ad esse hominem, in Christo, ut homo est, habent, ut prædestinetur ad esse filium Dei.

Dicimus III. Prædestinationem Christi fuisse causam prædestinationis hominum; causam scilicet finalem, exemplarem, & moralem, seu meritoriam.

I. Pars prima probatur. I. Supponimus ex probatis supra, fuisse prædestinationem Christi antecedenter ad prædestinationem hominum: ergo prædestinatio Christi fuit causa finalis prædestinationis hominum. Probatur consequentia. Finis est primus in ordine intentionis in determinante aliquid; sed in Deo primo fuit prædestinatio Christi, posterius prædestinatio hominum: ergo prædestinatio Christi fuit finis, adeoque causa finalis prædestinationis hominum. II. ex P. Feraud: Idem est prædestinationem Christi esse causam finalem nostræ prædestinationis, ac Christum prædestinatum esse finem effectuum nostræ prædestinationis; sed Christus prædestinatus est finis effectuum nostræ prædestinationis: ergo Christi prædestinatio est causa finalis prædestinationis nostræ. Probatur minor. Postulat rectus ordo, ut membra ordinentur ad caput, non caput ad membra; ut imagines sint propter originale, non originale propter imagines; sed Christus est caput, homines sunt membra; Christus est originale, homines

sunt

sunt imagines ipsius: ergo Christus prædestinatus est finis effectuum prædestinationis nostræ.

II. Pars secunda probatur. I. Apostolus ad Roman. 8. docet: *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Ex quibus verbis sic argumentatur P. Magnanus de Deo Homine Christo c. 21. prop. 6. n. 26. Filius Dei, ut Deus est, nec habet, nec habere potest fratres; in eo enim ordine est unigenitus: ergo conformitas a Deo intenta cum Filio Dei primogenito intelligenda est cum Filio Dei, ut homo est; sed filius Dei ut homo est prædestinatus: ergo vere ratione hujus conformitatis Christus est causa exemplaris prædestinationis hominum. II. Augustinus de prædest. SS. c. 15. docet: *Est præclarissimum lumen prædestinationis, & gratiæ, ipse Salvator, ipse Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*; sed ut explicat S. Thomas ar. 3. lumen prædestinationis & gratiæ ideo esse, quia per ejus prædestinationem & gratiam, manifestatur nostra prædestinatio: ergo Christus prædestinatus est ille, per quem nostra prædestinatio manifestatur; atqui hoc ex P. Feraud pertinet ad rationem exemplaris: ergo &c.

III. Pars tertia probatur. I. Prædestinatio Christi est causa efficiens moralis, hoc est meritoria, omnium auxiliorum, & donorum, quæ conferunt ad salutem nostram: ergo causa moralis efficiens, seu meritoria, salutis nostræ. Antecedens est Apostoli ad Ephes. 1. ubi de Deo Patre scribit: *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo .... Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in ipso*. Est etiam Concilii Tridentini sess. 6. cap. 7. *Hujus justificationis causæ sunt, finalis quidem gloria Dei, & Christi, ac vita æterna; efficiens vero misericors Deus, qui gratuito abluit, & sanctificat, signans, & ungens spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ; meritoria autem dilectissimus Unigenitus suus Dominus noster Jesus Christus; qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit*. II. Christus meruit omnes effectus nostræ prædestinationis: ergo meruit prædestinationem ipsam. Consequentia sequitur; de antecedente enim non dubitatur; etenim hæc est differentia inter causam physicam, & moralem, quod illa immediate exercet suam causalitatem in effectum, ista vero mediate erga effectum, sed immediate inclinando non erga effectum, sed circa affectum præmiantis, illum alliciendo, movendo &c., ut loquitur P. Feraud.

Objiciunt I. Causa finalis prædestinationis Christi est ipse Deus: ergo pariter ipse Deus est causa finalis prædestinationis nostræ. Antecedens est certum; consequentia bene infertur; quia si Deus ad seipsum ordinat prædestinationem Christi, multo magis ad seipsum ordinat prædestinationem nostram. II. Si Christus est in sua prædestinatione exemplar prædestinationis nostræ: ergo quemadmodum prædestinatio Christi fuit ante prævisionem meritorium, ita etiam fuit prædestinatio nostra; atqui hoc est contra a nobis dicta, quando posuimus nostram prædestinationem post prævisionem meritorum: ergo &c. Hoc argumento utitur Jueninus, quod a Bellarmino desumpsit. III. Joann. 7. Christus ait Prædestinatos fuisse sibi datos a Patre: *Pater sancte, serva eos in nomine meo, quos dedisti mihi*; non possunt autem dici dati Christo a Patre, quorum Christus meruit prædestinationem & salutem: ergo Christus non meruit prædestinationem nostram.

Respondemus ad I. Utique Deus ipse est causa finalis prædestinationis Christi, & prædestinationis nostræ; sed cum hoc stat etiam, quod causa finalis prædestinationis nostræ sit prædestinatio Christi. Illam enim Deus ordinavit ad seipsum immediate, hanc vero mediate, hoc est per prædestinationem Christi.

Ad II. dicimus cum P. Magnano de divina Providentia c. 14. prop. 17. n. 2. cujus verba sunt. „ Hinc intelliges, quid „ exemplo prædestinationis Christi probari possit de prædestinatione hominum. Quod enim ait Bellarminus de „ grat. & lib. arb. lib. 2. c. 12. ratione 4. „ nos prædestinari, ut conformes efficiamur imagini Filii Dei ex 8. Rom., adeoque sicut ille prædestinatus est esse Filius „ Dei naturalis, nullis præcedentibus meritis; ita nos etiam prædestinari, ut simus „ filii Dei per adoptionem, nullis præcedentibus meritis .... Id, inquam, verum est totum de prædestinatione ad „ adoptionem nostram, sicut de prædestinatione Christi ad filiationem naturalem. „

Digitized by Google

„ lem: „ Et hoc probat Magnanus auctoritate Augustini de prædest. SS. c. 15. circa finem dicentis: *Neque enim retributa est Christi illa generatio, sed tributa:* Et mox: *Sic & nobis, ut ex aqua & spiritu renascceremur non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum.* Loquitur ergo de prædestinatione ad gratiam, non ad gloriam.

Ad III. respondet P. Feraud, quod Apostolus ad Philippens. 2. docet, Christum meruisse exaltationem per humilitatem, & obedientiam: Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem; propter quod & Deus exaltavit illum; & statim subdit, fuisse ei datum nomen, quod est super omne nomen: ergo stat, quod Christus meruerit, quod sibi dicitur donatum. Ratio est, quia in radice est indebitum; unde quanvis proxime debeatur, potest tamen dici proprie donatum. Sic electio ad gloriam in radice excludit debitum; unde quanvis vel ex meritis Christi, vel ex meritis nostris, debeatur, semper tamen dicitur donata.

DISSERTATIO CXC.

De Dignitate Capitis in Christo. An sit Caput Hominum, & Angelorum? Quorum Hominum? An ut Deus, vel ut Homo?

DIGNITAS capitis in Christo supponit gratiam capitalem, uti vocant Scholastici, quæ fuit in Christo. De hac autem gratia capitali iidem inter se non conveniunt, in quo consistat. Sunt enim, qui volunt, esse gratiam unionis; sunt etiam, qui asserunt, esse gratiam habitualem; & sunt, denique, qui tuentur, esse utramque æque primo, & immediate. Verum alii cohærentius loquentes, dicunt, esse gratiam habitualem connotantem in obliquo gratiam unionis; & hanc sententiam diffuse tuetur Hennus, ad quem Legentes remittimus. Christus autem dicitur caput, non quidem physicum, ut patet, sed morale, seu mysticum, ob tres rationes; quæ sunt dignitas, perfectio, & virtus. Convenit quidem Christo ratio capitis ob dignitatem; quæ enim major dignitas in puris hominibus illa Christi? Convenit ob perfectionem; neque pariter est assignabilis Christo creatura perfectior. Convenit tandem ob virturem; quia in nemine alio fuit virtus vel intensior, vel extensior, quam in Christo. Dignitatem capitis habet Christus a gratia unionis; perfectionem capitis habet a gratia habituali; & virtutem capitis ab illa gratia habet, a qua habet influere aut posse influere in omnia ipsius membra gratiam, gloriam &c. His præhabitis.

Dicimus I. de fide esse, Christum esse caput Ecclesiæ.

I. Probatur ex Scripturis. Ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.* Et c. 5. *Quoniam vir caput est mulieris; sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Ad Coloss. 1. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Post quæ pergit Apostolus in eodem loco enarrare tres prærogativas capitis, propter quas Christus dicitur caput; quas etiam S. Thomas 3. p. q. 8. ar. 1. explicat, & Christo probat convenire. Dicit ergo Apostolus: *Et ipse & caput corporis Ecclesiæ*; & immediate subdit: *qui est principium primogenitus ex mortuis; ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* Per quæ verba importatur prærogativa ordinis, consistens in eo, quod caput sit primum, & summum in corpore; & hinc est quod principium vocatur caput; Ezech. 16. *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ.* Ex Apostolo igitur hæc prima prærogativa capitis convenit Christo. Convenit etiam secunda; sequitur enim Apostolus: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare.* Per hæc nanque verba importatur, quod reliquo corpore perfectius sit caput; & ob inde in animalis capite locum habent sensus omnes; in reliquo autem corpore solus sensus, qui dicitur tactus. Convenit denique tertia; ratione cujus Apostolus concludit: *Et per eum reconciliare omnia, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.* Per quæ verba significatur prærogativa vir-

virtutis, in eo consistens, quod caput influat in totius corporis membra, & interius, eis tribuendo motum & sensum, & exterius, ea dirigendo, & gubernando.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Parisiense VI. cap. 2. apud Lauræam in Epitome statuit, quod Christus sit caput Ecclesiæ universalis, sed invisibile. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. *Cum enim ille ipse Christus Jesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat*. Concilium Ephesinum in epist. Cœlestini Papæ ad Clerum Constantinopolitanum, asserit, Ecclesiam esse unum corpus, cui præsidet proinde unum caput invisibile, quod est Christus Jesus.

III. Probatur ex Patribus. Augustinus in psal. 142. Ergo ipse Dominus Jesus Christus caput, & corpus: *Voluit etiam loqui in nobis, qui dignatus est mori pro nobis: membra sua nos fecit. Aliquando itaque ex persona membrorum suorum loquitur, aliquando ex persona sua tanquam capitis nostri*. Idem Augustinus in psal. 127. *Multi homines sunt, & unus homo est. Multi enim Christiani, & unus Christus. Non ille unus, & nos multi; sed & nos multi in illo uno unum. Unus ergo homo Christus caput, & corpus: quod est corpus ejus? Ecclesia ejus, dicente Apostolo, quoniam membra sumus corporis ejus: Et, Vos autem estis corpus Christi, & membra: intelligamus ergo vocem hujus hominis, in cujus corpore unus sumus homo*. Fulgentius ad illa verba Apostoli ad Rom. 12. *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus &c.* lib. 2. ad Monimum c. 9. dicit, tantam esse Christi cum Ecclesia conjunctionem, *ut ipsum corpus Christi non dubitet*, Apostolus, *Christum veraciter appellare*. Chrysostomus, & Theodoretus ad illa Apostoli verba in epistola ad Ephesios: *Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate*: exponentes scribunt, quod corporis membra sic sibi invicem sunt inserta, ut spiritus diffundatur per omnia, eisque vitam, incrementum, & robur tribuant: Ita pariter Christi corpus, constans ex membris, quæ sibi invicem, & cum Christo per fidem, & charitatem conjunguntur, a Christo capite omnia sua membra & singula retinet vivificata.

IV. Probatur Rationibus. I. Nequit esse corpus naturale sine suo capite: ergo pariter nequit esse corpus morale sine suo capite; sed Ecclesiæ, quæ est corpus morale, nullum aliud convenientius caput assignari potest Christo: ergo Christus est caput morale Ecclesiæ. Probatur minor subsumpta. Christus toti Ecclesiæ eminet, continet omnes gratias, quæ sunt vitæ spiritualis sensus, Ecclesiæ membra omnia influxu fovet, dirigit, ac regit: ergo &c. II. Ea omnia, quæ conveniunt capiti naturali respectu corporis humani, conveniunt Christo respectu Ecclesiæ: ergo Christus est caput morale Ecclesiæ. Probatur antecedens. Christus habet eminentiam capitis, quia ratione unionis hypostaticæ, & plenitudinis gratiæ supereminet omnibus creaturis: habet influxum capitis, quia est fons & origo totius gratiæ; nullam enim, nec tenuissimam homines a Deo accipiunt gratiam, quæ non dimanet a Christo; ut dicitur Joann. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*: intima conjunctio est inter Christum, & Ecclesiam, ut esse debet inter caput, & membra; unde ait Apostolus ad Rom. 12. *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt; ita & Christus*: ergo ea omnia, quæ conveniunt capiti naturali respectu corporis humani, conveniunt Christo respectu Ecclesiæ.

Arguunt I. Si Christus esset caput Ecclesiæ, esset etiam illius membrum; sed membrum Ecclesiæ dici non potest: ergo neque caput. Probatur minor. Membrum unum a cæteris membris est dependens; sed Christus quoad vitam gratiæ supernaturalem nullo modo dependens est ab Ecclesiæ membris mysticis: ergo &c. Major pariter prioris argumenti patet; quia caput etiam est membrum corporis. II. Si Christus dici posset caput Ecclesiæ, dici etiam posset Ecclesiæ cor; sed Ecclesiæ cor non dicitur: ergo nec dici potest caput Ecclesiæ. Probatur major. Quemadmodum dicitur caput, quia in capite formantur spiritus animales, qui faciunt vitam sensiti-

Digitized by Google

sitivam, ita dici potest cor, quia in corde fiunt spiritus vitales, qui constituunt vitam vegetativam. III. Si Christus est caput Ecclesiæ, vel est proprie, vel metaphorice: non proprie; quia proprie loquendo hæc propositio: Christus est caput Ecclesiæ: est falsa: Neque metaphorice, quia sic diceretur caput, ut dicitur vitis, leo, agnus &c.; & diceretur per consequens potius per similitudinem, quam per proprietatem. IV. Tota Trinitas est Ecclesiæ caput: ergo non est solus Christus. Probatur antecedens. Tota Trinitas movet, & regit Ecclesiam, & gratiam ei infundit, qua per fidem sentiat, & per charitatem moveatur: ergo tota Trinitas in ratione regentis, & influentis, est caput Ecclesiæ. V. Etiam Spiritus Sanctus est principium & fons influens, & emittens in nos omnem plenitudinem gratiæ: ergo etiam dici potest caput Ecclesiæ. VI. Eidem corpori non sunt danda duo capita; sed caput Ecclesiæ, uti caput orbis, fuit Adam: ergo non est Christus.

Respondemus ad I. quod quanvis Christus dici non possit Ecclesiæ membrum simpliciter, potest tamen dici membrum Ecclesiæ præcipuum. De ratione autem membri præcipui, sicut de ratione capitis, non est habere ab aliis membris influentiam, sed potius illam ipsis dare. Sicque non implicat, esse Christum Ecclesiæ caput, & esse Ecclesiæ membrum præcipuum, sicuti est caput; quanvis dici nequeat Ecclesiæ membrum simpliciter, ut scilicet sunt alia Ecclesiæ membra, quæ ab invicem influentiam recipiunt.

Ad II. Christus dici potest & caput Ecclesiæ, & cor Ecclesiæ; melius tamen dicitur caput, quam cor, quia cordis nomen principalius Spiritui Sancto attribuitur. Cor enim latens est; & pariter Spiritus Sanctus suas gratias Ecclesiæ membris latenter impertitur. Caput vero est patens; & sic Christus eisdem membris gratiam per suam mortem, & per sacramenta, patenter confert.

Ad III. Dicitur Christus Ecclesiæ caput, non in sensu, quem verba ex sua primaria institutione habent, & sic non proprie; sed in sensu, quem habent per translationem, & per metaphoram. Et sicut in hoc sensu dicitur Christus proprie agnus, leo, petra; ita etiam dicitur proprie caput; adeoque in hoc sensu non est falsa hæc propositio: Christus est caput Ecclesiæ.

Ad IV. Dicimus cum Alexandro de Ales q. 12. ar. 1., quod Caput Ecclesiæ dici potest communiter, & proprie; communiter dicitur tota Trinitas, quia tota Trinitas movet & regit Ecclesiam, & gratiam ei infundit, per quam gratiam, per fidem, & per charitatem moveatur: Proprie vero dicitur Christus, qui se habet ad Ecclesiam secundum rationem conformitatis ad ipsam per gratiam & naturam; per gratiam uti est Deus, per naturam uti est homo.

Ad V. Quanvis Spiritus Sanctus dicatur principium & fons influens, & in nos derivans omnem gratiæ plenitudinem; non potest tamen dici proprie Ecclesiæ caput, quia pariter deficit illi conformitas naturæ, quæ soli convenit Christo, quanvis non deficiat ratio influentiæ; ut dictum est ad præcedens argumentum, & ut pariter respondet ex citato Alexandro de Ales Frassen.

Ad VI. Adam fuit auctor & caput humanæ propaginis secundum carnem; at Christus multo præstantiori modo est caput, quatenus vitam gratiæ, & gloriæ, Ecclesiæ membris influit. Quum ergo, & Christus, & Adam, sint capita, non in sensu, quem habent verba ex sua primaria institutione, sed per translationem, & metaphoram; non est inconveniens, ut ambo, secundum diversam rationem, sint Ecclesiæ capita. Vel potius dicatur; quod si Adam dici velit non tantum humanitatis, sed etiam Ecclesiæ caput; admittatur quidem ut caput naturale dicatur, Christus vero spirituale.

Pro secunda Dissertationis parte, asserit Hennus, Christum esse caput Angelorum, doceri a fide; & tantum inter Scholasticos disputari, an hoc Christo conveniat ut Deo tantum, an pariter ut homini. Erravit in hoc Origines, asserens hom. 1. & 2. in Levit. Christum fuisse mortuum pro Angelis, eosque redemisse, qui fuerunt gratia confirmati. Inter Scholasticos vero negant Christum esse caput Angelorum Gabriel, Altisiodorensis, aliique antiqui; affirmant vero alii cum Lorca &c. Hi postremi dividuntur in illos, qui asserunt, Christum influere in Angelos illuminationes tantum, & dona, atque beatitudinem accidentalem; cujusmodi sunt Thomistæ, quos sequitur Vasquez; & in illos qui

Digitized by Google

dicunt, influere etiam gratiam ſanctificantem, & gloriam eſſentialem; uti ſunt Scotiſtæ, cum ipſorum Principe Scoto, loquentes cohærenter ad ipſorum principia circa Incarnationis motivum.

Dicimus II. Chriſtum eſſe caput Hominum, & Angelorum.

I. Probatur de utriſque. Ad Epheſios 1. dicitur, Chriſtum eſſe caput hominum: *Et ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*: Et ad Coloſſ. 2. habetur, Chriſtum eſſe caput Angelorum: *Qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis*: Ergo ex Apoſtolo Chriſtus eſt caput Hominum, & Angelorum.

II. Probatur de Hominibus. Chriſtus reſpectu hominum habet ſupereminentiam capitis, & hoc ratione unionis hypoſtaticæ, & plenitudinis gratiæ: Habet omnem ad illos influxum; quia ut ait S. Joannes c. 1., de plenitudine ejus omnes accepimus: Habet intimam & arctiſſimam cum hominibus conjunctionem; quod docet Apoſtolus ad Rom. 12. *Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt; ita & Chriſtus &c.*; ſed hæc omnia ſufficiunt ad rationem capitis: ergo &c. Unde ſcribebat Auguſtinus in Pſal. 142. *Ergo ipſe Dominus Jeſus Chriſtus caput, & corpus. Voluit etiam loqui in nobis qui dignatus eſt mori pro nobis: membra ſua nos fecit. Aliquando itaque ex perſona membrorum ſuorum loquitur, aliquando ex perſona ſua tanquam capitis noſtri.*

III. Probatur de Angelis ex Scriptura. Ad Epheſ. 1. *Suſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem*. Ex Patribus; Auguſtino conc. 3. in Pſal. 36. *Caput noſtrum Chriſtus eſt, corpus capitis illius nos ſumus. Numquid ſoli nos? Omnes, qui ab initio fuerunt juſti, adjunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum; ut illa una civitas fiat ſub uno Rege, & una Provincia ſub uno Imperatore.* Cyrillo Alexandrino t. 2. in illud Iſai. 54.: *Lætare ſterilis, quæ non paris*, ſcribente: *Chriſtum tam hominibus, quam Angelis fuiſſe cauſam ſanctitatis*: & in illud Joann. 1. *De plenitudine ejus omnes accepimus*, docente: *Tam Homines, quam Angeli*. Gregorio magno c. 2. lib. 1. Reg. *Nullus hominum, neque Angelorum, eſt ſanctus, niſi per Chriſtum*. Fulgentio lib. 2. ad Traſcin. c. 3. *Non alia ſtantem Angelum a ruina potuit cuſtodire, niſi qua lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Una eſt in utroque gratia operata; in hoc, ut ſurgeret, in illo, ne caderet: in illo, ne vulneraretur, in iſto, ut ſanaretur; ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non ſinivit; illius eſca, iſtius medicina*. Bernardo ſer. 22. in Cant. *Qui erexit hominem lapſum, dedit Angelo, ne laberetur*. Laurentio Juſtiniano ſer. de aſſumpt. B. Virginis: *Nemo illi invidebat; fructus quippe ventris ejus totam civitatem illam repleverat ſanctitate*.

IV. Probatur Rationibus. I. Eccleſia conſtituitur ex hominibus, & ex Angelis: ergo ſi Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, eſt caput Angelorum. Antecedens eſt Bernardi ſer. 27. in Cant. *Sicut de diverſis Ovium gregibus unum facere voluit, ut ſit unum ovile, & unus Paſtor; ita cum haberet Sponſam ſibi adhærentem a principio, multitudinem Angelorum, placuit ei de hominibus convocare Eccleſiam, atque illi unire, quæ de cœlo eſt, ut ſit una Sponſa, & unus Sponſus*. II. Chriſtus influit in Angelos gratiam, & gloriam, non ſolum accidentalem, ſcilicet nova gaudia, ut volunt Thomiſtæ, ſed etiam eſſentialem: ergo quemadmodum per hoc eſt caput hominum, etiam per hoc ipſum eſt caput Angelorum. Antecedens eſt doctrina Patrum, quos attulimus nuper. III. Chriſtus fuit decretus & prædeſtinatus ante Angelos: ergo potuit prævideri Chriſti meritum, antequam decerneretur gratia, aut gloria, Angelis danda. Antecedens patet; quia Chriſtus eſt primogenitus omnis creaturæ, & cohæret doctrinæ, a nobis aſſertæ, & propugnatæ, de motivo Incarnationis. IV. Allata Scripturarum, & Patrum, teſtimonia, ſi non probarent pro nobis, ideo eſſet, quia, ut ait Vaſquez, eſſent intelligenda de Chriſto ut Deo, non de Chriſto ut homine, ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Probatur minor. Apoſtolus loquitur de Chriſto, qui a mortuis reſurrexit; Patres loquuntur de eodem, quatenus eſt caput hominum; in ea ratione, in qua Chriſtus homines redemit; ſub illo reſpectu ſub quo Chriſtus de Virgine natus eſt; ſed hæ omnes conſiderationes reſpiciunt Chriſtum ut hominem, & non ut Deum: ergo &c.

Objiciunt I. Chriſtus non habet naturam Angelorum, ſed hominum: ergo quanvis ſit caput hominum, non eſt tamen caput Angelorum. II. Si Chriſtus eſſet caput

An-

Digitized by Google

Angelorum; esset caput Ecclesiarum, & non Ecclesiæ; sed dicitur a Patribus caput Ecclesiæ, ergo &c. Probatur major; quia duæ sunt Ecclesiæ una hominum, & una Angelorum. III. Si Christus fuisset caput Angelorum, sequeretur, quod Angeli non fuissent beati ante Christi mortem; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur sequela. Quia Christus est caput hominum, homines non fuerunt beati ante Christi mortem: ergo pariter Angeli. IV. Christus si est caput Angelorum, & hominum, in quos perfectius influat, non est assignabile; quia pro hominibus facit similitudo naturæ; pro Angelis vero major naturæ perfectio; sunt enim Angeli membra perfectiora hominibus, & sunt homines membra capiti similiora, quam Angeli. V. Christus illorum est caput, quorum est sponsus; sed est sponsus respectu hominum, non vero Angelorum: ergo hominum, non Angelorum est caput. VI. Christi merita non fuerunt completa, nisi fuerint morte consummata; sed gratia Angelorum fuit prius a Deo decreta, quam Christi mors prævisa: ergo gratia Angelorum non provenit ex meritis Christi: ergo Christus non fuit caput Angelorum. VII. Christus non influit in Angelos neque fidem, neque consummatam beatificam visionem: ergo non est caput Angelorum. Probatur antecedens; quia Angeli non habent fidem; neque consequenter ad Christum, sed antecedenter habuerunt visionem. VIII. Ad Hebr. 2. dicit Apostolus: *Qui sanctificat, & qui sanctificantur: ex uno omnes*; hoc est Adam; sed Angeli non sunt ex Adam: ergo non sunt ex Christo. Et Augustinus tract. 23. in Joann. docet, quod Verbum caro factum vivificat corpora, sicut Verbum apud Patrem vivificat Angelos; sed Angeli non habent corpora: ergo Verbum caro factum non vivificat Angelos: ergo non est caput Angelorum.

Respondemus ad I. Non esse Christum hominem caput, quia eandem naturam cum hominibus habet; sed quia respectu hominum habet eminentiam, perfectionem majorem, & influxum. Has omnes conditiones habet etiam respectu Angelorum; unde pariter Angelorum est caput, quanvis eandem naturam cum Angelis non habeat. Quod has omnes conditiones respectu Angelorum habeat, ex ipsarum enumeratione patet; habet quidem eminentiam; quia est *tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit*; ut legitur Hebr. 1., habet perfectionem majorem; quia plures gratias habuit solus ipse, quam omnes Angeli simul habuerint; habet denique influxum; quia in Angelos, quemadmodum in homines, influit gratiam, & gloriam essentialem; ut dictum est.

Ad II. Unam, non duas Ecclesias, constituunt homines, & Angeli; quia utrique conveniunt in via unum Deum credendo, & conveniunt in patria unum Deum videndo, & amando. Sane omnes homines unam efficiunt Ecclesiam, quia conveniunt in patria per visionem, & per charitatem: Igitur etiam Angeli & homines unam efformant Ecclesiam, quia in iisdem eadem convenientia fuit in via, eadem convenientia est in patria.

Ad III. Ideo homines non consequuti sunt beatitudinem ante Christi mortem, quia indigebant satisfactione, & reconciliatione, quæ consummari non poterant, nisi per mortem Christi. Non sic autem Angeli, qui reconciliari Deo non debebant, nec pro ipsis debebat Christus satisfactionem Deo Patri offerre; unde necesse non erat, ut ipsorum beatitudo per Christi mortem consummaretur.

Ad IV. dicitur, quod perfectius influit caput in membra perfectiora, quando cætera sunt paria, non vero quando non sunt. Homines quidem, quia lapsi, & infirmi, cujusmodi non erant Angeli, fortiori auxilio indigebant; in Angelis enim non erat morbus sanandus, sed solummodo præcavendus. Cæterum negari etiam potest, quod Angeli collective sumpti sint perfectiores hominibus etiam collective acceptis; quia quanvis in ordine naturæ Angeli sint hominibus perfectiores, in quo ordine Angeli non sunt membra; in ordine tamen gratiæ sola Virgo omnes Angelos collective sumptos in gratia superavit. Unde potius in hominibus collective sumptis est major gratia, quam in Angelis; & per consequens in ordine, in quo Angeli sunt membra, sunt potius homines Angelis perfectiores; ut ait Hennus.

Ad V. dupliciter respondet P. Feraud; primo dicendo, falsam esse propositionem illam: Christus illorum est caput, quorum est Sponsus; quia ad rationem Sponsi requiritur convenientia specifica in natura; ad rationem vero capitis sufficit

ficit convenientia generica in natura; quod etiam asserit S. Thomas. Secundo, quod quanvis Christus non dicatur Sponsus Angelorum sic proprie, ut dicitur caput, aliquo tamen modo dicitur etiam Sponsus. Quod probat verbis S. Bernardi ser. 27. in Cant. *Cum haberet sponsam inhærentem sibi multitudinem Angelorum a principio, placuit ei & de hominibus convocare Ecclesiam, atque unire illi, qua de cœlo est, ut sit Sponsa una, & Sponsus unus.* Et verbis pariter S. Thomæ confirmat in 4. dist. 49. q. 4. ar. 4. in resp. ad 5. *Et sic convenientia, quæ est inter Deum, & Angelos, magis sufficit ad rationem capitis, quam ad rationem Sponsi.* Convenit ergo, quanvis minus conveniat, quam ratio capitis, Christo respectu Angelorum ratio Sponsi.

Ad VI. Christi merita respectu Angelorum quanvis non habuerint rationem meriti completi in ordine ad gratiam ut reconciliatricem, habuerunt tamen in ordine ad gratiam ut præcise sanctificantem. Sic fuit in Angelis, quibus, ut & primis parentibus ante lapsum, data est gratia ut sanctificans, ob merita Christi ut prævisa ante decretum mortis; quanvis Deus, etiam prævisa Christi morte, propter illam statuerit dare Angelis, & primis parentibus gratiam. Unde infert Hennus, quod Angeli, & primi parentes, ex duplici titulo gratiam habuerunt; scilicet ob Christi merita, prævisa ante mortis decretum; & ob Christi merita morte consummata. Non fuit tamen Angelis, & primis parentibus ante lapsum data gratia ut reconciliatrix, quia hæc per Christi mortem dari oportebat lapsis, cujusmodi non erant Angeli, & primi parentes in statu innocentiæ.

Ad VII. Angeli quanvis modo non habeant fidem, habuerunt tamen in statu viæ; & tunc per Christi merita habuerunt; habuerunt etiam visionem per eadem Christi merita, eo quidem duplici modo, quo in præcedenti responsione dictum est.

Ad VIII. Apostolus loquitur de satisfactione per modum redemptionis, quæ quidem in posteris tantum Adæ verificatur. Non enim pro Angelis mortuus est Christus, quia pro illis dicitur mortuus, pro quibus venit ut redemptor. Et quanvis Angelis gratiam & gloriam meruerit, non per hoc dici potest ipsorum redemptor; quia etiam sibi ipsi meruit Christus corporis claritatem, & nominis exaltationem, & tamen rigorose loquendo non dicitur pro se mortuus. Bernardus ser. 22. in Cant. dixit, Christum esse redemptorem Angelorum; at improprie loquutus est; quia Angelos a nulla servitute redemit, nec ab illa, quæ actu habetur, ut est nostra, unde dicitur noster redemptor sublevativus; nec ab illa, quæ haberi debet, ut in B. Virgine, respectu cujus dicitur redemptor præservativus. Denique Augustinus asserens, Christum ut hominem vivificare corpora, non negat vivificare etiam animas, & Angelos; quemadmodum dicens Enchirid. c. 56. Christum esse caput hominum, non inficiatur esse etiam Angelorum. Comparatio autem, quam facit, potius oppositum probat; quia sicut Verbum apud Patrem non solum vivificat animas, sed etiam corpora; ita etiam Verbum caro factum non tantum vivificat corpora, sed quoque animas, & Angelos.

Pro tertia Dissertationis parte, Homines considerari possunt primo prout inveniuntur in paradiso, in purgatorio, & in inferno; & de his conveniunt Theologi, quod hominum existentium in paradiso, & in purgatorio, Christus est caput; non vero hominum existentium in inferno. Secundo considerantur prout sunt viatores, qui quidem, vel habent fidem, vel non habent; & de his dicunt pariter Theologi unanimi sensu, Christum esse caput omnium Viatorum, qui habent fidem; non esse vero caput Viatorum, qui fidem non habent, docet S. Thomas, quem sequuntur Thomistæ, & Scotistæ; quanvis, ut fatetur Hennus, Scotus de hoc siluerit. Tertio considerantur homines, hoc est primi parentes, prout fuerunt in statu innocentiæ, & ante lapsum; & de his pro illo statu affirmat Scotus, Christum fuisse illorum caput, prout diximus de Angelis bonis; & Scoto subscribunt Suarez, Lorca, Castillo, aliique plurimi contra non paucos Thomistas, contrarium asserentes. His prænotatis

Dicimus III. Christum fuisse & esse caput hominum existentium in paradiso, & in purgatorio; hominum Viatorum fidem habentium; non vero hominum existentium in inferno; non hominum Viatorum fidem non habentium, sicut nec malorum Angelorum; fuisse denique caput primorum parentum, etiam prout in statu innocentiæ existentium, vel prout in

Digitized by Google

eo statu ; & ante lapsum, prævisorum. Plures habet partes Conclusio.

I. Conclusionis pars de hominibus in paradiso, & in purgatorio existentibus, probatur I. Christus influit in homines, existentes in paradiso, & in purgatorio: ergo illorum omnium est caput. Probatur antecedens, Influit in homines existentes in paradiso actum vitæ æternæ; influit in homines existentes in purgatorio vitam supernaturalem charitatis: ergo in utrosque influit. II. Cum illis omnibus Christus conjungitur ut caput mysticum cum suis membris : ergo respectu illorum omnium est caput. Probatur antecedens, Conjungitur cum Beatis per gloriam ; conjungitur cum animabus purgatorii per gratiam sanctificantem : ergo cum illis omnibus Christus conjungitur ut caput mysticum cum suis membris.

II. Conclusionis pars de hominibus Viatoribus fidem habentibus probatur I. Viatores, fidem habentes, sunt membra Ecclesiæ ; sed Christus est caput omnium membrorum Ecclesiæ : ergo est caput omnium Viatorum, fidem habentium. Probatur major. Ecclesia est congregatio fidelium : ergo Viatores, fidem habentes, sunt membra Ecclesiæ. II. Ecclesia constituitur per fidem : ergo constituitur ex omnibus habentibus fidem : ergo qui est caput Ecclesiæ, est pariter caput illorum omnium, qui habent Ecclesiæ fidem.

III. Conclusionis pars, quod non sit Christus caput hominum existentium in inferno, probatur I. Qui sunt in inferno, sicut etiam qui sunt in Limbo puerorum, nullam habent unionem cum Christo, nullam habebunt ; nullum habent a Christo influxum, nullum habebunt : ergo ipsorum Christus non est caput, Probatur antecedens. Unio, quam possent cum Christo habere, vel esset gratiæ, vel gloriæ ; sed neutram ex his habent : ergo &c. Probatur minor ; non habent gloriam, quam habent animæ Beatorum : non habent gratiam sanctificantem, quam habent animæ in Purgatorio existentium : ergo nec habent unionem gloriæ, nec gratiæ. Neque uniuntur per fidem, per quam saltem uniuntur homines viatores ; tum quia fides, si quam habent, homines in inferno, vel in Limbo existentes, non est supernaturalis, sed naturalis, tum etiam, quia fides, quam habent, non ordinatur ad salutem ; tum denique, quia per fidem illam nullum recipiunt a Christo influxum ; non enim illis fides prodest ad vitam æternam. II. Qui sunt in inferno, vel in Limbo, non sunt membra Ecclesiæ : ergo non sunt membra Christi : ergo ipsorum Christus non est caput. Probatur antecedens. Non habent fidem, quæ est constitutiva Ecclesiæ : ergo non sunt membra Ecclesiæ.

IV. Conclusionis pars, quod non sit Christus caput Viatorum, qui fidem non habent, probatur I. Homines fide carentes non sunt membra Ecclesiæ : ergo non sunt membra Christi : ergo Christus respectu ipsorum non est caput. Probatur antecedens. Fides est Ecclesiæ fundamentum : ergo qui fide carent non pertinent ad Ecclesiam: ergo non sunt membra Ecclesiæ. Consequentia primi argumenti probatur etiam. Membrum Christi est membrum corporis Christi ; sed corpus Christi est Ecclesia: ergo qui non sunt membra Ecclesiæ non sunt membra Christi. II. Qui fide carent nullam habere possunt cum Christo unionem: ergo Christus nequit esse ipsorum caput. Probatur antecedens. Non possunt habere unionem per gloriam, neque per gratiam, ut clarum est ; neque per fidem, quia fidem non habent. III. Infideles, qui non fuerunt baptizati, pueri morientes in utero, Hæretici etiam occulti, fidem non habent, & non sunt proinde membra Ecclesiæ, non sunt membra Christi : ergo Christus non est ipsorum caput. Probatur; quia non habent commune fidei vinculum, quo uniantur ; unde ait Augustinus lib. de unitate Ecclesiæ contra Petilianum c.4. de occultis Hæreticis : *Multi tales sunt in Sacramentorum communione cum Ecclesia; & tamen jam non sunt in Ecclesia*.

V. Conclusionis pars, quod Christus non sit caput malorum Angelorum, probatur I. Nullum habent Dæmones a Christo influxum : ergo Christus non est ipsorum caput. Probatur antecedens. Dæmones a Christo non illuminantur, non vivificantur, non diriguntur ; quum horum omnium propter eorum obstinationem sint omnino incapaces : ergo nullum habent a Christo influxum. II. Dæmones non habent cum Christo conjunctionem per gloriam, quia gloria sunt privati ; non per gratiam, quia gratiæ sunt expertes ; non per fidem, quia fidem supernaturalem, divinam, meri-

Digitized by Google

meritoriam, non habeat: ergo nullam habent cum Christo unionem; qui autem nullam habet unionem cum altero nequit esse illius membrum, sicut nec ille hujus caput: ergo &c.

VI. Conclusionis pars, quod Christus fuerit caput primorum Parentum etiam ante lapsum prævisorum, seu in statu innocentiæ existentium, probatur I. ex illo Joann. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Si omnes: ergo etiam primi Parentes: Omnes quidem justi, qui fuerunt, sunt, & erunt, ut ait S. Thomas: ergo etiam primi Parentes: Sic enim scribit S. Doctor in ep. ad Hebr. c. 2. lect. 10. *Quod de plenitudine ejus acceperint omnes justi, qui fuerunt, sunt, & erunt*: Acceperunt denique pro omni statu; unde paulo inferius subdit: *Plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum in intellectualibus creaturis*: ergo etiam est causa illius gratiæ, quam ante lapsum primi parentes acceperunt. II. Augustinus conc. 3. in psal. 36. scribit: *Caput nostrum Christus est, corpus capitis illius nos sumus. Nunquid soli nos, & non etiam illi, qui fuerunt ante nos? Omnes, qui ab initio seculi fuerunt justi*: ergo etiam primi Parentes in statu justitiæ originalis. Similiter Hilarius in psal. 139. *Ut in omnibus Sanctis caput Christus est, ita &c.* III. Ecclesia suum habuit initium ab instanti, quo primi parentes cœperunt esse sancti; sed Christus fuit semper caput Ecclesiæ, quandocumque fuit Ecclesia: ergo etiam fuit caput Ecclesiæ, quando Ecclesia a primis parentibus in statu innocentiæ constituebatur. Major est doctrina Augustini in psal. 128. *Nunquid modo, & non olim est Ecclesia? Ex quo vocantur Sancti, est Ecclesia in terra*.

Opponunt contra omnes nostræ Conclusionis partes I. Forma Ecclesiæ est fides; sed Beati non habent fidem: ergo non pertinent ad Ecclesiam: ergo Christus, qui est caput Ecclesiæ, non est caput ipsorum. II. Si Christus esset caput hominum habentium fidem, esset caput Reproborum, non Prædestinatorum tantum, esset caput Excommunicatorum, Schismaticorum, Catechumenorum, peccatorum hominum &c., sed hæc a pluribus negantur: ergo &c. III. Peccatores sunt membra Diaboli, non sunt filii Dei, sunt membra mortua, non sunt sancti, & Ecclesia est sancta, pertinent ad Babylonem, & non ad Hierusalem: ergo non pertinent ad Ecclesiam. IV. Homines in inferno vel in limbo existentes dependent a Christo tanquam a Judice: ergo a Christo tanquam a capite. V. Homines sine fide uniuntur Christo per gratias actuales, quas Christus influit in ipsos, ut fidem recipiant. VI. In agro Ecclesiæ sunt triticum, palea, & Zizania; hoc est justi, peccatores, & hæretici; & hoc vel eo magis, quia hæretici habent baptismi caracterem in anima, & ab Ecclesia puniuntur. VII. Gubernator dicitur caput civitatis, non quia influxum aliquem habeat in Cives, nec quia cum illis aliquo modo uniatur; sed tantum propter dominationem, & potestatem, quam supra Cives exercet: ergo pariter Christus potest dici Dæmonum caput. VIII. Ex Augustino lib. de correp. & grat. c. 11. Adam *in illis bonis*, scilicet in statu innocentiæ, *Christi morte non eguit*: ergo Adam non habuit gratiam originalem ex prævisis meritis Christi, sed ex sola Dei liberalitate. IX. Omnis Christi gratia fuit medicinalis: ergo non poterat prodesse Adæ in statu innocentiæ ante lapsum. X. Omnis gratia collata per Christum, per Christi mortem fuit collata; sed non poterat per Christi mortem conferri gratia primis Parentibus in statu innocentiæ: ergo Christus non fuit caput primorum Parentum in statu innocentiæ. Major constat ex illo ad Hebr. 10. *Una oblatione*, morte scilicet, *consummavit in sempiternum sanctificatos*.

Respondemus ad I. distinguendo majorem; forma Ecclesiæ militantis est fides, concedimus; forma Ecclesiæ triumphantis est fides, negamus. Quanvis enim utriusque Ecclesiæ unum sit objectum, unum sit caput, unus sit Deus; non eodem tamen modo circa ipsum utraque Ecclesia procedit; nam una procedit credendo, quod altera videt, & fruitur; & altera videt, & fruitur, quod una credit. Forma illius Ecclesiæ, quæ credit, & quæ est militans, est fides; forma alterius, quæ fruitur, & est triumphans, est fruitio beata.

Ad II. Uviclephus, Calvinus, aliique Novatores, dixerunt, Ecclesiam constare ex solis Prædestinatis, non vero ex Reprobis; at falso dixerunt; quia Reprobi habent veram fidem, per quam Christo uniuntur. Immo etiam Christus est caput illorum, qui aliquando fidem sunt abnegaturi; actu enim fideles sunt, & per consequens sunt Christi, & Ecclesiæ mem-

Digitized by Google

membra. Etiam est caput fidelium excommunicatorum, quia per excommunicationem fidem non amittunt, adeoque nec unionem cum Christo perdunt. Est pariter caput Schismaticorum, qui non sunt hæretici; quia isti amittunt charitatem, non fidem; & sunt separati quoad charitatis unionem, non vero quoad formam fidei. Est quoque caput Catechumenorum; quia, ut ait Hennus, secundum externum Ecclesiæ regimen non reputantur fideles, pertinent tamen ad Ecclesiam ratione internæ dispositionis, vel fidei, quæ est in illis cum charitate conjuncta, & cum voto baptismi.

Ad III. Peccatores sunt membra Diaboli quatenus sunt peccatores, & sunt membra Christi quatenus sunt fideles: Quanvis non sint filii Dei, quia non habent gratiam sanctificantem, sunt tamen filii Christi, quia habent fidem. Sunt membra mortua, quia non vivunt vita charitatis; quia tamen vivunt vita fidei, non sunt omnimode mortua. Ecclesia autem est sancta ratione constitutivorum ejus; quæ sunt fides, & sacramenta; & ratione etiam membrorum nobiliorum, qui sunt justi, non vero omnium. Denique Peccatores ut sunt peccatores, sunt de Babylonia; ut sunt fideles, sunt de Hierusalem.

Ad IV. Judex proprie non est caput; non enim ejus munus est regere & gubernare, sed judicare & punire; & si aliquando regere dicatur, nullum per hoc influxum habet cum illis, quos judicat & punit, nisi vindictæ, & pœnarum.

Ad V. Gratiæ actuales quum sint transeuntes non possunt esse vinculum unionis inter caput, & membra, quod debet esse permanens, & firmum. Per gratias illas actuales fit quidem, quod Christus vere sit & dicatur Salvator omnium, quod pro omnibus meruerit, pro omnibus sit mortuus &c., quia ad horum omnium verificationem sat est, quod Christus meruerit omnibus auxilia sufficientia ad salutem. Non vero fit, quod sit illorum omnium caput; quatenus ad hujus verificationem ulterius requiratur, de facto inter caput & membra intercedere permanentem quandam unionem.

Ad VI. quod Augustinus lib. 1. quæst. evang. in Matth. c. 11. pro agro illo non intellexit Ecclesiam, sed mundum: *Quoniam Dominus agrum ipsum non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est.*

Ad VII. potius dici debet Christus respectu Dæmonum dominus, judex, vindex; non vero caput; quia nullum in ipsos exercet influxum, nullam cum iisdem habet unionem.

Ad VIII. Adam in statu innocentiæ absolute loquendo non eguit Christi morte, eguit tamen meritis Christi, quæ ante ejus mortem fuerant a Deo prævisa.

Ad IX. Una fuit Christi gratia, quæ secundum diversitatem applicationis, seu diversitatem illorum, quibus applicabatur, diversimode appellata est. Medicinalis dicta fuit, quatenus fuit applicata infirmis, non sic tamen dicta est, quatenus fuit applicata sanis. Gratia igitur Christi applicata infirmis fuit sanativa, applicata sanis, scilicet primis parentibus in statu innocentiæ, fuit sanctificativa.

Ad X. In nostra hypothesi, prout diximus differentes de Incarnationis motivo, ante decretam mortem Christi Deus motus est ex prævisis Christi meritis ad destinandam gratiam primis parentibus. Deinde prævisa & decreta morte Christi, statuit dare illam etiam per Christi mortem; & ita statuit, ut si non statuisset antea dare illam gratiam ex prævisis Christi meritis, ex solius mortis Christi prævisione etiam donasset. Nec mirum quod eadem gratia duplici titulo obtineatur; quia etiam Adversarii fatentur, Angelis fuisse gratiam collatam & ex Dei libertate, vel ex Dei liberalitate, & ex meritis Christi.

Pro quarta Dissertationis parte, certum supponimus cum Frassen, Christum ut Deum, seu ratione divinitatis, esse Ecclesiæ caput, sicuti sunt pariter Pater, & Spiritus Sanctus; inquirimus autem, an præcise quatenus homo est sibi hanc capitis dignitatem vendicet? Vox autem *quatenus* dupliciter usurpari valet; reduplicative primo, & sensus est, quod Christus dicatur caput propter suam humanitatem, & quod humanitas sit ratio formalis, per quam sit caput. Et in hoc sensu conveniunt omnes, Christum, quatenus homo est, nec esse, nec dici Ecclesiæ caput: Specificative secundo; & sensus est, rationem illam capitis Ecclesiæ ita convenire Christo, ut per humanitatem impleat munus capitis, & officium exequatur erga Ecclesiam universam, tum in cœlis triumphantem, tum in terris militantem, tum denique in purgatorio patientem.

Dicimus IV. Christum esse quidem caput Ecclesiæ quatenus homo est subsistens

in

Digitized by Google

in Persona Verbi.

I. Probatur. Ecclesia est visibilis: ergo ipsius caput debebat esse visibile; sed Christus ut homo est visibilis: ergo Christus ut homo est caput Ecclesiæ. Probatur minor subsumpta. Apostolus ad Ephesios 1. docet, Christum fuisse a Deo constitutum Ecclesiæ caput secundum illam rationem, secundum quam a mortuis eum Pater suscitavit: *Suscitans eum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus .... ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*.

II. Probatur. Christus modo communi cum aliis duabus Personis est caput Ecclesiæ: ergo modo sibi proprio & speciali est caput Ecclesiæ ut homo. Explicatur ratio; quia Christus ut Deus, quod docet S. Thomas in 3. dist. 13. q. 2. ar. 1. ad 6. simul cum aliis duabus Personis, physice influit in Ecclesiam, gubernando ipsam ut Dominus. Christus vero ut homo est caput Ecclesiæ modo sibi speciali, hoc est modo visibili, & per influxum moralem, & meritorium, & hoc, subdit Cacheranus, habet Christus formaliter & proxime ratione humanitatis concurrente divinitate solum tanquam principio dignificante, & elevante.

III. Probatur. Christus, ut est caput Ecclesiæ, communicat merita sua Ecclesiæ membris, quæ quidem merita habent dignitatem & pretium ex unione hypostatica humanitatis cum divina Persona: ergo vere Christus est caput prout est homo, & prout est homo in Persona Verbi subsistens. Consequentia sequitur; quia Christus habet meritum, prout est homo, habet vero dignitatem & pretium meriti, prout est homo in Persona Verbi subsistens. Antecedens negari non potest; quia hoc sibi vult esse caput, communicare Membris vitam, vigorem &c., quæ in Christo, qui est caput morale, intelliguntur per merita; quæ quidem merita ex unione hypostatica humanitatis cum Persona divina habent pretium, & dignitatem.

IV. Probatur. Christus est caput Ecclesiæ non solum ratione animæ, sed etiam ratione corporis sui, & est caput nostrarum animarum, & nostrorum corporum: ergo est caput quatenus est homo. Probatur antecedens; quia Christi corpus aliquo modo concurrit etiam ad plura opera meritoria, & ad moralem influxum; corpora etiam nostra pariter de morali influxu aliquid participant, & consequuntur bona tum in via, tum in patria, & denique suo modo quoque a Christo gubernantur. Consequentia sequitur; quia corpora sunt visibilia, Christi corpus est visibile: ergo si Christus est caput ratione corporis sui, & ratione corporum nostrorum, est caput speciali modo ut homo est.

V. Probatur. Secundum illam rationem Christus est Ecclesiæ caput, secundum quam est Redemptor noster, atque Salvator; sed non est Redemptor & Salvator noster secundum naturam divinam, at secundum humanam subsistentem in Persona divina: ergo non est Ecclesiæ caput secundum naturam divinam, sed secundum humanam in Persona divina subsistentem. Probatur minor. Christus fuit Redemptor, & Salvator, per opera apud Deum meritoria & satisfactoria; ergo per opera exhibita Deo in pretium nostræ redemptionis, & salutis; sed Christus secundum naturam divinam habere non potest hæc opera, nec potest illa exhibere Deo, in nostræ redemptionis ac salutis pretium: ergo Christus non est Redemptor & Salvator secundum divinam naturam, at secundum humanam subsistentem in Persona divina.

Contra hæc, quæ in hac postrema Conclusione diximus, nulla sunt, quæ nobis opponantur, & quæ sint responsione digna; ideo absque eo quod hìc amplius immoremur, ad aliam Dissertationem transimus.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CXCI.

De regia Christi dignitate, ac de judiciaria ejus potestate. An vere fuerit Rex, & quodnam ejus regnum? An vere erit Judex, & quodnam ejus judicium? Regis, & Judicis potestas an ipsi conveniat ut Deus, an ut homo est?

ETSI conveniant Doctores, Christum fuisse Regem, discrepant tamen in assignando ejus regno. Hereditarium, a Davide sibi transmissum, plerique volunt, & hoc terrenum, & temporale; alii vero concedunt terrenum, & temporale, sed negant hereditarium, & dicunt fuisse ratione hypostaticæ unionis humanitatis cum Verbo; Plerique demum regnum temporale respuunt, & spirituale tantum admittunt. Primæ opinioni favet Epiphanius in Nazaræorum hæresi scribens: *Regiam dignitatem a Domino Jesu Christo duobus modis esse profectam, quod & ipse ex Davidis Regis extitit semine secundum carnem, & revera major quidam angustiorque Rex sit ab æterno, secundum humanitatem.* Secundæ vero sententiæ plerique Catholici Scriptores subscribunt. Tertiæ denique pauci adstipulantur. Etenim, ut eos distincte enumeremus, sunt

Primo Marsilius Patavinus, & Joannes de Janduno, dixerunt, Christum non habuisse jus regis supra alios reges hujus mundi, & fuisse potius illis subditum, iisdemque tributa, & vectigalia, non sponte, sed necessitate & obligatione legis constrictum solvisse Joannes XXII. in Extravaganti quadam hanc opinionem ut hæreticam damnavit; quod refert Cardinalis de Turrecremata in lib. 4. Summæ 2. p. c. 37.

Secundo Armacanus lib. 4. quæstionum Armenorum c. 16., & Abulensis in c. 21. Matth. q. 30. ad verba illa: *Ecce Rex tuus venit tibi &c.* admittunt, Christum habuisse peculiare jus regni in Judæam ratione successionis, & hereditatis; non tamen habuisse idem jus in alios Reges, & in cætera regna.

Tertio alii cum S. Antonino 3. p. tit. 3. c. 2. & Almaino in tract. de potestate Ecclesiæ, & cum aliis Theologis, tuentur, Christum vere habuisse jus Regis & Imperatoris temporalis super alios omnes Reges; quanvis noluerit uti illo temporaliter, & solummodo usus sit spiritualiter.

Quarto alii volunt, Christum non regnasse in nullo temporali regno, non habuisse jus ullum ad temporale regnum, ne ad illud Judææ, nec ad alia regna mundi, vel in aliquod eorum; adeoque regnum ipsius fuisse tantum spirituale; & hoc solo jure potuisse jura statuere, & leges condere in toto mundo, prout ad finem spiritualem salutis animarum magis expedire judicabat; quam sententiam amplectitur, ac tuetur Fraffen, & sequitur pariter Jueninus, aliique Scriptores Galli defendunt.

Dicimus I. Christum non solum ut Deum; verum quoque ut hominem, fuisse vere Regem, ac Judicem.

I. Probatur ex Scripturis. Psalmus 61. de Christo ut homine intelligitur: *Deus judicium tuum Regi da.* Similiter Psalmus 2. in quo Christus de seipso dicit: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Hieremiæ 23. de Christo dicitur ut homine; *& regnabit rex, & sapiens erit*; pariter Zachariæ 9. *Ecce rex tuus veniet tibi justus*; Danielis etiam 2. Christo promittitur regnum nunquam dissipandum. Joannis 5. *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.* Lucæ 23. appellatur Christus *Rex Judæorum, Rex Israel*; & Matth. 27. ipsemet Christus a Pilato interrogatus, an esset Rex? *Ergo rex es tu?* respondit, regem se esse: *Tu dicis, quia*

rex sum ego. Ad Hebr.2. *Omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei*. Actorum 17. *Et quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus*. Apocal. 19. dicitur Christus *Dominus Dominantium*. Et ne quis opponeret, intelligenda hæc verba de Christo ut Deo, dicitur ibidem, quod titulum illum, *Rex regum & Dominus Dominantium*, ferebat Christus *in femore suo scriptum*; scilicet juxta Glosæ & aliorum plurium Interpretum explicationem, *in humanitate sua*.

II. Probatur ex Patribus. Cyrillus lib. 12. in Joann. c.10. *Christus Pilato respondens, regem se esse non negat: mentiri enim non poterat: sed regno Cæsaris non esse hostem ostendit, quia principatus suus mundanus non est, sed cæli, & terræ, cæterarumque rerum omnium*. Athanasius ser.de Deipara explicans illud psalmi 109. *Dixit Dominus Domino meo*; addit; *Accepit autem his verbis thronum David corporaliter ex ratione prosapiæ, quia David illi Pater fuit*. Augustinus lib. 1. de Trinit. c. 13. *Dicimus, quia secundum id, quod Deus est, judicat: hoc est ex potestate divina, non humana; & tamen ipse homo judicaturus est, sicut Dominus gloriæ crucifixus est &c. Quapropter filius hominis judicaturus est, nec tamen ex humana potestate, sed ex ea, qua filius Dei est*. Et post aliqua: *Filius Dei judicaturus est, nec tamen in ea forma apparens, in qua Deus est; æqualis Patri. Itaque utrumque dici potest, & Filius hominis judicabit, & non Filius hominis judicabit: quia Filius hominis judicabit, ut verum sit quod ait Matth.25. Cum venerit Filius hominis, tunc congregabuntur ante eum omnes Gentes. Et non Filius hominis judicabit, ut verum sit quod ait Joann.12. Ego non judicabo; & Joann. 8. Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & judicet. Nam secundum id, quod in judicio non forma Dei, sed forma Filii hominis apparebit; nec ipse Pater judicabit: secundum hoc enim dictum est Joann. 5. Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio suo*.

III. Probatur Rationibus. I. Potestas regia, & potestas judiciaria, sunt in Deo, & sunt in Christo; in Deo per naturam, in Christo per gratiam: ergo Christus non solum ut Deus, verum quoque ut homo, fuit vere rex, ac judex. Antecedens non negatur; & consequentia bene infertur; quia nos non discurrimus de modo, quo potestates illæ sint in Christo; sufficit enim ut sint, ad hoc ut Christus dicatur, & vere rex, & vere judex. II. Potestas judicandi est primario in Deo, & est commissa in homine Christo: ergo illam habet Christus ut Deus, & ut homo. Probatur antecedens. Sententia Christi non est tanquam Judicis delegati, sed est tanquam principalis: ergo est ejus ut Dei, & hominis. Probatur consequentia; antecedens enim est certum, quia a sententia ejus nemo potest appellare: Christus est una persona, & potestas judicandi a divinitate communicatur, & ab humanitate exercetur, & ab una eademque persona denominatur; ut dictum est: ergo &c. III. Regia dignitas, & judiciaria potestas, Christum non dedecebant, nec Incarnationis fini opponebantur: ergo vere in Christo fuerunt. Consequentia quanvis inferatur a potentia ad actum, attamen bene infertur ratione qualitatis & conditionis subjecti, quod si semel alicujus perfectionis est capax, illam illico habuisse, dicendum est. Antecedens probatur. Ex hoc Adversarii tenentur afferre repugnantias, si quæ sint, inter regiam dignitatem, & judiciariam potestatem, & Christum; & eas illico nullas esse, ostendemus.

Dicimus II Regnum Christi fuisse spirituale; fuisse etiam temporale totius universi, sed quoad actum primum, non secundum; hoc est non quoad usum, & exercitium; & speciali titulo non fuisse Judæorum regnum. Quatuor habet partes Conclusio.

I. Conclusionis pars de regno Christi spirituali probatur I. Psal.2.dicitur: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*. Quod autem hic loquatur regius Psaltes de regno spirituali, ex verbis, quæ addit, innotescit; dicit enim: *Prædicans præceptum ejus*; prædicare enim præcepta ad regnum spirituale spectat. II. Regia potestas spiritualis, & regia potestas temporalis, in his inter se differunt, quod prima est æterna, respicit cœli & terræ cives, extenditur directe ad animas, condit leges pro spirituali Ecclesiæ regimine; hæc vero est temporalis, respicit tantum terræ cives, indirecte respicit animas, & non facit leges, quæ Ecclesiam ligent; sed illa prima fuit in Christo; ut ex multis ejus factis innotescit: ergo &c. III. Dotes, quæ spectant ad Ecclesiæ regi-

men,

Digitized by Google

men, quod est regnum spirituale, omnes in Christo fuerunt: ergo regnum Christi fuit vere spirituale. Antecedens probatur ex Apostolo, qui I. ad Cor. 1. docet, dotes ad Ecclesiæ regimen spectantes, esse *Dei virtutem, & sapientiam*; & ad Colos. 2. testatur, dotes hasce in Christo fuisse: *In eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*. IV. Christus de facto exercuit omnia, quæ ad regnum spirituale pertinent: ergo vere habuit regnum spirituale. Probatur antecedens. Instituit sacramenta, ecclesiasticos magistratus creavit, leges condidit, & omnes homines ad legum, quas edidit, observantiam obligavit; sed hæc omnia spectant ad spirituale regnum: ergo Christus de facto exercuit omnia, quæ ad regnum spirituale pertinent; & propterea instituit, dispensavit, administravit, ac disposuit res omnes, quæ dicunt ordinem ad æternam hominum salutem.

II. Pars de regno temporali quoad actum primum probatur I. ex Scripturis. Matth. ultimo: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*; si omnis: ergo etiam temporalis: si in terra: ergo pariter temporalis. Apocal. 1. dicitur Christus *Princeps Regum terræ*; reges terræ habent regnum temporale: ergo si Christus est ipsorum princeps, habet etiam regnum temporale. II. ex Patribus. Augustinus in psal. 149. *Filius Dei, qui fecit nos, factus est inter nos; & rex noster regit nos, quia creator noster fecit nos. Ipse est tamen, per quem facti sumus, qui est, per quem nos regimur, & ideo Christiani, quia ille Christus; Christus a chrismate dictus est, idest ab unctione: Reges autem ungebantur, & Sacerdotes. Ille vero unctus est & rex, & Sacerdos. Rex pugnavit pro nobis; Sacerdos obtulit se pro nobis*. III. Cardinalis Sfondratus, sub nomine Eugenii Lombardo latitans, in libro, cui titulus: Regale Sacerdotium Romano Pontifici assertum: lib. 1. §. 18. adducit rationem S. Thomæ lib. 1. de regimine Principum c. 12. & seqq., cujus hæc sunt verba: *Manifestum est, esse Christo qua homini potestatem judiciariam ex regia consequentem quoad omnes res humanas; cuicunque enim committitur principale, committitur & accessorium; omnes autem res humanæ ordinantur in finem beatitudinis, quæ est salus æterna, ad quam omnes homines admittuntur, vel etiam repelluntur judicio Christi, ut patet Matth. 25.* IV. Hennus aliam adducit rationem ejusdem Angelici Doctoris in eodem Opusculo de regimine Principum lib. 3. c. 13. ubi asserit, Augustum fuisse Christi Vicarium: *Ille natus erat mundi Dominus, & Monarcha, cujus vices gerebat Augustus*. Ad quæ subdit idem Hennus: „ Non quidem positive, „ quasi dedisset ipsi Christus illam dignitatem, sed permissive, in quantum usum „ imperii, quem poterat assumere, reliquit „ Augusto. „ Attamen revera Opusculum illud de regimine Principum non est S. Thomæ, ut asserit, & probat Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Operibus S. Thomæ observatione 2. hisce verbis: „ In aliis unum, „ quod inscribitur de regimine Principum „ ad Regem Cypri, quod mihi multis de „ causis suspectum semper fuit; primum, „ quia lib. 3. c. 20. scribit auctor hujus operis, suo tempore accidisse, ut Adolphus „ Imperator Rodulpho, & Albertus Adolpho succederet. At S. Thomas obiit ann. „ 1274. Adolphus autem Rodulpho successit ann. 1292., & Albertus Adolpho „ ann. 1299. Posset quidem fieri, ut ista „ verba ex margine annotata ab aliquo „ posteriore, in textum irrepserint; sed „ oratio continuata non videtur admittere hanc responsionem. Deinde lib. 3. c. „ 10. non semel vocat iste auctor summum Pontificem Christi successorem, „ quod improprie dictum esse nemo nescit, qui Christum Pontificem æternum „ esse novit, cui nemo succedit, sed omnes ministrant: At S. Thomas ita improprie loqui non solet. Præterea iste auctor stylum habet a stylo S. Thomæ valde diversum: hic enim presse & breviter scribit, & multa paucis complectitur, ille contra verbis abundat, & pauca multis explicat. Adde, quod hic auctor non pauca levia profert, de nominibus magistratuum lib. 3. c. 22., & lib. 4. c. 26., quæ S. Thomæ nunquam excidissent. Quæ causæ fortasse fuerunt, ut in editione Lovanienſi anni 1552. libri isti de regimine Principum inter Opuscula S. Thomæ ad scripta non inveniantur. Ad de ultimo, cum S. Thomas scripserit septem libros de eruditione Principum, plane utilissimos, qui habentur inter Opuscula Romæ edita, non videbatur necessarium, ut scriberet etiam de regimine Principum.

III. Conclusionis pars de regno temporali non quoad usum, & exercitium, probatur. I. Joann. 8. *Regnum meum non est*

de hoc mundo ; quasi diceret, ut scribit Augustinus tract. 115. in Joannem: *Audite ergo Judæi, & Gentes: audi circumcisio, audi præputium; audite omnia regna terrena: Non impedio dominationem vestram in hoc mundo; Regnum meum non est de hoc mundo. Nolite metuere metu vanissimo, quo Herodes ille major, cum Christus natus nuntiaretur, expavit; & tot infantes, ut ad eum mors perveniret, occidit; timendo magis, quam irascendo, crudelior. Regnum, inquit, meum non est de hoc mundo; venite credendo, & nolite servire metuendo.* II. Ex Evangelio habemus, quod Christus de facto non imperavit hominibus ut rex, sed regibus potius obedivit: ergo vere temporale regnum non habuit quoad exercitium, & usum. III. S. Thomas 3. p. q. 59. ar. 4. ad 1. docet: *Christus autem quamvis esset rex constitutus a Deo, non tamen in terris vivens terrenum regnum temporaliter administravit*.

IV. Pars, quod Judæorum regnum speciali titulo Christus non habuerit, probatur I. Christus non habuit regnum Judæorum electione: ergo illud speciali titulo non habuit. Probatur antecedens, Joann. 6. post panum multiplicationem volebant Judæi Christum facere regem; at ille, ne electus esset, fugit in montem solus. II. Neque habuit Christus Judæorum regnum titulo successionis, quia vel hoc habuisset per Mariam, vel per Joseph. Non per Mariam, quia hæc descendebat a Davide non per Salomonem, qui fuit regni successor, sed per Nathan, qui fuit quidem Davidis filius, sed ad eum regni successio non pervenerat. Ulterius, quamvis B. Virgo a Davide descendisset per Salomonem, non fuisset tamen inter alios a Davide descendentes Davidi proximior. Denique, dato quod regnum ad Virginem devenisset, nunquam tamen poterat ad Christum devenire, quia ipsi ejus mater supervixit. Neque per Joseph; quia quamvis hic per Salomonem descendisset, non fuit tamen familiæ directe descendentis caput; Christus quoque non fuit filius Joseph naturalis, sed putativus, ad quem jure non poterat successio regni pertinere. Si dicatur, quod Joseph adoptaverat Christum in filium; respondemus, adoptionem hanc in filium esse omnino incertam, & proinde incertam quoque esse adoptionem ad regnum. Denique, regia dignitas in familia Davidis Christi tempore non inveniebatur, quia translata erat in Machabæos; ut legitur 1. Machab. 14., adeoque jus successionis nullo modo erat penes filios seu posteros Davidis.

Arguunt I. Plures Theologi docent cum Vasquez, Christum ut hominem habuisse jus regium ratione unionis hypostaticæ; sed hoc est idem ac dicere, quod habuerit ratione divinitatis, non humanitatis: ergo Christus ut homo non fuit rex. Probatur minor. Unio hypostatica importat in humanitate communicationem a divinitate: ergo humanitas semper habet communicata a divinitate quæcunque habet: ergo habet ratione divinitatis, & non humanitatis. II. Joann. 1. dicitur *Lex per Moisen data est, gratia autem, & veritas per Christum facta est*; sed Moises dedit legem, & gratiam non contulit: ergo Christus etiam dedit gratiam, & Legem non edidit; sed condere legem spectat ad regnum spirituale: ergo si Christus legem non condidit, regnum spirituale non habuit. III. Augustinus tract. 51. in Joann. docet: *Non enim Rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitium ferro armandum, vel hostes visibiliter debellandos; sed rex Israel, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum Cœlorum credentes, sperantes, amantesque perducat*; sed hæc omnia regno spirituali, non temporali conveniunt: ergo Christus regnum tantum spirituale habuit, non temporale. IV. Christus habere non debuit potentiam, quæ fuerit inutilis, & frustranea; sed inutilis & frustranea est potentia, quæ non reducitur ad actum: ergo regnum temporale si non fuit in actu in Christo, neque fuit in potentia. V. Si Christus habuisset regnum temporale in potentia supra totum mundum, vel habuisset jure successionis, & hereditatis, vel jure electionis, vel titulo donationis; sed nullo ex his jure, vel titulo, habuit: ergo &c. Probatur minor. Non jure successionis & hereditatis, quia ejus Mater Sanctissima non habuit regnum totius mundi; neque electionis, quia non constat, a quo, & ubi, fuerit facta; neque donationis, quia neque legimus, a quo fuerit facta, & quando, & ubi. VI. Christus reliquit Romano Pontifici ejus Vicario omnem suam potestatem: ergo pariter reliquit regnum temporale; sed hoc est falsum: ergo falsum quoque est, Christum habuisse

Digitized by Google

buisse temporale regnum totius universi. VII. Tum veteris, tum novi testamenti libris, expresse dicitur Christus rex Judæorum: ergo vere ita fuit. Probatur antecedens. Isai. 9. *Super solium David, & super regnum ejus sedebit.* Hier. 13. *Suscitabo David germen justum, & regnabit rex.* Lucæ 1. *Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus.* Joann. 12. Hebræi Christum esse ipsorum regem conclamabant: *Osanna, Benedictus qui venit in nomine Domini.* VIII. Athanasius loco superius citato docuit, Christum corporaliter occupasse thronum David ex ratione prosapiæ, quia David fuit illi Pater: ergo vere Christus fuit speciali titulo rex Judæorum. IX. Melchisedech, qui typum gessit Christi, fuit simul rex, & sacerdos; sed fuit sacerdos in spiritualibus, rex vero in temporalibus: ergo pariter Christus in spiritualibus fuit sacerdos, & in temporalibus rex; adeoque regnum spirituale habuit ut sacerdos, regnum vero temporale ut rex. X. Christus affirmavit, se esse regem Judæorum, Pilato respondens, qui eum interrogabat: *Tu es rex Judæorum*; & ipse dixit: *Tu dixisti*: ergo vere fuit Christus speciali titulo rex Judæorum. XI. Christus fuit ut homo etiam absolutus dominus universorum, etiam quoad exercitium, & usum: ergo Christus ut homo fuit quoque rex totius mundi quoad exercitium quoque, & usum. XII. Nicolaus IV. Rom. Pont. definit, Christum fuisse pauperrimum: ergo nullum dominium habuit. XIII. Joannes XXII. Rom. Pont. docuit, Christum habuisse aliquarum rerum dominium: ergo non habuit dominium rerum omnium.

Respondemus ad I. Vere quosdam Theologos dixisse Christum habuisse jus regium, ratione unionis hypostaticæ, seu ratione divinitatis; at non per hoc infertur, quod alio etiam titulo non habuerit, quanvis diverso modo, ut dictum est in probationibus. Multa sunt quæ Christus habuit, & ratione divinitatis, & ratione humanitatis; præcipue diximus de scientia, & de aliis; ita pariter dici valet de regia, ac de judiciaria potestate, quam habuit Christus, & divinitatis, & humanitatis jure. Præterea, Theologos illos, qui aliter a nobis sentiunt in hoc, quod ita asserimus, nos ipsos non obligare credimus ad recedendum a sententia nostra, illisque subscribendum. Quum enim res sint opinabiles, cuique licitum esse putamus in suo sensu abundare, dummodo fides integra servetur, & morum puritas non lædatur. Denique sunt quoque Theologi non pauci, qui nobiscum in hoc sentiunt, ut videre quisque poterit apud Frassen, Hennum &c.

Ad II. Sensus verborum illorum non est, quod Moises dederit legem, & non gratiam, & Christus dederit gratiam, & non legem; sed potius quod quisque denominetur ab effectu principaliori suo, qui quidem in Moise fuit lex, in Christo vero fuit gratia. Igitur quanvis Christus dicatur, quod dederit gratiam, tanquam effectum principaliorem suum, non per hoc dicendum est, quod aliquas etiam leges non condiderit. Hoc sane docuit Augustinus lib. de spiritu, & litera, asserens, legem Moisis præcepisse, & non juvasse; legem autem Christi juvasse, & præcepisse; immo hæc, quod plus juvaverit, quam jusserit, quia præcepta, quæ nobis imposuit, non imposuit ad onerandum, sed ad sublevandum; Unde fuerunt nobis magis in subsidium, quam in gravamen.

Ad III. Augustinus intelligi debet, quod Christus fuerit Rex spiritualis, & non temporalis in actu secundo; at nunquam per illa verba negavit, quod fuerit Rex temporalis in actu primo. Et re vera, illa sua verba, in objectione adducta, actum secundum connotant, non primum, de quo S. Doctor nec affirmando, nec negando se exprimit. Nos autem de actu primo loquimur, non de secundo, ut satis in conclusione declaravimus, & in probationibus ostendimus.

Ad III. Dicitur, quod revera frustranea, est potentia illa, quæ nunquam reducitur ad actum, quando scilicet subjecto, cui inest nullam confert dignitatem, nullam præstat excellentiam, ornatum affert nullum, ratione cujus utilis, & non inutilis dici possit. At regia, & judiciaria potestas in Christo temporalis, etsi in actu primo Christo tribuit dignitatem, excellentiam, & ornatum, quanvis ad actum secundum non reducatur; quemadmodum non fuit superflua, & inutilis in Christo scientia loquendi secundum omnia idiomata, quanvis secundum illa locutus non fuerit; nec fuit pariter inutilis cognitio omnium scientiarum, & artium, quanvis illas in actu secundo non exercuerit, nec denique potentia transmutandi lutum in aurum, li-

Digitized by Google

lignum in argentum, aquam in gemmas &c., quanvis transmutationes illas actualiter non fecerit ; Et ratio horum omnium est, quia actus primus non reducitur ad secundum ; non propter impotentiam, sed propter non voluntatem Christi ; & Christus non vult, non quia non potest, sed quia cognoscit vel non expedire, vel non oportere.

Ad V. dicit Hennus, quod Christus fuit Rex titulo dignitatis personalis ; quæ quidem personalis dignitas quanvis in ipso fuerit ratione unionis hypostaticæ, non tamen per hoc fit, quod fuerit Rex ut Deus, & non etiam ut homo ; quum multa sint in Christo dona, quæ ejusdem unionis ratione habuit, & tamen illa non tantum ut Deus, sed ut homo quoque habet. Personalis denique hæc dignitas regiam dignitatem exigebat non quidem essentialiter, sed omnino congruenter ; sicque eam sibi contulisse Patrem, affirmamus.

Ad VI. negatur antecedens. Falsum est enim quod Christus reliquerit Romano Pontifici, ejus Vicario, omnem suam potestatem. Nam vel de potestate spirituali loquimur, & eam Pontifex non habet omnem ; quia non potest instituere sacramenta, non potest extra sacramenta gratiam dare ; quæ potuit Christus. Quod si totam spiritualem potestatem Pontifici non reliquit, quis asseret, reliquisse ei totam temporalem saltem directam ? Et ratio est, quia hæc temporalis potestas directa nihil confert ad Ecclesiæ regimen, quod Romano Pontifici contulerat. Hinc S. Bernardus lib. 38. de consideratione hæc Eugenio III. scribebat : *Dispensatio tibi super orbem credita est, non data possessio. Non tu ille, de quo Propheta : Et erit omnis terra possessio ejus ; Christus hic est &c.*

Ad VII. Auctoritates illas divinarum Scripturarum intelligendas esse de regno spirituali Christi, non autem de temporali ; quia cum verba illa *regnabit, sedebit &c.* importent regnandi exercitium, quod in Christo non fuit, si temporale asseratur ; inde est, quod intelligi debeant de regno spirituali Christi, cujus exercitium vere in Christo fuit. Patet insuper ; quia cum dicatur : *& regnabit in domo Jacob in æternum*, si verba hæc intelligantur de regno Davidis, falsum redditur vaticinium ; quia regnum Davidis jam ab hinc decem & septem sæculis cessavit, adeoque non erit in æternum, & per consequens Christus non regnabit in regno Davidis, vel in regno Jacob temporali in æternum. Apte igitur intelliguntur verba illa de regno spirituali Christi, quod fuit quidem ab Ecclesiæ initio, & usque ad finem perdurabit in æternum.

Ad VIII. Explicatur Athanasius de regno spirituali pariter, non autem temporali Christi, ut plerique Theologi docent. Aptius respondet Fraffen, Athanasium per sua verba sermone de Deipara, explicantem illud psalmi 109. *Dixit Dominus Domino meo*, & sic loquentem : *accepit autem his verbis thronum David corporaliter, & ratione prosapiæ, qua David illi pater fuit* ; voluisse tantum, quod perseveraverit regnum David usque ad Christum, non per Reges, sed per Sacerdotes, & Judices populi ; & nato Christo, quod translata fuerit omnis illa regia potestas in ipsummet Christum ; non quidem, quod jus temporalis regni devolutum fuerit ad ipsum, sed quod extinctum fuit regnum temporale Davidis, & commutatum, seu translatum in spirituale, quod Christus vere habuit. Verba autem illa : *ratione prosapiæ Christum regnum accepisse* ; explicat non quod Christus acceperit jure sanguinis, & propinquitatis, sed quum Christus esset verè ex stirpe David, accepit sedem David Patris sui, quia solus fuit, qui ex posteris Davidis regnaverit a suo nativitatis tempore, non quidem temporali, sed tantum spirituali dominatione.

Ad IX. Idem Fraffen respondet ; Melchisedechum gessisse Salvatoris figuram, quia fuit simul Rex, & Sacerdos ; non quia in Melchisedecho fuit dignitas sacerdotalis, quæ erat spiritualis, distincta a regia dignitate, quæ erat temporalis ; sed quia Melchisedech, præter Sacerdotium, erat adhuc Rex Salem, scilicet Rex pacis, seu justitiæ. Unde quia Christus etiam ut Rex spiritualis futurus erat Rex pacis, & justitiæ, inde est quod recte fuit a Melchisedecho adumbratus.

Ad X. Respondet S. Cyrillus lib. 12. in Joannem cap. 10. verbis hisce : *Christus Pilato respondens Regem se esse non negat ; mentiri enim non poterat ; sed regno Cæsaris non esse hostem ostendit ; quia principatus suus mundanus non est, sed cœli, & terræ, cæterarumque rerum omnium.* Quibus evidenter patet, ex Cyrilli sententia Christum Pilato respondentem, regnum spirituale, non temporale intellexisse.

Ad

Digitized by Google

Ad XI. Dicitur, Christum, ut hominem fuisse dominum absolutum, & directum universorum, quantum ad jus, & potestatem, non vero quantum ad usum, & exercitium, & sic intelliguntur verba illa Psalmi 8. *Omnia subjeciſti sub pedibus ejus*. Ad Hebræos 2. *Omnia ei subjecit, nihil dimiſit non subjectum ei*; & Apocalypsis 19. ubi dicitur Christus: *Dominus Dominantium*. Et quanvis Christus aliquando disposuerit de rebus hominum particularium, ipsismet Dominis inconsultis; quando scilicet permisit discipulis Matthæi 12. ut spicas vellerent; quando jussit ut ad seipsum adducerent asinam, & pullum, Matthæi 21., quando misit Dæmones in porcos, Matthæi 8., quando arefecit ficulneam, Matthæi 21., non per hoc tamen legitur Christum rerum illarum dominium in semetipsum transtuliſſe. Præterquamquod dominium Christi erat universale, & ut ait Hennus quasi excellentiæ per participationem, & consistebat in jure, & potestate disponendi de omnibus, & singulis, sine tamen actuali dispositione ordinaria, nisi in quibusdam casibus; & hoc pacto particularium hominum dominia non impediebat, quanvis hæc ipsi essent subordinata; & quanvis etiam potuisset, si voluisset, eorum dispositiones impedire.

Ad XII. Dicitur dominium non repugnare paupertati simpliciter, quia quisque dives si de sua substantia pauperes nutriat, & parce seipsum alat, divitiarum quidem est dominus, & nihilominus paupertatem exercet. Potest autem dici, quod repugnet paupertati religiosæ dominium ordinarium, non vero dominium illud extraordinarium, & universale, quod Christus habuit.

Ad XIII. Joannes XXII. damnavit illorum errorem, qui asserebant, Christum nullius rei habuisse dominium. Ad horum autem damnationem sufficiebat ostendere Christum aliquarum rerum dominium habuisse. Cæterum non per hoc mens ejus fuit negandi Christo rerum omnium dominium extraordinarium quidem, & universale.

Dicimus III. Judiciariam dignitatem convenire Christo, principaliter quidem, qua Deus est, minus vero principaliter qua homo.

Primo est contra Gnosticos, quos Philastrius vocat Borborianos, qui asseruerunt, nullum futurum judicium extremum; ut asserit Alphonsus de Castro verbo *judicium*, quem sequitur Arsdekin; & consequenter Christo judiciariam potestatem denegarunt.

Secundo est contra Florianos, Manichæos, & Proclianitas, qui a Philastrio dicuntur Prodianitæ, ab Augustino autem Proclianitæ. Refert idem de Castro, & idem Arsdekin sequitur eundem.

Tertio est contra Albanenses, qui, eodem de Castro teste, dicebant, judicium universale jam esse factum, & nullum aliud amplius esse futurum. Testatur Guido, qui recensens ipsorum errores, hunc, de quo loquimur, septimo loco ponit, quem sequuntur de Castro, Arsdekin, aliique.

I. Probatur ex scripturis Hyeremiæ 23. *Suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium, & justitiam in terra*. Psal. 71. *Judicare populum in justitia, & pauperes tuos in judicio*. Psal. 97. *Judicabit Orbem terrarum in justitia, & populos in æquitate*. Matthæi 25. *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ &c.: & dicet vobis: nescio vos unde sitis: discedite a me omnes operarii iniquitatis. Ibi erit fletus, & stridor dentium: cum videritis Abraham, & Isaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras*. Joannis 5. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*. Actorum 10. *Constitutus est a Deo judex vivorum, & mortuorum*.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. S. Damasus Papa in Confessione Fidei, quæ extat apud Theodoretum lib. 5. historiæ ecclesiasticæ cap. 11. *Si quis negaverit Christum in carne, quam sumpsit, sedere ad dexteram Patris, in qua etiam venturus est ad judicium, de vivis, & mortuis exercendum, anathema esto*. Leo I. serm. 2. de Ascens. Domini cap. 2. *Dominus noster Jesus Christus quadragesimo post resurrectionem die, coram discipulis elevatus in cælum, corporalis præsentiæ modum fecit, mansurus in Patris dextera, donec tempora multiplicandis Ecclesiæ filiis divinitus præstituta peragantur, & ad judicandos vivos, & mortuos in eadem carne, in qua ascendit, adveniat*. Gelasius de duabus in Christo naturis contra Eutychen: *Nam si & substantia, & forma hominis Jesu Christi hac trasfusione consumpta est, quis est, quem vidit ad dexteram virtutis stantem Sanctus Stephanus? Quis hominis Filius venturus est ad judicandos vivos, & mortuos? Quis erit, quem videbunt, in*

quem

Digitized by Google

quem compunxerunt?

III. Probatur ex Conciliis. Concilium generale Nicænum I. & Concilium generale Constantinopolitanum I. in Symbolo fidei: *& iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos.* Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. & refertur in capite firmiter de Summa Trinitate, & fide catholica, ubi definitur, judicium universale faciendum esse a Christo in fine mundi. Concilium Lateranense V. sess. 11. constit. 1. ubi sub excommunicationis latæ sententiæ, Papæ reservatæ, pœna, prohibetur judicii universalis diem determinatam non prædicendam. Adducitur etiam Concilium Chalcedonense sub Leone I. &c.

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Athanasius orat. 4. contra Arianos. *Certe in Actis Apostolorum scriptum habetur, quando vehebatur ab Angelis hominum more ascendens, efferensque in cælum, quam gestabat carnem, quo tempore discipuli hoc intuentes, rursum percontabantur, quando finis futurus esset, & quando ejus adventus expectandus.* Clemens Alexandrinus lib. 1. pedagogi cap. 2. *Solus Dei Filius judex est; quod neque peccare potest, & ab humanis animi perturbationibus penitus est liber.* Epiphanius in fine Ancoratus: *Idem Christus passus est in carne, & resurrexit, & ascendit in cælos in ipso corpore, gloriose sedens in dextera Patris, venturus in ipso corpore in gloria ad judicandum vivos, & mortuos.* Chrysostomus homil. 2. in Actis Apostol. *Hic vero mihi considera quomodo partim quidem juxta discipulorum intelligentiam loquantur Angeli, partim vero juxta divinæ naturæ dignitatem, tum quo pacto deinceps cogitatio videntium tollatur in altum, eo quod illis secundi adventus non mediocris cognitio data sit. Siquidem hæc verba: Sic veniet, perinde valent, ac si dicerent, cum ipso corpore veniet.* Cyrillus in epist. ad Valerianum: *Deus Verbum homo factus, & inter viros numeratus, nempe ita nobiscum appellatus; nihilominus judex erit, quatenus Deus, & Dominus, & unus Filius, in quo inest etiam tum Deus, & Pater.*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Cyprianus de idolorum vanitate: *Tunc in cælum circumfusa nube sublatus est, ut hominem, quem dilexit, quem induit, quem a morte protexit, ad Patrem victor imponeret; jam venturus è cælo ad pœnam diaboli, & ad censuram generis humani ultoris vigore, & judicis potestate;* Ambrosius libro de interpellatione cap. 2. *Qui se existimat ab eo, qui omnia videt, non videri, & tenebris credit commissa sua posse celare, umbram prætendit; sed frustra latere se credit, cum oculus Domini lucidior sole, occulta omnia deprehendat, tenebrosa illuminet, & intima cordis penetret, conscientiam, atque in alta, & profunda descendat.* Ruffinus in Apologia pro fide sua ad Anastasium: *Christus in eadem ipsa carne resurrexit, quæ deposita fuerat in sepulchro: cum qua carne simul, atque anima, post resurrectionem ascendit in cælos. Unde & venturus expectatur ad judicium judex vivorum, & mortuorum.* Augustinus epist. 57. ad Dardanum: *Noli dubitare ibi nunc esse hominem Christum Jesum, unde venturus est: memoriterque recole, & fideliter tene, Christianam confessionem, quoniam resurrexit a mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde, quàm inde venturus est ad vivos, mortuosque judicandos. Et sic venturus est, illa angelica voce testante: quemadmodum ire visus est in cælum, ideſt, in eadem carnis forma, atque substantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim ne ita divinitatem astruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus.* Fulgentius ad Thrasimundum Regem lib. 3. cap. 34. *Idem atque inseparabilis Christus secundum solam carnem de sepulchro surrexit; idem atque inseparabilis Christus secundum totum hominem, quem accepit, terram localiter deserens, ad cælum ascendit, & in dextris Dei sedet: secundum eundem totum hominem venturus ad judicandum vivos, & mortuos.* Isidorus, Hispalensis, de officiis ecclesiasticis lib. 2. cap. 23. *Profitemur ipsum Filium hominem natum, veraciter Crucifixum, & tertia die resurrexisse, & cum eadem ipsa carne glorificata, ascendisse in cælum, in qua, & ad judicium vivorum, & mortuorum expectatur venturus.*

VI. Probatur rationibus. I. Christo Domino conveniunt attributa omnia, quæ verum, & perfectum judicem constituunt: ergo convenit ei judiciaria dignitas. Probatur antecedens. Convenit ei probitas, & sanctitas eximia; dicitur enim de illo: *Peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus*: convenit sapientia summa; unde dicitur Isaiæ 11.: *Non secundum visionem oculorum judicabit, neque*

neque secundum auditum aurium audiet: convenit justitia, & æquitas incorruptibilis; unde in citato loco Isaiæ subditur: *Sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Et Isaiæ 42. *Dedi spiritum meum super eum, judicium Gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet, in veritate educet judicium*: Convenit denique illi potestas necessaria ad judicandum; unde dicitur Joannis 5. *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est*; & Actorum 10. *Constitutus a Deo judex vivorum, & mortuorum.* II. Eodem modo convenit Christo judiciaria potestas, ac regia dignitas; sed regia dignitas convenit ei principaliter qua Deus est, & minus principaliter qua homo; ergo ita pariter judiciaria potestas. III. Minorem potestatem in judicando habet Christus ut homo, quam Christus ut Deus; ergo Christus ut homo habet potestatem minus principalem, quanvis eminentissimam, & tantam, quantam potuit habere ut homo, & quantam potuit Deus ipsi tribuere. IV. Christus ratione unionis hypostaticæ non exigebat essentialiter judiciariam potestatem, sed tantum congruenter: ergo ex commissione Dei; sed quod ex commissione habetur, minus principaliter habetur; quia principaliter potestas residet in committente: ergo Christus ut Deus habet principaliter judiciariam potestatem, minus verò principaliter ut homo. V. Plena judicandi potestas requirit auctoritatem in sententiando, & potentiam in retribuendo; Sed hæc duo sunt in Deo per naturam, & in Christo homine per gratiam: ergo Christus Dominus habet judiciariam potestatem principalem, & naturalem secundum divinitatem, minus vero principalem, & commissam secundum humanitatem. Hoc argumentum est S. Bonaventuræ in 4. dist. 48. art. 1. q. 1. *Et auctoritatem in sententiando, & potestatem in retribuendo . . . Quoniam ergo potestas judiciaria respicit illa duo jam dicta, & illa sunt in Deo per naturam, & in Christo homine per gratiam; & ideo judiciaria potestas est Christi secundum divinitatem per naturam, secundum humanitatem collatam per gratiam, unde secundum utramque naturam habet authoritatem, sed secundum divinitatem principalem, & naturalem; secundum humanitatem, commissam, unde constitutus est.* VI. Si Christus ut homo principaliter judicaret, ideo esset, quia esset Redemptor; sed hæc ratio non obstat: ergo &c. Probatur minor: Christus ut Redemptor habet dominium super homines, & illos admittit ad regnum; sed hæc omnia facit ut homo, prout habet rationem caussæ meritoriæ pro nobis, & caussa meritoria non potest esse principalis: ergo ratio illa non obstat. Minor patet, quia caussa meritoria non caussat, nisi acceptetur ab alia caussa principaliori: ergo hæc caussa principalior principaliter caussat: ergo caussa meritoria minus principaliter caussat.

Obstant I. Joannis 12. Christus asserit, se non esse judicem: ergo Christo non convenit judiciaria potestas. Probatur antecedens. Dicitur ibi: *Si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non judico eum; non enim veni, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum: qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum.* II. Actorum cap. 13. Apostolus alloquens Areopagitas, dixit, quod Pater, qui suscitavit Christum a mortuis, & fidem præbuit omnibus, ipse judicaturus est Orbem in Christo: ergo Patri convenit, non filio, judiciaria potestas. Probatur antecedens. Legitur enim ibi: *Eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* III. Clemens Alexandrinus lib. 1. pedagogi cap. 2. a nobis allatus in probationibus Patrum Græcorum, asserit, judiciariam potestatem Christo, ut filio Dei, non ut filio hominis, convenire; ergo Christus ut Deus, & non ut homo, habet, ut sit judex vivorum, & mortuorum. IV. Joannis 5. habetur, quod Christo conveniat judiciaria potestas, ut filius hominis est: ergo Christus qua homo, & non qua Deus, habet principaliter judiciariam potestatem. Probatur antecedens. Continentur enim ibi verba hæc: *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.* V. Judex vivorum, & mortuorum erit visibilis corporaliter in ultimo judicio, tam ab electis, quam a reprobis: ergo principaliter erit Christus ut homo. Probatur antecedens. Lucæ 21. legimus: *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & majestate*: ergo visibilis erit judex: ergo principaliter ut homo

Digitized by Google

judicabit. VI. Lucæ 12. Negat pariter Christus se esse judicem, quum enim quidam de turba dixisset ei: *Magister dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem:* respondit: *Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* VII. Joannis 3. habetur judicium non esse faciendum, sed esse factum; quia vel loquimur de fidelibus, & non judicantur; vel loquimur de infidelibus, & jam judicati sunt: ergo ab alio factum est judicium, & non est faciendum a Christo. Probatur antecedens ex verbis, quæ ibi leguntur: *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est.* VIII. Actus judiciarius disconvenit potestati summæ, quæ ut summa pollet sapientia, ita etiam inappellabili gaudet imperio: ergo superfluum est judicium, ubi locum non habet appellatio, quia judex Princeps est supremus, & independens, & infinita gaudens sapientia in decernendo, & in disponendo auctoritate.

Respondemus ad I., Christum loqui de suo primo in mundum adventu, in quo venit non judicaturus, sed judicandus. Alii dicunt, quod & si intelligatur de secundo adventu, intelligi tamen, quod non judicabit ut filius Dei, ut Judex aspectabilis, & in forma sensibili, quam habebit tantum, ut homo est, & ut filius hominis. Audiatur Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 13. *Dicimus quia secundum id, quod Deus est judicat, hoc est ex potestate divina, non humana: & tamen ipse homo judicaturus est, sicut Dominus gloriæ crucifixus est &c. Quapropter filius hominis judicaturus est, nec tamen ex humana potestate, sed ex ea, qua filius Dei est.* Et rursus: *Filius Dei judicaturus est, nec tamen in ea forma apparens, in qua Deus est æqualis Patri. Itaque utrumque dici potest, & filius hominis judicabit, & non filius hominis judicabit: quia filius hominis judicabit, ut verum sit quod ait Matthæi 25. Cum venerit filius hominis, tunc congregabuntur ante eum omnes Gentes. Et non filius hominis judicabit, ut verum sit quod ait Joannis 12. Ego non judicabo. Et Joannis 8. Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & judicet. Nam secundum id, quod in judicio non forma Dei, sed forma filii hominis apparebit; nec ipse Pater judicabit, secundum hoc enim dictum est Joan. 5. Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio suo.*

Ad II. Dicitur quod Pater judicat per filium, sicut per filium creat, & alia efficit, quæ in Scripturis narrantur. Unde Cyrillus lib. 2. in Joan. cap. 7. probans Christum esse Deum, ex eo quod ipsi conveniat cum Deo judicare Orbem terrarum, asserit, Deum Patrem per filium judicare. Hæc sunt ejus verba: *Ut enim cum in seipso habeat hoc, ut omnia possit creare, per filium creat, tanquam per virtutem, vimque suam: sic habens ut judicare possit efficiet hoc per filium, tanquam per justitiam propriam: quemadmodum si dicatur ignis efficientiæ, quæ ex ipso secundum naturam est, concedere uti comburat.* Subditur, quod cum opera ad extra sint communia totæ Trinitati, judicare, quod est opus ad extra, tribuitur etiam Patri, eo quidem modo, quo tribuitur filio, ut Deus est. Principaliter scilicet, non tamen minus principaliter, ut tribuitur filio qua homo est.

Ad III. Christus ut est filius Dei habet judiciariam potestatem, principaliori modo, ut diximus, ut vero est filius hominis habet illam modo minus principali, ut diximus; & sic intelligendus est Clemens Alexandrinus. Cæterum quum ratio, quam Clemens adducit æque conveniat Christo, qua filio Dei, & qua filio hominis, sub utraque enim ratione nequit peccare, & ab humanis animi perturbationibus penitus liber est, inquit, quod judicandi potestas etiam per Clementem Alexandrinum conveniat Christo, & ut filius Dei est, & ut est filius hominis.

Ad IV. Christus judicaturus Orbem, apparebit ut homo, & inde est, quod sæpe in Scripturis sanctis judex conclamatur ut homo, & ut hominis filius. Proindeque etiam dicitur Zachar. 12. *Et illi videbunt in quem pupugerunt.* Et hoc ideo fiet, vel ut homines judicandi Judicem in forma hominis visibilem corporaliter aspiciant, vel ut reprobi contueantur in ipso vulnera, quæ fuerunt peccatorum ipsorum effectus, & remedia, quibus uti noluerunt, & ideo damnantur, quod erit disperationis ipsorum inevitabile quidem, & intolerabile argumentum.

Ad V. Conceditur antecedens, & negatur consequentia; ad cujus probationem conceditur pariter antecedens, & iterum negantur consequentiæ, quæ inferuntur. Continetur enim quidem in verbis illis quod Christus judicet sub forma hominis; at non invenitur, quod principaliter judicet qua homo est. Aliud nanque est figura judicandi, aliud potestas

judican-

Digitized by Google

judicantis ; De figura ibi fit sermo propter rationes nuper a nobis allatas ; de potestate vero fit mentio in aliis Scripturæ locis, quibus probavimus, judiciariam potestatem principaliori modo convenire Christo ut Deo, quam Christo, ut homini.

Ad VI. Christus intelligendus est quando primum in Mundum venit, & quidem venit, ut mundum salvaret non autem judicaret. Et hinc est quod Joan. 12. dicebat: *Si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non judico eum ; non enim veni, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum : Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum.*

Ad VII. Verba illa in objectione allata sic exponit Augustinus tract. 12. in Joan. sub fine: *Qui credit in eum, non judicatur. Qui autem non credit, quid dicturum sperabas, nisi judicatur? Quod addit : Jam, inquit, judicatus est : nondum apparuit judicium, & jam factum est judicium. Novit enim Dominus, qui sunt ejus: novit qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam. Novit in area sua triticum, novit & paleam: novit segetem, novit zizania. Jam judicatus est qui non credit. Quare judicatus? Quia non credidit in nomine unigeniti filii Dei. Hoc est autem judicium : quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim mala opera eorum.* Ex quibus patet, fideles ideo dici quod non judicentur, quia non damnabuntur ; judicari enim aliquando idem est ac damnari ; infideles vero ideo asseri, quod sint judicati, quia habuerunt demeritum ut judicentur, atque damnentur. Cæterum utrosque in dierum ultimo judicabit Dominus palam, & coram omnibus viventibus, alios vocando ad regnum, cæterosque in gehennam mittendo.

Ad VIII. Christus Dominus, ut Dominum se ostendat potestate quidem summa pollentem, & ut judicem summa quoque justitia præditum, diem statuit ultimum, in quo homines judicabit, non ad propriæ voluntatis arbitrium, ut Tyranni faciunt, sed secundum uniuscujusque merita, vel demerita. Et ut hoc præstet ad majorem bonorum exaltationem, & reproborum ignominiam, toto Orbe terrarum spectante, impiis auxilia referet, quibus abusi sunt, & ideo damnantur, & justis auxilia, quibus bene sunt usi, & ideo salvantur. Totum autem hoc fiet, ut ejus potentia, & justitia, & misericordia, magnificentur amplius tam in electorum præmiis, quam in suppliciis reproborum.

DISSERTATIO CXCII.

De Christi Sacerdotio, & Pontificatu. An vere, & proprie sit, ac dici debeat Sacerdos? An prout homo, an prout Verbum? An secundum Ordinem Aaron, an vero Melchisedech ; & ejus Sacerdotium an sit perpetuum? Denique de tempore inaugurationis, & de effectibus sacerdotii Christi.

SACERDOTII nomine venit ministerium, quo humana divinis subiiciuntur, & divina humanis placantur. Etenim est medium, quo divinitatem inter, & humanitatem procuratur connexio ratione subjectionis unius, & alterius placationis. Quod asserebat Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 20. verbis hisce: *Sacerdotium medium tenere divinam inter, humanamque naturam, ut & illam colat, & huic mutationem in melius afferat.* Christum autem, utpote Deum verum, & hominem verum, plus quam cæteros homines, Sacerdotii munera impleviſſe, nemo ambiget, qui consideret ejus innocentiam, ac vitæ sanctimoniam, dignitatemque personæ, quibus supra cæteros Adæ filios extollebatur. Adduntur Scripturarum oracula, Patrum testimonia, rationum momenta, quibus eidem Sacerdotii dignitas adscribenda omnino videtur ; quicquid in contrarium

Digitized by Google

rium cogitent, atque clamitent male feriati homines, & de christiana religione pessime meriti, quos hìc primo enumeramus, deinde vero confutabimus.

Primo adversarios habemus Judæos omnes, qui leviticum veteris legis Sacerdotium perenniter diraturum existimantes, neutiquam putant potuisse a Christo rescindi, atque aboleri. Unde collatis vocibus impie blasphemant, Christum Dominum male leviticum sacerdotium substituisse, frustiliter novum apud suos efformasse, ipsumque falsum Sacerdotem extitisse. Moventur Judæi, quia leviticum Sacerdotium quum fuerit a Deo Optimo Maximo solemniter institutum, non poterat a Christo aboleri. Attamen tria illa, quæ leviticum sacerdotium constituunt, scilicet victimæ, Sacerdotes, & locus oblationis, quamvis etiam fuerint a Deo solemniter instituta, ex divinis Scripturis nihilominus discimus aliquando etiam fore immutanda. Quid igitur mirum, si immutandum etiam erat sacerdotium leviticum, quanvis a Deo solemniter institutum? Sed de hoc inferius loquemur tutius, atque expressius.

Secundo habemus Arianos illos, qui filii Dei naturam diversam a natura Patris, & ea inferiorem putabant; Unde Sacerdotii munia naturæ divinæ filii adscribebant, ut eam ostenderent, natura Patris humiliorem, ac demissiorem.

Tertio habemus Nestorianos, qui hominem a Deo dividentes in Christo, Sacerdotium ita Christi humanitati assignabant, ut illius dignitatem omnino Dei filio, vel Deo denegarent. Quod quidem novum Nestorianæ impostuæ genus in Catholicos Cyrillus lib. 3. adversus Nestorium omnino removere conatus est; ostendens, Catholicos affirmare quidem, Deum factum esse Sacerdotem, quando carnem humanam sumpsit, non per hoc tamen Sacerdotale munus implere secundum Divinitatem, sed secundum humanitatem, divinitati unitam in personæ unitate.

Quarto habemus Socinianos, qui apud Patrem Boucat sex absurda confingunt, ac venditant; primum, quod Sacerdotes fuerint tantum instituti, ut essent Dei interpretes apud homines, & ut pro hominibus Deum deprecarentur; secundum, quod Christus non fuerit veteris legis sacrificiis prænuntiatus; tertium, quod Christus non fuerit Sacerdos, nisi quando ascendit in Cœlum; quartum, quod Christus peccata nostra tantum improprie expiavit; quintum, quod Christus non sit mortuus pro nobis; sextum, quod Christus pro peccatis nostris pretium non dedit.

Dicimus I. Christum vere, & proprie fuisse, & esse, ac dici debere Sacerdotem; non quidem prout est Verbum, sed pro ut est homo, hypostatice unitus Verbo.

I. Probatur ex Scripturis Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Quæ verba exponens Apostolus ad Hebræos 5. hæc scribit: *Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret: sed qui loquutus est ad eum, filius meus es tu, ego hodie genui te; quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Non solum Sacerdotium Christi a Melchisedechi Sacerdotio figurabatur, sed etiam ab illo Aaronis; quod explicat Apostolus ad Hebræos 7. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel, seipsum offerendo.* Ad Hebræos 4. *Habentes Pontificem magnum, qui penetravit Cœlos, Jesum filium Dei.* Ad Hebræos 9. *Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum, non manufactum, idest non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.*

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Ephesinum I. in epistola Cyrilli ad Reginas docet, Christum secundum humanitatem factum esse Pontificem; nec posse dici Sacerdotem, aut ministrum ut Verbum, sed ut hominem; quod & refertur c. Sacerdos Dei dist. 2. de Consecr. Concilium Lateranense IV. cap. 1. asserit, Christum fuisse simul Sacerdotem Dei, & sacrificium; & refertur cap. firmiter de summa Trinit. & fide cathol. & cap. Sacerdos Dei, dist. 2. de consecr. Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 1. „ Is „ igitur Deus & Dominus noster, etsi se„ mel seipsum in ara crucis, morte inter„ cedente, Deo Patri oblaturus erat, ut „ æternam illic redemptionem operare„ tur: quia tamen per mortem Sacerdotium „ ejus extinguendum non erat, in cœna „ novissima, qua nocte tradebatur, ut di„ lectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, si-

cut

Digitized by Google

„ cut hominum natura exigit, relinqueret „ sacrificium, quo cruentum illud se„ mel in cruce peragendum repræsenta„ retur, ejusque memoria in finem usque „ sæculi permaneret: atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a „ nobis quotidie committuntur peccato„ rum, applicaretur; Sacerdotem secun„ dum ordinem Melchisedech se in æter„ num constitutum declarans, corpus, & „ sanguinem suum sub speciebus panis, „ & vini Deo Patri obtulit, ac sub earun„ dem rerum symbolis, Apostolis, quos „ tunc novi Testamenti Sacerdotes con„ stituebat, ut sumerent, tradidit, & eis„ dem, eorumque in Sacerdotio succesſo„ ribus, ut offerrent præcepit per hæc „ verba: *Hoc facite in meam commemoratio„ nem*, uti semper Catholica Ecclesia in„ tellexit, & docuit.

III. Probatur ex Patribus Græcis. Epiphanius hæresi 55. *Ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex.* Eusebius lib 5. de demonstrat. evangelica hæc scribit de Christo, qui ad baptismum accedebat: *Qui enim videbatur, erat Agnus Dei; qui autem occultabatur, Sacerdos Dei.* Athanasius orat. 3. in Arianos: *Verbum, quod est Opifex, postea factum est Pontifex, cum induisset corpus factitium, & creatum.* Cyrillus contra Apollinarem: *Propterea & unctio facta est, non tanquam Deus unctione opus haberet, nec tanquam unctio sine Deo facta sit, sed ut Deus quidem unctionem adhibuerit, hanc vero in unctionis capaci corpore reperierit.* Theodoretus dialogo 1. adversus Apollinaristas: *Quamobrem si hoc proprium est Sacerdotum offerre dona, Christus autem Sacerdos secundum humanam naturam appellatus est, non aliam porro victimam, quam suum corpus obtulit; consequens est Christum habuisse corpus.*

IV. Probatur ex Patribus latinis. Tertullianus explicans verba illa Lucæ: *Vade ostende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moises*; Christum Jesum *Catholicum Patris Sacerdotem* appellat. Augustinus in psalm. 132. *Quis est Sacerdos, nisi unus Sacerdos, qui intravit in sancta sanctorum? Quis est Sacerdos, nisi qui fuit victima, & Sacerdos? Nisi ille, qui cum in mundo non inveniret quod offerret, seipsum obtulit?* Claudianus Mamertus, Episcopus Viennensis, qui floruit circiter annum 440. & de cujus operis genuinitate apud Bellarminum eruditi non dubitant, lib. 1. de statu animæ: *Pontifex ille est Christus, qui principaliter apud Divinitatem summæ Trinitatis humani generis oblata sanctificat, peccata expiat, vota commendat.* Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum cap. 12. *Unus igitur idemque mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, ipse pastor, & ovis, ipse Sponsus, & Sponsa, ipse Sacerdos, & victima; unus, idemque & oblator muneris, & munus factus est oblatoris: ut nec oblator a muneris qualitate descisceret, nec munus ab oblatoris merito discreparit.*

V. Probatur Rationibus. I. Sacrificio, quod obtulit Christus, conveniunt virtutes omnium sacrificiorum veteris legis: ergo Christus ratione sacrificii, quod obtulit, fuit vere Sacerdos. Consequentia sequitur; Sacerdos enim dicit relationem ad sacrificium; & ubi est verum sacrificium, ibi est verus sacerdos. Antecedens probatur. Quatuor erant virtutes sacrificiorum veteris legis, sicut quatuor erant ipsa sacrificia; nimirum gratiarum actio, quam significabat & continebat sacrificium eucharisticum; expiatio peccatorum, quæ figurabatur & continebatur ab holocausto; recognitio supremi dominii Dei, quam exprimebat sacrificium, quod dicebatur propitiatorium; & impetratio gratiarum a Deo, quod sacrificium impetratorium constituebat; sed hæc omnia conveniunt sacrificio, quod obtulit Christus: ergo sacrificio, quod obtulit Christus, conveniunt virtutes omnium sacrificiorum veteris legis. Probatur minor. Sacrificium crucis fuit valoris infiniti: ergo continebat virtutes omnium sacrificiorum veteris legis; poterat enim per ipsam, sicut fecit, supra omnes gratias agere, peccata expiare, supremum Dei dominium recognoscere, & gratias omnes a Patre impetrare: ergo illa omnia conveniunt sacrificio, quod obtulit Christus. II. Si Sacrificium, quod obtulit Christus fuit perfectius omnibus aliis sacrificiis, Christus fuit perfectior, adeoque verus Sacerdos; sed sacrificium fuit perfectius: ergo &c. Probatur minor Sacrificium Christi dat internam sanctitatem, sacrificium vero veteris legis externam tantum conferebat; sed perfectius est internam sanctitatem conferre, quam solam externam: ergo perfectius fuit sacrificium, quod obtulit Christus cæteris aliis sacrificiis. Major est doctrina Apostoli, ad Hebræos 9. scribentis: *Si enim san-*

sanguis hircorum, & taurorum, & sanguis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. III. Sacerdotium Christi manifestatur a Deo superius ipsimet dignitati Angelorum, supra quam nullum aliud Sacerdotium fuit: ergo Sacerdotium Christi non solum fuit verum, sed etiam sublimius, & excellentius omnium. Probatur antecedens: Angeli fuerunt ministri Sacerdotii Christi, ut dicitur Matthæi 4. *Angeli accesserunt, & ministrabant ei*; quod & coherenter explicat S. Thomas 3. par. qu. 22. art. 1. ergo Sacerdotium Christi fuit superius dignitati Angelorum &c. IV. Christus habet conditiones omnes, quæ ad verum sacerdotium requiruntur: ergo fuit, & dici debet verus Sacerdos. Probatur antecedens. Christus fuit persona publica, fuit legitima auctoritate ordinata, fuit mediator inter Deum, & homines, pro hominibus denique oravit, ac Sacrificium obtulit; sed hæ sunt conditiones omnes, quæ requiruntur, ut sit quis Sacerdos verus: ergo &c. V. Christus fuit Sacerdos superioris ordinis, & excellentioris supra omnes alios sacerdotes, qui ante ipsum fuerunt: ergo fuit verus, & excellentior omnium Sacerdos. Probatur antecedens. Christus operatur Sacerdotis actiones, quas Sacerdotes alii nec posuerunt, nec ponere potuerunt: ergo fuit Sacerdos superioris ordinis, & excellentior Sacerdotum omnium, qui ante ipsum fuerunt. Probatur antecedens. Christus obtulit seipsum in sacrificium, Sacramenta instituit, Spiritualem Rempublicam efformavit, hoc est Ecclesiam, & jurisdictionem habuit in omnes homines sive fideles, sive infideles; sed hæc omnia nullatenus convenire possunt Sacerdotibus cujuscunque legis: ergo &c. VI. Christus fuit Pontifex, & Sacerdos ut inferior respectu illius, ad quem fuit Pontifex, & Sacerdos; sed fuit inferior, non prout est Verbum, sed prout est homo, hypostatice unitus Verbo: ergo non est Sacerdos prout est Verbum, sed prout est homo hypostatice conjunctus Verbo. Probatur minor. Prout est Verbum fuit æquale patri, & ejusdem substantiæ cum ipso; prout est homo fuit inferior Patri; & quia humanitas in Christo nunquam fuit sine unione substantiali cum Verbo: ergo Christus fuit inferior, non prout est Verbum, sed prout est homo, hypostatice unitus Verbo.

Objiciunt I. Ex Eusebio Cæsariensi, qui lib. 1. contra Sabellium de Christo accedente ad baptismum, hæc scribebat: Qui enim videbatur, erat Agnus Dei; qui autem occultabatur, Sacerdos Dei; sed qui occultabatur erat Verbum: ergo Christus fuit Sacerdos, ut Verbum, & non ut homo. II. Sacerdos verus debet victimam mactare per seipsum, vel igne consumare, vel aliter immutare; sed Christus seipsum non occidit, nec per seipsum immutavit: ergo non fuit verus Sacerdos. III. Si Christus fuit verus Sacerdos, quia vitam propriam immolavit, etiam martyres vitam propriam immolarunt; sed non per hoc martyres fuerunt veri Sacerdotes: ergo neque Christus? IV. Christus non fuit de Tribu Levi: ergo non fuit verus Sacerdos. V. Ut Christus esset Pontifex, antequam esset, debuisset tentari per omnia; sed non ante passionem, at post passionem, fuit tentatus per omnia: ergo post passionem fuit Sacerdos: ergo fuit Sacerdos in cœlis, & non in terra. VI. Si Christus fuisset Sacerdos, debuisset esse maxime in suo ad mundum ingressu; sed tunc non fuit: ergo non fuit. Probatur minor. Ex Apostolo ad Hebræos 5. Christus fuit Sacerdos, quando Pater declaravit illum ut Filium; sed Pater declaravit illum ut Filium multis annis post nativitatem suam: ergo non fuit Sacerdos a suo ad mundum ingressu. Probantur major, & minor ex verbis Apostoli loco citato: *Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui loquutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* VII. Christus non figurabatur in sacrificiis veteris Legis: ergo per sacrificia illa nullatenus probatur Christi Sacerdotium. Probatur antecedens: Sacrificia veteris Legis erant vacua, & egena elementa; erant tantum ad emundationem carnis; erant pro peccatis tantum levioribus; quæ omnia docet Apostolus in Epistola ad Hebræos; & ex parte patent etiam Levitici 4.: ergo in ipsis non figurabatur Christus, neque Christi Sacerdotium. VIII. Nulla est convenientia inter Christum, & sacrificia veteris Legis, tum privata, tum publica: ergo per ipsa neutiquam probatur Christi sacer-

Digitized by Google

cerdotium. Probatur antecedens; Sacrificia veteris Legis erant animalia; Christus vero Deus homo; illa offerebantur, & occidebantur invita, & per vim, Christus vero oblatus est, quia ipse voluit; Denique sacrificium hirci non erat cruentum, quia liber in desertum dimittebatur; Sacrificium autem Christi in cruce cruentum fuit: ergo nulla fuit convenientia inter Christum, & sacrificia veteris Legis.

Respondemus ad I. quod quum Eusebius Cæsarienſis esset Arianorum erroribus dementatus, Verbum Patre inferius esse putabat; Unde consequenter ad Arianorum deliria Sacerdotium, quod inferioritatem præseferebat, Christo ut Filio Dei, non ut homini, tribuit.

Ad II. Non requiri ad Sacerdotium verum phisicam illam victimæ occisionem, vel consumptionem, vel immutationem, prout nec requiritur ad verum sacrificium; sed sufficere moralem, & spontaneam oblationem, quam fecit Christus, mortem suam, ut sacram rem, voluntarie suscipiendo, ac sustinendo, illamque Deo in sacrificium offerendo. Judæi quidem corpus suum phisice immutarunt, ipsum interficiendo; at Christus immutavit moraliter, quatenus, quum potuisset mortem impedire, non impedivit; voluntarie enim, in recognitionem supremi dominii Dei, Spiritum tradidit, eumque Deo Patri obtulit. Et quum ex causa justissima id fecerit, quia scilicet ex una parte Patris præceptum urgebat, & ex altera petebat humani generis redemptio; inde est quod Christus non propterea dicendus est Suicida.

Ad III. Quidam dicunt adhuc esse differentiam inter Christum, & Martyres, quod Martyres quanvis susceptsent tormenta lethalia, susceptis tamen illis, non poterant mortem vitare, quæ suppositis tormentis hujuscemodi, ipsis erat necessaria; Unde non poterant eam offerre Deo ut Sacrificium, quod esse debet voluntarium. Christus vero, etiam suppositis tormentis mortiferis, in sua potestate habebat mortem suscipere, vel respuere; Suscipiendo ergo illam libere suscepit, adeoque eam in sacrificium obtulit. Alii dicunt, quod Martyres quanvis offerant vitam pro Dei gloria, & honore, quia tamen non sunt à Deo constituti, ut subeant mortem per modum sacrificii, nec ut offerant seipsos, ut victimas Deo pro aliorum peccatis; hinc est, quod Martyrum mors non est verum Sacrificium, uti est mors Christi. Legatur S. Leo epist. 83. cap. 4. *Dicant quo sanguine sunt redempti? Dicant quo sacrificio sunt reconciliati? quis est, qui tradidit semetipsum pro nobis in oblationem, & hostiam in odorem suavitatis; aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus Pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Quanvis enim multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen infantis occisio propitiatio fuit in mundo.*

Ad IV. Ex eo quod Christus non fuit de Tribu Levi sequitur quod non fuerit Sacerdos secundum ordinem leviticum, vel secundum ordinem Aaronicum, quod nos ultro concedimus; non vero sequitur, quod non fuerit verus Sacerdos, quod nos hìc propugnamus. Verum de hoc inferius uberior redibit sermo.

Ad V. Falsum est quod Christus ante passionem non fuerit tentatus per omnia. Quot enim adversitatēs, quot contradictiones; & quantas persecutiones sustinuit antequam in ara crucis mortem suam Patri offerret? In Evangeliis peregrino tantum hæc non innotescunt; at qui illa vel a limine salutaverit clare constat, Christum etiam ante passionem, & mortem fuisse tentatum per omnia.

Ad VI. Quia plura sunt Sacerdotii munera, variis temporibus illa exercuit Christus, ut in conclusione sequenti patebit; Unde non valet argumentum deductum ex eo quod tali tempore Sacerdotali officium hoc non exercuerit, quia exercuit aliud, quod est etiam Sacerdotii munus. Falluntur autem Sociniani, putantes Christo tantum fuisse dictum post resurrectionem: *Filius meus es tu &c.* quia etiam in transfiguratione dixit eidem æternus ejus Genitor: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Ad VII. Distinguntur verba illa: Sacrificia veteris legis erant vacua, & tantum ad emundationem carnis, ex seipsis, conceditur; ex opere operantis, & ex Dei institutione, negatur; ratio est, quia, ut ait Pater Boucat, qui illa offerebant, movebantur ad profitendam fidem in Christo, & operante, ac concurrente dilectione, animam mundabant. Apostolus autem loquebatur de ipsis, ut sumuntur ex se, qua ratione vere erant vacua, & ad emundationem carnis tantum.

Ad VIII. Distinguit idem Pater Boucat;

In-

Inter Christum, & Sacrificia veteris legis nulla est convenientia, nulla est proportio, entitativa, concedit; habitudinis, subdistinguit: Si victimæ in se considerentur, concedit; si vero spectentur ut mactatæ ex ordinatione Dei, negat. Subditque quod voluit Deus ostendere hominibus & misericordiam parcendo peccatoribus, qui sunt filii mortis; & justitiam, ordinando, ut victimæ eodem loco morerentur, ut intelligerent homines, moriendum esse vitiis, & Christum in futurum immolandum esse pro eis.

Dicimus II. Christum non fuisse Sacerdotem secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech; ejusque Sacerdotium fuisse superioris ordinis, & excellentioris super omnes ordines statuum omnium naturæ humanæ; esseque æternum.

Primo est contra hæreticum quemdam tertii seculi, cujus nomen Hierax erat; hic anno 278. in Ægypto manens, satis impie effutiebat Melchisedech fuisse Christum, non verum Christum fuisse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Refert Epiphanius hæresi 67. Melchisedechiani vocantur hæretici isti, qui Hieracem prædictum sequuti fuerunt, ab Augustino, qui in libro de hæresibus eos recenset cap. 34. Ex hoc conjicit Alphonsus de Castro librum de quæstionibus novi, & veteris testamenti non esse genuinum Augustini fœtum, quum in eo error hic contineatur; quod etiam observavit. Erasmus Rotherodamus.

Secundo est contra Scholasticos quosdam, qui quum velint Ministros Christi usque ad finem Mundi consecraturos, asserunt etiam, quod Sacerdotium Christi tantum usque ad mundi finem durabit.

Tertio est contra alios Scholasticos, putantes Christi Sacerdotium duraturum usque quo durabit in Sacerdotibus Christianæ legis Sacerdotalis potestas.

I. Conclusionis pars probatur I. Ex Apostolo ad Hebræos 7. *In quo enim* (intelligit Christum) *hæc dicuntur, de alia Tribu est, de qua nullus altari præsto fuit; manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses loquutus est.* II. Si Christus fuisset Sacerdos secundum ordinem Aaron, vel eum elegisset populus, vel Sacerdotes cæteri designassent; sed neutrum ex his dici potest: ergo &c. Probatur minor; tum quia nullibi in sacris Scripturis legitur ejusmodi electio, vel designatio; tum etiam quia ex adverso in iisdem Scripturis invenitur quod nisi ex tribu Levi Sacerdotes eligi, & assumi non poterant; quod constat Exodi 29., Levitici 8., ad Hebræos 7., & 8. &c. III. Christus in nullo gradu in Salomonis templo ministravit; sed hoc non aliunde, nisi quia ex tribu Levi non erat: ergo propter eandem rationem nec Sacerdos fuit secundum ordinem Aaron. Major constat, quia si hoc fuisset, in Evangelio utique legeremus; quod quum non legamus, signum est quod non fuit. Minor negari non potest, quia ex Exodi, & Levitici citatis locis aperte constat. IV. Scripturæ, & rationes evincunt, Christum fuisse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech: ergo vere fuit Sacerdos, non secundum ordinem Aaron. Probatur antecedens. Psalm. 109.: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Ad Romanos 7. *Manifestum est, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses loquutus est.* Ad Hebræos 7. *Si consummatio per sacerdotium leviticum erat, quid adhuc necesse fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici?* Rationes autem eruuntur ex S. Thoma 3. par. qu. 22. art. 6. ad 1., ubi ait: *Quod non dicitur secundum ordinem Melchisedech quasi principalioris sacerdotis, sed quasi præfigurantis excellentiam sacerdotii Christi.* Quod idem est ac dicere, Christum non appellari Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, vel quia fuerit Sacerdos ejusdem ordinis, ac rationis cum ipso, vel quia a Melchisedecho sacerdotium acceperit, quæ quidem non subsistunt; sed potius quia sacerdos Melchisedech fuit figura singularis Christi Sacerdotis. Et hoc propter plura; Primo, quia nomen Melchisedech idem est ac Rex justitiæ; & Christus psalm. 71. dicitur, quod judicat populum suum in justitia; Secundo, quia Melchisedech erat Rex Salem, hoc est Rex pacis, & Christus Isaiæ 9. nominatur Princeps pacis; tertio quia Melchisedech in Scripturis scribitur sine patre, & matre, quia ipsius patris, & matris Scriptura non meminit; Christus etiam ut homo fuit sine Patre, ut Deus sine Matre; quarto Sacerdotii Melchisedech non legitur finis, aut successio, quasi fuisset æternum; Christi Sacerdotium

vere

Digitized by Google

vere æternum fuisse mox probabimus; Melchisedech panem, & vinum obtulit; Christus obtulit corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini; Sexto Melchisedech post victoriam adeptam milites victores pane, & vino refecit; Christus fideles suos, qui sui sunt milites, post reportatam de peccatis palmam, corpore, & sanguine suo nutrit, recreat, atque confortat; quæ omnia prosequitur Hennus.

II. Pars probatur I. Christus ratione sui sacerdotii exercuit opera excellentissima, quæ Sacerdotes alii nunquam exercuerunt: ergo vere fuit super omnis ordinis Sacerdotes perfectior, & excellentior Sacerdos. Antecedens patet, quia Christus seipsum obtulit in hostiam, sacramenta instituit, jurisdictionem habuit in toto mundo, & in tota Ecclesia &c. II. Christus non fuit Sacerdos secundum ordinem legis naturæ, quia imperfectum fuit sacerdotium illud, quum ex nulla fuerit Dei ordinatione institutum. Quod legitur in Epistola 2. Decretali, quæ tribuitur Anacleto Pontifici, quia licet aliqui prius legantur sacrificium obtulisse, ut Melchisedech, & Abraham, hi tamen spontanea voluntate, non sacerdotali auctoritate id fecerunt. Christus vero ex speciali Dei institutione assumptus est Sacerdos, ut Scripturæ clamant. III. Christus fuit perfectior Sacerdos, quam Sacerdotes secundum ordinem legis scriptæ, secundum ordinem scilicet aaronicum, vel leviticum; quia Sacerdotium illud erat temporale, & secundum præscriptum carnalis legis; adeoque non poterat homines justificare: Christi autem Sacerdotium, & per Sacramenta, & sine illis homines justificat. IV. Christus fuit etiam perfectior Sacerdos, quam Sacerdotes legis gratiæ; quia Sacerdotium nostrum fere in omnibus effectibus suis alligatum est Sacramentis; non sic autem Sacerdotium Christi, qui independenter a Sacramentis, omnes sacerdotii effectus peragere potest, atque causare.

III. Pars probatur I. Sacerdotium Christi durabit, quandiu durabit Verbi cum natura humana hypostatica unio; sed hæc durabit in æternum; ergo Christi Sacerdotium est æternum. Probatur major. Ex illa hypostatica unione provenit Christi Sacerdotium: ergo tandiu durabit Christi Sacerdotium, quandiu durabit hypostatica illa unio. Probatur antecedens ex verbis Augustini in psalm. 26. *Unctus est ille ut Rex, & Sacerdos.* II. Sacerdotium Christi durabit, quandiu durabit regnum ejus; sed regnum ejus in æternum durabit: ergo & Sacerdotium. Major est certa, quia quum fuerit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui fuit Rex & Sacerdos, æque duraturum habere debuit in æternum sacerdotium; & regnum. Minor legitur in Symbolis: *Et regni ejus non erit finis.* III. Aperte constat ex verbis psalmi 109. citatis: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; quæ de Christo dicta Apostolus de Christo ad Hebræos docet, ac firmat, ut non semel usquemodo observavimus.

Obstant I. Christus plura egit, quæ ad leviticum ordinem spectabant: ergo fuit Sacerdos secundum ordinem Aaron. Probatur antecedens; Primo in Synagoga Nazareth legit librum legis; secundo Lucæ 4. In templo in medio Doctorum disputavit; tertio Matthæi 21. Ementes, & vendentes de templo ejecit: ergo plura egit, quæ ad leviticum ordinem spectabant. II. Testis est Suidas, confessum fuisse Rabbinum quemdam, quod Jesus vere fuerit Messias, quia nomen ejus inveniebatur in Codice, in quo templi Sacerdotes scribebantur; qui quidem Codex post excidium Hyerosolimitanum Tyberiade repositus fuit, & asservatus. III. Christus fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: ergo Christus fuit Sacerdos secundum ordinem legis naturæ. Probatur consequentia; quia, ut omnibus constat, Melchisedech fuit Sacerdos in ordine legis naturæ. IV. Non erit Sacerdotium Christi, quando nullum habebit producere effectum; sed post judicii diem nullum habebit producere effectum: ergo post judicii diem non erit: ergo non erit æternum. V. Si Christi Sacerdotium dicendum est æternum, effectu tantum, non vero actu, æternum revera est: ergo absolute non est æternum. Probatur antecedens. Esse æternum actu est esse æternum hostiæ oblatione; esse æternum effectu est esse æternum gratiæ collatione; sed revera æterna non est hostiæ oblatio, quanvis æterna sit gratiæ collatio: ergo Christi Sacerdotium est tantum æternum effectu, non vero actu: ergo non est revera æternum. VI. Si Christi Sacerdotium est æternum, ideo est quia Christus in cœlo sacerdotales actiones

exercet ; sed hoc est falsum : ergo Christi sacerdotium non est æternum . Probatur minor . Quanvis Christus in cœlo aliquas exerceat sacerdotales actiones ; nimirum pro nobis orare , gratias pro beneficiis agere &c., non exercet tamen principale sacerdotii munus , quod est offerre .

Respondemusad I. negando antecedens;ad cujus probationem dicimus, quod lectio libri legis in Synagoga non erat Levitarum munus, sed quilibet homo doctus ex Judæis poterat illud agere . Quod patet Actor. 3. , ubi Paulus ex Tribu Beniamin librum legit in Synagoga Antiochiæ , & disputavit ; non igitur mirum, quod disputaverit etiam Christus in templo , etsi non fuisset ex Tribu Levi, sed ex Tribu Juda . Ejicere vero ementes , & vendentes de templo vel potuit potestate divina,vel ex zelo virtutis,quo æstuabat . Nam si vi alicujus leviticæ potestatis exercuisset , non interrogassent eum Adversarii ejus, qua potestate id fecisset ? Scimus, Thomam Vvaldensem lib. de Sacram. Ord. c. 11. putasse , Christum non fuisse in Sacerdotum albo , sed in Lectorum numero, positum; & potestate Lectorum id fecisse putat ; credens etiam, eum propterea ex Tribu Levi fuisse . Sed quam turpiter hallucinetur eruditus homo,evidenter ex Christi genealogia,apud Matthæum,& apud Lucam, luculenter descripta , apparet.

Ad II. In Codice illo dicitur , quod scriptum inveniebatur, Christum communi Rabbinorum accessione fuisse electum sacerdotem , cujusdam Sacerdotis loco , qui tempore illo diem clausérat extremum; & illa etiam occasione Christi genealogiæ examen præmissum fuerat , quod in eodem Codice legebatur ; Narratio satis non constat,& si fabulam non sapit , historiam omnino non redolet ; continet enim quod expresse Sacræ Scripturæ adversatur,Christum scilicet fuisse ex tribu Levi , quia ex alia tribu Sacerdos eligi non poterat,quum Evangelium identidem clamitet Christum fuisse ex tribu Juda.

Ad III. Christus non dicitur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech , nec quia fuit Sacerdos ejusdem ordinis , ac rationis cum ipso , nec quia ab illo Sacerdotium suum participavit , ut fuse nuper probavimus ; sed quia Sacerdos Melchisedech erat Christi Sacerdotis peculiaris figura ob rationes , & congruentias , quas in probationibus adduximus .

Ad IV. Post Judicii diem Christi Sacerdotium suum producit effectum ; quia etsi homines non indigebunt sacrificio,quia tunc non erunt peccata , quæ expiari debebunt ; hoc tamen facit , quod non egebunt sacrificio , quo expientur , indigebunt tamen sacrificio , quo consummentur . Illo enim tempore continuo , & in perpetuum Christus offeret in sacrificium æternum Deo Patri seipsum Ecclesiæ caput, & Ecclesiam ipsam,quæ non habebit maculam, neque rugam.

Ad V. Patet responsio ex ea , quam modo dedimus. Oblatio enim hostiæ, non quidem expiationis , sed consummationis , etiam erit æterna ; ac proinde Sacerdotium Christi non gratiæ tantum collatione , quæ est Christi sacrificii effectus, sed etiam hostiæ oblatione , quæ est sacrificii essentia , æternum erit .

Ad VI. Etiam patet responsio ex modo dictis, quum Christus in cœlo quoque hostiam offert , seipsum scilicet , Ecclesiæ caput, & Ecclesiam ipsam ; non quidem ut expientur peccata, sed ob alias rationes, quas adduximus nuper, & mox latius prosequemur .

Dicimus III. Christum in primo suæ Conceptionis instanti in Virginis utero inauguratum Sacerdotem fuisse ; suique Sacerdotii perfecisse munus , & quando incruentum sacrificium sub speciebus panis, ac vini obtulit in cœna,& quando cruentum obtulit in cruce ; effectus vero primarius sacerdotii ipsius esse peccatorum expiationem ; præter quem alii etiam fuerunt effectus , quanvis non principales.

I. Conclusionis pars probatur I. Tunc incepit Christi Sacerdotium , quando missus est a Patre ad sacrificium,sive cruentum , sive incruentum offerendum ; sed in primo suæ Conceptionis instanti missus est a Patre ad utrumque sacrificium offerendum : ergo in primo suæ Conceptionis instanti in Virginis utero Christus inauguratus est Sacerdos . II. Christus tunc Sacerdotium accepit , quando Pater ei dixit : *Filius meus es tu, Ego hodie genui te* ; Sed Pater dixit verba hæc in primo suæ conceptionis instanti : ergo Christus in primo suæ conceptionis instanti Sacerdotium a Patre accepit. Major, & minor argumenti constant ex cap. 5. ad Hebræos , ubi Apostolus perpendens verba illa psalmi 109. : *Tu es*

Sa-

Digitized by Google

Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, & intelligens esse de Christo dicta, subdit: *Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum, Filius meus es tu, Ego hodie genui te: quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech &c.* Christum autem in primo suæ conceptionis instanti verum fuisse filium Dei natura, suo loco probavimus contra Nestorium.

II. Conclusionis pars I. probatur ex capite 9. Epistolæ ad Hebræos: *Sanguis Christi, qui per spiritum sanctum seipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi*; sed expiare peccata, idem est, ac conscientiam emundare ab operibus mortuis per oblationem sanguinis Christi: ergo expiatio peccatorum est effectus principalis Sacerdotii Christi. II. Ut peccata expientur perfecte, requiritur & ut deleatur macula culpæ, & ut tollatur pœnæ reatus; sed hoc totum præstat Christi Sacerdotium: ergo Sacerdotii Christi effectus principalis est expiatio peccatorum. Probatur minor. Deletur macula culpæ per gratiam, quæ justificat impium ex meritis Christi; ut dicitur ad Romanos 3.: *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*: tollitur etiam pœnæ reatus, quia Christus per ærumnas, dolores, & mortem suam peccato pretium æquale, immo superabundans persolvit. III. Ex Concilio Ephesino cap. 14.; ubi approbat Epistolam Concilii Alexandrini ad Nestorium, quæ est 10. apud Cyrillum, in qua decimus anathematismus, juxta Petiani translationem sic legebatur: *Quamobrem si quis dixerit, non pro nobis solum seipsum obtulisse, sed simul etiam pro seipso, ille impietatis crimen vitare nulla ratione potest: constat enim nihil unquam deliquisse, nec ullum unquam peccatum designasse. Qua igitur indigebat oblatione, cum peccatum, cujus hostia jure, meritoque offertur, nullum admisisset?* Ex quibus sic efformatur argumentum: Ideo Christus pro seipso nullum obtulit sacrificium expiatorium, quia nullum fecit peccatum: ergo pro nobis, qui peccavimus, obtulit. IV. Ex cap. 10. Epist. ad Hebræos: *Et omnis quidem sacerdos presto est, quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic* (Christus) *autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei . . . , una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos &c.* Quibus verbis Apostolus probat, Christum oblatione, & sacrificio corporis sui placasse Deum peccatis nostris offensum, & sanctificatos consummasse; & ex hoc infert, quod præferri debeat Christi sacrificium oblationibus novæ legis, quia unum Christi sacrificium peccata nostra expiavit, & oblationes illæ tot, tantisque vicibus repetitæ nullam auferendi peccata virtutem habere potuerunt.

III. Pars probatur I. ad Hebræos 5. dicitur, Christum non solum orasse pro aliis, & obtulisse, sed etiam pro seipso; sed ex probatis hoc nequit intelligi de sacrificio expiatorio: ergo intelligi debet de honorario, Eucharistico, & impetratorio: ergo præter effectum principalem Sacerdotii Christi, qui est in sacrificio expiatorio, sunt etiam alii effectus minus principales, qui sunt in honorario, eucharistico, & impetratorio. Major patet ex verbis textus citati: *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere a morte cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* II. Christus, ut ex Evangelio patet, multoties Deum Patrem rogavit pro beneficio aliquo obtinendo; multoties etiam pro beneficio accepto Deo Patri gratias egit; & omni tempore Deum Patrem laudavit per sacrificium laudis; sed hæc omnia ut perfectissime faceret, per sacrificium facere debebat; ergo vere Christus obtulit Patri sacrificium honorarium, eucharisticum, & impetratorium: ergo ultra peccati expiationem, quæ est sacrificii Christi principalis effectus, sunt etiam alii effectus minus principales, qui sunt Deum Patrem laudare, Deum Patrem rogare, & Deo Patri gratias agere.

Arguunt I. Sanctus Petrus Damiani in opusculo 6. cap. 4. hæc scribit: *Ipse cum sacramento Baptismatis, & veri Sacerdotii jura susceperit . . . . . quia baptizatus mox prædicare, discipulos eligere, novisque capit miraculis coruscare*: ergo quando baptizatus est Christus, non quando est conceptus, a Deo Patre inauguratus est Sacerdos. II. Ideo peccata per sacrificia veteris legis non expiabantur, quia sacrificia iterabantur; sed etiam sacrificia novæ legis iterantur: ergo neque pec-

cata per sacrificia novæ legis expiantur. Major probatur ex cap. 10. Epist. ad Hebræos: *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere; alioquin cessassent offerri: ideo quod non haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mundati: sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit.* III. Ut expiatio peccatorum sit Sacerdotii Christi principalis effectus, debuissent peccata ita expiari, ut non fuerit necessitas sacrificium illud iterandi: ergo vel non est continuandum missæ sacrificium, vel non perfecte per Christi sacrificium peccata expiantur. IV. Concilium Ephesinum ideo approbavit, Christum non obtulisse pro seipso sacrificium expiatorium, quia Christus in se peccatum non habuit; sed neque Christus habuit necessitatem rogandi a Deo Patre rem aliquam pro seipso, vel pro re aliqua, sibimetipsi collata Deo Patri gratias agendi: ergo pro seipso Christi Sacerdotium nullum habuit effectum.

Respondemus ad I. Petrum Damianum intellexisse, quod Christus in Baptismate posuisset Sacerdotii sui exercitium, non vero quod accepisset substantiam, & dignitatem, quam acceperat in primo suæ conceptionis instanti.

Ad II. Peccata sacrificiis veteris legis non expiabantur, non quia victimæ semel offerebantur, sed quia virtutem non habebant illa expiandi. Et quod iterari debuerint, intelligitur, quod succederent victimæ eædem oblatis victimis, non vero, quod aliæ victimæ adhiberentur. Sic rem explicat Jueninus. Eadem numero victima non sæpius, sed semel tantum in antiqua lege offerebatur; & ideo non erat sufficiens ad peccata expianda, quia alia offerri debebat, etiamsi nullum novum peccatum Judæi commissent. Sive enim ipsi de novo peccassent, sive non, singulis annis offerre debebant alias numero victimas, quæ succederent oblatis anno elapso, ut dicitur Levitici 16. & quod etiam observat Apostolus ad Hebræos 10.

Ad III. Expiatio peccatorum dupliciter fieri potest, vel ut a causa principali, vel ut a causa peculiari; Primo modo tanquam a causa meritoria sufficientissimæ expiationis peccatorum; secundo modo, ut a causa peculiari applicante remissionem peccatorum, jam sufficienter factam per causam illam principalem, & universalem. Ratione primæ causæ, debebant iterari sacrificia veteris legis, non vero iterari debet sacrificium novæ. Et ratio est, quia nullum illorum sacrificiorum veteris legis expiabat peccata, ut causa principalis universalis, & summe meritoria, ut expiat sacrificium novæ legis. Ratione autem causæ peculiaris iteratur sacrificium novæ legis, hoc est applicationis; quia sacrificium missæ reperi debet, ut ait Frassen, non propter insufficientiam sacrificii crucis, sed quia est applicativum tanquam causa peculiaris remissionis peccatorum nostrorum, quæ jam per crucis sacrificium supponitur facta.

Ad IV. Dicitur, quod argumentum illud potius valet contra orationem Christi, quam contra ejus sacrificium; ideoque opportunius illi dabitur suo loco conveniens responsio. Pro modo autem satis erit dicere, ex plurimis Evangelii locis constare, Christum & rogasse Deum Patrem pro seipso, & pro seipso Deo Patri gratias egisse. Cæterum ad nostrum præsens institutum hoc superabundans est, quum sufficiat ad verificandos effectus minus principales Sacerdotii Christi, quod Christus vel rogaverit Patrem, vel laudaverit, vel eidem gratias egerit, vel pro se, vel pro aliis.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CXCIII.

De Oratione Christi. An Christus vere Patrem oraverit? An ut Deus, vel ut homo? An pro nobis tantum, vel etiam pro seipso? An oratione solum interpretativa, verum quoque expressiva? Et utrum omnis illius oratio fuerit exaudita?

PRIMO in hac Dissertatione Adversarios habemus Arianos, alioque hæreticos, qui Verbum Patre inferiorem esse putabant; quum enim orare conveniat alteri, qui inferior sit illi, quem orat, illis putantibus Verbum inferiorem esse Patre, consonum quoque credebant, ut dicerent, Christum orasse Patrem, ut Verbum, & non ut hominem. Ex adverso autem catholica sententia est, quam probabimus, Christum nec olim orasse, nec modo orare, prout Verbum Patris est, sed prout est homo, qui non in propria persona, sed in divina, subsisteret.

Secundo Theophilactus, Euthimius, aliique Patres, quibus Scholastici quidam subscribunt, in ea fuerunt sententia, ut putarent Christum aliquando proprie non orasse, scilicet petendo, sed tantum gratias agendo; adeoque illam non fuisse Christi orationem, sed orationis figuram, & orationis indicium.

Tertio alii etiam ex veteribus existimarunt, Christum interpellare pro nobis nil aliud esse, quam seipsum Patri pro nobis sistere; & sogasse quidem Patrem, quando in terris vivebat, at modo in cœlis regnans minime hoc agit. Gregorius Magnus lib. 22. moralium cap. 13. hæc habet: *Unigenito Filio pro homine interpellare est apud coæternum Patrem seipsum hominem demonstrare; eique pro humana natura rogasse est eandem naturam in divinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus, non voce, sed miseratione, quia quod damnati in electis voluit, suscipiendo liberavit.*

Quarto quidam etiam volunt, Christum modo orare pro nobis in cœlis, non oratione formali, sed oratione tantum interpretativa. Oratio formalis est orandi genus proprium, importans actum voluntatis, qui sit petitio formalis alicujus rei decentis, & honestæ; Oratio vero interpretativa est orandi genus, quod se habet orationis instar in ordine ad effectus obtinendos, quanvis in se non sit oratio, Christum ergo volunt in cœlis non proprie orare, hoc est formali oratione, sed tantum exhibere Deo sua merita, & orationes in terris factas, quodammodo objective, ut nobis largiatur, quod promeritæ nobis fuerunt.

Quinto. Et hujus sententiæ fuerunt Rupertus lib. 6. de divinis officiis cap. 3. ubi de Christi interpellatione loquens, ait. *Ille interpretatio, Doctorum omnium vera assertione, non submissa est postulatio, sed ejus passionis, quæ semel suscepta, semel pro nobis in sacrificium oblata est, æterna commemoratio, semel in conspectu Sanctæ Trinitatis admissa, sanguinis ejus innocentis exclamatio.* Cui subscribunt ex Scholasticis Alexander de Ales, Vasquez, aliique pauci; quum ex adverso sint S. Thomas, S. Bonaventura, aliique plurimi.

Sexto putant plerique, omnem Christi orationem non fuisse semper exauditam, nec modo exaudiri, quia quum Christus sit pro nobis in omnibus Advocatus, pro omnibus quoque debet Patrem pro nobis orare; at nos per ipsum non omnia obtinemus; signum est ergo, quod non in omnibus Christus a Patre exaudiatur.

Septimo tandem concedunt plures Christum orasse pro nobis, quando in terris agebat, at negant pro se ipso orasse; quia quum ipse fuerit perfectæ Dei voluntati addictus, nil aliud petebat pro se ipso, quam quod Deus vellet, ideoque superflua, & inutilis ejus oratio pro se ipso videbatur.

Dicimus I. Christum vere & proprie Patrem orasse dum in humanis erat, & modo etiam orare dum in cœlis est.

I. Pro-

I. Probatur ex Scripturis Lucæ 6. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*. Matthæi 14. *Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare.* Joannis 17. *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo . . . . Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Matthæi 26. *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Marci 1. *Diluculo valde surgens, abiit in desertum locum, ibique orabat*. Joannis in 1. cap. 2. *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis; sed & si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum justum*. Ad Romanos 8. *Christus Dominus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Ad Hebræos 5. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad Deum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Ad Hebræos 7. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*.

II. Probatur ex Patribus. Augustinus epist. 59. *Nam & de ipso Domino Jesu Christo dictum est, quod interpellet pro nobis. Nunquid interpellat, & non etiam postulat? imo vero quia postulat, pro eo positum est, interpellat: evidenter quippe alibi de eo dicitur: Et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum*. Paulinus lib. 1. contra Felicem Urgelitanum: *Non sibi, nec pro se orabat: quia, sicut sapins est intimatum, non est sibi natus, nec pro se passus, vel mortuus: sed pro illis, idest membris suis orabat, pro quibus hæc omnia, voluntaria dignatione, altissimaque pertulit potestate . . . . Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quia non sibi, neque pro se, sed, sicut præfati sumus, nobis, & pro nobis oravit, pro quibus nasci, pati, & mori dignatus est &c.* Chrysostomus tom. 3. serm. 11. *Atque, ut videas orationis opera non fuisse mortuum excitatum, audi visionem. Quid enim ait? Gratias tibi ago, Pater, quoniam audisti me: quid ergo hæccine species est orationis hæc forma supplicationis*. Epiphanius hæresi 69. *Ob id coram discipulis Patri supplicare voluit: nam quis demum Filius a Patre non postulat? Aut quis Pater filio non largitur? Quis porro filius Patris natura diversus est? Sed etsi plenus sit, atque largiatur ipse, atque largiri possit, nihilominus in Patrem omnia refundere voluit*. Hilarius lib. 10. *Exceptaturus namque Lazarum, orat ad Patrem: nunquid id prece egit, dicens: Pater, gratias ago tibi, quia exaudisti me: & ego sciebam, quia semper me exaudis, sed propter turbam dixi, ut credant, quia tu me misisti. Nobis itaque oravit, ne filius ignoraretur: & cum sibi non proficeret deprecationis sermo, ad profectum tamen nostræ fidei loquebatur*. Ambrosius lib. 4. de fide cap. 3. *Propter nos igitur gratias agit, nec eundem Patrem, eundemque Filium esse credamus, cum idem opus audimus Patris, & Filii: nam ut cognosceres non quasi infirmum gratias egisse, sed quasi Dei filium semper sibi divinam potentiam vindicare, clamavit: Lazare, veni foras; imperantis utique vox ista est, non precantis*. Damascenus apud Duhamel: *Oratio est ascensio mentis in Deum, aut congruentium petitio a Deo. Quomodo igitur Dominus in suscitatione Lazari, aut passionis tempore orabat? non enim ascensione in Deum sancta ejus mens indigebat, semel secundum hypostasim Deo Verbo unita: neque petitione a Deo, namunus est Christus; verum nostram in se exprimebat personam, & typum: quod nostrum est, in seipso formabat, nobis factum exemplum, & edoceus nos a Deo petere, & ad Deum ascendere, & per sanctam suam mentem nobis sternens viam, & ascensum in Deum*.

III. Probatur rationibus. I. Christus erat, & est homo, quamvis non purus, sed homo Deus; sed homini convenit orare Deum: ergo Christo conveniebat oratio. Probatur minor. Convenit homini, ut creatura est, quæ debet Creatorem agnoscere, confiteri, ac deprecari; Convenit homini, ut rationalis est, ratio enim ei dictat, ut ad primum principium se vertat, & ab eo sibi necessaria deprecetur; Convenit ei demum, ut perfectus est, perfectio enim virtutis ab oratione promanat, & oratione servatur. II. Christus fuit, & est in Cœlis etiam pro nobis Advocatus: ergo convenit ipsi orare pro nobis. Antecedens est certum ex epist. 1. Joannis cap. 2. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum*; Consequentia sequitur, quia præcipuum Advocati munus, ut ex ecce illo patet, est pro alio orare, intercedere, interpellare &c. III. Christus fuit Sacerdos; ergo ipsi conveniebat oratio. Antecedens ex præterita definitione certissimum supponitur; consequentia optime infertur, quia nullus, nisi

nisi oret, bene sacerdotio fungitur; & oblatio ipsa sacrificii, quæ sacerdotio est essentialis, est etiam quædam orationis species. IV. Christus exterius ostendit omnia orationis signa: ergo vere pro nobis oravit. Consequentia est legitima; aliter fuisset in eo fictio, & duplicitas, quod non est dicendum. Antecedens probatur. Genuflexio, prostratio, solitudo, clamor, gemitus &c. sunt vera orationis signa; sed hæc omnia Christus ostendit, ut ex Evangelio constat: ergo &c. V. Aliqua Christus nobis orabat; quæ non poterat per humanitatem illa nobis phisice conferre: ergo a Deo petebat: ergo orabat. Probatur antecedens. Desiderabat nobis Christus gratiam sanctificantem; sed gratiæ sanctificantis quanvis Christus esset per humanitatem causa moralis, non poterat tamen esse causa phisica, nec etiam instrumentalis: ergo aliqua Christus nobis orabat, quæ non poterat per humanitatem nobis phisice conferre; Unde psalm. 83. dicitur: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* VI. Ex ratione, quæ est S. Bonaventuræ dist. 17. art. 2. qu. 1., & quæ fundatur in congruentiis, verbis hisce: „ Decens „ autem fuit Christum orare quadruplici „ de causa, videlicet propter meritum, „ propter virtutis exemplum, propter veritatis argumentum, & propter officium „ explendum. *Propter meritum*, quia sua „ petitione, & postulatione merebatur „ nobis, qui minus idonei eramus ad susceptionem beneficiorum Dei. *Propter* „ *exemplum*, ut scilicet discipulos suos, & „ per consequens alios invitaret ad orationis studium, in cujus exercitio maxime superatur adversarius: Propter quod „ Dominus dicebat discipulis: *Vigilate,* „ *& orate, ut non intretis in tentationem.* „ *Propter veritatis argumentum*, ut ostenderet se verum hominem, & vere a Deo „ missum, propter quod dicit: *Gratias ago* „ *tibi Domine, quoniam audisti me; ego au-* „ *tem sciebam quoniam me semper audis; sed* „ *propter populum istum, qui circumstat, dixi,* „ *ut credant quia tu me misisti.* Propter *officium*; quia Christus habebat dignitatem Sacerdotis, & Pontificis: Unde sicut „ ad ipsius officium pertinebat sacrificium „ offerre pro peccatis, ita & pro peccatis „ exorare. Unde ad Hebræos 5. *Omnis* „ *Pontifex ab hominibus assumptus, pro homi-* „ *nibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum:* „ *Et talis decebat ut esset nobis Pontifex* „ *sanctus, & innocens, impollutus, segrega-* „ *tus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* „ His ergo de causis congruum fuit, & „ decens usum orationis in Christo repe- „ riri.

Dicimus II. Christum orasse ut hominem, non ut Deum; & non pro nobis tantum, verum quoque pro seipso orasse.

I. Pars probatur I. In ea ratione Christus orabat, in qua non habebat quod postulabat; sed non qua Deus, sed qua homo, non habebat quod a Patre postulabat: ergo non qua Deus, sed qua homo, Christus orabat. Major est certa; quia nemo petit ab alio quod a se ipso habet. Minor probatur. Christus qua Deus, vel prout Verbum, est Patri consubstantialis: ergo habet omnem virtutem operandi ad extra, quam habet Pater. Ex altera parte Christus, prout est homo, non habet voluntatem, quæ sit per se operativa illius, quod optat: ergo Christus, qua homo, non qua Deus, vel prout Verbum, non habebat quod postulabat. Et hinc Ariani ex Christi oratione colligentes, Christum, etiam ut Verbum est, non esse Patri consubstantialem, omnino errabant; quia Christus orabat prout est homo, qui non subsistebat in propria persona, sed in persona divina Verbi. II. Ex Paulino Aquilejensi lib. 1. contra Felicem: *Si ergo ideo Christum Jesum verum denegas Deum, verumque Dei Filium, quia advocatus noster est, & pro culpis delinquentium intercedit; quæro quid de Spiritu Sancto definire præsumas, qui & ipse advocatus noster est, & incarnatus non est, utrum sit verus Deus, an non? ... Sed si de Filio recte sentires, recte profecto & de Spiritu Sancto intelligeres. Dei enim Filius omnia pro nobis, non pro se, voluntaria pietate suscepit.* III. Ad Romanos 8. *Christus Jesus, qui mortuus est, immo & qui resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Ad quæ verba Theophylactus subdit: *Interpellare illum pro nobis dixit, ut Christi erga nos explicet charitatem, qui etsi carnis assumptæ dispensationem perfecit, haud tamen suam in nos clementissimam sustulit animi affectionem, sed intercedit pro nobis.* IV. Ex Nazianzeno orat. 36. *Unus Deus, unus & Mediator Dei, & hominum Jesus Christus. Nam & nunc quoque deprecatur, tanquam homo, pro mea salute: Quandoquidem cum eo corpore est, quod assumpsit; donec me Deum faciat vi humanitatis assumptæ: Quanvis non amplius secundum carnem cognoscatur; nempe secundum carnis affec-*

tio-

tiones, & nostras circa peccatum. Eodem modo & advocatum habemus Jesum; non ut nostra causa se se ad Patrem abjicientem, ut prosternentem more servili. Procul sit servilis iste suspicio, & indigna spiritu. Non enim Patrem decet id exposcere, nec pati Filium; neque pium est, & aequum, tale aliquid de Deo cogitare. Verum iis, quae tanquam homo passus est, Patri suo persuadet, ut patienter toleret: tanquam Verbum, & hortator. Sic ergo advocationem hanc interpretor. V. Augustinus in psalmum 85. *Nullum majus donum praestare Deus posset hominibus, quam ut Verbum suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, & illos ei tanquam membra coaptaret: ut esset Filius Dei, & Filius hominis, & unus Deus cum Patre, unus homo cum hominibus: ut & quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde Filium separemus; & quando precatur corpus Filii, non a se separet corpus suum; sitque unus ipse Salvator corporis sui Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, qui & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur a nobis. Orat pro nobis, ut Sacerdos noster; orat in nobis, ut caput nostrum; oratur a nobis, ut Deus noster.* VI. Ex Beda serm. de Pentecoste: *Rogabit Patrem per humanitatem, qui dabit cum Patre per divinitatem: neque enim putandum est, quia ante passionem suam tantummodo pro Ecclesia rogaverit, & non etiam nunc post Ascensionem roget, cum dicat de eo Apostolus: qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* VII. Ex ratione S. Thomae 3. part. qu. 21. art. 1. *Si in Christo esset una tantum voluntas, scilicet divina, nullo modo competeret sibi orare; quia voluntas divina per seipsam est effectiva eorum, quae vult, juxta illud psalmi 134. Omnia quaecunque voluit Dominus, fecit.*

II. Pars Conclusionis probatur I. Joannis 12. *Pater salvifica me ex hac hora.* Et cap. 17. *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Marci 14. *Procidit super terram, & orabat, ut, si fieri posset, transiret ab eo hora.* Ad Hebraeos 5. *Qui in diebus carnis suae preces, supplicationesque ad Deum, qui possit illum salvum facere a morte cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* II. Oratio supponit indigentiam in orante, quando orans pro seipso orat; sed haec indigentia non est inconveniens, ut tribuatur Christo secundum humanitatem; ergo neque est inconveniens, Christum pro seipso orasse. III. Christus pro seipso meruit: ergo Christus pro seipso oravit. Antecedens supponimus certum ex probatis in superioribus; consequentia probatur; tum quia orare est merendi genus; tum etiam quia si Christus, ut homo est capax merendi pro seipso, est etiam capax pro seipso orandi. IV. Conveniebat, Christum ut hominem, & tanquam inferiorem ad superiorem recurrere: ergo conveniebat, Christum pro seipso orare. Probatur antecedens: Christus secundum humanitatem in omnibus a Deo dependebat, & illo indigebat: ergo conveniebat, Christum, ut hominem, & tanquam inferiorem, ad superiorem recurrere.

Dicimus III. Christum orasse, & modo orare, non solum interpretativa oratione, verum quoque expressiva; & orationem ejus semper fuisse a Patre exauditam.

I. Conclusionis pars probatur I. De oratione interpretativa, quia Christus etiam modo in coelo exhibet Patri humanitatem suam, & corpus suum cum vulneribus offert, ut nobis gratias plurimas obtineat: Unde S. Thomas in caput 8. ad Romanos lect. 3. scribebat: *Interpellat pro nobis, humanitatem pro nobis assumptam, & mysteria in ea celebrata conspectui paterno repraesentando*; quod & docuerat Gregorius Magnus lib. 1. Moralium cap. 24. *Sine intermissione pro nobis holocaustum Redemptor immolat; quia sine cessatione Patri suo pro nobis incarnationem demonstrat.* II. Ex I. Joannis cap. 1. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum*; sed advocati munus est non tantum interpretative, sed etiam formaliter, & expressive loqui, & orare: ergo Christus non solum interpretativa orat pro nobis, verum quoque expressiva, & formali. III. Ad Romanos 8. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*; & ad Hebraeos 7. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*; atqui interpellatio in hjs locis intelligenda est pro oratione non impropria, sed propria: ergo &c. Probatur minor ex illo Joannis 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*; quae verba accipienda sunt de Christo, jam in coelum assumpto, ubi sicut dicitur interpellare, ita etiam dicitur rogare; Sed rogare importat orationem propriam, expressivam, & formalem: ergo etiam interpellare. IV. Ex Gregorio Magno in 5. psalmum poenitentialem: *Quotidie Christus orat pro Ecclesia;*

ex

Digitized by Google

ex Chrysostomo homilia 13. in epist. ad Hebræos: *Nostri curam non deposuit, sed & pro nobis intercedit*; Ex Justino Martire lib. quæstionum ad Orthodoxos qu. 135. *Si ejus legitimus est fœtus: carnis imbecillitatibus superior resurrectione effectus, ut confessionis nostræ Pontifex pro nobis loquitur, & orat*; Ex Augustino in psalm. 85. *Orat pro nobis, ut caput nostrum; oratur a nobis, ut Deus*; Ubi eodem modo accipit Augustinus verbum *orat*, & verbum *oratur*; sed verbum *oratur* accipit proprie, & formaliter: ergo etiam ita accipit verbum *orat*. V. Eodem modo loquuntur scripturæ de oratione Christi in terris, ac de oratione Christi in cœlis; sed oratio Christi in terris intelligitur etiam ab Adversariis nostris pro oratione expressiva, & formali, & non pro interpretativa tantum: ergo pariter oratio Christi in cœlis est eodem modo intelligenda. VI. Nos non negamus Christum aliquando in cœlis orare oratione interpretativa, quemadmodum potest dici, quod sic aliquando pariter oraverit in terris; sed dicimus, quod ultra orationem interpretativam exerceat quoque in cœlis orationem expressivam, & formalem, quemadmodum in terris exercebat; sed dicendo hoc nullum sequitur inconveniens: ergo &c. Minor ex argumentorum solutione constabit.

II. Conclusionis pars probatur I. Christi voluntas absoluta, & simplex fuit semper adimpleta; ergo ejus oratio fuit semper exaudita. Probatur antecedens: Christus Dominus vel petebat a Patre quæ erant secundum Patris voluntatem, vel quæ non erant; non potest dici secundum; quia aliter Christi voluntas non fuisset perfecta, & sancta, quia fuisset contra Patris voluntatem: Si primum: ergo quemadmodum fuit semper adimpleta voluntas Patris, ita semper fuit etiam adimpleta voluntas Christi. II. Ex ratione S. Bonaventuræ dist. 17. art. 2. qu. 2. ubi hæc habet. „ Cum oratio sit petitio procedens ex voluntate, „ & desiderio, secundum quod voluntas „ humana fuit in Christo, secundum triplicem differentiam, sic & oratio. Nam „ quædam oratio fuit exprimens, sive „ procedens a voluntate rationis, quædam a voluntate pietatis, quædam a voluntate carnis. Oratio procedens *a voluntate rationis* procedebat a voluntate, „ quæ quidem requirebat exaudiri; & talis oratio in omnibus est exaudita: tum „ propter hoc, quod ista voluntas erat per „ omnia conformis voluntati divinæ, tum „ etiam quia adeo petebat digne, & sancte, quod in omnibus erat exaudita pro „ sua reverentia, & dignitate. Oratio autem procedens *a voluntate pietatis*, & „ *voluntate carnis* non fuit in Christo „ exaudita per omnia: tum quia hac voluntate non conformabatur Deo in omni volito, sicut habitum est prius: tum „ etiam quia illa petitio plus ordinatur ad „ nostram instructionem, quam ad divinam exauditionem. Magis enim petebat hac voluntate, ut nos erudiret, quam „ ut Deum ad suam petitionem inclinaret. „ III. Illa oratio exauditur semper, in qua sunt omnes conditiones, ut exaudiatur; fuerunt in oratione Christi Domini: ergo oratio Christi Domini fuit semper exaudita. Probatur minor. Conditiones sunt, sanctitas perfecta in orante; æquitas summa in postulatis; pietas, & perseverantia in modo orandi; sed hæc omnia fuerunt in oratione Christi Domini: ergo &c. Minor negari non potest absque errore in fide. IV. Joannis II. Christus hæc Patri dicebat: *Sciebam, quia semper me audis*, unde S. Thomas 3 part. qu. 21. art. 4. scripsit: *Secundum autem voluntatem rationis, Christus nihil aliud voluit, nisi quod scivit Deum velle. Et ideo omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis, & per consequens omnis ejus oratio fuit exaudita*. V. Vel loquimur de oratione proprie dicta, quæ nascitur ex voluntate absoluta, & efficaci; & hanc nemo negare potest fuisse semper exauditam; quia Christus absoluta voluntate nihil voluit unquam, aut oravit, nisi quod sciebat, Deum Patrem absolute velle: vel loquimur de oratione improprie dicta, per quam explicantur desideria inferioris appetitus, & hæc non fuit semper exaudita, quia Christus voluntate absoluta, & efficaci noluit eam exaudiri. Et hoc pacto Christus dixit Matth. 26. *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Non per hoc tamen, quod hæc oratio improprie dicta non fuerit semper exaudita, dicendum est eam fuisse inutilem; immo Augustinus epist. 121. ad Probam cap. 14. docuit, Christum cum summa ratione voluisse illam exprimere; & quia per illam se verum hominem ostendit; Unde sicut cæteri homines mortem exhor-

rebat; & etiam ut nobis patientiæ, & submissionis erga Dei voluntatem præberet exemplum.

Opponunt I. Apostolus docet, Christum una oblatione in æternum sanctificatos consummasse: ergo superflua fuit omnis ejus oratio: ergo vere, & proprie non oravit. II. Christus propria auctoritate concedere poterat quod orabat: ergo vere, & proprie non oravit. Consequentia sequitur; quia qui per ipsum potest aliquid alicui concedere, ab altero non expectat; antecedens probatur ex illo Joannis II. ubi Martha Christo dicebat: *Scio quia quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus*; Et Christus respondit: *Resurget Frater tuus*; hoc est, ut docet Chrysostomus homilia 61. *Non est opus, ut hoc petam a Patre meo, quia sola mea potestate possum facere, ut resurgat frater tuus*. III. Ex eodem Joannis II. habemus, Christum dixisse: *Ego autem sciebam, quia semper me audis; sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti.* Quæ verba sic exponit Theophylactus: *Quare autem precatus est, imo precantis figuram suscepit, ipsum Dominum dicentem audivimus: Inquit enim: Propter circumstantem turbam dixi &c..... Quis autem oravit sic unquam? Prius enim quam dixisset aliquid, inquit, audisti me, & ita non oratio, sed figura orationis est, & indicium solum*: Et Euthymius in eadem verba Joannis: *Sed quomodo dixit: quia audisti me, cum precatus non sit? .... Non est precatus, ostendens, quod precatione opus illi non esset*. IV. Doctorum omnium est vera assertio, Christum non orare oratione expressiva, sed tantum interpretativa: ergo vere sic orat. Antecedens probatur verbis Ruperti lib. 9. de divinis officiis cap. 3.: *Illa interpellatio, Doctorum omnium vera assertione, non submissa est postulatio, sed ejus passionis, quæ semel suscepta, semel pro nobis in sacrificium oblata est, æterna commemoratio, semel in conspectu Sanctæ Trinitatis admissa sanguinis ejus innocentis exclamatio*. V. Apud S. Gregorium Magnum idem est interpellare, ac orare oratione interpretativa, non vero expressiva; sed Christus in cœlis dicitur tantum interpellare: ergo sola oratione interpretativa orat, non vero expressiva. Probatur major verbis Gregorii Magni lib. 22. moral. cap. 13. *Unigenito Filio pro homine interpellare, est apud coæternum Patrem seipsum hominem demonstrare; eique pro humana natura rogasse est eandem naturam in divinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, sed miseratione, quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberavit*. VI. Qui semper habet mentem in Deum elevatam non potest dici quod oret; sed Christus semper habuit mentem in Deum elevatam: ergo nunquam oravit. Minor patet; quia, Christus utpote ab initio suæ conceptionis beatus, semper habuit mentem in Deum elevatam. Major probatur. Oratio est elevatio mentis in Deum: ergo qui semper habet mentem in Deum elevatam, non elevat mentem in Deum: ergo non orat. VII. Qui omnia in sua potestate habet, nihil ab altero petit, adeoque nec orat; sed Christus omnia habuit a Patre in potestate sua, ut legitur Matthæi ultimo: ergo nihil petere poterat: ergo neque poterat orare. VIII. Si Christus vere orasset, omnia obtinuisset; sed non omnia obtinuit: ergo vere non oravit. Probatur minor. Non obtinuit dispensationem passionis, & mortis suæ, pro qua oravit, quando dixit: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*: ergo &c. IX. Christus sciebat quæ facturus erat Pater: ergo frustra orasset; sed non est dicendum frustra orasse: ergo vere non oravit. X. Si Christus modo pro nobis oraret in cœlo, nos possemus modo ad ipsum dicere: Christe ora pro nobis; sed hanc formulam non usurpat Ecclesia: ergo nec possumus ipsam adhibere: ergo signum est quod vere Christus pro nobis modo non oret in cœlis. XI. Nequit Christus orare modo in cœlis pro nostra salute, quia jam nostræ salutis negotium consummatum est: ergo vere Christus modo pro nobis in cœlis non orat. XII. Ubi est oratio, ibi est meritum, sed Christus modo in cœlo meritum non habet: ergo neque orationem adhibet. XIII. Christus ex una parte sciebat se meruisse pro nobis omnia salutis nostræ auxilia; ex altera sciebat illa indubitanter esse a Patre danda: ergo inutiliter orasset; Sed hoc dici non potest: ergo vere non oravit. XIV. Lucæ 23. Christus rogavit Patrem, ut Tortoribus suis immane facinus condonaret: *Pater dimitte illis &c.* sed hoc a Patre non obtinuit: ergo non omnis ejus oratio fuit a Patre exaudita. Probatur minor; quia Romani Milites in Hierosolymæ excidio de Tortoribus ejus vindictam fecerunt,

Digitized by Google

runt, ut late legitur in Historiis: ergo &c.

Respondemus ad I. Apostolum intelligi, quod Christus una oblatione consummaverit in æternum sanctificatos, quo ad meritum; scilicet quod Christus una oblatione, nimirum uno sacrificio crucis, omnia illa meritus est, quæ sunt necessaria ad sanctificatorum consummationem; unde fit, quod quicunque actus modo eliciatur, nihil per hunc additur merito, quod Christus acquisivit quando vivebat: non vero intelligi quo ad applicationem, quia hæc adhuc consummanda est per actus subsequentes, & Christi, & hominum; ut de Christi Sacerdotio dictum est.

Ad II. Dicitur, quod Christus, ut Deus poterat propria potestate facere quod orabat, non vero poterat facere ut homo; Christus autem ut homo orabat, sicut modo dictum, & probatum supponimus, non vero ut Deus. Interpretatio illa Chrisostomi, quum ejus non adducantur verba, vel ficta supponitur, vel explicatur juxta sensum distinctionis factæ; scilicet Christum loquutum fuisse ut Deum, non vero ut hominem.

Ad III. Dicit Fraffen, Patres adductos nihil aliud significare, quam quod Christus non ex simplici necessitate oraverit, sed ex hypothesi, & ex suppositione decreti, quo ab æterno statutum fuerat aliqua tantum Christo concedenda, ob merita passionis ipsius; quod innuit etiam Regius Psaltes psalm. 2. verbis illis: *Postula me, & dabo tibi Gentes in hæreditatem tuam*; hoc est, ut explicat idem Fraffen; Proposui quidem tuo imperio Gentes subjicere, sed media oratione.

Ad IV. Dicitur, Patres voluisse, Christum nunc non orare pro nobis oratione expressiva, & mentoria, quæ sibi semper annexum habet quid postulale, & humile; at non negare orationem expressivam, quæ fit per voluntariam postulationem illius, quod præcedentis meriti virtute habetur. Subdimus, quod voluerunt quoque oppugnare Origenis futilem sententiam, qua homilia 7. in Leviticum putavit, Christum in cœlis regnantem non solum pro nobis intercedere, verum quoque affligi, plangere, ac lugere de erroribus, & peccatis nostris. Verba Levitici sunt cap. 12. versu 9. *Quia adhuc peccatorum nostrorum amaritudines patitur.* Verba vero Origenis sunt hæc: *Neque enim putandum est, quod Paulus lugeat pro peccatoribus, fleat pro delinquentibus: Dominus autem meus Jesus abstineat a fletu, cum accedit ad Patrem, cum assistit altari, & propitiationem pro nobis offert. Et hoc est accedentem ad altare non bibere vinum lætitiæ.* Contra hanc Origenis insaniam scripsit S. Bernardus homilia de verbis Origenis.

Ad V. Dicitur nos non negare Christo orationem interpretativam, quæ explicatur aliquando per interpellationem; sed ultra hanc admittere etiam orationem expressivam, quæ aliis terminis exprimitur; & hoc etiam sensu Patres admittentes in Christo, qui modo regnat in cœlis, orationem interpretativam, quam per interpellationem explicant, non per hoc negant orationem expressivam, quæ alias vocibus, etiam in Scripturis Sanctis pro Christo regnante in cœlis asseritur.

Ad VI. Dicimus, orationem præsupponere quidem elevationem mentis in Deum; at revera non esse illam, quia oratio formaliter est petitio decentium, non vero est elevatio mentis in Deum; est tamen elevatio etiam; sed præsuppositive, quatenus illi, qui orant, & rogant, antequam orent, & rogent, suam mentem in Deum elevant.

Ad VII. Christus ut Deus communicatam habuit potestatem omnem, non vero Christus ut homo; & sic accipitur textus Matthæi ultimo, scilicet secundum divinitatem, non vero secundum humanitatem; vel si accipiatur non de plenitudine potestatis secundum divinitatem, sed secundum humanitatem, necesse est, ut ait Hennus, ut intelligatur accommode; hoc est pro plenitudine potestatis moralis; in quantum poterat obtinere omnia, quæ vellet petere efficaciter.

Ad VIII. Respondet Hennus, quod si Christus vere orasset, obtinuisset omnia, quæ petiisset secundum voluntatem efficacem, & sequentem ductum rationis; non vero quæ petiisset secundum voluntatem inefficacem, & sequentem ductum naturæ. Proinde duplicem in Christum distinguit voluntatem, unam per modum rationis, & per modum naturæ alteram. Primam asserit fuisse semper in Christo impletam, quia cognoscebat quæ volebat sibi Deus concedere, & ideo nihil petebat quod non fuisset divinæ voluntati conforme; & secundum hanc voluntatem semper exauditus est. Secundam vero quia re-

ſpiciebat objectum, prout congruebat naturæ, & a Dei voluntate abſtrahebat, ideo dicit non fuiſſe ſemper in Chriſto impletam.

Ad IX. Utique concedimus Chriſtum ſcivisſe omnia, quæ vellet Deus ipſi dare, & eo modo etiam ſciviſſe quo vellet ipſi concedere, non vero alio modo. Unde ſicut ſciebat quod Deus niſi per ejus mortem nobis non reconciliaretur, ita pariter ſciebat multa non eſſe nobis concedenda, niſi per ejus orationem.

Ad X. Theologi communiter reſpondent, abſolute, & ſecluſo erroris periculo, atque ſcandali, orationem illam fieri a nobis poſſe humanitatis ratione. Unde Hennus ait, nos poſſe dicere: ora pro nobis Chriſte in orationibus privatis, non vero in orationibus publicis. Attamen Fraſſen docet, id non eſſe in praxi uſurpandum, ne cum Arianis convenire videamur. Et hoc tum quia orans habere videtur ſuperiorem, quem poſſit orare, Chriſtus autem ſimpliciter loquendo, non eſt inferior Deo, quia ipſe eſt Deus: ergo non debet orari, ut oret, ſed potius ut noſtri miſereatur: tum quoque quia orationes non diriguntur ad humanitatem, ſed ad perſonam Chriſti; perſona autem quia eſt divina nemini habet inferioritatem, nec ſubjectionem.

Ad XI. Noſtræ ſalutis negocium eſt conſummatum quantum ad ſufficientiam meriti, non vero quantum ad applicationem. Exemplum adducunt, quia ſicut voluit Deus, ut per ſacramenta nobis Chriſti merita applicarentur, ita velle etiam potuit, ut per preces a Chriſto in cœlo fundendas eſſent nobis pariter applicata; & quod ſic de facto voluerit, ex allatis Scripturis patet. Cæterum ſicut etiam ſuppoſita ſalutis noſtræ conſummatione non ſunt ſuperfluæ orationes B. Mariæ Virginis, non ſunt inutiles orationes Sanctorum, non eſt otioſa oratio Chriſti interpretativa, ita nec pariter eadem conſummatione ſuppoſita, non eſt ſuperflua, non eſt inutilis, non eſt otioſa Chriſti oratio expreſſiva.

Ad XII. Negatur abſolute major; quia etiam per Adverſarios Sancti formaliter, & expreſſive orant pro nobis in cœlis, & tamen non merentur. Oratio enim in ſtatu viæ includit rationem merendi, quia via eſt merendi ſtatus, non autem in Patria, ubi locum non habet meritum ſed præmium; Unde hoc habet, vel non habet oratio, ſcilicet ut mereatur vel non mereatur, non ex ſeipſa, ſed ex ratione ſtatus, in quo exercetur.

Ad XIII. Chriſtus ſciebat omnia ſalutis noſtræ auxilia ſe meruiſſe, & ſciebat etiam certo eſſe a Patre danda, dependenter a nova petitione. Unde Chriſtus ſcivit non eſſe nobis ſua merita applicanda in certis caſibus, niſi ipſe oraret. Et hinc eſt quod orabat, non ut mereretur pro nobis, ſed ut nobis applicaret quæ meritus jam fuerat. Principis filius obtinet ſubito gratiam per bellicam actionem, quam ſecundum Patris voluntatem ſtrenue exercet, ac cum conditione ut pro gratia illa executioni mandanda, Patrem oret, ac roget. Si conditio non adimpletur, gratia non obtinetur, non quidem meriti, ſed petitionis defectu.

Ad XIV. Jueninus dicit, quod Chriſtus petiit, ut peccatum aliquibus ex ſuis crucifixoribus dimitteretur, non vero omnibus. At nos dicimus, quod pro omnibus rogavit, quantum ad ſufficientiam; quantum vero ad efficaciam pro illis tantum, quos prævidebat conſenſuros gratiæ ipſius. Solutio, quam Jueninus adducit ex S. Thoma 3. par. qu. 21. ad 2. verbis hiſce continetur: *Ad ſecundum dicendum, quod Dominus non oravit pro omnibus Crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant crediturі in eum, ut per ipſum vitam conſequerentur æternam.* Solutioni quoque noſtræ aptatur, quatenus Chriſtus non oravit pro omnibus efficaciter; oravit nihilominus ſufficienter, & pro aliquibus efficaciter quoque oravit.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CXCIV.

De Christo Redemptore. Utrum Christus verus fuerit hominum Redemptor? An oportuerit redimi humanum Genus per Christi mortem? An æqualiter pro omnibus hominibus mortuus fuerit? Et quam satisfactionem Deo Patri pro illis dederit?

PRIMO contra Christum Servatorem, ac Redemptorem errarunt Scribæ, & Pharisæi, qui propria justitia confidentes, putabant, Messiam ipsos non a peccatis, sed a Romanorum servitute liberaturum esse, & Hierosolymis terrestre Regnum instituturum. Et hinc fuisse dicunt, quod Mater Filiorum Zebedæi peteret, ut in ejusmodi regno, alter Filiorum ejus ad dexteram Christi sederet, alter vero ad sinistram; ut legitur Matthæi 10. & Apostoli, non adhuc Christi doctrina plene imbuti, post resurrectionem ei dicerent: *Domine, num in tempore hoc restitues Regnum Israel?* ut habemus Actorum 1.

Secundo etiam errarunt Pseudoapostoli, dicentes, Filium Dei non esse salutis Auctorem, sed per Angelos ad Patrem patere viam. Quod Coccius erui it ex Apostolo 2. ad Colossenses, ubi legimus: Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ.

Tertio Alexander, & Hymenæus negarunt, per Filium nos salvari. Hi quidem temporibus Apostolorum fuerunt, & de iisdem loquitur Apostolus I. ad Thimoteum 1. ubi numero 15., loquens de redemptione habita per Christum, his verbis utitur: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus; quod Christus Jesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quorum primus ego sum*; postmodum num. 19. & 20. hæc habet: *Habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt; ex quibus est Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.*

Quarto contra Christum pariter Redemptorem insurrexit Menander, genere Samarita, oriundus ex vico Capareten, ut asserit Justinus martyr apologia 2., quamvis Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum, scribat, natum fuisse in vico, qui Chabrai dicebatur; hic discipulus fuit Simonis Magi; inter errores vero suos, hic numero 2. ponitur; quod Salvator missus pro hominum salute non fuerit Christus, sed ipsemet Menander. Quod testatur Irenæus lib. 1. cap. 22. qui de ipso dixit: *Qui missus sit ab invisibilibus Salvator pro salute hominum*, & Epiphanius, de ipsius hæresi differens, dixit: *Se enim ajebat ad humani Generis salutem emissum*. Et Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum tradidit, Menandrum seipsum Salvatorem appellasse; quos omnes novissime retulit Cardinalis Gozza in suo Commentario de hæresibus cap. 2. num. 8.

Quinto erravit Basus effutiens, non sperari salutem, neque in Christi majestate, neque in ejus præsentia corporali. Hoc asserit Philastrius de hæresibus, quem refert Coccius; asserit etiam Praeolus, qui eum asserit floruisse circa annum 150., quamvis nonnulli alii Scriptores eum faciant Apostolis coævum; ut testatur Frasen.

Sexto Mahometus in suo Alcorano, non Christum, sed se esse hominum Salvatorem, delirat; quod idem Coccius testatur.

Septimo Petrus Abailardus dixit, non ideo Filium Dei fuisse incarnatum, ut hominem a peccato liberaret; sed ut instituoret, & instrueret illum, charitatemque suam erga ipsum ostenderet. Legitur apud S. Bernardum epist. 190. Apud quem etiam invenimus, Abailardum effutiisse, quod Diabolus jus aliquod in hominem propter ipsius peccatum non habuerit, sed Deo permittente fuerit solum veluti commentariensis, & custos illius, qui ipsum teneret in peccati carcere

Digitized by Google

cere conclusum; & hinc eruebat quod Verbum Dei carnem non assumpserat, ut hominem a peccato liberaret; ut apud citatum Frasen legimus.

Octavo. Hermannus Risuvich scribere ausus est, Christum damnasse universum mundum, & neminem salvasse. Apud Coccium testatur Bernardus Lutzemurgensis,

Nono Martinus Lutherus hæc blasphæmahs apud præfatum Coccium dicebat: „ „ Si illud credam, quod sola humana natura pro me passa est, Christus ille vilis „ nec magni pretii Salvator est, imo ipse „ quoque Salvatore opus habet. „

Decimo. In eodem fere fuerunt errore, si vera sunt quæ de iisdem scribit Joannes Calvinus in instructione adversus libertinos hisce verbis: „ Libertini in eo „ statuunt redemptionem nostram, quod „ Christus solum velut typus fuit, in quo „ contemplemur ea, quæ ad salutem nostram requirit Scripsura. Eo redit omnis eorum oratio, quod Christus fecit, „ & passus est tantum comœdiam, aut histrionicam actionem fuisse in theatro „ exhibitam, qua mysterium salutis nostræ nobis figuretur. Cum ajunt Christum abolevisse peccatum, sensus eorum „ est, Christum abolitionem illam in persona sua repræsentasse. Cum dicunt, victam esse mortem: quia, inquiunt, Christus personam illam egit, qui eam patiebatur: in resurrectione vero facinus edidit ducis victoriam ab hoste referentis: „ Christum fingunt velut imaginem, aut „ exemplar, in quo figurata sunt ea, quæ „ ad salutem nostram requiruntur: sed „ interim imaginantur, quod in ipso factum est, in nobis quoque factum fuisse. „

Undecimo Franciscus Blandrata, & Franciscus Davidis contendunt apud citatum Coccium, Christum non propterea in hunc mundum venisse, ut esset Salvator, & Redemptor noster, tanquam Deus & homo. Quod de iisdem retulit quoque Petrus Caronius lib. de Trinitate.

Duodecimo Socinus Christo Domino verum Redemptoris nomen, & munus adimere impie tentavit, scribens lib. 2. de Christo Redemptore; redemptionem per Christum factam fuisse dumtaxat metaphoricam, nec pro liberandis hominibus, aliquam satisfactionem, aliquodve pretium æterno Patri solvisse.

Decimotertio Heshusius contra Calvinum testatur, quod Roquinus, Pincerius, & Clebitius, dixerint, Christum non esse pro omnibus omnium hominum peccatis crucifixum & mortuum, sed tantum pro fidelibus, & piis.

Decimoquarto Hieronymus Zanchus in miscellanea doctrina defendit, verba primæ Joannis 2., quibus asseritur, Christum esse propitiationem pro peccatis totius mundi, esse interpretanda pro electis universis, per totum orbem dispersis. Et pagina 290. scribit: *Sanguis Christi non est secundum propositum Dei, & re ipsa pro improbis, & incredulis effusus, sed tantum pro quibusdam multis, hoc est Electis, & quidem pro omnibus istis multis.*

Decimoquinto Simon Simonius [illegible] Schegkium lib. 2. fol. 24. scribit, *Christum tantum Electorum gratia seipsum exinanivisse, forma servi assumpta.*

Decimosexto Benedictus Aretius par. 2. Problemat. fol. 869. dicit: „ Christum „ non omnium hominum, sed tantum electorum Redemptorem esse: Non enim „ Christum datum esse omnibus Redemptorem, nec Deum velle omnes homines salvare, sed tantum omnium ordinum aliquos. Vasa enim iræ Dei Deum „ non velle salvare, & Deum volentem, „ ac scientem excludere Judam, Pharaonem, Cajapham, Herodem; nec esse eorundem, & omnium aliorum desperantium, & damnatorum Christum Salvatorem. „ Refert Coccius.

Dicimus I. Christum re vera nos redemisse e captivitate Diaboli per suam mortem; adeoque fuisse verum hominum Redemptorem. Ita omnes Catholici contra recensitos Heterodoxos.

I. Probatur ex Scripturis Isaiæ 53. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.* Zachariæ 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Matthæi 1. *Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Matthæi 20. *Venit Filius hominis dare animam suam, redemptionem pro multis.* Joannis 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ad Romanos 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei: Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostentionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* Ad Ephesios 1. *Habemus redem-*

Digitized by Google

redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus. I. ad Thimoteum 1. *Unus est enim Deus, unus mediator Dei, & hominum, Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ad Titum 2. *Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem.* Ad Hebræos 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum ..... per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* I. Petri 1. *Non auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* I. Joannis 1. *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Et cap. 2. *Christus est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Actorum 4. *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Apocalypsis 1. *Qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Sixtus III. lib. de divitiis: *Interrogo te, cujus morte reparatus es, cujus cruore, cujus passione liberatus es? Quis pro salute tua indignissima convitiorum audivit opprobria? Quis infirmitates tuas suscepit, vel ægretudinum tuarum causas, & insanabilia vulnera abstulit? quo ægrotus, & jam morti obnoxius, usus es medico? Cujus caput pro peccatorum tuorum sentibus spinea est compunctum corona? Cujus sputaminibus dedecorata facies? Cujus maxillæ palmis sunt a Judæis verberatæ? Quis, ne tu in perp tuo flagellareris, flagella sustinuit? &c. cujus vulnere tua curata sunt vulnera? Quis te ad vitam reduxit a morte? Quis de inferis te revocavit ad cælos? Non Patriarcha, non Propheta, non alter quicunque Sanctorum: sed Jesus Christus Dominus. Ipse enim spes nostra, ipse salus, ipse redemptio.* Critici etiam temperantiores librum hunc Sixto III. abjudicant, quum erroribus pluribus Pelagianorum scateat, quando Sixtus idem inter primos Pelagii damnatores adnumeratur, ut constat ex epistola 105. Augustini ad Sixtum, & acriter Pelagianos omnes persequutus est, ut ex Prospero patet. Leo Magnus serm. 12. de Passione cap. 3. „ Effusio „ pro injustis sanguinis justi tam potens „ fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in „ Redemptorem suum crederet, nullum „ tyrrannica vincula retinerent: Quoniam „ sicut Apostolus ait: *Ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia.* Et cum „ sub peccati præjudicio nati potestatem „ acceperint ad justitiam renascendi, validius donum factum est libertatis, quam „ debitum servitutis. Quam itaque sibi in „ hujus Sacramenti præsidio spem relinquunt, qui in Salvatoris nostri corpore „ negant humanæ substantiæ veritatem? „ Dicant quo Sacrificio reconciliati, quo „ Sanguine sint redempti? Quis est, qui *tradidit semetipsum pro nobis oblationem,* „ *& hostiam Deo in odorem suavitatis?* Aut „ quod unquam sacrificium sacratius fuit, „ quam quod verus Pontifex altari crucis „ per immolationem suæ carnis imposuit? „ Quamvis enim in conspectu Domini „ multorum Sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, „ non dederunt coronas: & de fidelium „ fortitudine exempla nata sunt patientiæ, „ non dona justitiæ. Singulares quippe in „ singulis mortes fuerunt, nec alterius „ quisquam debitum suo funere solvit, „ cum inter filios hominum solus Dominus noster Jesus exiterit, in quo omnes „ crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, „ omnes etiam sint suscitati „. Symmachus epist. 4. ad Clerum Dardaniæ: *Christus nos pro sanguinis sui pretio, comparavit gratia libertate concessa, nihil invenientibus humanis operibus, quod dignum pro tanta mercede tribueret.* Gregorius Magnus homel. 39. in Evangel. *Qui enim pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos a debita animæ morte liberavit.* Martinus epistola ad Amandum: *Non vos afflictionum amaritudo a piæ mentis vestræ proposito coarctet recedere, considerantes quanta pro absolutione nostri, & liberatione Creator Dominusque noster pertulerit, quibusve contumeliis se afficiendum tradiderit, ut nos a vinculis potestatis diabolicæ liberaret.* Innocentius II. in Epistola ad Archiepiscopos Senonensem, & Rhemensem, qui in Concilio Senonensi cum suis Suffraganeis Abailardi errores damnaverant: *Nos, qui in Beati Petri cathedra, cui a Domino est dictum: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, licet indigni, residere conspicimur: communicato fratrum nostrorum Episcoporum, & Cardinalium Consilio destinata nobis a vestra discretione capitula, & universa ipsius Petri perversa dogmata SS. Canonum authoritate cum suo authore damnavimus: eique tanquam hæreticum perpetuum silentium imposuimus:*

suimus. Universos quoque erroris sui sectatores, & defensores a fidelium consortio sequestrandos, excommunicationisque vinculo innodandos esse censemus. Datum Laterani 17. Kalendas Augusti. Innocentius III. sermone 1. de Nativitate Christi: *Inter Deum, & hominem gravis erat inimicitiarum discordia: quoniam homo servum subtraxit, & abstulit Deo, quem tradidit, & subjecit diabolo. Pax igitur inter eos fieri rationabiliter non poterat, nisi damnum, quod intulerat, restauraret. Homo vero nihil habebat quod digne Deo recompensaret pro damno: quia si quid Deo de rationabili redderet creatura, pro rationabili sublato substantia minus esset. Sed hominem non poterat digne restituere, quia justum, & innocentem abstulerat, & neminem nisi peccatorem inveniebat. Videns itaque Deus, hominem sua virtute non posse jugum damnationis evadere, primum prævenit eum per solam misericordiam, ut deinde liberaret etiam per justitiam. Ut ergo Deus placari posset ab homine, dedit homini gratis, quod homo pro debito redderet Deo. Dedit igitur homini hominem, quem restitueret homo pro homine: qui ut recompensatio digna fieret, priori non solum esset æqualis, sed major. Quo circa Verbum caro factum est, ut daretur hominibus Deus homo.* Clemens VI. & refertur cap. 2. de pœnitentia, & remissione. *Non corruptibilibus auro, & argento, sed sui ipsius Agni incontaminati, & immaculati pretioso sanguine nos redemit, quem, in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro totius humani generis redemptione sufficisset, sed copiose velut quoddam profluvium nascitur effudisse.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I., quod & etiam replicavit Concilium Constantinopolitanum I. in Symbolo: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis; & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: & homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis passus, & sepultus est.* Synodus Trullensis in Præfatione: *Christus dedit se pro nobis redemptionis pretium.* Concilium Toletanum VI. cap. 1. *Solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis, propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & nostro libero arbitrio contraxeramus, resolvenda, a secreto Patris, arcanoque prodisse &c. Hic venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, & credentes justificare: faciensque mirabilia, traditus est propter debita nostra, mortuus est propter expiationem nostram, resurrexit propter justificationem nostram: cujus livore sanati, cujus morte Deo Patri reconciliati, cujus resurrectione sumus resuscitati.* Concilium Toletanum XI. in confessione fidei: *Unigenitus Dei Filius solus pro nobis peccatum factus, idest, sacrificium pro peccatis nostris: tamen passionem ipsam (salva divinitate sua) pro delictis nostris sustinuit, mortique adjudicatus & cruci, veram carnis mortem accepit.* Concilium Valentinum IV. cap 1. de fide, & summa Trinitate, ubi declaratur, Christum mortuum esse pro omnibus. Concilium Hispalense II. cap. ultimo, Toletanum IV. cap I., Lateranense sub Martino I. consult. 5. cap. 10., aliaque multa, quibus denique adhæsit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. *Justificationis impii causa est misericors Deus, qui gratuito abluit, & sanctificat, meritoria est dilectissimus Unigenitus, qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis satisfecit.*

IV. Ex Patribus Græcis. Irenæus lib. 5. cap. 1. *Verbum potens, & homo verus, sanguine suo rationabiliter redimens nos, redemptionem semetipsum dedit pro his, qui in captivitatem ducti sunt. Et quoniam injuste dominabatur nobis apostasia, & cum natura essemus Dei omnipotentis, alienavit nos contra naturam, suos proprios faciens discipulos, potens in omnibus Dei Verbum, & non deficiens in sua justitia, juste etiam adversus ipsam conversus est apostasiam &c. Suo igitur sanguine redimente nos Domino, & dante animam suam pro nostra anima, & carnem suam pro nostris carnibus, & effundente Spiritum Patris in adunitionem, & communionem Dei, & hominum.* Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromaton. *Servatoris opus est servare, & salvum facere: Quod quidem certe fecit, ut quos eos, qui in ipsum voluerunt credere, per prædicationem ubicumque essent, traxerit ad salutem.* Epiphanius hæresi 55. *Et primum quidem seipsum obtulit, ut solveret sacrificium veteris Testamenti, cum perfectius, & vivens pro toto mundo obtuleris ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Agnus, omnia in omnibus pro nobis factus, ut nobis vita omnibus modis fieret.* Chrysostomus homilia 9. in epist. ad Romanos: *Quod servati fuerimus*

Digitized by Google

tis vel tanta in malitia victitantes, hoc vero summum est argumentum ejus, qui servavit, erga nos benevolentiæ: non enim per Angelos, aut Archangelos, sed per ipsum Unigenitum servavit: quo fit, ut ipsum hoc quod salvi effecti fuerimus, & quod tales cum essemus, salvi tamen fuerimus effecti, tum autem quod ea nobis salus per Unigenitum obvenerit, nec simpliciter per Unigenitum, sed per ipsius Unigeniti sanguinem, infinitas nobis gloriationis corollas nectat. Basilius Seleucius orat. 1. de Verbi incarnatione: *Ob id ad magnum illud incarnationis mysterium Christus se demisit, ut per illum omnia tandem restituerentur, & sanarentur, per quem omnia semel facta fuerant.* Damascenus lib. 4. de fide cap. 12. *Quanquam omnis Christi actio, ac miraculorum editio præclara, & divina, ac admirabilis est, nihil tamen est ex omnibus, quod tantam admirationem excitet, atque eximia ipsius crux. Neque enim ulla alia re peccatum deletum, primi parentis peccatum extinctum, infernus spoliatus, resurrectio donata, vis contemnendarum rerum præsentium, atque ipsius quoque mortis, nobis concessa, reditus ad veterem beatitudinem comparatus est, paradisi portæ patefactæ sunt, natura nostra ad Dei dexteram considet, filii denique Dei, & hæredes facti sumus, quam crucis Domini nostri Jesu Christi beneficio. Siquidem hæc omnia crux præstitit.*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Hilarius lib. 4. de Trinitate: *Per Virginem natus ex Spiritu Sancto, adversantes nobis, inimicasque virtutes ligno passionis affigens, mortem in inferno perimens, spei nostræ fidem resurrectione confirmans, corruptionem carnis humanæ gloria sui corporis perimens. Soli hæc Unigenito Deo sunt propria.* Ambrosius ad cap. 7. Lucæ: *Nullius sanguis profuit, sicut sanguis Christi. Neque enim redimere potuit sanguis Prophetarum, neque redimit nos Petrus, aut Paulus: solus ille redimere morte sua nos potuit, qui & Deus est, & homo: quòd qui purus homo fuisset, nunquam valuisset.* Optatus Milevitanus de schismate Donatistarum adversus Parmenianum lib. 3. *Cum dicitis, redimite animas vestras, Redemptori renuntiatis: cum solus Christus sit Redemptor animarum, quas ante ejus adventum Diabolus possidebat: has sanguine suo Christus Salvator redemit, Apostolo dicente: Empti estis pretio magno. Constat enim sanguine Christi omnes redemptos.* Augustinus in psalm. 95. *Tenebantur homines captivi sub diabolo, & dæmonibus serviebant; sed redempti sunt a captivitate. Vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, & dedit pretium, fudit sanguinem suum, & emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, & invenite quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid nisi omnes gentes?* Prosper ad primam objectionem Vincentianam: *Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta, & mortificata natura est, & unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit, verum & potens ac singulare remedium est mors Filii Dei Domini Jesu Christi: qui liber a mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus, & debitoribus mortuus est. Quod ergo ad magnitudinem, & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi.* Fulgentius sermone de duplici Christi Nativitate: *Per primi hominis culpam cœpit diabolus hominis dominari: per secundi hominis gratiam cœpit ab homine superari. Super primum superbus, sub secundo captivus. Per illum nos captivatos tenuit, per istum nos liberatos amisit. Primus Adam nobis auctor extitit culpæ, novissimus Adam nobis auctor extitit gratiæ. Ille de limo plasmatus, terrenos protulit; iste de Spiritu Sancto natus, cœlestes effecit. Per illum perdidimus gratiam priorem; per istum recepimus ampliorem. Ille quippe intulit nobis peccati maculam, cum qua nasceremur ad supplicium: iste nobis contulit justificationis gratiam, ut renasceremur ad regnum. Per illum nos filios seculi generatio carnalis effecit; per istum nos filios Dei generatio spiritalis exhibuit. Ille nos vitiis subdidit, iste nos florere virtutibus fecit. Ille nos per vitia dejecit, quo primus cecidit: iste nos per virtutes elevat, quo primus ascendit. Ille quippe primus cecidit in infernum, iste primus conscendit in cœlum.*

VI. Probatur rationibus. I. Contra Abailardum Christus non venit solius instructionis causa, verum quoque liberationis: ergo vere nos redemit e Dæmonis captivitate per mortem suam; adeoque fuit verus hominum Redemptor. Probatur antecedens. Christi adventus profuit non tantum adultis, verum quoque parvulis: ergo Christus non venit solius instructionis causa, verum quoque liberationis. Antecedens negare, est cum Pelagio desipere, ut ait S. Bernardus con-

era Abailardum cap. 9. „ Nihil ne pro-
„ derit eis adventus Christi, nihil, quod
„ complantati sunt similitudini mortis ejus
„ per baptismum; quoniam nondum pos-
„ sunt, prohibente ætate, Christum sape-
„ re, aut amare? Redemptio itaque nostra
„ est illa summa in nobis per Christi pas-
„ sionem dilectio: ergo parvuli non ha-
„ bent redemptionem, quia non habent
„ summam illam dilectionem? An sicut
„ non habent unde diligant, ita nec unde
„ pereant, ut non sit eis in Christo neces-
„ saria regeneratio, utpote quibus rege-
„ neratio ex Adam nihil nocuerit? Si hoc
„ sapit cum Pelagio, desipit. Quidquid ho-
„ rum sentiat, patet quantum humanæ
„ Sacramento salutis invideat; quantum,
„ quod in ipso est, evacuet alti dispensa-
„ tionem mysterii, quia totum de salute
„ tribuit devotioni, regenerationi nihil;
„ qui nostræ gloriam redemptionis, &
„ summam salutis, non in virtute crucis,
„ non in pretio sanguinis, sed in nostræ
„ constituit conversationis profectibus. „
II. Contra eundem. Ideo per Abailar-
dum Christus vere homines non rede-
mit, quia nullum jus acquisierat Diabo-
lus in homines per peccatum; sed hoc
non officit: ergo vere Christus homines
redemit. Probatur minor. Quanvis Dia-
bolus in homines nullum jus per pecca-
tum acquisierit, & quanvis homines
quantumcunque peccatores semper re-
manserint divinæ potestati subjecti, ne-
gari tamen non potest, quod peccatores,
consensientes tentationibus dæmonum,
& suggestionibus in malum, subdantur
dæmonum servituti, quod divina exi-
git justitia, ad instar illorum, qui ad
metalla, vel ad remos damnati, subdun-
tur humanæ justitiæ executoribus, qui
operibus illis præsunt. III. Contra So-
cinianos. Redimere vere, & proprie
est liberare aliquem, soluto ei pretio,
qui sit captivus, e manibus illius, qui
eum detinet; sed Christus morte sua li-
beravit nos ab ira Dei, & potestate Sa-
tanæ, qui propter peccata eramus vere
rei iræ Dei, & Satanæ mancipati: ergo
vere, & proprie Christus nos redemit.
Minor patet, quia Socinus etiam conce-
dit, pretium vocari, non pecuniam so-
lam, sed omne, quod penditur ei, qui
captivos detinet, ut satisfiat; Major
etiam a Socino admittitur. IV. In vera
redemptione requiritur primo captivus,
secundo qui captivum detineat, tertio
Redemptor, quarto pretium, quo re-
demptio fiat; sed hæc omnia inveniun-
tur in Christi redemptione: ergo Chri-
stus. nos redemit redemptione proprie
dicta. Probatur minor. In redemptio-
ne Christi invenitur captivus, qui est
Genus humanum; habetur captivum
detinens, qui est Deus per justitiam, &
Diabolus per justitiæ Dei ministerium;
est Christus, qui redemptionem exer-
cet; denique est sanguis, & mors Chri-
sti, pretii locum retinens: ergo vere in
redemptione Christi inveniuntur omnia,
quæ necessaria sunt, ut veram, & pro-
priam redemptionem constituant.

Arguunt I. cum Abailardo. Non poterat Deus pro peccato primorum Parentum placari per peccatum aliquod, quod primo illo peccato fuerit enormius, & horrendius; sed peccatum, quod patrarunt Christi Crucifixores fuit enormius, & horrendius illo, quod commiserunt primi Parentes in pomi degustatione: ergo pro peccato illo non potuit Deus placari per peccatum hoc, quod fuit enormius, & horrendius; atqui in hoc stat Christi redemptio: ergo vere, & proprie Christus non est humani generis Redemptor. II. Si peccatum primorum parentum expiari debebat per peccatum Tortorum Christi, hoc peccatum, quod fuit enormius, expiari etiam debebat; at quomodo? Non assignatur: ergo vel primum peccatum remansit inexpiatum, vel secundum. III. Non poterat Deo Patri adeo placere mors innocentis Filii, ut per ipsam posset reconciliari illis, qui mortem eandem innocenti Filio intulerant: ergo non poterat per Christi mortem se reddere peccatoribus placatum. IV. Non est justitiæ consonum, ut judex exigat sanguinem innocentis hominis in pœnam hominis rei; ergo multo minus erit conforme justitiæ Dei: ergo non poterat Christus innocens per mortem suam redimere hominem reum, & sic Deum judicem placare. V. Ex Socino; Redimere in Scriptura multoties sumitur per metaphoram, & est idem ac liberare, quanvis pretii solutio non interveniat: ergo ita etiam sunt intelligendi omnes illi Scripturarum textus, quibus probavimus, Christum per mortem suam nos liberasse. Probatur antecedens. Exodi 15. Deuteronomii 7., & 9. 2. Regum 7. psal. 77. habetur, quod Deus liberaverit Populum Israeliticum ex Ægyptiaca servitute; sed in his textibus redimere accipitur pro liberare; sumi-

Digitized by Google

sumitur enim metaphorice, & idem est, ac sine pretio aliquem e servitute eruere: ergo, &c. VI. Actorum 7. S.Stephanus dixit Moysem fuisse redemptorem, eundemque hoc nomine appellavit; sed Moyses, nullo dato pretio, populum suum liberavit: ergo pariter Christus poterat eodem modo Redemptor esse, ac appellari. VII. Redemptio, quam fecit Moyses fuit figura illius, quam fecit Christus: ergo quemadmodum illa Moysis fuit sine pretio, & per metaphoram, ita etiam fuit illa Christi. VIII. Lucæ 1. Zacharias in Cantico facit comparationem inter redemptionem factam per Moysem, & inter illam, quam fecit Christus; dicit enim: *Fecit redemptionem plebis suæ*; quæ consona sunt verbis illis psal. 111. *Redemptionem misit Dominus populo suo*; quæ intelliguntur de redemptione a Moyse facta: ergo quemadmodum fuit prima illa sine pretio facta, ita & secunda per Christum. IX. Pretium sanguinis Christi non fuit persolutum Diabolo, in cujus nos captivitate detinebamur: ergo vere, & proprie redempti non fuimus a Christo. X. Christus nos non redemit a captivante, scilicet a captivos detinente: ergo vere, & proprie nos non redemit. Probatur antecedens. In Epist. ad Thessalonicenses cap. 1. Nos dicimur *liberati ab ira*; in alia ad Titum cap. 2. dicitur, quod Christus *nos redemit ab omni iniquitate*; & in I. Petri cap. 1. Fideles dicuntur redimi *de vana conversatione paterna traditionis*; sed redemptiones hæ non sunt proprie liberationes a captivante: ergo &c. XI. In vera redemptione pretium illius debet accipere qui captivum retinet; sed qui captivum retinebat genus humanum erat diabolus, & diabolus sanguinis Christi pretium non accepit: ergo &c. XII. Vel reprobi dicuntur a Christo redempti, vel non; si non dicuntur: ergo vere Christus per sanguinem suum nos non redemit; quia etiam sanguinem suum pro reprobis fudit, & nihilominus eos non redemit. Si redemit; quare ergo sunt reprobi? quare damnantur? quare sunt adhuc sub diaboli potestate?

Respondemus ad I. cum S.Bernardo, quod in uno eodemque facto potuit Deo Patri displicere iniquitas malignantium, & placere pietas patientis. Peccatum primorum parentum non fuit expiatum per malignantium iniquitatem, quæ ipso enormior fuit, & quæ Deo Patri magis displicuit, sed per patientis pietatem, in qua nulla fuit iniquitas, & quæ Deo Patri omnimode placuit. Exemplum habemus in charitate Martyrum, quæ summe Deo placet in ipsorum martyrio, & nihilominus in eodem martyrio summe Deo displicet Tortorum iniquitas.

Ad II. Dicimus, quod & peccatum primorum parentum, & peccatum crucifigentium Christum, expiata sunt per ipsum sanguinem, quem crucifigentes fuderunt, & per orationem crucifixi, quem crucifigentes occiderunt. Et est etiam responsio S.Bernardi cap. 8.

Ad III. Idem S. Bernardus citato loco respondet verbis hisce. „ Non mors, sed „ voluntas placuit sponte morientis: & illa morte expungentis mortem, operantis salutem, restituentis innocentiam, „ triumphantis principatus, & potestates, „ spoliantis inferos, ditantis superos, pacificantis, quæ in cœlo sunt, & quæ in „ terra, omnia instaurantis. Et quoniam „ hæc tam preciosa mors voluntarie suspicienda adversus peccatum, non tamen poterat fieri nisi per peccatum, non „ delectatus quidem, sed tamen bene usus „ malitia sceleratorum, & mortem de „ morte, & de peccato damnavit peccatum. Et quanto illorum major iniquitas, „ tanto hujus voluntas sanctior, & eo potentior ad salvandum, quatenus tanta „ mediante potentia antiquum illud grande peccatum, necessario tamen huic, „ quod in Christum commissum est, cederes tanquam minus majori. Nec peccato, sive peccantibus adscribitur hæc victoria, sed bene utenti peccato, & peccantes fortiter perferenti, & convertenti in usum pietatis quidquid in ipsum „ ausa est crudelitas impiorum. „

Ad IV. pariter respondet S. Bernardus per hæc verba: „ Non requisivit Deus Pater sanguinem Filii, sed tamen acceptavit oblatum, non sanguinem sitiens, sed „ salutem, quia salus erat in sanguine. Salus plane, & non sicut iste sapit, & scribit sola charitatis extensio. Sic enim „ concludit tot calumnias, & invectiones „ suas, quas in Deum tam impie quam imperite evomuit, ut dicat totum esse quod „ Deus in carne apparuit, nostram de verbo, & exemplo ipsius institutionem; sive ut postmodum dicit, instructionem, „ totum, quod passus & mortuus est, suæ „ erga nos charitatis ostentionem, vel „ commendationem. „

Ad V. Concedimus aliquando redimere accipi pro liberare, ac sine pretio liberare, quemadmodum sumitur in aliis locis; sed non per hoc dicendum est, quod ita semper, & in omnibus aliis textibus accipi debeat. Plura enim habemus, quæ in duplici, vel etiam in multiplici sensu accipiuntur, in hoc scilicet sensu in hoc loco, & in alio sensu in alio loco; sed non obinde infertur, quod in omnibus locis, aut uno, aut altero modo sint semper intelligenda, absque distinctione sensus, quem unus textus præsefert, & alii non præseferunt.

Ad VI. Fraſſen assignat dissimilitudinem, quam dicit magnam esse, quæ est inter corporalem liberationem Judaici populi ex Ægypto, & spiritalem generis humani, quæ facta est per mortem Christi. Et dissimilitudo est, quia liberatio populi Israelitici fieri potuit per solam Dei potentiam, absque solutione pretii; injusta enim erat illa captivitas: at liberatio generis humani fieri non potuit nisi pretio soluto, tum propter veritatem Dei, quia Deus dixerat homini, si peccaveris morte morieris: tum propter justitiam Dei, quia Scripturæ testantur, esse in Deo jus, ut qui peccant morte sint digni; ut legitur ad Romanos 1. Qui quum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte. Insuper, addit idem Fraſſen, Moyses fuit redemptor tantum a Pharaonis tyrannide, ad quam redemptionem exequendam sufficiebat auctoritas, & potestas: at Christus redemit nos ab ira Dei, ut legitur ad Romanos 5., a potestate tenebrarum, diaboli, & mortis, ut habetur ad Colossenses 1., & redemit per sanguinem suum, ut invenitur ad Hebræos 2.: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus*.

Ad VII. Figura, & figuratum etsi in aliquibus analogice conveniant, non est tamen necesse ut conveniant in omnibus. Christus, & Moyses conveniunt, quod uterque fuit mediator, & Redemptor; at disconveniunt ratione personæ, quia Moyses fuit tantum homo, & servus Dei, Christus Deus homo, & Filius Dei; ratione officii, quia Moyses fuit mediator typicus, & temporalis veteris testamenti, Christus mediator figuratus, & æternus tum veteris, tum novi testamenti; & ratione effectuum, quia Moyses liberavit ex Ægypto, Christus redemit ab ira Dei, a maledictione, a peccato, a morte; Moyses fuit redemptor absque morte, & sanguine suo, Christus fuit Redemptor per mortem suam, & proprium sanguinem; Moyses denique promissionis terram acquisivit, Christus vero hæreditatem, & vitam æternam nobis comparavit.

Ad VIII. Dicitur, quod Zacharias sive intellexerit liberationem, de qua loquitur psalmus, & figuram liberationis Ægyptiacæ, sive non, semper stat, quod voluerit, redemptionem factam per Christum non aliam esse, quam, quæ Sancti Apostoli declararunt, fuisse factam per sanguinem, & mortem Christi.

Ad IX. Ultro concedimus, diabolum nullum jus habere in peccatores, quia solum est exequutor justitiæ divinæ in illos; unde nihil pro redemptione peccatorum ei solvi debebat; Solvi tamen debebat justitiæ divinæ, cui nos homines debitores eramus, & cui, proinde tam pro culpa, quam pro pœna satisfacere debebamus. Quia tamen diabolus, ut dictum est, est exequutor justitiæ divinæ, inde per figuram dicitur, quod qui nos redemit a justitia divina, a justitiæ divinæ exequutore, hoc est a diabolo, redemerit.

Ad X. Dicitur cum Fraſſen, quod redemptio proprie dicitur fieri non tantum ab eo, qui principaliter detinet captivos, sed etiam ab eo, qui minus principaliter detinet. Insuper dicitur fieri a captivitate ipsa, & ab omnibus illis pœnis, quæ captivitatem comitantur; a quibus omnibus Christum nos redemisse, Scripturæ clamitant.

Ad XI. Diabolus captivos detinet peccatores, ut divinæ justitiæ exequutor, Deus vero ut judex; pretium redemptionis solvi non debet justitiæ exequutoribus, sed Regi, vel Judici, quorum nomine, ac imperio justitiæ exequutores in captivitate captivos retinent.

Ad XII. Christus redemit omnes quo ad sufficientiam pretii, non vero quo ad applicationem; quia hæc ab applicantium voluntate dependet; ut fusius, & clarius in tertia conclusione dicemus.

Pro secunda Dissertationis parte, supponimus primo, aliud esse quærere, an ad redemptionem humani generis fuerit necessaria incarnatio; aliud quærere, an ad redemptionem humani generis fuerit necessaria Christi mors? Primum importat incarnationis substantiam; ita ut sit sensus, sufficiens fuisse, Verbum

fuisse

Digitized by Google

fuisse incarnatum, ut homo salvaretur, absque eo quod Verbum incarnatum se subjecisset ærumnis, paupertati, pœnis, passioni, ac morti; & de hac necessitate in Dissertatione CLXIII. loquuti fuimus. Secundum vero incarnationi superaddit etiam Christi mortem; ita ut sit sensus, ad redimendum genus humanum non satisfuisse Verbi incarnationem, verum quoque necessario fuisse Christi passionem, & mortem.

Supponimus secundo, Deum potuisse utique salvare genus humanum per infinitos alios modos, quam per mortem Christi. Quod docet S. Bernardus epist. 190. cap. 8. verbis hisce. „ Quis neget omnipotenti ad manum fuisse alios, & alios „ modos nostræ redemptionis, justificationis, liberationis? Verum hoc non „ præjudicat hujus, quem è multis elegit „ efficaciæ. Et fortasse is præstat, per „ quem in terra oblivionis, gravedinis, „ lapsus nostri, tot, & tantis gravaminibus Reparatoris fortius, & vivacius admoneremur. Alias autem nemo hominum novit, nec noscere ad plenum potest quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad sapientiam, quid decoris „ ad gloriam, quid commodi ad salutem, „ penes seipsam contineat hujus venerandi mysterii inscrutabilis altitudo, quam „ Propheta considerans, expavit, non penetravit; præcursor Domini indignum „ se judicavit, qui penetraret. „

Supponimus tertio, duplicem distingui necessitatem, unam, quæ dicitur consequentis, aliam consequentiæ. Prima est necessitas ratione sui, non alterius, quod præcedat. Secunda est necessitas expositione alicujus antecedentis. Exemplum primæ necessitatis ponitur: Est homo: ergo est risivus; hoc consequens dicitur necessarium ratione sui, quanvis non possit esse risivus, nisi sit homo, qui hujuscemodi proprietatis proprium est subjectum. Exemplum alterius necessitatis est: Homo currit: ergo movetur; dato enim cursu, non potest homo non moveri, quanvis tam moveri, quam currere sit simpliciter contingens respectu hominis.

Dicimus II. non fuisse necessarium simpliciter humanum genus redimi per mortem Christi, sed necessarium necessitate consequentiæ.

I. Probatur. Poterat Deus per alios modos reparare genus humanum, quam per mortem Filii sui: ergo non fuit necessarium simpliciter, sed tantum necessarium necessitate consequentiæ, humanum genus redimi per Christi mortem. Probatur antecedens ex S. Augustino lib. 13. de Trinit. cap. 10. *Contra eos, qui dicunt defuisse Deo alium modum, quo homines a peccato liberaret. Parum est sic refellere, ut istum modum, quo nos per mediatorem Dei, & hominum, hominem Christum Jesum, Deus liberare dignatur, asseramus bonum, & divinæ congruum dignitati; verum etiam ut ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent.* Et cap. 13. *Non autem diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit; nam quid Omnipotente potentius? Aut cujus potestas creaturæ potestati Creatoris comparari potest?* ergo ex Augustino potuisset Deus alio modo genus humanum liberare, & redimere, si potentia sua uti voluisset.

II. Probatur. Vel loquimur de potentia Dei, vel de Dei justitia; Si de Dei potentia, quum hæc sit infinita, infinitos etiam habebat modos genus humanum redimendi, & ad libertatem revocandi: ergo non fuit simpliciter necessarium genus humanum redimi per Christi mortem. Si vero loquimur de justitia Dei, quia nulla pura creatura poterat Deo satisfacere per justitiam pro peccato, necessitate consequentiæ necessarium fuit, genus humanum redimi per Christi mortem. Quod totum exprimitur verbis S. Leonis Papæ serm. de nativitate cap. 3. *Misericordia Dei cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad dextruendum opus diaboli non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ.* Quod & confirmat serm. 12. de passione Domini. Eidem quoque concinunt alii Patres, & præcipue Gregorius Magnus lib. 17. Moral. cap. 18.

III. Probatur ex S. Anselmo, qui quatuor statuit propositiones, nimirum primam lib. 2. *cur Deus homo* cap. 1., nimirum; necessarium fuit hominem redimi: & sic probat; quia Deus nihil agit frustra; sed frustra condidisset hominem, si illum in suo peccato reliquisset: ergo debuit Deus ex necessitate sui modi operandi hominem redimere. Secunda; homo non potuit redimi sine satisfactione; & hanc sic probat lib. 1. cap. 24. & 25. quia injustus est homo, qui non reddit Deo quod debet; injustus est etiam si non reddat homini quod debet; sed nul-

lus

lus injustus admittitur ad beatitudinem æternam: ergo qui non solvit Deo quod debet, non salvabitur; sed omnis peccator abstulit a Deo honorem sibi debitum: ergo quousque satisfecerit, est debitor & injustus. Tertia est, non potuit illa satisfactio ab alio exhiberi, quam a Deo homine, & probat sic, quia requiritur ex parte satisfacientis, quod magis offerat Deo, quam valeat tota creatura. Quarta est, illa satisfactio fieri debuit per mortem Christi, & ita probat; homo peccaverat per suavitatem; ergo redimi debebat per asperitatem; nihil autem asperius, aut difficilius, aut majus sub Deo potest homo ad honorem Dei sponte, & non ex debito pati, quam mortem: igitur Christus homo, qui major erat omnibus, debuit satisfacere per mortem. Hæc Anselmus apud Scotum in 3. dist. 20. qu. 1., quos refert Fraslen.

IV. Probatur ex eodem Scoto apud eundem Fraslen, & explicatur, verbis hisce: „ „ Non fuisse necessarium, quod Christus „ homo redimeret hominem per mortem, „ nisi necessitate consequentiæ, scilicet „ posito quod ordinaverit sic illum redimere; sicut si curro, moveor: hæc est „ necessitas consequentiæ: Sed antecedens „ est simpliciter contingens, & similiter „ consequens, scilicet me currere, & me „ moveri: similiter Christum pati mortem „ fuit contingens; sicut contingens fuit „ ipsum prævideri passurum: nulla ergo „ est necessitas nisi consequentiæ: scilicet „ si prævisus fuit pati, patietur: sed tam „ antecedens, quam consequens fuit contingens. „ Et infra „ quod Christus passus est propter justitiam; vidit enim mala Judæorum, quæ fecerant, & quomodo inordinata affectione & distorta afficiebantur ad legem suam, nec permittebant hominem curari in Sabbato, & tamen extrahebant ovem, vel bovem de puteo in Sabbato, & multa alia: Christus igitur volens eos ab errore illo revocare per opera, & sermones, maluit mori, quam non facere, quia tunc erat veritas dicenda Judæis, & ideo pro justitia mortuus est. Tamen de facto sua gratia passionem suam ordinavit, & obtulit Patri pro nobis, & ideo multum tenemur ei: ex quo enim aliter potuisset homo redimi, & tamen ex sua libera voluntate sic redemit, multum ei tenemur, & amplius „ quam si sic necessario, & non aliter potuissemus fuisse redempti; ideo ad alliciendum nos ad amorem suum, ut credo, „ hoc præcipue fecit, quia voluit hominem „ amplius teneri Deo: sicut si aliquis genuisset primo hominem, & postea instruxisset eum in disciplina, & sanctitate, amplius obligaretur ei, quam si tantum genuisset eum, & alius instruxisset; „ sed hæc est utilitas, non necessitas. „

Arguunt I. Si Deus non judicasset absolute necessariam ad redemptionem generis humani mortem Christi, non debuisset illam ordinare: ergo si illam ordinavit, fuit absolute necessaria. Probatur antecedens. Privatio vitæ Christi erat omnimode considerabilis; at nemo sapiens facit jacturam rei considerabilis, pro obtinendo aliquo, ad quod illa non est simpliciter, & absolute necessaria: ergo si Deus ordinavit mortem Christi ad reparationem generis humani, illa fuit absolute, & simpliciter necessaria. II. Sufficiebat ad redemptionem quilibet actus bonus Christi: ergo mors illius neque etiam erat necessaria necessitate consequentiæ. III. Melius fuisset medium ad reparandum genus humanum aliquem Christi operatio, cui non fuisset crimen annexum, quam passio, & mors Christi, cui fuit annexum crimen occidentium illum: ergo nec etiam mors Christi fuit necessaria necessitate consequentiæ. IV. Mors Christi non poterat redimere illos, qui ipsi mortem inferebant: ergo non poterat redimere totum genus humanum. Probatur antecedens; Actio privans Christum vita, erat in eodem gradu malitiæ, in quo erat bonitatis Christi vita; quemadmodum odium occidentium Christū erat tantæ malitiæ, quantæ erat bonitatis amicitia Christi; sed pœna debet esse major culpa: ergo Christus per suam mortem, non poterat redimere illos, qui ipsi mortem inferebant.

Respondemus ad I. Deum ordinasse Christi mortem, non ex necessitate, sed ex infinita charitate, qua genus humanum diligebat. Unde dicitur in Scripturis: *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, misit Filium suum in mundum &c.* Et Apostolus ad Romanos 5. scribebat: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.*

Ad II. Quia Deus ordinavit, genus humanum redimendum fore, non per quemlibet actum bonum Christi, sed per solam passionem, & mortem ipsius; inde est, quod

Digitized by Google

quod ejus passio, & mors fuit necessaria necessitate consequentiæ: & quia poterat etiam Deus ordinare, quod genus humanum, per quemlibet actum bonum Christi redimeretur; inde est etiam, quod ad redemptionem humani generis Christi passio, & mors non fuit simpliciter, & absolute necessaria.

Ad III. Crimen non est annexum actui ex malitia operantis actum bonum, sed ex alterius malitia, qui actum malum operatur; & quantum in hoc malitia crescit, tantum in illo crescit bonitas. Unde aliquando major est bonitas in actu bono, quem comitatur malitia alterius, quam in actu bono sine malitia alicujus. Et si hoc esset neque martyrium Deo placeret, quia etiam illi est annexum crimen inferentium Martyribus mortem.

Ad IV. Dicimus cum Scoto apud Fraßen: „ Nullum esse peccatum etiam crucifigentium Christum, quod non fuerit expiabile etiam per ipsius passionem, quia „ nullum potuit esse tam abominabile, aut „ odiosum Deo, quin magis esset ipsi grata voluntaria Christi oblatio pro hominum peccatis expiandis: quia illa actio „ habebat perfectionem ex charitate supernaturali, ex qua procedebat, & præterea ex circumstantia personæ Christi, „ ratione cujus potius deberet magis placere, quam displicebat peccatum quodcunque. Quod si etiam non haberet tantam ex se bonitatem, poterat tamen a „ Deo acceptari tanquam satisfactio; sicut „ actus meritorius vitæ æternæ, qui non „ accedit ad dignitatem ejus, adhuc acceptaretur a Deo tanquam meritum condignum ejus. „

Pro tertia Dissertationis parte. Primo adnumeramus Martinum Lutherum, Calvinum, aliosque proximorum temporum Heterodoxos, qui quanvis concesserint Christum fuisse omnium hominum Redemptorem, & pro omnibus hominibus fuisse mortuum; attamen dixerunt termino, *omnium*, intelligendos esse solos prædestinatos, non vero electos. Et ratio ipsorum est, quia justificatio per ipsos ponitur in hoc, quod Deus non imputet peccata: & quia etiam secundum ipsos peccata semper imputantur reprobis, nunquam vero, etsi gravia sint, per Christi merita imputantur electis; & ob hoc per ipsos Christus tantum electorum est Redemptor, & pro iis tantum est mortuus.

Secundo, Alii per nomen, *omnium*, voluerunt, non tantum intelligi illos, quos Scriptura electos, & prædestinatos appellat, verum quoque illos ex reprobis, qui in tempore recipiunt aliquam actualem gratiam, vel habitualem. Unde asserunt, Christum fuisse mortuum non tantum pro electis, sed etiam pro iis reprobis, qui in baptismo, aut in pœnitentiæ sacramento justificati, deinde peccatum mortale committunt, & in eo moriuntur, atque damnantur. Et ratio ipsorum est, quia Christus pro iis est mortuus, qui ex illius morte beneficium aliquod recipiunt; at illi, qui justificantur per baptismum, aut pœnitentiam, quanvis usque ad finem non perseverent, ac proinde sint reprobi, beneficium aliquod ex Christi morte recipiunt: ergo &c.

Tertio fuit Cornelius Jansenius, Episcopus Iprensis, qui in libro suo, cui titulus *Augustinus*, lib. 3. de gratia Christi Salvatoris cap. 21. scripsit, quod *Christus pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium, æterna salute, mortuus non sit, nec sanguinem fuderit, nec semetipsum redemptionem dederit, nec Patrem oraverit, imo non magis pro æterna liberatione ipsorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit.* Et paulo ante: *Proderit igitur illi necessario Christi sanguis, & mors, pro quo sanguinem ille fuderit, & mortuus fuerit, & cui nullo modo prodest, pro illo nec sanguinem fudit, nec mortuus fuit.* Ad hæc additur propositio ejus 5. quam damnavit Innocentius X., & hæc est: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Quarto Thomistæ docent, Christum, habita ratione voluntatis, quam moriens habuit, æqualiter pro omnibus in individuo hominibus mortuum non esse. Et ratio ipsorum est apud Jueninum, quia etsi Christus ratione pretii, quod Patri persolvit, mortuus sit pro omnibus in individuo hominibus, quia pretium fuit infinitum ac proinde sufficiens ad omnium in individuo salutem; ratione tamen voluntatis non fuit, quia in Christo moriente, etsi fuerit sincera voluntas, non absoluta tamen, & consequens fuit salvandi omnes in individuo, sed ineffica, & antecedens.

Quinto. Alii docent, Christum pro omnibus in individuo hominibus æqualiter fuisse mortuum; scilicet quantum in ipso fuit æque efficaciter petiisse æternam salu-

salutem, & auxilia necessaria ad illius comparationem pro reprobris, ac pro electis; reprobos autem non consequi salutem, quia nolunt uti auxiliis, quibus utuntur electi sive ad conversionem, sive ad perseverantiam obtinendam.

Dicimus, Christum mortuum esse pro salute omnium, & singulorum hominum, nec uno excepto.

I. Probatur ex Scripturis 2. ad Corinthios 5. *Pro omnibus mortuus est Christus*. Ad Hebræos 2. *Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*. 1. ad Timotheum 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Et cap. 4. *Qui est Salvator omnium hominum*. Ad Romanos 8. *Qui etiam proprio Filio sua non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Ad Ephesios 5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem, & hostiam Deo*. 1. Joannis 2. *Christus propitiator est peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed totius mundi .... Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi*. Ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, nec debemus limitare, ubi Scriptura non limitat:

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo Magnus serm. 1. de Nativitate: *Sicut nullum a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit*. Innocentius X. damnans quintam Jansenii propositionem, eam dixit falsam, temerariam, & scandalosam, & superaddidit, quod si intelligatur eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, vult, ut sit quoque impia, blasphæma, contumelios, divinæ pietati derogans, & hæretica; ac uti talem declarat, & damnat. Unde audiendi non sunt occulti illi Jansenii fautores, qui propositionem illam quintam in hoc ultimo sensu tantum intelligunt, ut uti talem negant Jansenii esse: hi enim jugulantur sine effugio a Pontificibus subsequentibus, nimirum ab Alexandro VII., a Clemente IX., ab Innocentio XII., a Clemente XI. &c.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Arelatense approbavit epistolam Fausti, qui adhuc catholicum nomen profitebatur, ubi anathema profertur in eum, qui dixerit, quod Christus non sit mortuus pro omnibus. Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 2. & 3. ubi de Christo Domino dicitur: *Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen beneficium mortis ejus accipiunt*. Quæ verba desumpta sunt ex Epistola 1. Joannis cap. 2. *Advocatum habemus apud Patrem &c.* ut nuper attulimus.

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Nazianzenus oratione ad Arianos: *Omnes citra ullam exceptionem instaurati sumus*. Et oratione 2. in Pascha, Christi passionem, & mortem appellat *non exique cujusdam partis orbis terrarum, sed totius mundi expiationem, nunquam intermorituram*. Basilius in psalm. 48. *Inventum est unum pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe Sanctus, & omni pretio superior pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit*. Chrysostomus hom. 7. in 1. Epist. ad Timotheum explicans hæc Apostoli verba supra citata: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Quid ergo*, inquit, *& pro gentilibus? ita; Christus etiam pro gentilibus mortuus est. Et quo pacto, inquies? illi non crediderunt, quia noluerunt: quod erat partium ipsius impletum est*. Cyrillus lib. 4. in S. Joan. explicans illa Christi verba: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: crucifixus est*, inquit, *Christus pro omnibus, & propter omnes: ut uno pro omnibus mortuo, omnes in ipso vivamus*.

V. Probatur ex Patribus Latinis. Ambrosius serm. 8. in psal. 118. explicans verba illa: *Misericordia Domini plena est terra*, inquit: *Sol justitiæ omnibus ortus est; omnibus venit; omnibus passus est; omnibus resurrexit: si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios Solis excludat: non enim ideo Sol non est ortus omnibus, quia calore ejus se fraudavit*. Hieronymus epist. 83. ad Oceanum: *Mentitur Joannes Baptista digito Christum, & voce demonstrans, ac dicens. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; si sunt adhuc in sæculo, quorum peccata Christus non tulerit*. Augustinus serm. 114. de temp. *Una morte universum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium reparator, absolvit. Judicabit orbem terrarum, non partem, quia non partem emit: totum judicare habet, qui pro toto pretium dedit*. Enarrat. in psal. 95. *In illo uno mortui sunt omnes, ut moreretur alius unus pro omnibus*. Lib. 6. contra Julianum cap. 9. & 10. *Pro omnibus mortuus est unus: impingo, inculco, insarcio recusanti .... unus*

pro

Digitized by Google

pro omnibus mortuus est. Item lib. 20. de Civit. Dei, c. 6. *Pro omnibus mortuis, vivus mortuus est unus*. Similiter lib. de vocat. gent. c. 16. *Prorsus pro omnibus mortuus est Christus*. Bernardus serm. 2. in psalm. *Qui habitat*: *Possunt omnes homines dicere: Redemptor meus es tu, sicut possunt omnes dicere: Creator meus es tu*.

VI. Probatur rationibus. I. Deus vult omnes, & singulos homines salvare, nec uno quidem excepto; sed qui salvantur omnes, & singuli, nec uno quidem excepto, per Christum salvantur: ergo omnium hominum, & singulorum, nec uno quidem excepto, Christus per mortem suam fuit Redemptor atque Salvator. Major est Apostoli 1. ad Timoth. cap. 2. *Deus omnes homines vult salvos fieri*; minor habetur Actorum 4., ubi dicitur, quod *non est in alio aliquo salus, nisi in Christo*; consequentia sequitur. II. Possunt aliqui homines perire, pro quibus Christus est mortuus; sed qui pereunt sunt reprobi: ergo pro reprobis mortuus est Christus. Major habetur ad Romanos 14. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est*. Minor negari non potest, reprobi enim sunt qui damnantur; damnantur qui pereunt: ergo qui pereunt, reprobi sunt. III. Quilibet professus Christi fidem, sive prædestinatus sit, sive reprobus, credere tenetur hunc Symboli articulum: *Qui passus est pro salute nostra*; adeoque tam electus, quam reprobus tenetur credere hanc propositionem: *Christus passus est pro salute mea*: ergo Christus passus est pro salute tam electorum, quam reproborum. IV. Pro iis omnibus, & singulis passus & mortuus est Christus, qui per Adæ peccatum perierunt; sed omnes, & singuli homines, sive electi sive reprobi per Adæ peccatum perierunt, & mortui sunt: ergo pro omnibus, & singulis hominibus mortuus est Christus. Major patet ex Apostolo 2. ad Corinth. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt*; ubi S. Paulus infert, omnes per Adæ peccatum periisse, ac mortuos esse, quia Christus pro omnibus mortuus est. Hoc etiam argumentum adhibet S. Augustinus lib. 6. contra Julianum cap. 1. probans, omnes etiam parvulos per peccatum originale mortuos esse, ex eo, quod Christus pro omnibus mortuus est. Hoc autem argumentum nihil probaret, si essent aliqui, pro quibus Christus mortuus non esset. V. Christus mortuus est pro illis, pro quibus in cruce oravit; sed in cruce oravit etiam pro reprobis: ergo etiam pro reprobis mortuus est. Minor patet; quia pro crucifixoribus reprobis in cruce oravit, dicens: *Pater ignosce illis*; ut explicant Patres, quos referunt, scribentes contra Jansenium, & præcipue Descamps lib. 3. contra Jansenium disput. 6. cap. 11. VI. Christus satisfecit pro peccatis omnium, & singulorum hominum, etiam illorum, qui in infidelitate moriuntur, etiam justorum, qui in justitia non perseverant: ergo pro omnibus, & singulis hominibus mortuus est: ergo omnes, & singulos homines redemit. Probatur antecedens; quia aliter illi, pro quibus non satisfeciisset, conqueri possent de satisfactione illis negata, & dicere, quod perierunt, quia Christus pro ipsis non satisfecit.

Objiciunt I. In Scripturis dicitur, quod Christus fecit redempionem, non pro omnibus, sed pro multis: ergo Christus vere non redemit omnes, & singulos, sed multos. Probatur antecedens. Matthæi 20. legitur: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam, redemptionem pro multis*. II. Christus Dominus oravit pro electis tantum, & non pro reprobis: ergo pro electis tantum, & non pro reprobis mortuus est. Probatur antecedens ex illo Joannis 17. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi*. III. Etsi SS. Patres dicant, & præcipue Augustinus, quod Christus mortuus est pro omnibus, intelligendi sunt tamen quantum ad sufficientiam, non vero quantum ad efficaciam; scilicet, quia meritum mortis ejus, ac passionis, sufficiens fuit ad redimendos omnes. IV. Christus passus est pro illis tantum, ad quos missus fuit; sed non missus fuit ad omnes: ergo non pro omnibus passus, & mortuus fuit. Minor probatur ex illo Matthæi 15. *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*. V. Ex Augustino lib. 1. de Adulterinis conjugiis cap. 15. habetur: *Omnis, qui sanguine Christi redemptus est, homo est, non tamen omnis, qui homo est, etiam sanguine Christi redemptus est*. Et epist. 102. *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est*. Et lib. 2. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 8. *Qui non estis redempti pretio mei sanguinis, non estis mei*. Et epist. 48. *Christus propitiator est peccatorum .... totius mundi, propter exiguum, quod est per totum mundum*; hoc est propter electos.

Et tract. 55. in Joannem: *Præmisit obsequia, non solum eis, pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi, qui fuerat eum traditurus ad mortem.* Quibus verbis Judas a Christi morte excluditur. VI. Christus non poterat orare pro reprobis, quia antea cognoscebat eorum reprobationem: ergo non poterat mori pro illis. VII. Non omnes receperunt fructum meritorum Christi, nec mortis ejus beneficium experti sunt: ergo Christus non pro omnibus mortuus est. Antecedens est doctrina Concilii Tridentini sess. 6. cap. 3. VIII. Christi voluntas humana fuit semper divinæ conformis: ergo si sciebat Christus, Judæos esse a Deo Patre reprobatos ob prævisam eorum incredulitatem, non poterat applicare merita mortis suæ ad promerendam illis gratiam, & gloriam. IX. Christus non poterat applicare merita mortis suæ pro salute illorum, qui ante adventum ejus erant mortui, atque etiam damnati: ergo pro illis non oravit: ergo illos non redemit: ergo pro omnibus non est mortuus. X. Christus vel applicavit cuilibet homini merita mortis suæ, vel non applicavit; Si non applicavit: ergo non pro omnibus, & singulis mortuus est: Si applicavit, vel æqualiter applicavit, vel inæqualiter; Si æqualiter: ergo omnes debebant salvari: Si inæqualiter: ergo fuit apud ipsum acceptio, & distinctio personarum.

Respondemus ad I. Non esse novum in divinis Scripturis, aliquando *multos* idem significare ac *Omnes*. Ad Romanos 5. legimus: *Unius delicto multi mortui sunt*; & nihilominus idem Apostolus alibi dicit, quod in Adam *omnes peccaverunt*, Unde *multi* terminus idem sonat ac pro tota multitudine, quod est idem, ac dicere *omnes*. Quod si alicubi ponantur termini restrictiores, & determinate significantes solos electos, adhibenda est distinctio redemptionis, seu satisfactionis in sufficientem, & efficacem, generalem, & specialem; & dicendum est, ut apud Cacheranum legitur ex communi patrocinantium nostram sententiam sensu, „ Christum pro electis specialius „ mortuum esse, pro ipsis satisfeciisse, ipsos „ redemisse specialius, ideſt cum efficacia, „ effectuque salutis; cum quo stat etiam „ pro reprobis mortuum esse, etiam pro „ reprobis satisfeciisse, etiam reprobos re„ demisse, at universaliori modo obti„ nendo illis sufficientem gratiam ad salu„ tem &c.„ Denique Jansenius ipse Commentario in Matthæum concedit *multos* posse significare, *omnes*, quando *omnes* sunt *multi*.

Ad II. Distinguitur antecedens: Oravit pro electis tantum semper, negatur; aliquando, concediur. Quum enim Christus Dominus multoties oraverit, aliquando potuit orare pro solis electis, aliquando pro omnibus hominibus, aliquando etiam pro suis solis discipulis, ut fuit in textu, qui objicitur, quod apertissime patet cuicunque textum attente legit. Et Augustinus tract. 107. in Joannem, asserens Christum oravisse pro electis, electorum nomine intelligit Apostolos, quia Apostolos Christus ipse elegit; unde dixit illis: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*.

Ad III. Si vera esset explicatio illa Patrum, quam adversarii nobis obtrudere intendunt, sequeretur quod Christus etiam pro dæmonibus mortuus esset, adeoque dici posset, atque deberet æque hominum, ac dæmonum Salvator, & Redemptor. Et ratio est, quia in tantum per adversarios dicitur Christus reproborum hominum Redemptor, in quantum meritum mortis ejus, ac passionis fuit sufficiens ad redimendum homines reprobos; sed etiam fuit sufficiens ad salvandum dæmones: ergo pari modo dici posset, ac deberet hominum, ac dæmonum Redemptor, & Salvator. Hoc autem non solum menti Sanctorum Patrum, & præcipue Augustini repugnat, sed etiam a veritate catholica prorsus est alienum; ut ait Abelly.

Ad IV. Distinguunt majorem; Christus tantum salvavit illos, ad quos missus fuit, solum personaliter, negant; vel personaliter, vel ministerialiter, hoc est per ministros, concedunt. Et in hoc sensu ajunt, Christum missum fuisse ad omnes, quia ipsemet misit Apostolos ad omnes gentes; & quando dicit, se tantum missum esse ad Israelitas, indicat tantum suam personalem missionem, non vero ministerialem.

Ad V. Explicatur Augustinus dicendo ad primam ejus auctoritatem, quod non omnis homo redemptus sit passive, quia sibi de facto non applicavit Christi sanguinem, recte vivendo, & moriendo; redemptus est tamen active omnis homo, quantum scilicet ex parte Christi se tenet. Ad secundam, & quintam auctoritatem dicitur, nullum periisse, pro quo mor-

Digitized by Google

mortuus est efficaciter, ideſt intendens absolute ipsius salutem æternam; periisse tamen aliquos, pro quibus mortuus est sufficienter, scilicet intendens præcise procurare ipsis media sufficientia, quibus salvarentur, si vellent. Et ita explicat Hennus assecla Scoti. Ad tertiam, Augustinus ibi loquitur de redemptione completa, prout nimirum sanctificationem ex parte redemptorum importat. Ad quartam dicitur, ibi loqui de propitiatore cum effectu ex parte eorum, pro quibus est propitiatio. Et hoc modo explicandi sunt alii Patres, qui hæc, & his similia scribunt.

Ad VI. Christus non potuit orare pro reprobis quidem, itaut Deus mutaret sententiam reprobationis latam; at potuit orare, ut Deus conferret ipsis gratias sufficientes ad salutem, si uti illis vellent. Primum non potuit propter eorum impœnitentiam finalem prævisam, secundum potuit, ut sic reprobi essent omnino inexcusabiles, sibique attribuerent perditionem æternam.

Ad VII. Dicitur, quod qui non receperunt fructum redemptionis Christi, non ex defectu Christi, sed ex defectu ipsorum non acceperunt; quatenus ipsi noluerunt sibi applicare meritum passionis, & mortis Christi. Et ita intelligendum est Concilium Tridentinum, quia, ut ait Apostolus 2. ad Corinthios 6. Multi gratiam Dei in vacuum recipiunt, quia inspirationibus, & motionibus Spiritus Sancti moti, & excitati, illis consentire noluerunt. Gratiam tamen illam, per quam moti & excitati fuerunt, per merita Christi habuerunt, cum nulla gratia nisi ex meritis Christi, hominibus conferatur, & quia motiones illas ex propriæ voluntatis pravitate objecerunt, ideo nullum ex Christi morte fructum experti sunt, non quidem defectu applicationis ex parte Christi, sed defectu consensus & cooperationis ex parte ipsorum, ut ait laudatus Abelly.

Ad VIII. Respondet idem Abelly, distinguendo in Christi Domini voluntate plures actus; quorum primus est, ut Christus voluntate quadam generali, & antecedente voluerit, ut omnes homines, qui per peccatum Adæ perierant, per media quædam convenientia salutem æternam consequerentur, quemadmodum sciebat Deum Patrem eodem modo velle omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Secundus est, quod Christus voluerit pro omnibus mori, ac offerre merita mortis, & passionis suæ Deo Patri, ut obtineret omnibus media illa necessaria ad salutem consequendam, & gratias ad id sufficientes, sicut Patrem velle, sciebat. Tertius denique actus est, quod quum prævidisset Christus, quod aliqui gratias illas oblatas abjicerent, alii vero eas acceptarent, iisque consensum præberent, illos in peccato suo justissime dereliquit, ut dixit Joannis 8.: *Ego vado: quæretis me, & in peccato vestro moriemini*: Iſtis vero justificationem, etsi fideles essent in accepta justitia, finalem perseverantiam in ea, ac demum æternam salutem conferre voluit; & ad id obtinendum applicavit efficaciter merita passionis, ac mortis suæ, & Deo Patri obtulit, quod & voluntati ejus conforme esse, certo sciebat. Et hoc pacto Christus voluntatis suæ cum divina voluntate, perfectam conformitatem semper servavit.

Ad IX. Idem Abelly respondet verbis hisce: „ Eatenus intelligi Christum merita „ passionis suæ obtulisse pro illo, quatenus „ approbavit, & veluti ratam habuit con„ cessionem gratiarum ad salutem suffi„ cientium, ipsis a Patre Cœlesti factam „ intuitu futurorum meritorum suorum: „ quæ quidem eodem modo ipsis applica„ vit, quo a Patre suo jam applicata fue„ rant, quod non impedivit quin simul „ etiam ratam haberet illorum reprobatio„ nem, ob abusum gratiarum, & finalem „ impœnitentiam. „

Ad X. Duplex est applicatio, activa scilicet, & passiva; activa se tenet ex parte Christi, passiva ex parte hominum. Christus æqualiter applicavit merita passionis, & mortis suæ pro omnibus, & singulis hominibus; at homines non sic, quia alii applicaverunt; alii vero non; Et ob inde perditio ipsorum non fuit ex parte Christi, sed ex parte ipsorum; Unde quanvis ipsi non fuerint salvati, vere tamen Christus pro ipsis mortuus est, ipsosque redemit.

Pro quarta Dissertationis parte, non recedentes ab iis, quæ diximus in Dissertatione CLXIII., ubi probavimus necessariam fuisse incarnationem necessitate reparationis peccati per condignam satisfactionem; modo etiam asserimus, satisfactionem, quam Christus pro omnibus, & singulis hominibus redimendis Deo Patri dedit, fuisse condignam; qualem scilicet pura creatura dare non poterat, & solus Homo-Deus poterat Deo Patri exhibe-

hibere; ut ex dictis in eadem Dissertatione CLXIII. probatum supponimus.

An vero sit Christi satisfactio de toto rigore justitiæ, ut Thomistæ defendunt, an vero non, ut asserunt Scotistæ; quæstio sit hæc satis, superque in Scholis agitata, & inter Scholasticos Doctores acri studio, ut profixo calamo, ex una parte, & ex altera parum utilis, ut nobis videtur, & nullatenus certe necessaria; ideo ad alios, qui eam ad satietatem, immo etiam ad nauseam, pertractant, legentes remittimus.

DISSERTATIO CXCV.

De Christo Mediatore. An Christus revera sit Mediator inter Deum, & hominem? An sit Mediator pro ut homo, an vero pro ut Deus? Et quam mediationem Christus inter Deum, & hominem exerceat?

PRIMO contra Christum Mediatorem errarunt Ariani, qui negantes Dei Filio eandem cum Patre divinitatem, illum Mediatorem dici putarunt, quod esset mediæ substantiæ cujusdam, inter Deum verum, & homines, qua esset his superior, & illo inferior. Testatur S. Cyrillus Alexandrinus Dialogo 1. de Trinitate; Verum quoque fatetur Eusebius Cæsariensis lib. 1. contra Sabellium, ubi asserit, Dei Filium Unigenitum fuisse necessarium ad mundi procreationem, & conservationem; post quæ sibi obiiciendo, & respondendo addit: *Sed fortasse dicis: Non sufficit enim Pater? Non quia non sufficiens Pater, ideo genuit Filium; sed quia non sufficiebant ea, quæ facta sunt sufferre potestatem, ideo per Mediatorem loquitur.*

Secundo Franciscus Stancharus, Mantuanus, in Academia Regio-Montana in Borussia, professor Theologiæ, & linguæ hebraicæ, dividens in Christo duas naturas, more Nestorii, voluit, Christum non nisi secundum humanam naturam Mediatorem fuisse. Testes sunt Bellarminus, Frassen, P. Boucat, Conradus Schulsset-Burgius, Lucheranus lib. de Stancharistis. Gaspar Ulenbergius caus. 9., & Confessio Mansfeldensium de hæresi Stanchariana.

Tertio Andreas Osiander docuit, Christum Mediatorem justificare hominem secundum divinam naturam tantum; Unde per hoc Christi passionis, mortis, & sanguinis meritum penitus evertit, & justitiæ thesaurum, quem Christus moriendo in cruce comparavit, abjecit, atque negavit. Refert Gaspar Ulenbergius causa 9.

Quarto Christianus Franchus lib. de Trinitate has blasphemias impuro calamo, atque impio scribere ausus est: *Christus non est Deus, creatura est, cujus beneficium nullum agnosco: Mediator, quem vos esse fingitis, non potest esse: quod neque ut Deus, neque ut homo, hoc officio fungi unquam potuerit.* Narrat Coccius.

Quinto Alii voluerunt, Christum exercere officium Mediatoris secundum utramque naturam, divinam scilicet, & humanam. Citantur a Bellarmino hujus hæresis Auctores Calvinus in Epistolis duabus ad Polonos, Ministri Tigurini, Henricus Bullingerus, Petrus Martyr, & alii in epistolis etiam duabus ad Polonos, Martinus Kemnitius in libro de duabus naturis, Melanchthon, & Josias Simblerus in lib. contra Stancharum, ubi defendit epistolas Tigurinorem a Stancaro oppugnatas.

Sexto Sociniani vocant quidem Christum Mediatorem, sed ideo tantum, quia oravit, & adhuc modo interpellat pro nobis ad Patrem; at negant, quod Christus sit Mediator solvendo, & satisfaciendo Patri pro nobis. Testatur P. Boucat.

Dicimus I. revera Christum esse Mediatorem inter Deum, & hominem.

I. Probatur ex Scripturis. I. ad Timoth. 5. *Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus.* Ad Hebr. 9. *Novi testamenti Mediator est.* Et cap. 12. *Mediatorem Jesum, & san-*

Digitized by Google

sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel. Ad Galatas 3. *Data est lex per Angelos in Manu Mediatoris.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Cajus Papa epist. ad Felicem Episcopum, si genuinæ sunt epistolæ priorum Romanorum Pontificum usque ad Siricium: *Qua ratione veritatem Mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei æqualis est Patri, in forma servi particeps esset & nostri, ut mortis vinculum, unius prævaricatione contractum, unius morte (qui solus nihil morti debuit) solveretur? Effusio enim justi sanguinis Christi tam fuit dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum Diaboli vincula retinerent.* Gregorius magnus lib. 3. in Job. c. 11. *Mediator noster puniri pro semetipso non debuit; quia nullum culpæ contagium perpetravit. Sed si ipse indebitam mortem non susciperet,* nunquam nos a debita morte liberaret. Pater ergo *cum justus sit, justum puniens, omnia juste disponit: Quia per hoc cuncta justificat, quod eum, qui sine peccato est, pro peccatoribus damnat: Ut ea electa omnia in culmen justitiæ surgerent, quo is, qui est super omnia, damna injustitiæ nostræ sustineret &c. Frustra tamen juxta semetipsum afflictus est, juxta verò nostra acta non frustra. Rubigo quippe peccati, purgari non potuit, nisi igne tormenti. Venit itaque sine vitio, qui se subjiceret sponte tormento; ut debita nostræ iniquitati supplicia, eò reos suos juste amitterent, quò hunc à semetipsis liberum injuste tenuissent. Frustra ergo, & non frustra afflictus est: quia in se quidem admissa non habuit, sed proprio cruore reatus nostri maculam tersit.* Et hom. 129. in Evangel. *Pro nobis mediator Dei & hominum homo Jesus Christus gratuitò reddidit, quod non debebat. Qui enim pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos a debita animæ morte liberavit.* Leo magnus ep. 83. ad Episcopos per Palæstinam constitutos cap. 3. *Qua ratione veritatem Mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei æqualis erat Patri, in forma Servi particeps esset, & nostri: ut per unum novum hominem fieret renovatio vetustatis, & mortis vinculum, unius prævaricatione contractum, unius morte, qui solus morti nihil debuit, solveretur? Effusio enim pro injustis sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium; ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.* Pariter decernunt, pœna mortis puniendos esse, qui negant, Christum pro redemptione hominis esse mortuum Paulus IV. Constit., quæ incipit, *cum quorundam*; 4. Clemens VIII. Const. *Dominici.* 95., & iidem Pontifices volunt, tradendos esse Curiæ seculari, & quando.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Toletanum VI. c. 1. *Hic* (Christus) *venit in hunc mundum peccatores salvos facere, & credentes justificare: faciensque mirabilia, traditus est propter delicta nostra, mortuus est propter expiationem nostram, resurrexit propter justificationem nostram, cujus livore sanati sumus, cujus morte Deo Patri reconciliati, cujus resurrectione sumus resuscitati.* Concilium Toletanum XI. in Confessione fidei. *Unigenitus Dei Filius solus pro nobis peccatum factus, idest sacrificium pro peccatis nostris: tamen passionem ipsam salva divinitate sua, pro delictis nostris sustinuit, mortique adjudicatus & cruci, veram carnis mortem accepit.* Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. *Justificationis impii causa est misericors Deus, qui gratuito abluit & sanctificat; meritoria est dilectissimus Unigenitus, qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis satisfecit.*

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Irenæus lib. 3. c. 20. *Oportebat Mediatorem Dei & hominum per suam cum utroque propinquitatem, ambos in amicitiam & concordiam adducere; ac Deo quidem repræsentare hominem, hominibus vero Dei communicare notitiam.* Athanasius lib. de natura humana susceptæ: *Verus Deus est Filius, & antequam homo fieret, & postquam factus est Mediator Dei & hominum homo Jesus Christus, unitus Patri secundum Spiritum Sanctum, nobis vero secundum carnem, atque ita Mediatoris partibus functus inter Deum, & homines, qui non solum homo est, sed etiam Deus.* Epiphanius in Anchorato num. 44. *Vides quemadmodum ipsum hominem esse declarat, non tamen nudum ac simplicem. Nam quando Dei, & hominum Mediator dicitur, ideo dicitur, quia inter utramque partem Mediator est apud Patrem suum.* Theodoretus ad verba Pauli: *Unus Deus, & unus Mediator Dei, & hominum Christus Jesus, qui seipsum dedit redemptionem pro multis;* hæc habet: *Sed & ipsum quoque nomen Mediatoris, divinitatis, ibi & humanitatis exprimendæ vim habet, non enim tanquam Deus solum existens Mediator est dictus. Nam quomodo Mediatoris inter nos, & Deum partes impleret, nihil habens*

bans nostrum. Verum quoniam Deus est, potest conjunctus esse eadem cum illo potestate præditus; & ut homo est, nobis consociari, si quidem servi formam suscepit ex nobis. Nyssenus lib. 1. contra Eunomium: *Defectionem fecit aliquando genus hominum adversarii improbitate deceptum, & in peccati servitutem redactum, ab vera vita est alienatum. Instaurat postea fictum a se opus aperit Dominus, & homo fit cum eo, quod jam erat Deus; adeo ut, & totum jam illud esset, & totum illud factum fuerit, atque hoc modo cum Deo mixta, & temperata est humana natura, mediatore, ac sequestre homine illo, qui est in Christo, cum quo tota virtute per assumptas nobis primitias massa temperata coaluit. Quoniam igitur Mediator unius non est, Deus autem unus est; isque nullo modo in illis, quas fides nobis tradit, personis dividitur; siquidem una in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto divinitus inest: idcirco Mediator semel Dei, & hominum sit Dominus, hominem per sese cum Divinitate conjungens.* Similia habent Cyrillus Alexandrinus in Joannem pag. 102. Chrysostomus in 1. ad Timotheum, Basilius lib. 4. contra Eunomium, aliique Patres Græci.

V. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus lib. de resurrect. carnis cap. 51. de Christo loquens: *Hic sequester Dei atque hominum appellatus, ex utriusque partis depositio commisso sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso, arrabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis arrabonem Spiritus reliquit, ita & a nobis arrabonem carnis accepit; vexit in cœlum pignus totius summæ illuc quoque redigendæ.* Hilarius lib. 9. *Mediator ipse ad salutem Ecclesiæ constitutus, & illo ipso inter Deum, & hominem, mediatoris Sacramento utrumque, unus existens, dum ipse unitis in idipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est: ita tamen ut neutro careret in utroque, ne forte Deus esse homo nascendo desineret, & homo rursum Deus manendo non esset.* Augustinus lib. 1. de consensu Evangelistarum cap. ultimo: *Quia omnia, quæ in contrarium pergunt, per aliquod medium reducuntur: ab æterna justitia, temporalis nos iniquitas alienabat. Opus ergo erat media justitia temporali, quæ medietas temporalis esset, de imis mixta, & summis; atque ita se nec abrumpens a summis, & contemperans imis, una redderet summis. Ideo Christus Mediator Dei, & hominum dictus est inter Deum immortalem, & hominem mortalem, Deus, & homo reconcilians hominem Deo, manens id, quod erat, factus quod non erat.* Et serm. 120. de diversis: *Ut autem Mediator esset inter Deum, & homines, inter justum, & injustos, inter immortalem, & mortales, assumpsit aliquid ab injustis, & mortalibus, servans aliquid cum justo, & immortali. Cum justo enim & immortali servans justitiam, ab injustis, & mortalibus assumens mortalitatem, factus est in medio reconciliator, dejiciens murum peccatorum nostrorum.* Et lib. 19 confessionum cap. 43. *Mediator illo Dei, & hominum homo Christus Jesus, inter mortales peccatores, & immortalis, & justus apparuit: mortalis cum hominibus, justus cum Deo.* Et lib. 10. de Civit. Dei cap. 20. *Unde verus ille Mediator, in quantum formam servi accipiens, Mediator effectus est Dei, & hominum, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo unus est Deus, tamen in forma servi maluit esse.* Eadem docet S. Doctor epist. 59. ad Paulinum, psal. 6. & alibi. Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum cap. 12. *Cunctos præterea, qui salutis esse cupiunt æterna participes, oportet agnoscere, pariter & tenere, nec incassum hominem Jesum Christum Mediatorem Dei, & hominum nuncupatum, nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, & idem homo totam in se habet substantiam Deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus a Deo, inter Deum inascentem, hominemque peccantem, talis utique Mediatoris debuit intervenire persona, quæ ad propitiandum Deum homini, totum verumque in se Deum de Deo natum haberet: & ad reconciliandum hominem Deo, totumque in se de homine natum hominem contineret: atque ita ex utroque in utroque unus Christus esset, ut plenitudo Deitatis susceptum non consumeret, sed provocaret hominem, & plenitudo humanitatis nec minoraret immensum, nec mutaret impassibilem Deitatem, ac si hominis natura, quæ mutata fuerat in deterius, per illum tota redintegraretur, quo nihil est melius. Propterea se Mediator Dei, & hominum plenum Deum, plenumque dignatus est hominem demonstrare.* His similia habent Cyprianus lib. 2. adversus Judæos; Novatianus lib. de Trinit. cap. 14. Lactantius lib. 4. cap. 25. Rupertus lib. 10. de divinis Officiis cap. 6. S. Leo Magnus ser. 1. de natali Domini, Ambrosius, Hieronymus &c.

VI. Probatur rationibus I. Christus placavit nobis Deum contra nos iratum: ergo pro nobis satisfecit ut verus Mediator; & quidem non tantum orando, & supplicando,

Digitized by Google

cando, sed etiam solvendo, & satisfaciendo. Consequentia sequitur; Etenim ad Ephesios 2. *Eramus natura filii iræ*; antecedens probatur, quia Christus fecit, ut gratia filii iræ non simus. II. Christus solvit debitum per passionem, & mortem suam, quod contraxerat homo per peccatum: ergo fuit verus Mediator inter Deum, & hominem. Antecedens patet ex illo ad Romanos 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem*; Quod ultimum verbum græce legitur; *victimam ad placandum Deum*: & 1. Joannis 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* III. Christus per mortem suam reconciliavit homines Deo Patri: ergo vere satisfecit pro hominibus ut Mediator. Antecedens probatur ad Romanos 5. *Cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem Filii ejus*. Et ad Ephesios 2. *Nunc autem in Christo Jesu, vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua*. Et ad Colossenses 1. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos.* IV. Christus non solum oravit pro redemptione nostra, sed etiam dedit Deo Patri pretium redemptionis nostræ: ergo verus fuit Mediator inter Deum, & nos. Probatur antecedens ex 1. ad Timotheum 5. *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem*; in textu græco legitur; *redemptionis pretium semetipsum*. Et ad Hebræos 9. *Ideo novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt Sancta* secundum vulgatam *æterna hæreditatis*. Et cap. 12. *Mediatorem Jesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel*. V. Christus vere sustulit inimicitiam, & divisionem, quæ erant inter Deum, & homines: ergo vere & propriè est Mediator inter Deum, & homines. Quod inter Deum, & homines fuerit inimicitia, & divisio habemus ex cap. 59. Isaiæ: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis*. Quod vero inimicitia, & divisio sublata fuerit a Christo habemus ex cap. 2. Epistolæ ad Ephesios: *Ipse enim pax nostra, qui fecit utraque unum*. Et Chrysostomus homil. 24. ad Populum Antiochenum utrumque complectebatur scribens: *Deo nos fuimus inimici: & Unigenitus Filius nos Deo reconciliavit*.

Dicimus II. Christum non esse Mediatorem pro ut homo a persona Verbi præcisus; neque prout Deus, præcisus ab humanitate, sed pro ut homo, qui sit Verbo conjunctus; nimirum non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem divinum suppositum connotantem.

I. Probatur ex Scripturis. Actorum 20. Opera Mediatoris tribuuntur non soli humanitati, sed ipsimet Deo; quum dicatur, Deum *sanguine suo* Ecclesiam acquisivisse; & in 1. ad Corinth. cap. 2. dicitur, *Dominus gloriæ crucifixus*; & ad Philippenses 2. *Qui in forma Dei erat æqualis Patri* dicitur *humiliatus, & obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis*. Insuper Scripturæ etiam testantur, Christum prout est homo esse Mediatorem; quia 1. ad Timoth. cap. 2. legitur: *Unus Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*; in quibus verbis notatur, quod Apostolus addidit vocem *homo*, ut significaret, Christum esse Mediatorem in humana natura.

II. Probatur ex Conciliis, quia ut ait P. Boucat Sexta Synodus damnavit Monothelitas, quia dicebant, unam in Christo operationem a duabus naturis promanantem, & quidem formaliter a divina. Ex quo infert, quod ponere Christum esse Mediatorem formaliter ut Deum, est collimare cum Monothelitis, qui in eadem sexta Synodo damnati sunt.

III. Probatur ex Patribus. Irenæus lib. 3. cap. 20. *Oportebat Mediatorem Dei & hominum per suam cum utroque propinquitatem, ambos in amicitiam, & concordiam adducere*. Cyrillus lib. 11. in Joannem cap. 7. *In quantum Filius & Deus est, una cum Patre nobis bona largitur; in quantum vero Mediator est & Pontifex, nostras preces ad Patrem adducit*. Et in Apologia pro duodecimo capite contra Orientales: *Quando factus est homo, vocatus est Pontifex, non quod major Deo offerat sacrificium,*

sed

Digitized by Google

sed sibi ipsi, & Patri. Chrysostomus in cap. 9. ad Hebræos explicans verba illa: *Ideo novi Testamenti Mediator est &c.* hæc scribit: *Quid est Mediatori Mediator non est Dominus rei, cujus est Mediator; sed alia quidem res*. Augustinus lib. 10. confes. cap. 43. *In quantum homo, in tantum Mediator; in quantum autem Verbum, non medius, quia æqualis Deo, & Deus apud Deum, & simul cum Spiritu Sancto unus Deus*. Et epist. 59. ad Paulinum. *Per Mediatorem, non Deum, quod semper Verbum erat, sed hominem Christum Jesum*. Et lib. 1. de Trinit. cap. 7. *Christus in forma Dei æqualis Patri, in forma Servi Mediator Dei & hominum*. Et in psalm. 29. *Quid est Mediatorem esse inter Deum & hominem? Non inter Patrem & homines, sed inter Deum & homines. Quid est Deus? Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Qui sunt homines? peccatores, impii mortales. Inter illam Trinitatem, & hominum infirmitatem, & iniquitatem, Mediator factus est homo non impius, sed tamen infirmus*. Fulgentius lib. de incarnat. & gratia Christi cap. 13. *Hic in humana natura Mediator Dei & hominum factus est*.

IV. Probatur rationibus I. Mediator ab utraque parte est aliquo modo distans, adeoque medius; sed hoc convenit Christo, non ut Deus est, sed ut Deus-homo: ergo &c. Major patet, quia si esset idem cum una parte, non posset esse Mediator. Minor probatur. Christus ut homo distat a Deo, ut Deus distat ab hominibus: ergo est ab utraque parte distans: est autem medius, quia ut homo convenit cum cæteris hominibus, & ut Deus non distat a Deo. II. Si Christus est Mediator secundum utramque partem, erit vel secundum utramque conjunctam, vel secundum utramque divisim: non primum, quia in hoc respectu distat quidem a Deo Patre, & Spiritu Sancto, sed non distat a Deo Filio. Neque secundum, quia secundum divinam naturam seorsim acceptam, quæ est pars offensa, Christus nihil distat a Deo. III. Si Christus esset Mediator secundum naturam divinam, omnes tres personæ essent Mediatores, quia opera Trinitatis sunt indivisa; non potest autem dici, quod tota Trinitas sit Mediator, quia hoc esset ponere aliquem Deum supra Trinitatem, apud quem Trinitas Mediatoris munus exerceret. IV. Mediator debet sacrificare, & sacrificando satisfacere; sed Christus ut Deus non sacrificat, quod probavimus contra Arianos: ergo &c. V. Si Christus esset Mediator ratione utriusque naturæ, daretur in ipso confusio operationum, & naturarum; hæc autem est hæresis Monothelitarum, & Eutychianorum: ergo &c. VI. Si Christus esset Mediator pro ut est homo a persona Verbi præcisus, sola natura humana egisset opera, quæ sunt propria Mediatoris; sed hoc dici non potest: ergo &c. Probatur minor. Non potuisset natura humana illa Opera agere, nisi fuisset per seipsam subsistens; sed hoc est ponere in Christo duplicem personam: quod dici non potest: ergo &c.

Dicimus III. Christum exercuisse Mediatoris munus inter Deum & hominem non solum orando, sed etiam satisfaciendo.

I. Probatur ex Scripturis. Ad Hebr. 2. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.... Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.... Debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi*. 1. ad Timoth. 5. *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem*. Ad Colossens. 1. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt. Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis: nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos*.

II. Probatur ex Patribus. Augustinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 20. *Unde verus ille Mediator, in quantum formam servi accipiens, Mediator effectus est Dei, & hominum, cum in forma Dei Sacrificium cum Patre sumat, cum quo unus est Deus, tamen in forma servi maluit esse*. S. Leo serm. de nativ. cap. 3. *Misericordia Dei cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad dextruendum opus diaboli, non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ*. Basilius ad psalm. 48. & ad verba illa: *Non dabit Deo placationem suam, & pretium redemptionis ani-*

ma

Digitized by Google

me sue: hæc docet: *Quid enim tantum reperire homo potest, ut det pro redemptione animæ sue? Sed inventum est unum par omnibus simul liberandis hominibus, quod in redemptionis animarum nostrarum pretium est impensum; Sanctus videlicet, ac pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit. Unde & pretio redempti sumus. Si igitur frater non redimit; redimet homo. Quare cum homo redimere nos nequeat; qui nos redemit homo non est.* Chrysostomus ad Epist. ad Romanos cap. 5. *Quemadmodum ergo, si quis decem obolos debentem aliquem in carcerem conjiciat: nec ipsum solum, sed cum eo pariter conjugem ipsius, & filios, ac servos illius causa: tum alius veniens non decem obolos tantum numeret, sed innumera talenta auri largiatur, ac vinctum istum in Palatium introducat, & in supremi Magistratus solium, participemque summi honoris, & reliqui splendoris faciat, non jam fœnerator mentionem facere amplius possit decem illorum obolorum: Ita & in nobis factum est. Nam multo plura, quam debebamus, persolvit Christus, ac tanto plura, quanto filiam exiguam immensum pelagus excedit,* Bernardus cap. 9. contra Abailardum; „ Nihilne proderit eis adventus Christi, „ nihil quod complantati sunt similitudini „ mortis ejus per baptismum; quoniam „ nondum possunt, prohibente ætate, „ Christum sapere, aut amare? Redemptio „ itaque nostra est illa summa in nobis per „ Christi passionem dilectio: ergo parvuli „ non habent redemptionem, quia non „ habent summam illam dilectionem? An „ sicut non habent unde diligant, ita neq; „ unde pereant, ut non sit eis in Christo „ necessaria regeneratio, utpote quibus re„ generatio ex Adam nihil nocuerit? Si „ hoc sapit cum Pelagio, desipit. Quidquid „ horum sentiat, patet quantum humanæ „ sacramento salutis invideat; quantum „ quod in ipso est, evacuet alti dispensa„ tionem mysterii, quia totum de salute „ tribuit devotioni, regenerationi nihil; „ qui nostræ gloriam redemptionis, & „ summam salutis non in virtute crucis, „ non in pretio sanguinis, sed in nostræ „ constituit conversationis profectibus. „ Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce „ Domini nostri Jesu Christi, in quo est „ salus, vita, & resurrectio nostra. Et qui„ dem tria quædam præcipua in hoc ope„ re nostræ salutis intueor, *Formam humilitatis*, in qua Deus semetipsum exinanivit: *Charitatis mensuram*, quam usque „ ad mortem, & mortem crucis extendit: „ *Redemptionis sacramentum*, quo ipsam „ mortem, quam pertulit, sustulit. Horum „ duorum priora sine ultimo sic sunt, ac si „ super inane pingas. Magnum profecto, „ & valde necessarium humilitatis, ma„ gnum, & omni acceptione dignum cha„ ritatis exemplum, sed non habeni funda„ mentum, ac proinde nec statum, si desit „ redemptio „. Petrus Cluniacensis in libello, qui *Nullius* inscribitur: *Pro æterno supplicio hominis temporale oblatum esse supplicium Dei & hominis, pro æterna morte hominis temporalem mortem Dei & hominis, quæ tanti ponderis in ipsa ipsius justitiæ lance esse cognoscitur, ut ad juste ordinanda mundi peccata, longe magis præponderet mors transitoria Filii Dei, quam æterna Filiorum hominum. Plus plane redditum est justitiæ, quando Christus mortuus est, quam sit recompensatum quando homo damnatus est. Habet ergo justitia quidquid suum est, quia Dei Filius pro peccatis hominum mortuus est.*

III. Probatur rationibus. I. Si Christus fuisset Mediator tantum orando, & non satisfaciendo, superflua, & inutilis fuisset ejus passio, & mors; sed hoc dici non potest: ergo neque illud. Probatur major. Satis tantum fuisset orare, ut humanum genus redimeret: ergo frustra & inutiliter passus, ac mortuus fuisset: ergo superflua & inutilis fuisset ejus passio, & mors. II. Scripturæ clamant, Christum satisfeciſſe pro peccato; sed satisfacere non importat orare tantum: ergo Christus, ut Mediatoris munus impleret non tantum oravit, sed etiam solvit sanguinem suum in pretium redemptionis nostræ. III. Munus Mediatoris importat munus reconciliatoris; sed ex Scripturis Christus reconciliavit nos Deo Patri per mortem suam: ergo munus Mediatoris implevit non solum per orationem, verum quoque per mortem. IV. Eo modo fuit Christus Mediator, quo mediationis ejus officium a Scripturis Sanctis explicatur; sed Scripturæ explicant in Christo Mediatoris officium, non per orationem tantum, verum quoque per mortem: ergo Christus per mortem suam implevit Mediatoris officium, & non tantum per orationem. Minor patet ex omnibus illis Scripturæ locis in prima probatione adductis; sed præcipue ex epist. ad Hebr. cap. 9. *Ideo novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub pri-*

ri Testamento, remissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis.

Arguunt I. Quamvis homines per peccatum fiant Deo inimici, tamen non per hoc Deus est contra humanum genus iratus: ergo Christus non reconciliavit homines, satisfaciendo pro eis. Probatur antecedens. Deus reconciliavit sibi homines, non Christus; sed reconciliavit non repurando peccata: ergo non exegit satisfactionem: ergo Deus non erat contra genus humanum iratus. II. In Scripturis non invenitur, quod Deus reconcilietur nobis, sed quod nos reconcilier; sed hoc efficit per se ipsum; ergo non per Christum: ergo Cristus non fuit Mediator inter Deum & hominem. III. Apostolus quando ad Ephes. 2. & ad Colossens. 1. loquitur de inimicitia, non intelligit inimicitiam, quæ sit inter Deum & homines, sed illam, quæ erat inter Judæos, & Gentiles, propter vocationem gentium ad fidem: ergo frustra textus illi pro nostra conclusione adducuntur. IV. ad Romanos 5. legitur: *Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius Domini Jesu Christi in plures abundavit*; & 1. ad Corinth. cap. 15. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum*: ergo Christus ut homo tantum est Mediator. V. Si Christus esset Mediator ut Deus, esset Mediator respectu sui ipsius; sed hoc dici non potest: ergo tantum ut homo est Mediator. Probatur major; quia Christus, ut Deus, unus est cum Patre, & Spiritu Sancto. VI. Ideo Christus est Mediator, quia formam servi accepit, & semetipsum exinanivit; sed hoc præstitit ut homo, & non ut Deus: ergo ut homo tantum, & non ut Deus est Mediator. VII. Agatho, Romanus Pontifex, in sua Epistola, quæ lecta est in Concilio generali VI. actione 4. docuit, opus redemptionis non esse naturale, sed personale: ergo Christus est Mediator tantum ut homo. VIII. 2. ad Corinth. cap. 5. legimus: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*: ergo Christus formaliter, & reduplicative ut Deus est Mediator. IX. Ex Patribus, Christus fuit Mediator Angelorum, & hominum a mundi exordio; sed a mundi exordio Christus non erat homo, sed Deus tantum: ergo Chistus est Mediator ut Deus tantum, & non ut homo. X. Augustinus in Enchiridio hæc habet: *Nam neque liberaremur per unum Mediatorem, & Dei, & hominum, nisi esset Deus*: ergo Christus reduplicative ut Deus est Mediator. XI. Christi actiones vocantur theandricæ: ergo in illas influit reduplicative ut Deus: ergo Christus reduplicative ut Deus est Mediator. XII. Propositiones istæ: Christus pro ut homo est Mediator: Christus pro ut Deus est Mediator: vel sunt veræ, vel sunt falsæ, quodcunque dicatur est contra conclusionem, a nobis positam: ergo &c. XIII. Si Chsistus esset verus Mediator, esset unicus; sed non est unicus: ergo non est verus Mediator. Probatur minor; quia Angeli etiam dicuntur Mediatores nostri; Ulterius S. Bernardus vocat B. Virginem Mediatricem ad Mediatorem; denique ad Galat. 3. Moyses dicitur anthonomastice Mediator: *Ordinata per Angelos in manu Mediatoris*; scilicet Moysis. XIV. Christus secundum divinam naturam non est Deo inferior, & secundum humanam naturam non est inferior hominibus; sed Mediator debet esse infra extrema: ergo Christus secundum neutram naturam potest esse Mediator. XV. Medius est, qui nihil participat de extremis; sed hoc de Christo non verificatur: ergo Christus non est Mediator. XVI. Christus per solam orationem poterat homines reconciliare Deo, poterat pro delictis hominum satisfacere Deo Patri, poterat pro humano genere solvere redemptionis pretium: ergo per solam orationem, & non per passionem, & mortem, fuit inter Deum, & hominem Mediator. Probatur antecedens; quia orare etiam est proprium Mediatoris; & non potest dici quod orare Christi fuerit insufficiens; ergo &c.

Respondemus ad I. quod est argumentum Socinianorum, illius falsitatem manifestam esse ex Scripturis, quum ad Ephes. 2. dicatur: *Eramus natura filii iræ*; & ad Romanos 2. *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus*; manifestam quoque fieri ex Patribus, quum Gregorius Magnus, Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, aliique apud P. Boucat aperte asserant, Deum contra peccatores irasci, & satisfactionem exigere; manifestam denique haberi ex rationibus; quia Deus est bonus, Sanctus, & justus, adeoque debet contra peccatores irasci; & ab eis satisfactionem exigere rigorosam, tum etiam, quia vere Chri-

stus

stus satisfecit pro nobis, & satisfecit justitiæ Dei, ut habetur ad Romanos 3. ergo Deus vere erat contra peccatores iratus.

Ad II. Dicimus, Deum reconciliasse homines, mittendo Filium ad placandam suam justitiam; unde ait P. Boucat quod ubicunque in Scripturis fit sermo de ira Dei contra homines; ut præcipuè 2. ad Corinth. cap. 5., fit etiam mentio de duplici reconciliatione, una, qua Deus se ad hominem convertit, alia, qua homo se convertit ad Deum. Quod patet Zachariæ 1. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos.*

Ad III. dicitur, quod quanvis lucta illa intelligatur inter Judæos, & Gentiles, a Patribus nihilominus etiam intelligitur inter homines peccatores & Deum; & hoc sufficit ut dicatur vere Deum fuisse contra peccatores iratum.

Ad IV. Christus est Mediator ut homo-Deus, non vero ut purus homo; quia Christus subsistit subsistentia Verbi, unde Christi nomine non venit purus homo, sed homo-Deus. Subdit autem P. Boucat, ab Apostolo dici: *Per hominem resurrectio mortuorum*: quia actiones a principio immediato, nempe a natura humana, specificantur.

Ad V. dicitur, quod Christus est Mediator, non ut subsistens in natura divina, quia tunc esset Mediator respectu sui ipsius; sed ut subsistens in natura humana; adeoque est Mediator solum ut Filius Dei incarnatus. Si afferant Magistrum sententiarum in 3. dist. 19. dicentem, Christum dici Mediatorem secundum humanitatem, non secundum divinitatem; distinguunt Scholastici; non secundum Divinitatem formaliter, & in immediate, concedunt; suppositaliter, & mediate, in quantum Filius Dei subsentat humanam naturam, a qua immediate actiones Mediatoris procedunt, negant. Et ita etiam explicant S. Bonaventuram, & quosdam alios veteres Theologos de Schola; aliter sentientes.

Ad VI. Citatus Boucat distinguit minorem; Christus non est servus servitute morali, & vitiosa, concedit; servitute naturali, subdistinguit; ratione sui, concedit; ratione humanitatis assumptæ, negat. Triplex enim dividit servitutem, moralem scilicet, legalem, & naturalem: Prima est a peccato; secunda est a lege; tertia est a dependentia in esse, & conservari: Per primam servi sunt peccatores, per secundam mancipia, per tertiam dependentes ab aliquo, cui debetur honor, & obsequium. Prima, & secunda servitus non fuerunt in Christo, ut Hadrianus Pontifex, & Concilium Francofurdiense definierunt contra Felicem, & Elipandum; ut suo loco diximus. Tertia fuit in Christo ratione humanitatis; quod dicitur Isaiæ 42. *Ecce servus meus, suscipiam eum*; & ad Philippens. 2. *Formam servi accipiens*; & ab Augustino explicatur: *In qua infirmitate humanitatis non solum subditum, sed etiam servum evidentissime confitentur*; & S. Thomas subscribit, quia Christus ut homo dependet a Deo in esse, & conservari, adeoque Patri debet famulari; Unde fatetur, se venisse in mundum, ut Patris faceret voluntatem. Post quæ concludit Boucat; „ Igitur Christus non „ est servus secundum divinitatem, bene „ vero secundum humanitatem, tametsi „ subsistentia Verbi subsistentem, quia ser„ vitus non appellat supra personam, sed „ supra naturam.„

Ad VII. distinguitur; Opus redemptionis est personale in sensu opposito Monothelitarum, qui volebant, in Christo esse unicam operationem pro duabus naturis, promanantem immediate a persona, conceditur; secus, negatur. Romanus Pontifex, & Concilium definierunt solum, actiones specificari a naturis, & secundum naturarum multiplicationem multiplicari: Unde concludebant, in Christo esse duas operationes, quia opus non dicitur personale, sed naturale, eo quod a natura denominetur. Opus igitur redemptionis est simul naturale, & personale; naturale quatenus natura humana est unita Filio Dei, personale, quatenus unio facta est in persona; & sic operatio Christi ut hominis procedebat ab homine simul, & a Deo; ab homine, quia humanitas erat principium immediatum illius; a Verbo, quia natura humana operans subsistentia divina subsistebat.

Ad VIII. Deus erat in Christo; hoc est humanitatem sustentabat, & sic mundum sibi reconciliavit. Ex quo fit, quod Christus reduplicative ut Deus non fuit Mediator, sed ut subsistens in natura humana, cujus subsistentiam supplebat. Hanc solutionem, asserit P. Boucat, innui ab Augustino tract. 47. in Joannem verbis hisce: *Cum caro animam posuit, Christus animam posuit: Et cum caro ut resurgeret, animam sumpsit, Christus animam sumpsit: Nec potestate carnis hoc factum est; sed ejus, qui & animam, & carnem, ubi hac adim-*

plerentur, assumpsit. Hoc, inquit, mandatum accepi a Patre meo.

Ad IX. Dei Filium ante incarnationem non fuisse Mediatorem inter Deum & homines, constans est Catholicorum assertio, quam Juenius his rationibus probat. Tum quia Dei Filius non fuit Dei Patris ante incarnationem ad homines nuntius; illi enim, qui in veteri lege Dei nomine loquebantur, Angeli fuerunt, non vero Verbum: tum etiam, quia ante incarnationem non poterat Dei Filius orare pro hominibus: tum denique quia tempore illo non poterat esse propitiatio, scilicet non poterat nec solvere, nec satisfacere; quia solutio, & satisfactio supponunt hostiam, quæ possit offerri; Dei Filius autem ante incarnationem non erat hostia, quæ Patri offerretur. Scimus autem veteres quosdam contrarium docuisse; & præcipue Tertullianum lib. 2. contra Marcionem cap. 27., item semper egisse in Dei Patris nomine, & cum Patribus, & Prophetis conversatum, & congressum esse; adeoque asserunt, quoties in Scripturis dicitur quod Deus fecit vel loquutus, vel operatus quidpiam, vel fecit Angelus missus: hæc omnia de Dei Filio sub visibili persona intelligenda sint. Verum hæc est peculiaris paucorum Veterum opinio, ab omnibus fere Patribus improbata, & a communi Theologorum censura rejecta, quod Arianismum sapere videatur.

Ad X. Distinguitur consequens; Christus est Mediator ut Deus, quatenus subsistens in natura humana, conceditur; quatenus subsistens in natura divina, negatur. Augustinus lib. 9. de Civit. Dei cap. 15. explicat seipsum, dicens: *Nec tamen ideo non Mediator est, quia Verbum, summo quippe immortale, & summa beatum Verbum, longe est a mortalibus miseriis; sed Mediator est per quod homo.*

Ad XI. Vere Christi actiones theandricæ dicuntur, sed quia a Verbo simul, & a natura humana, non vero a sola Verbo procedebant. Actiones enim quæ sunt suppositorum, satis est ut procedant a natura humana, hypostatice unita divino Verbo.

Ad XII. Propositio hæc: Christus prout homo est Mediator: est admittenda. Ratio est multiplex; & quia expresse apud Patres legitur; & quia unionem Verbi cum humana natura non excludit; & quia literaliter, & in sensu obvio intellecta significat hominem, seu humanitatem esse in Christo principium efficiens, & immediatum illarum operationum, per quas Christus Mediatoris officium peragit. Propositio vero hæc: Christus prout Deus est Mediator: simpliciter, & absolute prolata, non est admittenda. Ratio etiam est duplex; quia in sensu obvio importat, quod Deus, seu Verbum sit causa efficiens, & elicitiva operationum, per quas Christus Mediatoris partes implevit; quod est falsum; & etiam quia principium *quod* confert officio dignitatem tantum, & officii nomine simpliciter appellari non potest.

Ad XIII. Angeli sunt Mediatores nostri, non primarii, & principales, sed secundarii, & ministeriales sub Christo. Sic etiam sunt Sancti, qui Mediatoris munus exercent, non ex officio, & consummate, sed ex ministerio, & dispositive. Et hoc pacto intelligendus est Bernardus, scilicet quod B. Virgo non sit absolute Mediatrix, sed Mediatrix, & quidem intima, & omnium charior ad Mediatorem: Sancti quoque sunt Mediatores ad Mediatorem. *Moyses dicitur* analogice *Mediator inter Mediatores secundarios, & ministeriales.* Unde semper remanet quod Christus sit solus & unicus Mediator; & quidem Mediator omnium, quum Moyses fuerit tantum Judæorum, & ut Filius Dei, quum Moyses & alii fuerint, & sint ut servi Dei; & modo tandem infinite nobiliori, quam Christus fuerit principaliter, & primario, cæteri vero secundario, & ministerialiter.

Ad XIV. Distinguit Frassen; medium debuisse inter extrema, ratione status, aut personæ, concedit; ratione naturæ, negat. Subdens, quod Christus est quidem medius inter Deum & homines, ratione status, aut personæ, quia simul est Deus & homo; non autem ratione alterius naturæ, quia secundum naturam divinam est idem essentialiter cum Patre & Spiritu Sancto; secundum vero naturam humanam, est ejusdem sortis, & naturæ cum hominibus. Nos vero negamus absolute minorem; falsum enim est, quod Mediator debeat esse infra extrema, quum sufficiat ut sit inter, modo explicato.

Ad XV. Dicit Honnus, quod Christus ratione naturæ humanæ differt a Deo; ratione vero justitiæ, & innocentiæ differt a peccatoribus; adeoque potest esse medius, & eximie Mediator inter Deum

& ho-

Digitized by Google

& homines. At revera medius dupliciter potest considerari, & qui aliquid participat de extremis, & dicitur medius positive; & qui nihil participat de extremis, & dicitur medius negative. Christus fuit medius primo modo, quatenus habuit naturam divinam, & naturam humanam; & hoc sufficit, ut vere fuerit medius & Mediator inter Deum & homines.

Ad XVI. Dicitur, quod in Scripturis, & in Patribus nomen hoc Mediatoris multipliciter sumitur, ut observat P. Boucat. Primo pro unione duarum naturarum in una persona, quæ est quasi quoddam medium, quo Dei Filius terrena cœlestibus conjunxit; & hoc pacto plures Patres loquuntur. Secundo pro arbitro, seu arbitratore, qui causas partium discernit, & judicat; & sic Ambrosius cap. 2. ad Timotheum Christum nominat Mediatorem. Tertio per hoc, quod referantur pacta, & conditiones partium; & sic intermunii dicuntur Mediatores, & Moyses Deuteron. 5. dictus est sequester inter Deum & Populum; & Malachiæ 3. & ad Hebræos 12. Christus appellatur Mediator novi Testamenti. Quarto orando, & supplicando pro una parte apud alteram; & hoc modo in 1. Joannis cap. 2. Christus dictus est Advocatus noster. Quinto solvendo, & satisfaciendo uni parti pro altera. Christus igitur est Mediator omnibus his modis, & quod fuerit uno modo, non excludit, ut fuerit etiam aliis, & præcipue quinto, qui est nobilior omnium: & hoc eo magis, quia Scripturæ proclamant, Patres asserunt, & rationes evincunt, Christum Mediatorem quinto modo fuisse inter Deum, & homines, ut usque modo ostensum est.

DISSERTATIO CXCVI.

De Fide in Christum Mediatorem. An fuerit quovis tempore necessaria necessitate medii? Quæ fides, implicita, an explicita? An explicita post Evangelii prædicationem sit necessitate medii necessaria?

FIDES in Christum Mediatorem potest esse implicita vel explicita. Per primam credimus aliquid in alio contentum, veluti particulare in universali: Per secundam credimus aliquid distincte, & in particulari. Per primam credendo omnia, quæ Ecclesia docet, credit, atque proponit, credimus etiam, septem esse Ecclesiæ Sacramenta, Christum esse incarnatum, passum, mortuum &c., quæ omnia continentur in propositione universali omnium, quæ docentur, creduntur, & proponuntur ab Ecclesia.

Insuper fides potest esse necessaria dupliciter, & necessitate præcepti, & necessitate medii; prima necessitas est, qua tenentur credere in Christum præcepto divino illi omnes, quibus Christus est annuntiatus: secunda necessitas est illa, sine qua nemo, si eam fidem actu non habeat, potest consequi salutem. Unde prima necessitas ita urget, ut ignorantia excuset, secunda vero nullam admittit ignorantiam, & omnino absque excusatione perit, qui fidem illam non habet, quæ non solum necessaria est necessitate præcepti, verum quoque necessitate medii. Denique advertendum, necessitatem medii semper supponere necessitatem præcepti, necessitatem tamen præcepti non supponere necessitatem medii; Unde quod est necessarium necessitate medii, est quoque necessarium necessitate præcepti; & quod est necessarium necessitate præcepti, non est semper necessarium necessitate medii.

Primo fuerunt aliqui Theologi de Schola, qui docuerunt, hominem, etiam post Legis evangelicæ promulgationem, sine fide, sive in Deum, sive in Christum, posse salvari aliquo casu per cognitionem naturalem Dei, vel boni honesti, si operetur tamen ex viribus naturæ bonum honestum, & a malo declinet. Hæc opi-

nio

nio a Juenino tribuitur Andreæ Vegæ lib. 6. in Concilium Tridentinum. cap. 20., & ex hac eadem opinione infert, quod homines tempore legis naturæ potuerint salvari sine ulla fide, sive in Deum, sive in Christum.

Secundo alii etiam Theologi de Schola fuerunt, qui eandem sententiam amplexati sunt, docentes tamen, tunc etiam auxilium supernaturale Dei movens fuisse necessarium ad opus bonum, quod ad justificationem præpararet. Ab eodem Juenino hujus sententiæ patronus dicitur Dominicus Sotus lib. 2. de natura, & gratia cap. 17., de quo asserit quoque, quod in altera editione sententia discesserit, quam in prima docuerat, & illius verba recitat, quæ hæc sunt: „ Igitur „ in ea quis fuerit opinione, quam nos in „ scholis nonnunquam defensavimus, & in „ prima hujus operis impressione Venetæ „ probatiorem arbitrati sumus: videlicet „ quod non esset in jure naturæ singulis „ de plebe alias radius lucis necessarius, „ quam naturalis, propterea quod illis „ gentibus, ubi non erat depravata natura, vitiorumque caligine obducta, hic „ radius videtur efficax ad cognoscendum „ de Deo, quod est, & quod remunerator „ est, ubi cognitio confuse implicatur Christi. Et quod magnum præterea est argumentum, est, quod nulla erat revelatio particularior eorum, quæ necessaria erant ad salutem, facta publicius, quam illa, quæ fiebat per lumen naturale..... At vero re meditatius perpensa, abjiciendam existimo opinionem hanc, & alteram amplectandam, videlicet, quod neque in lege naturæ satis fuerit naturale lumen ad illam cognitionem fidei, quæ necessaria est ad salutem.„

Tertio Theologi etiam de Schola quidam scripserunt, Populos quosdam, qui nihil unquam de Christo futuro audierant, per duo annorum millia ante Christum natum, integram servasse Dei cognitionem, purissimam charitatem habuisse, ac uni & vero Deo cultum omnis superstitionis expertem exhibuisse. Meminit etiam hujus opinionis Juenianus, sed nomina illorum, quos imaginatur eam defendere, silentio tegit.

Dicimus I., fidem in Christum Mediatorem quovis tempore fuisse necessariam ad salutem necessitate medii.

I. Probatur ex scripturis. Actorum cap. 4. dicitur: *Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud est nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Quibus verbis aperte loquitur Petrus Apostolus de nomine Christi, & de hominibus absque distinctione temporis, adeoque de hominibus, qui fuerunt omni tempore, sive tempore legis naturæ, sive tempore legis scriptæ, sive tempore legis Evangelicæ. Ad Hebr. 11. legimus: *Sine fide impossibile est placere Deo*; quæ verba nec possunt restringi ad homines, qui fuerunt post Christi mortem; nec possunt intelligi de fide in Deum, non vero in Christum: non primum, quia Apostolus enumerat justos, qui vixerunt sive ante, sive post legem: neque secundum, quia adducitur Moysis exemplum, dicendo: *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Ad Galat. 3. habetur: *Justus autem meus ex fide vivit*; hæc autem verba leguntur Habacuc 2., & quum Apostolus ea intelligat de fide in Christum, aperte innuit, Habacuc etiam de fide in Christum fuisse loquutum.

II. Probatur ex Patribus. Irenæus lib. 1. adversus hæreses docet Abrahamum justificatum fuisse per eandem fidem, per quam nos modo justificamur; sed nos modo justificamur per fidem in Christum Mediatorem, & Abraham fuit ante Christi adventum: ergo &c. Verba Irenæi sunt: *Propheta ergo cum esset Abraham, & videret in spiritu diem adventus Domini, & passionis dispositionem, per quem ipse quoque, & omnes, qui similiter, ut ipse credidit, credunt Deo, salvari incœperunt, exultavit vehementer, Non incognitus igitur erat Dominus Abrahæ cum ejus diem concupivit videre.* Augustinus in psalm. 104. *Non enim quisquam præter istam fidem, quæ est in Christo Jesu, sive ante ejus incarnationem, sive postea, reconciliatus est Deo*; cum sit ab Apostolo veracissime definitum: *Unus enim Deus, & unus Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Et lib. de natura, & gratia contra Pelagium hoc sibi objicit argumentum: *Quid faciet humana natura, vel fecit, quæ vel ante non audierat hoc futurum, vel adhuc non comperit factum, nisi credendo in Deum, qui fecit cœlum, & terram, a quo & se factam naturaliter sentit, & recte videndo ejus impleat voluntatem, nulla fide passionis Christi, & resurrectionis imbuta.* Et in eodem loco respondet: *Quod si fieri potuit, aut potest, hoc & ego dico, quod de lege dixit Apostolus: Ergo Christus*

Digitized by Google

Christus gratis mortuus est. Si enim hoc ille dixit de lege, quam accepit gens una Judæorum, quanto justius dicitur de lege naturæ, quam accepit universum genus humanum? Si per naturam justitia, ergo Christus gratis mortuus est: Si autem non gratis mortuus est, ergo omnis humana natura justificari, & redimi ab ira Dei justissima, hoc est, a vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem, & sacramentum sanguinis Christi. Eadem docet lib. de peccato originali contra Pelagium, & Celestium cap. 23. Leo magnus serm. 29. cap. 7. *Omnes sancti, qui Salvatoris nostri tempore præcesserunt, per hanc fidem justificati, & per hoc Sacramentum, Christi sunt Corpus effecti.* Et serm. 63. cap. 2. asserens, Sanctos omnes, qui a Creatione Mundi usque ad Christi adventum vixerunt, fuisse per fidem in Christum Mediatorem justificatos, hanc rationem profert: *Una enim fides justificat universorum temporum fideles.* Non dissimilia docuerunt Cyprianus epist. ad Cæcilium, in qua asserit, quod homines novi Testamenti justificantur per eandem fidem, per quam justificatus est Abraham: Ilarius lib. 9. de Trinit., qui ex verbis illis Evangelii: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum*; infert, fidem in Christum ex ipsa natura Mediatoris esse necessariam ad salutem: Theodoretus in cap. 4. epist. ad Romanos, docens, quod Abraham ratione suæ fidei fuerit Pater omnium credentium: ergo fuit pater etiam illorum, qui modo credunt: ergo justificatus est per eandem fidem, per quam modo justificamur: Cyrillus Alexandrinus in cap. 3. Joannis, & lib. 8. de adoratione in spiritu, & veritate,

III. Probatur rationibus. I. Quovis tempore sive ante Christum, sive post Christum non potuit invocari nomen Dei sine fide in Christum Mediatorem: ergo quovis tempore fides in Christum Mediatorem fuit necessaria. Consequentia sequitur; dicitur enim Joelis 2., & ad Romanos 10. *Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit*; antecedens probatur: nomen Dei nunquam potuit invocari sine eo, sine quo nescitur, per quem fit invocandum, ignoratur via, per quam ad Deum fit eundem, & sine quo nemo sperare potest, quod a Deo consequatur quod petit; sed sine fide in Christum Mediatorem, nescitur per quem nomen Dei fit invocandum, ignoratur via, per quam ad Deum fit eundum, & nemo sperare potest sine illo, quod quæ postulat consequetur: ergo &c. Probatur minor ex pluribus novi Testamenti textibus; nimirum: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: Nemo venit ad Patrem, nisi per me: Ego sum via, veritas, & vita: Per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam: In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem ejus.* II. Scriptura quovis tempore nemini tribuit justificationem sine fide in Christum Mediatorem: ergo fides in Christum Mediatorem est necessitate medii necessaria. Probatur antecedens Joannis cap. 1. *Quotquot receperunt eum* (Christum) *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* cap. 3. *Sicut Moyses exaltavit Serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* cap. 6. *Hæc est voluntas Dei Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Apostolus etiam ad Romanos 3. docet: *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* III. Qui fuerunt ante Christum justificati sunt per fidem in Christum Mediatorem: ergo fides in Christum Mediatorem necessaria fuit necessitate medii omni tempore. Probatur antecedens. Abraham vixit ante tempora adventus Christi Domini, & justificatus est per fidem in Christum Mediatorem: ergo &c. Probatur antecedens. Ad Romanos 4. dicitur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Additur autem, *illos tantum justificari, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio Patris nostri Abrahæ*, Fides autem, de qua loquitur Apostolus in præfata epistola ad Romanos, est fides in Christum Mediatorem: ergo per fidem in Christum Mediatorem justificatus est Abraham. IV. Ex Apostolo ad Romanos, ad Ephes., ad Galat., ad Hebr., Patriarchæ ante legem scriptam, & Prophetæ, aliique post legem scriptam, ejusdemque promulgationem, non per aliud justificati sunt, quàm per observantiam legis tum naturalis, tum positivæ, & per fidem in Christum: ergo quovis tempore fides in Christum Mediatorem fuit necessaria necessitate medii. Probatur antecedens. Apostolus docet, justitiam adscribi debere non externæ legis observationi, sed fidei in Christum, quæ per dilectionem operatur; & probat hoc, quia

si ex

si ex lege fuisset justitia, gratis Christus fuisset mortuus: ergo ex Apostolo &c. V. Priscis Christi seculis Gentiles hac etiam ratione Christi fidem impugnabant, quod esset nova; & Patres respondebant, Christi fidem novam non esse; sed non aliunde poterant hoc respondere, nisi quia sciebant, fidem in Christum Mediatorem fuisse quovis tempore necessariam necessitate medii: ergo vere ex mente Patrum fides in Christum Mediatorem omni tempore fuit necessaria necessitate medii. VI. Patres dicebant, eandem fuisse religionem, quam professi fuerant, quicunque ante Christum fuerunt justi, & quam, qui post Christum erant, profitebantur; sed non potest esse eadem religio, ubi non est idem cultus internus: ergo idem cultus internus fuerat in justis ante Christum, & erat in justis post Christum; atqui cultus internus Dei essentialiter consistit in exercitio earundem virtutum, scilicet fidei, spei, & Charitatis; quod docet Augustinus in Enchiridio ad Laurentium: *Fide, Spe, & Charitate colitur Deus*: ergo in cultu illo interno si comprehendebatur fides, continebatur etiam fides in Christum Mediatorem. Et hinc est quod Theologi quidam hæreticam asserunt propositionem illam, quæ dicitur, fidem in Christum olim non fuisse necessariam ad salutem, aut nunc absolute non requiri. Et rationem assignant; tum quia est unanimi Patrum traditioni contraria; tum etiam, quia est expresse contradictoria Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. docenti, fidem in Christum ad consequendam gratiam justificationis, esse absolute necessariam; & subdenti: *Sine qua nemini unquam contigit justificatio*.

Dicimus II. quovis tempore fuisse necessariam necessitate medii ad salutem, fidem implicitam in Christum Remuneratorem,

Explicatur conclusio, Non intelligimus pro fide implicita in Christum Mediatorem illam, quæ includitur in fide in Deum Remuneratorem. Ratio est, quia si homo perduraſſet in statu innocentiæ, habuisset fidem in Deum Remuneratorem; sed in illo statu non habuisset fidem in Christum Mediatorem: ergo fides in Christum Mediatorem non includitur in fide in Deum Remuneratorem. Major patet; quia pro quocunque hominis statu verificari debent verba Apostoli, quæ sunt indefinita: *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se Remunerator sit.* Minor etiam probatione non indiget; quia in statu innocentiæ, quamvis fuisset Christus, quem diximus, & probaverimus in superioribus. Verbum etiam Adamo non peccante, humanam carnem sumpsisse, non fuisset tamen Christus Mediator; quia ratio Mediatoris importat circumstantiam carnis passibilis, quæ non fuisset in Verbo, humana carne induto, si Adam non peccasset. Neque intelligitur pro fide in Christum Mediatorem, fides de Dei providentia. Ratio est eadem; quia fides de Dei providentia non includit fidem aliquam in Christum; si enim Adam non peccasset, habuisset quidem fidem de Dei providentia, non habuisset tamen fidem in Deum Mediatorem. Igitur pro fide implicita in Christum Mediatorem, quæ fuerit necessaria quovis tempore ad salutem, intelligimus fidem explicitam quidem in futurum aliquem Redemptorem, non vero explicitam, adeoque impliciteam, in modos, quibus ille Redemptor operaturus esset redemptionem. Sit intellecta, & explicata nostra conclusio

I. Probatur ex Bernardo epist. 77. ad Hugonem: *Quod si prophetæ, & qui illustriores videbantur in illo populo, non omnes omnia liquido æqualiter agnoscere valuerunt; Sed alii plus, alii minus: quanto magis simpliciores quinque justi, sine detrimento salutis, salvationis tempus, modum, & ordinem nescire potuerunt: quæ tamen certa fide, & spe, uti promissa fuerant, firmissime tenuerant . . . . . Multi ergo ante Salvatoris adventum, Deum omnipotentem tenentes, & diligentes sua salutis gratuitum promissorem, credentes in promissione fidelem, sperantes certissimum redemptorem, in hac fide & expectatione salvati sunt, licet quando, & qualiter, & quo ordine salus repromissa fieret, ignorarent.*

II. Probatur ex S. Thoma 2. 2. qu. 1. art. 7. ad 7. *Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris, quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos, & secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus, Spiritus revelasset.* Quibus verbis Angelicus Doctor intelligit, quod qui non habuerunt revelationem immediatam de Christo Mediatore, habuerunt tamen me-

Digitized by Google

mediatam, sitam in divina providentia, quod scilicet Christus liberaret homines secundum modos sibi placitos; adeoque fidem explicitam habuerunt in futurum aliquem Redemptorem, implicitam vero in modos, quibus Redemptor ille operaturus esset redemptionem.

III. Si fuisset fides implicita in Christum Mediatorem, maxime fuisset, quia deduceretur vel ex fide in Deum Remuneratorem, vel ex Dei providentia; sed ex his non deducitur, ut probatum est: ergo non fuit implicita: ergo explicita. Modi tamen, quia incogniti erant, &, ut supponimus, non revelati, ideo fides in illos non explicita, sed implicita erat.

Dicimus III. Fidem explicitam in Christum Mediatorem post promulgationem Evangelii, esse necessariam necessitate medii; adeoque sic etiam esse fidem explicitam de Christi divinitate.

Conclusio. Primo est contra Socinum, quem visus est sequi Simonem Episcopium in suis institutionibus theologicis lib. 4. sect. 2. cap. 33. docentes, articulum de Christi divinitate, quem Sociniani negant, posse rejici, vel amplecti absque salutis dispendio; adeoque nec quidem implicitam fidem in illum esse necessariam. Secundo est contra quosdam Theologos de Schola, qui docuerunt, fidem explicitam in Christum, adhuc post Evangelii promulgationem, non esse necessariam necessitate medii, sed tantum necessitate præcepti, iis scilicet solis, quibus Evangelium annuntiatur.

I. Probatur ex Scripturis. Joannis 3. *Qui non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei*. Non possunt hæc verba intelligi de sola necessitate præcepti, quia aperte hæc intellectio contraria est Christi verbis, quæ subsequuntur. Christus fidem in seipsum comparat cum aspectu in Serpentem, quem Moyses erexit in deserto: *Et sicut Moyses exaltavit Serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam*: Igitur quemadmodum nemo poterat consequi salutem corporis absque actuali aspectu in Serpentem illum, ita nemo potest consequi salutem animæ absque fide explicita in Christum Mediatorem. Etiam Joannis 14. Christus docet ita esse necessariam modo fidem in seipsum, sicut est necessaria fides in Deum: *Creditis in Deum, & in me credite*: ergo sicut est necessaria Fides explicita in Deum, & quidem necessitate medii, ita etiam est modo fides explicita in Christum Mediatorem. Quod confirmatur ex aliis verbis Christi cap. 17. Joannis: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum*.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum I. damnavit Arium, negantem consubstantialitatem Verbi cum Deo Patre: ergo articulus de divinitate Christi non est ex illis, qui possunt pro libito admitti, vel non admitti absque salutis periculo. Concilium Ephesinum I. damnavit Nestorium, quia substantialem unionem humanitatis Christi cum divino Verbo negabat: ergo pariter divinitas Christi non potest negari sine fidei, ac salutis detrimento. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. inter dispositiones necessarias ad justificationem expresse ponit fidem in Christum, quæ ex auditu concipiatur.

III. Probatur ex Patribus. Irenæus lib. 3. cap. 21. *Ignorantes autem eum, qui ex Virgine est Emmanuel, privantur munere ejus, quod est vita æterna*. Augustinus lib. de correptione & gratia cap. 7. *Si enim, sicut Veritas loquitur, nemo liberatur a damnatione, quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi, & tamen ab hac damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere, non se audiisse Evangelium Christi, cum fides ex auditu sit, &c.* Quibus verbis S. Doctor intendit damnari qui non habuerunt fidem in Christum, quamvis non fuerit ipsis Evangelium annuntiatum: Idem Irenæus lib. 3. cap. 31. de Cerinthianis, & Æbioneis scribens, aperte asserit, articulum de Christi divinitate non posse rejici absque salutis periculo; ait enim: Rursus autem qui nude tantum hominem eum dicunt ex Joseph generatum, perseverantes in servitute pristinæ obedientiæ, moriuntur. Et Pamphilus martyr, & Eusephius in apologia Origenis. *Illud tamen scire oportet, quoniam SS. Apostoli fidem Christi prædicantes, de quibusdam quidem, quæcunque necessaria crediderunt omnibus credentibus, etiam his, qui pigriores erga inquisitionem divinæ scientiæ videbantur, manifeste tradiderunt..... Quod unus sit Deus, quod hic Deus in novissimis diebus misit Dominum Jesum Christum; quod Jesus Christus, qui venit, ante omnem creaturam natus ex Patre est..... Incarnatus est cum Deus esset, & homo factus, mansit quod Deus erat*.

IV. Probatur rationibus. I. quia nemo po-

est consequi salutem sine Baptismo saltem in voto; sed nemo potest habere votum Baptismi sine fide explicita in Christum, qui est Auctor Baptismi. II. Apostoli prædicarunt fidem explicitam in Christum: ergo illa est necessaria necessitate medii. Antecedens negari non potest ex quampluribus Scripturæ testimoniis; consequentia probatur; quia frustra illam prædicassent, si non fuisset necessaria necessitate medii ad salutem. III. Si non est necessaria fides explicita in Christum post Evangelii promulgationem; ergo sufficit implicita; sed Judæi habent implicitam: ergo Judæi salvantur. Probatur minor subsumpta. Judæi sperant Messiam; sed fides in Messiam est fides implicita in Christum: ergo Judæi habent fidem implicitam in Christum.

Opponunt I. Patres doctrinam de necessitate fidei in Christum non tradunt ut omnino certam, sed ut probabilem: ergo &c. Probatur antecedens. Chrysostomus hom. 37. in Matth. docet: *In veteri Testamento non fuisse requisitam confessionem Christi, verum sufficisse fidem in Deum.* Eadem docent Nazianzenus orat. 22., & Cyrillus lib. 3. de orat. in Spiritu & veritate. II. Fides explicita in Redemptorem supponit fidem explicitam de Adami lapsu, & de peccato Originali; sed hæc non fuit quovis tempore necessaria necessitate medii: ergo neque illa. III. Modi, quibus Redemptor operaturus erat redemptionem, sunt: Incarnatio Verbi, Christi mors, resurrectio &c., sed fides de Verbi incarnatione, de Christi morte, & resurrectione, & in lege naturæ, & in lege scripta fuit necessaria necessitate medii: ergo &c. Minor est Augustini lib. de peccato origin. cap. 24. *Sine fide incarnationis, & mortis, & resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justi essent, a peccatis potuisse mundari, & Dei gratia justificari, veritas christiana non dubitat.* Eadem docet S. Doctor lib. 2. de peccatorum meritis cap. 29., & epist. 89. & 95. IV. Justinus martyr in dialogo cum Tryphone docet & Judæos, & sui temporis Christianos admisisse Messiam, sed negasse esse Deum; & Christianos non vocat obinde hæreticos, sed tantum dicit, se illis non assentiri: *Quibus Ego minime assentior.*

Respondemus ad I. primo quod vox *probabilis* apud antiquos significabat rem certam; unde contra Gentiles disputantes, aliquando utuntur *probabilis* nomine, ut nostræ Religionis veritatem ostendant; & sic intelligitur Justinus. Secundo Chrysostomus loquitur de fide, quam ante Evangelium Sancti confitebantur coram Tyrannis, quod quidem non erat necesse, ut erat in Christã, quia Tyrannis ignorabatur; hi enim pro sola fide in Deũ illos infestabantur. Tertio Cyrillus intendit, quod Deus non revelavit olase Judæis Christi dispensationem, sed tantum sub legis umbra, quæ fuit ut pedagogus, quo Judæi ad fidem Mediatoris ducerentur.

Ad II. negatur minor; Ratio est, quia fuit necessaria fides de hominis miseria, saltem implicita in sententia illorum, qui asserunt fuisse necessariam fidem implicitam de Christo Mediatore: ergo pariter in sententia illorum, qui dicunt fuisse necessariam fidem explicitam, fuit quoque necessaria fides explicita de eadem hominis miseria. Et ratio est, quia Redemptor appellat captivitatem, Medicus infirmitatem; non enim est opus Medico Valentibus, sed male habentibus.

Ad III. Fides de mysteriis illis fuit quidem semper necessaria, sed implicita tantum non vero explicita; & hoc pacto intelligendus est Augustinus in locis, quæ in argumentis citantur.

Ad IV. Justinus loquitur de Judæis, quorum exemplum non est probandum; loquitur etiam de Christianis, at hæreticis, non catholicis; scilicet de Ebioneis, quos Justinus in loco illo confutabat: dicit enim: *Ex genere nostro*, non vero ex Ecclesia nostra, vel ex Ecclesia Catholica. Denique sufficit quod Justinus suumvis sensum opposuerit, ut contraria doctrina, a catholica fide aliena, adeoque hæretica, censeatur.

Quæres hic, an ante nativitatem Christi, præter Populum Israeliticum Gentes aliquæ habuerint fidem?

Primo non loquimur de hominibus ante Noemum; quia illi unum ac verum Deum colverunt, & Scripturæ non asserunt, quod, aliquis illorum falsa Numina adoraverit. Secundo non loquimur de hominibus a Noemo usque ad Abrahamum; quia illi fere omnes post Babylonicam turrim a veri Dei cultu recesserunt, & in sola familia Thare, qui fuit Pater Abrahami, remansit, & aliquandiu etiam ex ea evanuit. Tertio nec loquimur de privatis aliquibus hominibus, qui ex speciali Dei privilegio extra Populum Israeliticum a temporibus Abrahami verũ Deum coluerunt, & fidem saltem implicitam in Christum

Digitized by Google

sum futurum habuerunt; quales fuerunt Melchisedech, qui Abrahami tempore vixit; Job, qui tertia generatione posterior fuit quam Israel; aliique etiam viri pii apud nationes, qui vel ex majorum suorum traditione per Sem, & Japhet, vel ex Abrahami familia, vel ex immediata, & speciali revelatione, habuerunt suam fidem in Christum. Quod totum asserit Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 47. *Homines autem quosdam non terrena, sed cœlesti societate ad veros Israelitas superna Cives patriæ pertinentes etiam in aliis gentibus fuisse, negare Judæi non possunt: quia si negant, facillime convincuntur de sancto & admirabili viro Job; qui nec indigena, nec proselytus, id est, advena populi Israel fuit; sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est: qui divino sic laudatur eloquio, ut quod ad justitiam, pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur . . . . . Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus, & jam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad Spiritualem Jerusalem . . . . . Quod nemini concessum fuisse, credendum est, nisi cui Divinitus revelatus est unus Mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus; qui venturus in carne sic antiquis Sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est, ut una eadem per ipsum fides, omnes in Dei Civitatem, Dei domum, Dei templum, prædestinatos perducat ad Deum.* Quarto nec loquimur de populis, ad quos, dum lex Mosaica vigebat, a Deo missi sunt Prophetæ, ut fuerunt Ninivitæ, qui a Jona edocti, verum Deum aliquandiu coluerunt, & veram fidem in Christum futurum habuerunt. Loquimur igitur de integra aliqua natione extra gentem Judaicam, & quærimus an habuerit verum, & sincerum cultum unius Dei, interiorem & exteriorem ante Christum natum; Unde natio illa prædita fuerit vera fide, charitate sincera, ac sanctis ritibus, ut gens Judaica erat?

Respondemus, extra Abrahami posteros, nullam Gentem, nullum Populum, ante Christum natum, veram ac puram religionem habuisse.

I. Probatur ex Scripturis. Deuteron. 13. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, clam dicens: Eamus, & serviamus diis alienis cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta, vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ; non acquiescas ei.* Quibus verbis indefinite Scriptura omnes gentes, præter Israeliticam, Idololatras appellat. Quod confirmatur Actorum 14.; *In præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* Pariter Ezechielis 25. *præter* Israelitas, omnes gentes dicuntur idolatræ *Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dixerunt Moab, & Seir, ecce sicut omnes gentes domus Juda.* Et sequentibus textibus omnes, præter Christianos, dicuntur Idolorum cultores. 1. ad Corinth. 10. *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo: nolo autem vos fieri socios dæmoniorum.* Ad Ephes. 2. *Memores estote. . . . . vos gentes in carne . . . . qui eratis in illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.*

II. Probatur ex Patribus. Justinus Martyr in apolog. ad Antoninum Pium: *Desertæ enim omnes gentes a Deo vero erant, quod manuum operibus servirent.* Lactantius lib. 4. Institut. cap. 2. loquens de Pythagora, & Platone, ait: *Nescire possent veritatem, quia nondum fas erat alienigenis hominibus religionem veri Dei, justitiamque cognoscere: Statuerat enim Deus, appropinquante ultimo tempore, ducem magnum cœlitus mittere, qui eam perfido ingratoque populo oblatam, exteris gentibus revelaret.* Augustinus lib. 16. de Civit. Dei cap. 12. *Proinde sicut per aquarum diluvium una Domus Noe remanserat ad reparandum genus humanum, sic in diluvio multarum superstitionum per universum mundum una remanserat Domus Thare, in qua custodita est plantatio Civitatis Dei.* Et lib. 18. cap. 47. *Populus enim revera, qui proprie Dei populus diceretur, nullus alius fuit.* Author libri de Vocatione gentium, qui Sancti Ambrosii nomen præfefert, sed vere fœtus est S. Prosperi, lib. 1. cap. 13. *Gentium non est prius facta vocatio;* Et cap. 21. *Esse absconditum, cur omnibus gentibus prætermissis, unum populum sibi, quem ad veritatis cognitionem erudiret, excepit;* Et lib. 2. cap. 14. *Tam pauci fuerunt, ut vix cognoscatur an fuerint.* Eadem habent Eusebius de demonstrat. Evangelica cap. 1., Chrysostomus in psalm. 95., Cyrillus lib. 3. in Julianum, aliique plures.

III. Probatur rationibus. I. Si fuisset aliquis populus, præter Judaicum, qui ante Christi tempora, veram Christi fidem habuisset, Apostoli in ipsorum prædicatione illum adduxissent in exemplum; sed non adduxerunt: ergo non fuit. Mi-

nor est certa; multibi enim hoc legitur: Major etiam patet, quia illius populi exemplo, Apostoli prædicationis suæ veritatem comprobassent. II. Apostoli dicebant sibi primum revelatum fuisse mysterium vocationis gentium; sed hoc falsum fuisset, si esset Populus gentium cum vera fide: ergo &c. Major legitur in pluribus libris novi Testamenti; minor negari non potest. III. In prima prædicatione Evangelii pene incredibilis videbatur Apostolis vocatio gentium ad fidem Christi; sed non videretur, si aliquæ gentes in ea fide fuissent: ergo &c. Major probatur Actorum 10. Ubi refert Lucas: *Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est.* Cap. 11. *Cum autem ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant adversus illum, qui erant ex circumcisione, dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes?* IV. Si aliqua natio ante Christum natum habuisset cognitionem veri Dei, & per consequens fidem implicitam in Christum Mediatorem, objicientibus Gentilibus novitatem nostræ Religionis Apostolis primum illam prædicantibus, Apostoli, ut novitatem hanc respuerent, non proposuissent solum exemplum Judæorum, sed nationis etiam illius exemplum; at solum hoc proposuerunt, & non illud: ergo vere non erat natio illa.

Objiciunt I. Joseph in Ægypto docebat gentem illam sicut seipsum: ergo docebat illam in vera religione: ergo populus Ægypti, extra populum Israeliticum ante adventum Christi fuit in vera religione educatus. Probatur antecedens ex psalm. 104. *Ut erudiret Principes ejus sicut seipsum, & senes ejus prudentiam doceret.* II. Melchisedech dum vivebat Abraham, erat Sacerdos in Urbe Salem; ergo in Urbe Salem vigebat cultus veri Dei. III. Sybillæ erant gentiles, & tamen de Christo venturo prophetarunt: ergo &c. IV. Brachmanes fuerunt in Indiis, qui, teste Eusebio lib. 6. de præpar. Evangelica *soli Deo attendentes* rationis ductum in suis operibus sequebantur. Verba Eusebii sunt cap. 8. *Apud Indos autem, & Bactres multa millia hominum sunt, qui Brachmanes appellantur. Ii tam traditione Patrum, quam legibus nec simulachra colunt, nec animatum aliquid comedunt, vinum, aut cervisiam nunquam bibunt, ab omni malignitate absunt, soli Deo attendentes.* V. Sinarum gens ante Christum natum per duo circiter annorum millia fidem veri Dei habuit, & vero Deo sacrificavit in templo omnium antiquissimo. VI. Essæni & ante Christum, & post Christum nati, habuerunt veram notam in Deum, & fidem etiam in Christum Mediatorem; Sed Essæni non fuerunt neque Judæi, neque Christiani: ergo fuerunt Gentiles: ergo Gentiles, & ante, & post Christum natum, saltem aliqui habuerunt fidem in Deum verum, & fidem etiam in Christum Mediatorem.

Respondemus ad I. quod quæ docuit Joseph Ægypti Principes, non respiciebant religionem, neque fidem, sed regimen tantum politicum, vel œconomicum, quo Populos illos famis tempore gubernarent; ac proinde dicitur in psalmo, quod illos prudentiam docuerit; prudentiam enim non indicat religionem, neque fidem, sed artem tantum regendi Civitatem, vel Regnum, vel domum, vel seipsum.

Ad II. Jam diximus, quod non loquimur de hominibus privatis, qui potuerunt habere cognitionem veræ religionis, & fidei, vel per immediatam a Deo habitam revelationem, vel per traditionem deducta a posteris Sem, & Japhet, vel per manifestationem excepram a veri Dei cultoribus, qui in Abrahæ familia numerabantur. Melchisedech autem jam supra adnumeratus fuit inter privatos illos homines, de quibus loquimur. Salem denique non erat ampla Civitas, nec Regnum, sed parvum Oppidum; & Melchisedech dicitur quidem Rex Salem, sed non Sacerdos loci, at Sacerdos Summi Dei; unde bene esse poterat, quod non populi, sed sui ipsius solummodo privato nomine sacrificia offerret,

Ad III. Non est apud omnes inconcussum, nec quod Sibyllini libri Sybillarum sint legitimi fœtus, nec quod de Christo loquantur; plurimi enim volunt adulteratos fuisse libros illos, & quod de Christo nihil contineant. Verum hoc omisso, non per hoc, quod sybillini libri de Christo loquantur, bene infertur Sybillas veram habuisse religionem, & fidem in Christum Mediatorem. Plura enim habemus exempla, quod infideles homines, & impii quoque prophetaverint; ut habemus in Balaam, in Caipha, qui prophetavit, quum esset Pontifex anni illius, & aliis. Audiatur Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 47. *Quapropter quisquis alie-*

Digitized by Google

alienigena, id est, non ex Israel progenitus, nec ab illo populo in Canonem sacrarum literarum receptus, legitur aliquid prophetasse de Christo, si in nostram notitiam venit, aut venerit, ad eumdem a nobis commemorari potest; non quod necessarius sit; etiamsi desit; sed quia non incongrue creditur fuisse & in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est, & qui hoc etiam praedicere impulsi sunt, sive participes ejusdem gratiæ fuerint, sive expertes; sed per malos Angelos docti sunt, quos etiam praesentem Christum, quem Judæi non agnoscebant, scimus fuisse confessos.

Ad IV. Dicitur Brachmanes non fuisse populos, sed philosophos, & quidem non unius gentis, sed multarum gentium, adeoque non constituisse nationem aliquam, de qua nos loquimur. Dicti sunt autem, quod non adoraverint simulachra, quia adorabant Solem, Lunam, & Stellas in seipsis, non vero in imaginibus. Hoc autem non est adorare Deum verum, nec fidem habere in Christum Mediatorem.

Ad V. Sinarum illa religio est prorsus fictitia; quod velex eo patet, quia tempus illud bis mille annorum erat tempus, quo Prophetæ scribebant, & quo dicitur ab omnibus Patribus, praeter populum Israeliticum, omnes gentes fuisse idololatras. Et si verum fuisset, quod tempore illo Sinarum gens habuisset veram religionem, utique Apostoli praedicando illi Evangelicum, eidem in exemplum adduxissent religionem Patrum suorum, utpote Evangelio conformem. Quod quum non fecerint, signum est, religionem illam fuisse vere fictitiam. Accedit, quod Scriptores plurimi, & quidem non infimæ notæ, testantur, quod idola adoraraverit.

Ad VI. Nemo conventus est, Essænos fuisse Gentiles, sed tantum discrepantia est inter Scriptores, quod aliqui asserunt, fuisse Judæos, alii vero dicunt, fuisse primos Christianos, qui Alexandriæ degebant.

DISSERTATIO CXCVII.

De Potentia Christi faciendi miracula. An illam habuerit etiam secundum humanitatem? An fuerit principalis, vel instrumentalis? An physica, vel moralis? Quando incæperit Christus facere miracula? Et an ejus miracula fuerint evidentia, & necessaria?

PRIMO contra Christi miracula sentientes adnumeramus Judam Iscariotem, qui fuit Christi proditor, & qui Christi miracula non divinæ virtuti, sed magicis artibus tribuebat, & ejus prodigia, non vera signa, sed dæmonum illusiones, & mendacia fuisse, somniabat. Testatur Hieronymus in cap. 26. Matthæi.

Secundo Pharisæi, & Scribæ volebant, Christi miracula fuisse phantastica, & illusoria, sicuti fuerunt illa, quæ Magi Pharaonis patrarunt, & erunt illa, quæ operabitur Antichristus. Dicebant quoque Lucæ 11. Christum in Beelzebub Principe dæmoniorum, ejicere dæmonia.

Tertio Vvaldenses sequuti sunt Pharisæos, & Scribas, dicendo Christum, non vera, sed apparentia tantum miracula patrasse. Et consequenter ad hoc asserebant quoque, nulla vera miracula fieri in Ecclesia. Testatur Guida Carmelita lib. contra hæreses cap. 25. Attamen Aeneas Silvius lib. de Orig. Bohemorum cap. 35. Vvaldensium errores enumerans, hæresis, de qua loquimur, nullam mentionem facit.

Quarto, Alii tribuerunt Christi miracula optimo ejusdem temperamento, quod vocabant temperamentum justitiæ, sive ad pondus; quia in ipso erant Elementorum qualitates in eodem gradu, in quo sunt in ipsis Elementis, adeoque poterat

sine

sine ullo periculo sese constituere in aqua, in igne, & in aliis Elementis. Testatur Medina lib. 1. de recta in Deum fide; & refert Hennus.

Dicimus I. Christum fecisse vere miracula, quorum, ut Deus fuit causa principalis, ut homo tamen non fuit principalis, sed instrumentalis causa.

I. Probatur ex Scripturis. Matth. 4. *Circuibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.* Quod prædixerat Isaias cap. 35. *Deus ipse veniet, & salvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Item, Matth. 11. Christus dicebat discipulis Joannis: *Euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis; Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Joannes 5. *Opera, quæ dedit mihi Pater ut faciam, ipsa sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Et cap. 10. *Si mihi non vultis credere operibus credite.* Et cap. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum.*

II. Probatur ex Patribus. Tertullianus in Apologet. cap. 5. *Tiberius annuntiata sibi ex Syriæ Palæstina, quæ veritatem ejus divinitatis revelaverant, detulit ad Senatum cum prærogativa suffragii sui:* ubi loquitur absque dubio de miraculis, quæ Christus Dominus operatus est. Hieronymus in cap. 21. Matth. *Plerique arbitrantur, maximum esse Signorum, quod Lazarus suscitatus est, quod cæcus ex utero lumen accepit, quod ad Jordanem vox audita sit Patris, quod transfiguratus in monte, gloriam ostenderit triumphantis, mihi inter omnia signa, quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quod unus homo, & eo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis, & Pharisæis contra se sævientibus, & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensasque subvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum quiddam, ac sydereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas lucebat in facie.* Eusebius Cæsariensis lib. 2. Hist. Eccles. cap. 2. *Cum per omnem jam locum de Resurrectione, & mirabilibus Domini Jesu Christi, & de Ascensione ejus ad cœlum, fama loqueretur; ac per omnium aures, beati hujus rumoris volveretur opinio: quoniam antiqui moris erat apud Romanos, & Provinciarum Judices, si quid forte novi in his, quas regebant, Provinciis accidisset, vel Principi, vel Senatui nunciarent; ut ex his, quæ gerebantur, ignorare aliquid viderentur: de Resurrectione a mortuis, & Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ jam in omnem locum fuerat promulgata, Pilatus Tiberio Principi refert. Sed & de cæteris mirabilibus ejus; & ut post mortem cum resurrexisset, a quamplurimis jam Deus esse crederetur. Tiberius quæ comperexat, retulit ad Senatum. Senatus autem sprevisse dicitur, pro eo quod non sibi prius hujus rei judicium fuerit delatum: sed antecessit suam prævenit vulgi sententia; lex etenim erat antiquitus designata, ne quis apud Romanos Deus haberetur, nisi Senatus sententia, atque decreto confirmatus. Porro autem pro vero hoc erat, quod gerebatur, ne divina virtus humanis præsidiis assertionibus indigere. Cumque secundum ea, quæ supra diximus, renuisset Senatus, Tiberius tamen tenuit sententiam suam, ut ne quid adversus doctrinam Christi contrarium moliretur.*

III. Probatur ex exteris Scriptoribus, Josephus Hebræus lib. 18. antiquitat. cap. 4. *Fuit hoc tempore Jesus vir sapiens: Si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus: cumque eum a primioribus gentis suæ accusatum, Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstiterunt, qui primum cœperant. Nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit: cum divini vates hæc, aliaque quamplurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus.* Quod quidem testimonium SS. Patres confirmant, & præcipue Chrysostomus homil. 5. in acta Apostol. dicens, quod si Josephus Christianus fuisset, *esset fortassis sermo suspectus.* Quia autem Judæus, & æmulator, qui post Evangelium floruit, quomodo non omnibus manifesta sunt quæ facta. Scimus, quod Tanaquillus faber, in Protestantium Schola Professor Salmutiensis, hoc Josephi testimonium,

genuinum esse, negat; sed præclare confutatur a clarissimis Viris, Natali Alexandro, Ignatio Hyacintho Amat de Graveson, aliisque de re critica benemeritis, ad quos legentes remittimus. Adsunt quoque, quæ scripsit Pilatus de rebus a Christo præclare gestis ad Tiberium Cæsarem; & de quibus loquuti sunt etiam Patres, nimirum Tertullianus in Apologet. cap. 5. & cap. 21., Justinus martyr in Apolog. 2. ad Antoninum Imperatorem, Eusebius Cæsariensis libro 2. Histor. Eccles. cap. 2., Chrysostomus homil. 26. in epist. 2. ad Corinth. Egesippus, non ille, qui floruit temporibus Aniceti, & Eleutherii, Romanorum Pontificum, sed alter, qui vixit labente Seculo quarto, post Constantini tempora, Paulus Orosius lib. 7. Histor. cap. 4., Gregorius Turonensis lib. 1. Hist. cap. 25., Nicephorus Callixtus lib. 2. Hist. cap. 8., ubi hæc habet: *Consuetudo jam inde a plurimis annis obtinuerat, ut qui Prafecturas, ac Provincias sortiti essent, res novas, quæ sub eis accidissent, singulas summum imperium habenti Cæsari significarent, ut illum nihil prorsus rerum lateret. Itaque de Resurrectione ex mortuis, aliisque prodigis Jesu Christi Tiberio Cæsari scribens Pilatus, tum res ejus plerasque; tum quod ex mortuis redivivus, sibique ipsi superstes, Deus jam a multis, & quidem præcipuus esse crederetur, renunciavit. Quam rem Tiberius ad Senatum retulit. Senatus autem, non esse deliberandum de ea, censuit, sub illo quidem prætextu, quod ille non prius veteri more, ipsius Senatus sententia in Deos esset relatus: re autem ipsa, quod divinæ doctrinæ disciplina humano prorsus non indigeret auxilio. Sed enim etiamsi Senatus ad eum modum verbum de Servatore rejecisset, Cæsar tamen in sententia sua perstitit, salutarique prædicationi impedimento non fuit.* Epistola autem Pilati ad Tiberium hæc est: „ Pilatus Tiberio Cæsari „ salutem. De Jesu Christo, quem tibi, „ plane postremis meis declaraveram, nu„ tu tandem populi, acerbum, me quasi „ invito, & subticente, supplicium sump„ tum est. Verum hercle ita pium, ac „ sincerum nulla unquam ætas habuit, nec „ habitura est. Sed mirus extitit populi „ conatus, omniumque Scribarum, & Se„ niorum populi consensus, suis Prophetis, „ & more nostro Sybillis præmonentibus, „ hunc veritatis Legatum crucifixere; si„ gnis etiam super naturam apparentibus, „ dum penderet, & Orbi universo Philo„ sophorum judicio lapsum minantibus. „ Vigent illius Discipuli opere, & vitæ „ continentia Magistrum non mentien„ tes, imo ejus nomine beneficentissimi. „ Nisi ergo seditionem populi prope ex„ tuantem pertimuissem, fortasse adhuc „ nobis ille vir viveret. Et si tuæ magi„ dignitatis fide compulsus, quam volun„ tate mea adductus pro viribus non resti„ terim. Sanguinem justum totius accusa„ tionis immunem, verum hominum ma„ lignitate inique in eorum famen, ut „ Scripturæ interpretantur, exitium pati, „ & verecundari. Vale. Quarto nonas „ Aprilis. „ Idem Tanaquillus faber ex Protestantium Secta hanc Epistolam, ut supposititiam respuit; sed invicte impugnatur a Jacobo Hyacintho Serry exercitat. 64. Mahumetus in Alchorano cap. Elbachera, Deum sic loqui facit: *Dedimus Jesum Filium Mariæ, ut faceret miracula, & prodigia manifesta, & fecimus eum per Spiritum Sanctum, & insufflavimus in Mariam de Spiritu Sancto, & conceptus est Christus ex virtute Dei de matre Sanctissima, & purissima super omnes mulieres.*

IV. probatur rationibus I. Vera miracula fieri non possunt, nisi sola virtute divina; Sed Christus vera miracula effecit: ergo virtute divina effecit. Major est certa; quia solus Deus naturæ ordine immutare potest: Minor ex dictis patet; quia Christus mortuos suscitavit, cæcorum oculos, surdorum aures, mutorum ora, aperuit, quæ sunt vera miracula. II. Si Christus vera miracula virtute divina non operatus fuisset, non potuisset mundum ad se trahere, Gentiles populos, & Judaicam gentem, ad fidem suam perducere; maxime quum ejus religio, aspera sensui, & pene incredibilis menti videatur: Si ergo hoc totum effecit, & per media incongrua effecit, opus est dicere, ut per miracula perfecerit. III. Quia nulla creatura, sed solus Deus virtutem habet supra naturam, & supra ordinem naturæ, oportet dicere, miracula a Deo procedere, tanquam a causa principali; & si aliquando Christus, ut homo, seu secundum humanitatem dicitur causa principalis, intelligendum est de causa meritoria, non efficiente, in quantum scilicet meruit, ut ejus humanitas in ordine ad patranda miracula, tanquam instrumentum, & organum Divinitatis assumeretur. IV. Christus, ut homo fuit vera Creatura; sed nulla creatura potest principaliter influere in effectum supernaturalem, adeoque

que miraculum principaliter facere : ergo Christus ut homo non fuit causa principalis, sed instrumentalis tantum miraculorum ab ipso factorum.

Dicimus II. Christum secundum humanitatem non fuisse causam instrumentalem physicam miraculorum, sed moralem. Est communis inter scholasticos, qui tenent cum Scoto, Sacramenta producere gratiam moraliter, & non physice; idem enim dicitur de remissione peccatorum, de influsione gratiæ, & de aliis operibus Christi supernaturalibus.

I. Probatur. Patres tribuunt miracula Christi divinæ virtuti, & volunt humanitatem effeciſſe tantum id, quod erat sibi proprium; nimirum concurriſſe ad prolationem verborum, ad extensionem manus, ad contactum corporis, & similia, sed hoc est concurrere moraliter, & non physice: ergo &c. Probatur major. Athanasius lib. 4. contra Arianos: *Ut Socrum Petri febricitantem excitaret, humano quidem more manum extendit; divinitus autem morbum compescebat . . . in Lazaro autem vocem quidem ut homo edebat, divinitus tamen ut Deus eundem a mortuis excitabat.* Augustinus tract. 8. in Joannem: *Miraculum autem, quod facturus erat* (nempe in Cana Galileæ) *secundum Divinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem, secundum quod Deus erat, non secundum id, quod infirmus natus erat.* Damascenus lib. 3. de fide cap. 15. *Quando Divinitas tactu carnis sanabat infirmum, alia erat propria actio Divinitatis, altera humanitatis: & finis humanæ actionis in extensione manus, & tactu positus erat; divina autem natura in excitatione puellæ. Neque enim vivificat Lazarum humana natura.* Citatur etiam Cyprianus serm. de Cœna Domini, ubi dicit: *Et qui animam Lazari revocaverat ab inferis, & quatriduano mortuo reddiderat vitam, dignosceretur virtute divina, non humana, tantum opus patrasse;* Sed hoc non est genuinum Cypriani opus, imo neque alicujus hominis docti, ut ait Bellarminus, qui putat, ejus Authorem fuisse quidem dictum Cypriani nomine, sed longe diversum fuisse a Cypriano, cujus opera modo habemus, ac legimus.

II. Probatur. Causa, quæ est physica, nec operatur, nec potest operari in distans, vel ubi non est præsens; Sed Christi humanitas in Christi miraculis sæpe fuit operata, ubi non erat præsens: ergo humanitas Christi non fuit causa physica instrumentalis miraculorum Christi, sed moralis. Major est doctrina Philosophorum, & præcipue Thomistarum, quos hic adversarios habemus, secundum quos adeo est necessaria præsentia causæ efficientis, ut nec Deus posset ubique operari, si ubique non esset præsens. Minor patet, & quando Christus puerum Centurionis sanavit, & quando animam Lazari ad proprium corpus revocavit, & quando in aliorum anima gratiam producebat. Neque dicant, quod hoc totum verificatur quidem de causa principali physica, non vero de causa physica instrumentali, quatenus non requiratur, ut hæc attingat immediate effectum, sed sufficiat, si mediate tangat, in quantum scilicet per actionem prævium determinat virtutem, & actionem agentis principalis: ne dicant hoc; quia intelligi non potest, quomodo possit creatura immediate physice attingere, & determinare Dei virtutem, & actionem. Et ratio est, quia Dei virtus, & actio, vel est quid intrinsecum Deo, vel extrinsecum; Si intrinsecum: ergo determinando physice illud intrinsecum determinaret physice ipsum Deum, intrinsecum enim ab ipso Deo non distinguitur: Si extrinsecum, si non potest humanitas attingere immediate effectum supernaturalem, quia distat, multo minus poterit attingere immediate actionem æqualiter distantem.

III. Probatur. Nec respicit majorem Christi dignitatem, nec conducit ad meliorem incarnationis effectum, ut Christi humanitas sit physicum instrumentum respectu operum supernaturalium Christi: ergo sufficit ut sit morale. Probatur antecedens. Magis dignificatur Christus a virtute morali quam a physica: ergo magis conducit ad dignitatem Christi, ut ejus humanitas sit instrumentum morale non physicum operum supernaturalium Christi. Probatur antecedens; per Adversarios virtus illa physica, quæ esset in humanitate Christi, esset communicabilis non solum hominibus, sed etiam aliis Creaturis, quæ sunt ex sua natura productivæ, quamvis sint insensitivæ, & irrationales; Proinde neque dicunt, Deum illam communicasse asinæ Balaam ad loquendum, ligno sterili ad fructus illico producendos, senî, ac fœminæ sterili ad prolem concipiendam: Sed quod sit causa condigne meritoria, & impetratoria omnium prodigiorum, & operum Christi supernaturalium, est dignitas in Christo ita specialis ob infinitum valorem personæ

Digitized by Google

næ Christi merentis, & imperantis, ut nulli puræ creaturæ sit communicabilis. Insuper finis incarnationis proximus est hominis redemptio & justificatio; sive autem hæc ab humanitate Christi physice, sive moraliter habeatur, semper eadem est.

IV. Probatur. Nulla res creata agere potest ultra proprias vires; sed humanitas Christi est res creata, & habet vires proprias operandi naturaliter, non vero supernaturaliter: ergo non habet virtutem physicam operandi miracula. Consequentia probatur, quia miracula sunt effectus supernaturales, adeoque non possunt physice attingi a Christi humanitate, quæ est pure naturalis. Dicunt Adversarii, per qualitatem supernaturalem Christi humanitatem elevari. At Scotistæ respondent, quæ qualitas est illa, quæ animas ab inferis revocat, tempestates sedat, mortuos vivificat, Dæmones ejicit ab obsessis, &c.? Ulterius, qualitas hæc vel est materialis, vel est Spiritualis; si materialis, quomodo producit effectus spirituales, ut sunt remissio peccatorum, productio gratiæ &c.? Si Spiritualis, quomodo recipitur in subjecto materiali? Dicunt etiam Adversarii, Deum elevare humanitatem per hoc, quod concurrat cum illa per extraordinarium concursum. At Scotistæ respondent, quod quum concursus ille nihil ponat in humanitate, non plus potest humanitas cum illo, quam sine illo.

V. Probatur. Qui ponunt in Christi humanitate causam instrumentalem physicam patrandi miracula, in explicatione non conveniunt, unde unus alium impugnat. Aliqui enim dicunt, humanitatem Christi fuisse ad hoc elevatam per qualitatem superadditam; alii per concursum extraordinarium; alii per virtutem Dei assistricem; alii per impressionem cujusdam motus; alii hanc vim concedunt ad effectus supernaturales, ad effectus positivos, non negativos; alii ad omnes effectus; alii volunt humanitatem concurrere per potentiam obedientialem activam; alii requirunt in humanitate præviam operationem, per quam virtutem divinitus in se receptam deferat usque ad effectum producendum; alii aliter loquuntur; unde concludit Hennus, ut verum sit dicere, quot capita, tot sententiæ, quod satis hujus sententiæ debilitatem demonstrat.

Dicimus III. Christi miracula potuisse quodammodo esse Angelis, & hominibus evidentia, non sic vero hominibus; illa autem fuisse aliquo modo necessaria; primumque Christi miraculum factum fuisse in Cana Galileæ; ubi in nuptiali convivio aquam in vinum mutavit.

Prima Conclusionis pars probatur, quia quæ sunt supernaturalia in productionis modo, non vero in substantia rei productæ ab Angelis, & Dæmonibus, qui res naturales per proprias species intelligunt, possunt evidenter cognosci: unde potuerunt videre animam Lazari fuisse separatam a corpore, & deinde eidem corpori unitam, per modum, qui naturæ vires superaveris; & hoc est evidenter cognoscere miraculum. Homines vero, qui rerum naturas non cognoscunt per species proprias, sed per species alienas, si vident hominem, qui redivivus dicatur, dubitare possunt, vel non fuisse vere mortuum, vel non esse vere resuscitatum, vel esse potius corpus phantasticum; quod comedat, ambulet, loquatur, rideat, dæmonis ope.

Secunda Conclusionis pars probatur etiam; quia Christus prædicans doctrinam supra omnem humanam rationem, per miracula debebat illam confirmare, & credibilem reddere. Unde miracula fuerunt quidem necessaria, non absolute, sed aliquo modo; quia potuit Deus per gratias internas, & per alia media, quam per miracula, mundi illuminationem, & conversionem perficere; quemadmodum etiam alia media adhibuit simul cum miraculis, ut fidem suam propagaret; nimirum Doctoris auctoritas, Magistri innocentia, doctrinæ sanctitas, Prædicatorum constantia, Apostolorum ruditas, verborum efficacia, fidei victoria, contra Tyrannos, Philosophos, atque persequutores omnes.

Tertia Conclusionis pars, quæ est communis inter Theologos contra Suarez, dicentem rem esse incertam. I. probatur ex Scriptura Joannis 2. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galileæ.* Et quanvis dici possit, quod hoc fuerit primum signum publicum; nihil tamen est, quod nos compellat hanc facere distinctionem. II. probatur ex Chrysostomo homil. 3. in Joannem: *Decenter non incipit signa facere in prima ætate: existimassent enim phantasma esse Incarnationem, & ante opportunum tempus cruci eum tradidissent.* III. quia quum fecerit Christus miracula, ut suam doctrinam confirmaret, conveniens erat,

ut ea prope doctrinæ suæ promulgationem ostenderet.

Obstant I. Christus in sua pueritia, atque infantia nulla miracula patrauit ergo illa, quæ in adolescentia, atque virilitate fecit, vera miracula non fuerunt: ergo divina virtute illa non fecit. Probatur antecedens. Chrysostomus homil. 16. in Joannem, explicans illud Joannis cap. 2. *Hoc fecit initium signorum Jesus*; scribit: *Constat signa illa & miracula, quæ in Christi pueritia feruntur, vera non esse. Nam, si a puero miracula facere cœpisset, non sane Joannes eum ignorasset; nec reliqua multitudo indiguisset Magistro, qui ipsum manifestaret. Nunc autem, inquit Joannes, propterea veni, ut manifestetur in Israel.* II. Christus per artem magicam miracula edidit: ergo non per divinam virtutem. Probatur antecedens: In Beelzebub, Dæmoniorum principe, dæmones expulit: ergo per artem magicam &c. III. Narrant Judæi, quod temporibus Helenæ Reginæ, quam dicunt, universæ terræ israeliticæ præfuisse, extabat in templo jerosolimitano lapis, cui Arca olim imponebatur, & in eo lapide descriptum erat Dei nomen propriis elementis expressum; hujus autem nominis tanta erat vis, ut quicunque illud memoriæ mandasset, poterat omnia miracula operari. Timentes autem Judæi, ne hoc eveniret, apposuerunt portæ, uti custodes, canes æreos, qui hanc virtutem habebant, ut latratibus suis faciebant obliviscì Dei nomen cuicunque illud memoriæ mandaverat. Christus igitur Dei nomen in membrana descripsit, quam vulneri, cruri suo facto, inservit; & ab hoc evenit, quod oblitus Dei nomen propter canum latratus, illud denuo a membrana didicit, & illud pronunciando, miracula operatus est. IV. Si Christus per divinam virtutem miracula effecisset, in omni loco potuisset illa patrare; sed non potuit in Patria sua: ergo non per divinam virtutem illa operebatur. Probatur minor. Marci 6. legimus: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere.* V. Christus quando miracula patrabat, orationem præmittebat; sed si divina virtute edidisset, absque oratione, sed solo imperio facere debuisset: ergo &c. VI. Gentiles etiam miracula patrarunt, sed non patrarunt per divinam virtutem: ergo neque Christus miracula per divinam virtutem operabatur. Probatur antecedens. Apollonius Tyanæus multa edidit miracula, ut testantur Philostratus in sua vita, & Hierocles in comparatione inter Jesum, & Apollonium. Imperator etiam Vespesianus per insputationem cæco reddidit visum, & alterius hominis manum calcans, eidem reddidit sanitatem. VII. Mahumetus etiam multa edidit miracula, ut legitur in Alchorano, & tamen non per divinam virtutem illa faciebat. VIII. Matthæi ultimo Christus de seipso dicit: *Data est mihi omnes potestas*; & Lucæ 6. habemus: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*; & cap. 8. Christus ait: *Ego novi virtutem de me exisse*; Et Isaiæ 51. habetur, Christum dici *brachium Domini*; hæc autem omnia testimonia probant, Christi humanitatem fuisse instrumentum physicum in miraculis faciendis: ergo &c. IX. Concilium Ephesinum can. 110 Christi carnem vocat *vivificatricem*; Cyrillus lib. de fide ad Reginas appellat *vivificam*; Sed Sophronius in epistola, quæ legitur in Sexta Synodo, asserit, miracula facta fuisse per Christi carnem, & Christi caro est instrumentum physicum: ergo &c. X. Sancti operabantur miracula physice: ergo etiam Christus. Antecedens est Gregorii magni, qui lib. 2. Dialogorum cap. 30. docet, Sanctos operari miracula dupliciter, orando nimirum, quod importat instrumentum morale, & potestative, quod importat instrumentum physicum. XI. Scriptura docet, Christum fecisse miracula, operatum fuisse, vivificasse, resuscitasse; sed hæc omnia accipienda sunt in proprio sensu & naturali; & in proprio sensu, & naturali importat influxum physicum, & non morale: ergo &c. XII. Si Christi humanitas non concurrebat physice ad miracula, ad quid ergo inserviebant in Christi humanitate manum extensio, corporis tactus, sputi effusio, aliaque similia, corporales applicationes? XIII. Legitur antiquus liber, cui titulus de Christi infantia, & in eo plurima Christi infantis miracula referuntur: ergo non fuit primum Christi miraculum, quod fecit in Cana Galileæ. XIV. Christus non poterat probare suam divinitatem per miracula, quæ effecerunt alii, qui erant puri homines, Apostoli nimirum, aliique Sancti in Ecclesia: ergo operatio miraculorum non fuit argumentum Divinitatis in Christum.

Respondemus ad I. cum Angelico Doctore 3. par. qu. 43. art. 3. quod quanvis Christus potuisset a primo suo nativitatis momento miracula facere, quia a primo suo con-

Digitized by Google

conceptionis instanti divina virtute patrandi illa, fuit ornatus, non debuit tamen in sua infantia, vel pueritia illa facere; quum aliter Judæi credidissent, Incarnationem esse phantasma, vel etiam, quia Christum ante tempus a Deo paratum, occidissent,

Ad II. Non poterat Christus virtute dæmonum miracula patrare, qui dæmonum imperium sua prædicatione, & suæ virtutis exemplo, destruere venerat, & facto ipso destruebat. Quomodo enim poterat Beelzebub sibi ipsi contrarius esse, Christo virtutem administrans, qua ejus regnum in mundo usurpatum pessundaret, atque ad nihilum pene redigeret? Et revera Christo, rationem hanc suppeditanti, Pharisæi nullatenus respondere potuerunt,

Ad III. Illud est unum ex Rabinorum commentis, quæ credulis inter ipsos venditare consueverunt. Sat enim est illud exposuisse, ut confutasse dicamus. Et sane non aliter quam sibilis, & cachinnis a Scriptoribus confutatur. Verum hæc quoque subdere non omittimus; Josephum, qui omnia, quæ in Hierosolymitano Templo reperiebantur, fideliter descripsit, hujus fabulæ neutiquam meminisse; unde Judæi nullum illius testem adducunt. Ulterius, Helena illa fuit Adiabenorum, non Judæorum Regina; ut adnotat Josephus de Voisin apud Graveson; & eadem sub Claudio Imperatore floruit; ut asserit Josephus lib. 20. antiquit. cap. 2. Insuper, virtus illa, canibus æreis tributa, commentum aperrissime sapit, quod Judæorum ingenio est sane dignum. Denique, cur Judæi cæteri post Christum hac eadem arte non usi sunt, quum illam scirent, ut miracula perpatrarent?

Ad IV. Christus non patrabat miracula in quibusdam locis, nō defectu suæ potentiæ, sed in pœnam pertinaciæ, incredulitatis, & contemptus habitantium in illis locis, quibus se miraculis indignos faciebant; quemadmodum etiam accidit in Herode, in cujus præsentia Christus nullum signum facere voluit. Non est autem novum in Scripturis, vocem *posse* accipi pro *velle*, Genesis enim 19. dicitur: *Non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc*; hoc est, *non faciam*; Et Marci 9. *Si potes credere omnia sunt possibilia credenti*; nimirum *si credis*,

Ad V. Christus præmittebat orationem non propter necessitatem, sed propter exemplum; & ut confunderet Judæos, qui illum dicebant in Principe dæmoniorum dæmonem expellere. Et per hoc Joannis 11. ait Christus Patrem orans: *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me: ego autem sciebam, quia semper me audis; sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti*.

Ad VI. Miracula, quæ dicuntur a Gentilibus facta, vel fuerunt conficta, vel simulata, vel magicis artibus tribuenda, Apollonius Tyanæus fuit magus vaferrimus, quem, ob hanc causam, Domitianus Imperator in carcerem detrudit. Hoc ipsum de Apollonio testantur Lucianus in Pseudomante, Dio Cassius in histor. Rom. lib. 77. Lactantius lib. 5. divinar. Institutionum cap. 5. Videantur Baronius ad annum 78. Episcopus Huetius in demonstrat. evang. propos. 9. ubi hæc habet. „ Multum igitur errant, ut cum „ Augustino loquar, epist. 138. alias 5. ad „ Marcellinum, qui Prophetis Sanctis, miraculorum magnorum nobilitate præstantibus, magos comparant; quanto magis si eos comparent Christo, quem „ Prophetæ illi, quibus Magi quilibet nullo modo sunt comparandi, prænuntiaverunt esse venturum, & secundum carnem, quam sumpsit ex Virgine, & secundum „ divinitatem, qua nunquam separatur a „ Patre „. Vespesiani etiam miracula ficta fuerunt; & fictio provenit ex adulatione Ægyptiorum, quam ipsemet Imperator agnovit; unde cœpit illos irridere, & aspernari; quod asserit etiam Cornelius Tacitus. Postea, ut idem Cornelius testatur, vocibus adulantium in spem inductus, ut posset illos sanare; & tunc illi se simularunt infirmos esse, ut idem Cornelius fatetur.

Ad VII. Christus faciebat sua miracula in publico, Mahumetus in abdito; Christus miracula sua ad æternam hominum salutem ordinabat, Mahumetus illa fingebat, & ad malum finem dirigebat; Christi miracula sunt inconcussa etiam adversus hominum sapientium hujus mundi ratiunculas, & sophismata, Mahumeti vero sibilis explodentur.

Ad VIII. Non loquitur ibi Christus de potestate faciendi miracula, sed de illa tantum gubernandi Ecclesiam, Concionatores mittendi, Sacramenta instituendi &c.; ut communiter Expositores interpretantur. Per virtutem non intelligit Scriptura physicum fluxum ab humanitate Christi emanantem, sed ipsumet miraculum, quatenus procedit a Christo ut

Deo, tanquam a causa physica principali, & a Christo ut homine, tanquam ab instrumento morali. Sic psal. 77. dicitur: *Narrantes laudes Domini, & virtutes ejus*; Et Lucæ 10. *Si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes*; in quibus locis nomine virtutum veniunt miracula. Denique Christus dicitur brachium Domini, quia Christi humanitate usus est Deus, ut Dæmonium debellaret, mundum redimeret, nosque omnes a captivitate liberaret; hoc autem potius brachium morale, quam physicum importat,

Ad IX. Concilium Ephesinum voluit, Christi carnem non esse puri hominis, ut effutiebat Nestorius, sed Verbi vivificantis; & ob hoc dicit, ipsam carnem *vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi, cuncta vivificare valentis*. Cyrillus loquitur de vivificatione morali, quia Christi carnem appellat *quasi cooperatricem*; si addidit autem *quasi*, non intellexit physice, sed moraliter cooperari. Sophronius tandem asserens, quod Verbum operabatur per Christi carnem, intelligitur, quia quando miracula faciebat, tunc humanitas loquebatur, manum extendebat, corpus tangebat &c., quæ quidem actiones erant physicæ, sed tamen non physice in miracula influebant.

Ad X. Per terminum potestative, non importatur physica potentia, sed imperium, quo Christus & Sancti utebantur, quando miracula faciebant. Quod apparet Joannis 11. *Lazare, veni foras*; Lucæ 7. *Adolescens, tibi dico, surge*; Matthæi 8. *Volo: mundare*. Sic pariter Josue imperavit Soli ne moveretur, Petrus morti tradidit Ananiam & Saffiram, Paulus Corinthium in manus Satanæ configuvit &c. In prædictis autem miraculis Sanctorum S. Thomas 2. 2. qu. 198. docet, Sanctos ipsos fuisse tantum morales causas miraculorum.

Ad XI. Illos omnes terminos posse non solum physice, sed etiam moraliter intelligi, quatenus scilicet important influxum moralem, & non physicum, & in hoc nulla est improprietas; vere enim dicimus, Regem gerere bellum, quanvis physice sui Duces tantum, & milites gerant; Regem solvere stipendia, quanvis sui ministri physice solvant; Regem reos carceribus mancipare, quanvis a lictoribus comprehendantur, & carceribus tradantur.

Ad XII. Illa non fuerunt necessaria, ut miracula fierent; sed fuerunt necessaria, ut videntes non dubitarent a Christo miracula fieri. Si enim nihil physicum, & exterius in Christo advertissent, facile credidissent, miracula non fuisse a Christo facta, sed aliunde, & ab aliis causis provenisse.

Ad XIII. Liber ille de *Christi infantia*, supposititius, & adulterinus omnino est, quod declaravit Gelasius Papa in cap. *Sancta Romana* dist. 15., & Theophilactus docuit in caput 2. Joannis; unde quæcunque in ipso narrantur de Christo puero inter fabulas Valentinianorum ab Eruditis comprehenduntur.

Ad XIV. Christus probabat suam divinitatem per miracula, quæ efficiebat, quia ipsa patrabat, & simul dicebat, se illa in testimonium suæ divinitatis patrare. Nequit enim miraculum assumi, quo falsitas probetur; si ergo Christus miraculis suam divinitatem probabat, sua divinitas non poterat esse falsa.

DIS-

DISSERTATIO CXCVIII.

De cultu, & adoratione Christi. An huic homini, Christo, cultus & adoratio debeatur? Et qualis? An ejus humanitas in abstracto considerata, coli debeat absoluta adoratione Latriæ? An coli possit alia adoratione, quam Latriæ?

PRÆSCIRE oportet primo, differre inter se laudem, honorem, & cultum, seu adorationem. Laus est Excellentiæ testificatio, quæ consistit, tantum in verbis; honor est ejusdem excellentiæ testificatio consistens in factis, & in aliis exterioribus signis; cultus vero, seu adoratio dicit præter testificationem dictam, etiam submissionem quamdam erga illud, quod adoratur, & quidem dicit essentialiter. Unde laus & honor est etiam erga æquales, & aliquando erga inferiores; cultus vero seu adoratio nisi erga superiores non est. Hinc adoratio seu cultus a Damasceno orat. 3. cap. 4. definitur: *Animi cedentis, demissi, & humilis, significatio.* Secundo adoratio ex parte subjecti, seu ex parte actus est duplex, interna nimirum, & externa; ex parte vero objecti est triplex, Latria, Dulia, & Hyperdulia; insuper ex alio respectu est duplex, absoluta nempe, & relativa. Interna consistit solummodo in actibus internis intellectus, & voluntatis, quibus & cognoscimus excellentiam illius, qui adoratur, & erga ipsam affectum submissionis concipimus; externa vero, præter hos actus internos, importat quoque exteriores actus, quibus erga illum, quem adoramus, animi submissionem, & corporis reverentiam protestamur. Latria venit a verbo græco λατρεύω, quod significat obsequium, & servitutem; Unde verbum illud a Græcis, & Latinis Patribus usurpatum est ad significandum cultum divinæ, & supremæ Majestatis. Augustinus proinde scribebat lib. 10. de Civit. Dei cap. 1. *Latriam quippe nostri, ubicumque Sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus, servos dominis suis subditos esse debere, alio nomine græce nuncupari solet; Latria vero, secundum consuetudinem, qua loquuti sunt qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut pene semper, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum.* Et lib. 5. cap. 15. *Pietas vera non exhibet servitutem religiosam, quam Latriam Græci vocant nisi uni vero Deo;* Et in lib. 20. contra Faustum cap. 21. *Et vero illo cultu, qui græce Latria dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii; unde Idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam falsis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo;* ita etiam accipitur a Basilio in caput 1. Isaiæ, & in Concilio generali 7. actione 3., 4., & 6. & in Concil. gener. Trident. sess. 13. cap. 5. *Unde cultus, qui electi a Deo tribuitur, & soli Deo debetur, qualis est cultus falsorum Deorum, idololatria dicitur;* ut legitur Act. 17. *Videns idololatriæ deditam Civitatem;* Et 1. ad Corinth. 10. *Neque idololatræ efficiamini;* qui sunt falsorum Numinum cultores. Cultus vero ille, qui ob excellentiam, non increatam, sed creatam, alicui exhibetur, Dulia nominatur; qui quidem cultus ex Ecclesiæ consuetudine significat servitutem, & submissionem, non abjectam & vilem, qualem exhibent Mancipia; neque honorariam, & politicam, qualem subditi erga Principes, & inferiores erga Superiores offerunt, sed religiosam, & piam, quæ tribuitur Sanctis ob eorum excellentiam, atque virtutem. Et quia supra omnes Sanctos est Beatissima Virgo Maria, Dei Mater; ideo cultus, vel adoratio, quæ ipsi exhibetur, non Dulia, sed

Hy-

Digitized by Google

Hyperdulia, quæ est super duliam, nominatur. Tertio adoratio absoluta est, quæ defertur alteri propter seipsum; relativa vero est, quæ defertur alteri propter alterum; seu prima est, qua res aliqua adoratur ob excellentiam propriam, & sibi intrinsecam; secunda vero, qua res adoratur ob excellentiam sibi extrinsecam & existentem in alio. His positis,

Primo adversarios habemus, contra scilicet catholicorum dogma pugnantes, Apollinaristas, qui negantes in Christo fuisse hominem perfectum, ac nobis similem, & dicentes, carnem susceptam a Verbo fuisse de Cœlo delapsam, & Patri esse consubstantialem, docebant etiam, unica Latriæ adoratione colendam esse carnem cum Verbo, quod utrumque dicerent de substantia Dei esse. Testatur Athanasius lib. de incarnat. Verbi. Hinc Catholicos, qui asserebant, veram hominis substantiam in Christo esse colendam, Hominicolas pro convicio apellabant; & Catholici convicium pro convicio reddentes, illos dicebant Carnicolas.

Secundo Nestorius dixit, unica adoratione colendas esse naturam divinam, & humanam, quia putabat, illas morali tantum unitione esse conjunctas. Hoc autem subdole asserebat, quia revera physicam unionem inter utramque naturam non admittebat; ut suo loco dictum est.

Tertio Gilbertus Porretanus exponens verba illa psalmi *Adorate scabellum pedum ejus*; dixit, carnem Christi, & humanitatem ejus non esse adorandam adoratione Latriæ, sed alia quadam inferiore adoratione: *Non illam dico, quæ Latria est, quæ soli Creatori debetur; sed illam, quæ dulia dignior est: dulia enim adoratio est, quæ etiam creaturæ exhibetur: quæ duas habet species; unam, quæ hominibus indifferenter, alteram, quæ soli humanitati Christi exhibetur.* Testatur Gaufredus, Sancti Bernardi discipulus, in epist. ad Cardinalem Albanensem. Verum asserit Fraslen „ in „ Manuscripto membranis exarato com„ mentarii illius Gilberti in psalmos, quod „ asservatur in Bibliotheca monasterii S. „ Victoris juxta Parisios, contrarium om„ nino iis, quæ refert Gaufredus legere „ licet. „

Dicimus I. Christum, quatenus est Deus homo, adorari debere unica latriæ adoratione; unde ejus humanitatem, pro ut hypostaticè unitam Verbo divino adorandam esse eadem latriæ adoratione, qua ejus divinitas, & subsistentia divina adorantur.

I. Probatur ex Scripturis. Matthæi 2. dicitur de Magis, qui Christum venerati sunt: *Et procidentes adoraverunt eum*. Ad Philippens. 2. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur*. Apocalyps. 5. *Viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno . . . . Viginti quatuor Seniores ceciderunt in facies suas, & adoraverunt viventem in sæcula sæculorum . . . . . Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria.* Neque dicant hæc omnia intelligi de Christo ut Deus est; quia etiam intelliguntur de Christo ut homo est; intelligunt ut enim de Christo, ut est Jesus, & ut est Agnus; Sed est Jesus, & Agnus non tantum propter divinitatem, sed multo magis propter humanitatem; quia humanitas immolata est, & occisa in nostræ redemptionis pretium: ergo &c. Item Matthæi 28. habemus de mulieribus, quæ ad Christi sepulchrum accesserunt: *Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete: Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum*, &c. Joannis 20. de S. Thoma Apostolo dicitur, quod Christum adoravit, ei dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Illi autem actus, & hæc verba, veram important adorationem, quam exhibebatur Christo, etiam ut homini.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Alexandrinum, cui præfuit S. Cyrillus, in Epistola Synodica ad Nestorium, inter alia capitula, hoc proposuit num. 8., cui Nestorius sub comminatione Excommunicationis subscribere teneretur: *Si quis audeat dicere, assumptum hominem, coadorari cum Deo Verbo, oportere & conglorificari, tanquam alterum cum altero* (nam particula *cum* addita, hoc cogit intelligi,) *& non magis una reverentia veneratur Emanuel, unamque ei glorificationem rependit, juxta quod Verbum ejus factum est, anathema sit.* Concilium Calcedonense approbavit actiones, hoc Alexandrinæ Synodi decretum. Concilium Ephesinum can. 8. definivit, Christum hominem Deum esse unica adoratione adorandum; unde S. Cyrillus, qui etiam huic Concilio uti Apostolicus Legatus præfuit, lib. 1. ad Reginas scripsit: *In Christo non esse unam naturam, quæ adoretur, & alteram, quæ non adoretur; sed utramque simul adorari unica adoratione.* Quinta Synodus collat. 8. can. 9. *Si quis duas adorationes introducit, & non una adoratione Verbum incarnatum cum propria carne adorat, anathema sit.* Concilium Generale Lateranense sub

Mar-

Martino V. *Si quis, adorari in duabus naturis, dicit, Christum, ex quo duas adorationes introducunt semotim Deo-Verbo, & semotim homini: aut si quis ad peremptionem carnis, aut ad confusionem Deitatis, & humanitatis, unam naturam sive essentiam convenientium protense dicens, sic adorat Christum, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum, cum ejus carne adoravit, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit.* Concilium Generale Tridentinum sess. 13. cap. 5. & can. 6., in quo definiens latriæ cultum, qui vero Deo convenit, Eucharistico Sacramento etiam deberi, subdit: *Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuit a Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eundem Deum, præsentem in eo adesse, credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit, ut adorent eum omnes Angeli Dei &c.*

III. Probatur ex Patribus. Athanasius in epist. ad Adelphium Episcopum: *Nos creaturam non adoramus, absit; Gentilium enim, & Arianorum ejusmodi est error. Sed Dominum creaturæ incarnatum Deum Verbum adoramus. Quamvis enim caro ipsa per se pars est creaturarum; tamen Dei corpus est facta. Ac neque corpus ejusmodi per se dividentes, per Verbum adoramus: neque Verbum adorare volentes, ipsum longe a carne disjunximus. Verum istud scientes, ut jam diximus, Verbum caro factum est, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat, Recede a corpore, ut te adorem? Ubinam vero omnino impii isti separatim, ac per se carnem invenient cum Salvator suscepit, ut dicere audeant; Adoramus nos Dominum cum carne, sed dividimus corpus, & illi soli latriæ cultu servimus.* Epiphanius in Anchorato: *Adoras Salvatorem incorporatum, aut non adoras. Quomodo vero non adoravero? Si enim non adoravero non habeo vitam. Ecce igitur creaturam adoras, ipsum corpus. Ingens autem est vesania eorum, qui talia dicunt: nam Rex purpura indutus, ab omnibus adoratur. Nunquid ergo purpura adoratur, aut Rex? Manifestum est, quod Rex: coadoratur autem cum ipso etiam purpura, quam gestat, ubi autem Rex hanc exuit, & in locum reposuit, non amplius vestis purpura adoratur.* S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 12. explicans verba psalm. 98. *Adorate scabellum pedum ejus*; pro scabello intelligit Christi carnem, dicens: *Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt: neque enim divisus Christus, sed unus: neque cum adoraretur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine negabatur. Cum igitur incarnationis adorandum sit Sacramentum; incarnatio autem opus Spiritus sit; sicut scriptum est: Spiritus Sanctus superveniet in te, &c. haud dubie etiam Spiritus Sanctus adorandus est; quando adoratur ille, qui secundum carnem natus ex Spiritu est.* Augustinus in eundem psalmum 98. & in eadem verba: *Anceps factus sum: timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cælum, & terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit: Adorate scabellum pedum ejus. Quæro quid sit scabellum pedum ejus, & dicit mihi Scriptura; Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & invenio quomodo sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra Terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit; & quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam, ad salutem dedit. Nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit. Inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Damascenus lib. 3. de fide cap. 8. *Unus igitur Christus est, Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre, ac Spiritu unica adoratione, cum ejus immaculata carne, nequaquam carni ipsius adorationem denegantes. Adoratur enim in una Verbi hypostasi. Quæ hypostasis ei facta est, neque tamen hoc agentes, creaturæ servimus, non enim velut nudam carnem adoramus, sed ut divinitati conjunctam, & quatenus in unam personam, unamque hypostasim Dei Verbi duæ illius naturæ reducuntur. Timeo carbonem tangere propter ignem, qui cum ligno conjunctus est. Adoro utrumque, quod est Christi propter Divinitatem carni copulatam.* Et lib. de duabus Christi voluntatibus: *Adoro Regem cum purpura, & propter Regem honoro purpuram. Atqui in Rege & purpura non est unitio secundum hypostasim, neque individua, nec sempiterna; at in Christo nostro secundum hypostasim individua unitio est, & sempiterna. Ideo tanquam unum de Trinitate sacrosancta coadoro Patri, & Sancto Spiritu, Christum incarnatum Dei filium, ac Deum.*

IV. Probatur rationibus. I. Ad hoc ut aliquod

quod totum, quod sit unum per se, recte adoretur, sufficit, ut in aliqua ejus parte sit aliquid adoratione dignum, & non requiritur ut sit in singulis ejus partibus; sed Christus est totum & unum per se, & natura divina, quæ est ejus quodammodo pars, est vere digna adoratione latriæ: ergo totus Christus est eadem adoratione latriæ vere dignus. Probatur major. Si homini defertur honor propter scientiam, totus homo honoratur, & tamen scientia est in solo intellectu: ergo vera est major. II. Humanitas unita cum Verbo non facit diversam materiam adorandam a Verbo, sed est una, & eadem materia adoranda cum Verbo, & est unum & idem objectum terminativum talis adorationis; sed Verbo debetur adoratio Latriæ: ergo etiam humanitati, quæ est physice unita Verbo eadem Latriæ adoratio adscribenda est. Major est de fide contra Nestorium; minor est de fide contra Arianos; consequentia sequitur. III. Humanitas ut Verbo conjuncta, sanctificatur una & eadem sanctitate substantiali, qua Verbum est sanctum: ergo debetur eidem una & eadem adoratio, quæ Verbo datur. Antecedens supponimus probatum ex dictis; consequentia probatur, sanctitas substantialis increata potest esse objectum formale adorationis latriæ; sed non minus est propria Dei, quam adorabilitas latreutica: ergo sicut sanctitas substantialis increata, ita proportionaliter adorabilitas latreutica, & quidem perfecta, ac per se talis, potest convenire Christo ut homini, seu humanitati, ut Verbo conjunctæ. IV. Humanitas ut Verbo unita, seu Christus ut homo, habet rationem Filii Dei una & eadem naturali filiatione, qua Verbum est Filius: ergo Christo ut homini, seu humanitati ejus ut Verbo unitæ, tribuenda est una & eadem adoratio, quæ Verbo debetur. Probatur consequentia, quia naturalis filiatio Dei potest ex una parte esse objectum formale adorationis latriæ, & ex altera naturalis filiatio divina non minus est propria Dei, quam latreutica adorabilitas: ergo sicut illa potest convenire Christo ut homini, seu humanitati ut Verbo conjunctæ, ita etiam convenire potest eidem latreutica adorabilitas.

Arguunt I. Humanitas, adhuc ut Verbo conjuncta, licet sit sancta, sanctitate Dei, non tamen per hoc est Deus, nec est aliquid substantialiter divinum; sed latria debetur soli Deo: ergo non debetur humanitati, etiam ut Verbo unitæ. II. Humanitas etiam sanctificata sanctitate substantiali Dei, non est tamen ita sancta, ut sanctus est Deus: ergo etiam non est ita adoranda, ut adorandus est Deus: ergo non est adoranda adoratione latriæ. III. Christus ut homo, minor est Patre: ergo non est adorandus eadem adoratione, qua adoratur Pater; Sed Pater adoratur adoratione latriæ: ergo &c. IV. Inconveniens est adorari adoratione latriæ illum, qui adorat; sed Christus ut homo adorat divinitatem, & Trinitatem: ergo inconveniens est, ut Christus ut homo adoretur adoratione latriæ. Probatur minor; quia illius est adorare, cujus est orare; Sed Christus ut homo pluries Deum oravit: ergo adoravit. V. Christus ut homo coli non debet per sacrificium: ergo adorari non potest adoratione latriæ. Consequentia sequitur, quia sacrificium est latriæ cultus præstantius signum. Antecedens probatur ex Augustino, qui voluit, Christo non esse sacrificandum; ait enim lib. 8. de Civit. Dei cap. 20. *Christus maluit sacrificium esse, quam sumere.* VI. Damascenus orat. 1. de imaginibus, loquens de Christi humanitate ait: *Non materiam, sed materiæ Authorem adoro, qui propter me materia factus, & in materia voluit habitare, ut per materiam mihi salutem præberet: materiam vero, per quam mihi salus parta est, colere non desino, non tamen ut Deus: Absit:* ergo ex Damasceno caro, vel humanitas Christi, quam nominat materiam, non est adoranda eadem adoratione, qua Divinitas, & persona Verbi adoratur. VII. Glossa ordinaria ad verba illa psalmi 98. *Adorate Scabellum pedum ejus;* scribit: *Carnem a Verbo assumptam sine impietate adorari a nobis, sed non illa adoratione, quæ latria est, quæque soli Creatori debetur.* VIII. Angelus adorans Verbum ante incarnationem, si post incarnationem continuaret adorationem eandem, vel adoraret Christum, ut Deum & hominem, vel non; Non primum; quia aliter adoratio præcedens incarnationem terminata fuisset ad humanitatem, quæ non erat: Si secundum: ergo adoratio Christi, qua Deus non terminatur in ipsum, ut homo est; Et per consequens humanitas ejus non est colenda eadem adoratione, qua colenda est ejus divinitas.

Respondemus ad I. dicendo, cultum latriæ deberi soli Deo, tanquam objecto terminati-

Digitized by Google

nativo simul & motivo, vel tanquam objecto terminativo primario, quia tanquam objecto terminativo secundario non debetur soli Deo, sed alteri etiam a Deo. Unde ad argumentum plures responsiones faciunt per instantiam; dicunt enim: Sicut latria debetur soli Deo, ita dulia, & hyperdulia debentur soli personæ, seu soli naturæ rationali; & sicut humanitas, etiam ut conjuncta Verbo, non est Deus, ita corpus, etiam ut informatum anima, non est anima, nec natura rationalis: ergo sicut ex hoc non infertur bene Sanctorum corpora, etiam ut informata propriis animabus, non esse adoranda cultu duliæ, aut hyperduliæ, & quidem perfecte, absolute ac per se talis, loquentes de cultu, qui respicit corpora, ut objecta terminativa secundaria; ita dicendum est pariter in casu nostro.

Ad II. Eadem est responsio; sicut enim discurrimus de sanctitate, ita etiam loqui debemus de filiatione Dei; & sicut paritas adorationis deducitur ex una, ita quoque ex altera infertur; ut consideranti est manifestum. Cæterum humanitas non est ita adoranda, ut adorandus est Deus, quo ad adorationis modum, conceditur; quo ad adorationis substantiam seu speciem, negatur. Verum enim est, quod qui adoratur ex intentione secundaria, & tanquam objectum terminativum secundarium, non tam adoratur, quam qui adoratur ex intentione primaria, tanquam objectum motivum, & terminativum simul, aut tanquam objectum terminativum primarium: hæc, inquit Cacheranus, spectant ad sanctificationis, & adorationis modum; cum diversitate tamen modi potest stare æque perfecta, & ejusdem rationis latria quo ad substantiam respectu utriusque.

Ad III. Per instantiam dici potest, quod Christus ut Deus est æqualis Patri, adeoque adoratur eadem adoratione, ac adoratur Pater; Sed Christus ut Deus est Christus ut homo: ergo Christus ut homo adoratur eadem adoratione, ac adoratur Pater. Directe tamen dicitur, quod propositio illa est vera, quando plures sunt personæ, non quando una est persona; & cum in Christo una sit persona, cui summa reverentia debetur, ut ait Scotus „ Sicut honor debetur Regi, quacunque veste sit indutus, honor enim „ naturam respicit digniorem, & per consequens illud, quod est annexum ei: sic „ caro Viri sancti honorari debet secundum dignitatem animæ, non secundum „ ignobilitatem propriæ naturæ „.

Ad IV. Humanitas adoratur secundum operationes, & statum humanitatis, qua minor est Patre; adoratur autem secundum dignitatem divinitatis, & personæ, secundum quas æqualis est Patri. Adorantes vero illam, seu Christum, ut hominem, non debent attendere ad inferioritatem humanitatis, sed ad dignitatem personæ, & divinitatis.

Ad V. Quanvis humanitati Christi, secundum se consideratæ, sacrificium non debeatur, debetur tamen pro ut est divinitati conjuncta; quum sit enim totus Christus revera Deus, toti Christo vere potest sacrificium offerri. Augustinus non negat, quod Christo sacrificari debeamus, sed docet, id in praxi faciendum non esse, ad errores evitandos; posset enim quis suspicari impendi creaturæ honorem, qui Supremo Numini debetur.

Ad VI. Damascenus non negat, humanitatem Christi latriæ cultu esse adorandam, sed docet, humanitatem Christi non esse adorandam ut Deus; nimirum, quod non deferatur ei cultus latriæ primario, & ratione suæ excellentiæ, nec consideretur ipsa ut objectum motivum, & terminativum primarium hujuscemodi adorationis, sed ut terminativum secundarium.

Ad VII. Glossa intelligitur de humanitate Verbi prout in se, & secundum suam propriam excellentiam, non vero prout est unita Verbo, & sic intelligit S. Bonaventura. Ulterius Glossa illa desumpta est ex verbis S. Augustini; verba autem Augustini, quæ supra retulimus, aliter sonant, ut consideranti illa verba innotescit. Denique in Glossa inveniuntur verba aliqua, quæ in Augustino non leguntur; unde patet cuique infidelitas Transcriptoris.

Ad VIII. Utroque modo potest dici, & nihil sequitur contra conclusionem nostram. Conceditur namque, Angelum adorare Verbum ut hominem eadem adoratione, qua prius dumtaxat Verbum adorabat. Ratio est, quia eo ipso, quo tendit in personam Verbi, eadem adoratione, absque ulla physica mutatione, tendit in omne id, quod per intellectum proponitur ei, ut Verbo conjunctum, sicque intellectus suppleret anterioritate temporis. Dicitur etiam secundum, quia

nor est terra; nullibi enim hoc legitur: Major etiam patet, quia illius populi exemplo, Apostoli prædicationis suæ veritatem comprobassent. II. Apostoli dicebant sibi primum revelatum fuisse mysterium vocationis gentium; sed hoc falsum fuisset, si esset Populus gentium cum vera fide: ergo &c. Major legitur in pluribus libris novi Testamenti; minor negari non potest. III. In prima prædicatione Evangelii pene incredibilis videbatur Apostolis vocatio gentium ad fidem Christi; sed non videretur, si aliquæ gentes in ea fide fuissent: ergo &c. Major probatur Actorum 10. Ubi refert Lucas: *Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est.* Cap. 11. *Cum autem ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant adversus illum, qui erant ex circumcisione, dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes?* IV. Si aliqua natio ante Christum natum habuisset cognitionem veri Dei, & per consequens fidem implicitam in Christum Mediatorem, objicientibus Gentilibus novitatem nostræ Religionis Apostolis primum illam prædicantibus, Apostoli, ut novitatem hanc respuerent, non proposuissent solum exemplum Judæorum, sed nationis etiam illius exemplum; at solum hoc proposuerunt, & non illud: ergo vere non erat natio illa.

Objiciunt I. Joseph in Ægypto docebat gentem illam sicut seipsum: ergo docebat illam in vera religione: ergo populus Ægypti, extra populum Israeliticum ante adventum Christi fuit in vera religione educatus. Probatur antecedens ex psalm. 104. *Ut erudiret Principes ejus sicut seipsum, & senes ejus prudentiam doceret.* II. Melchisedech dum vivebat Abraham, erat Sacerdos in Urbe Salem; ergo in Urbe Salem vigebat cultus veri Dei. III. Sybillæ erant gentiles, & tamen de Christo venturo prophetarunt: ergo &c. IV. Brachmanes fuerunt in Indiis, qui, teste Eusebio lib. 6. de præpar. Evangelica *soli Deo attendentes* rationis ductum in suis operibus sequebantur. Verba Eusebii sunt cap. 8. *Apud Indos autem, & Bactres multa millia hominum sunt, qui Brachmanes appellantur. Ii tam traditione Patrum, quam legibus nec simulachra colunt, nec animatum aliquid comedunt, vinum, aut cervisiam nunquam bibunt, ab omni malignitate absunt, soli Deo attendentes.* V. Sinarum gens ante Christum natum per duo circiter annorum millia fidem veri Dei habuit, & vero Deo sacrificavit in templo omnium antiquissimo. VI. Essæni & ante Christum, & post Christum natum, habuerunt veram fidem in Deum, & fidem etiam in Christum Mediatorem; Sed Essæni non fuerunt neque Judæi, neque Christiani: ergo fuerunt Gentiles: ergo Gentiles, & ante, & post Christum natum, saltem aliqui habuerunt fidem in Deum verum, & fidem etiam in Christum Mediatorem.

Respondemus ad I. quod quæ docuit Joseph Ægypti Principes, non respiciebant religionem, neque fidem, sed regimen tantum politicum, vel œconomicum, quo Populos illos fames tempore gubernarent; ac proinde dicitur in psalmo, quod illos prudentiam docuerit; prudentiam enim non indicat religionem, neque fidem, sed artem tantum regendi Civitatem, vel Regnum, vel domum, vel seipsum.

Ad II. Jam diximus, quod non loquimur de hominibus privatis, qui potuerunt habere cognitionem veræ religionis, & fidei, vel per immediatam a Deo habitam revelationem, vel per traditionem deducta a posteris Sem, & Japhet, vel per manifestationem exceptam a veri Dei cultoribus, qui in Abrahæ familia numerabantur. Melchisedech autem jam supra adnumeratus fuit inter privatos illos homines, de quibus loquimur. Salem denique non erat ampla Civitas, nec Regnum, sed parvum Oppidum; & Melchisedech dicitur quidem Rex Salem, sed non Sacerdos loci, at Sacerdos Summi Dei; unde bene esse poterat, quod non populi, sed sui ipsius solummodo privato nomine sacrificia offerret.

Ad III. Non est apud omnes inconcussum, nec quod Sibyllini libri Sybillarum sint legitimi fœtus, nec quod de Christo loquantur; plurimi enim volunt adulteratos fuisse libros illos, & quod de Christo nihil contineant. Verum hoc omisso, non per hoc, quod sybillini libri de Christo loquantur, bene infertur Sybillas veram habuisse religionem, & fidem in Christum Mediatorem. Plura enim habemus exempla, quod infideles homines, & impii quoque prophetaverint; ut habemus in Balaam, in Caipha, qui prophetavit, quum esset Pontifex anni illius, & aliis. Audiatur Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 47. *Quapropter quisquis alie-*

Digitized by Google

alienigena, id est, non ex Israel progenitus, nec ab illo populo in Canonem sacrarum litterarum receptus, legitur aliquid prophetasse de Christo, si in nostram notitiam venit, aut venerit, ad eumdem a nobis commemorari potest; non quod necessarius sit; etiamsi desit; sed quia non incongrue creditur fuisse & in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est, & qui hoc etiam praedicere impulsi sunt, sive participes ejusdem gratiæ fuerint, sive expertes; sed per malos Angelos docti sunt, quos etiam praesentem Christum, quem Judæi non agnoscebant, scimus fuisse confessos.

Ad IV. Dicitur Brachmanes non fuisse populos, sed philosophos, & quidem non unius gentis, sed multarum gentium, adeoque non constituisse nationem aliquam, de qua nos loquimur. Dicti sunt autem, quod non adoraverint simulachra, quia adorabant Solem, Lunam, & Stellas in seipsis, non vero in imaginibus. Hoc autem non est adorare Deum verum, nec fidem habere in Christum Mediatorem.

Ad V. Sinarum illa religio est prorsus fictitia; quod velex eo patet, quia tempus illud bis mille annorum erat tempus, quo Prophetæ scribebant, & quo dicitur ab omnibus Patribus, præter populum Israeliticum, omnes gentes fuisse idololatras. Et si verum fuisset, quod tempore illo Sinarum gens habuisset veram religionem, utique Apostoli prædicando illi Evangelicum, eidem in exemplum adduxissent religionem Patrum suorum, utpote Evangelio conformem. Quod quum non fecerint, signum est, religionem illam fuisse vere fictitiam. Accedit, quod Scriptores plurimi, & quidem non infimæ notæ, testantur, quod idola adoraverit.

Ad VI. Nemo conventus est, Essænos fuisse Gentiles, sed tantum discrepantia est inter Scriptores, quod aliqui asserunt, fuisse Judæos, alii vero dicunt, fuisse primos Christianos, qui Alexandriæ degebant.

DISSERTATIO CXCVII.

De Potentia Christi faciendi miracula. An illam habuerit etiam secundum humanitatem? An fuerit principalis, vel instrumentalis? An physica, vel moralis? Quando incæperit Christus facere miracula? Et an ejus miracula fuerint evidentia, & necessaria?

PRIMO contra Christi miracula sentientes adnumeramus Judam Iscariotem, qui fuit Christi proditor, & qui Christi miracula non divinæ virtuti, sed magicis artibus tribuebat, & ejus prodigia, non vera signa, sed dæmonum illusiones, & mendacia fuisse, somniabat. Testatur Hieronymus in cap. 26. Matthæi.

Secundo Pharisæi, & Scribæ volebant, Christi miracula fuisse phantastica, & illusoria, sicuti fuerunt illa, quæ Magi Pharaonis patrarunt, & erunt illa, quæ operabitur Antichristus. Dicebant quoque Lucæ 11. Christum in Beelzebub Principe dæmoniorum, ejicere dæmonia.

Tertio Vvaldenses sequuti sunt Pharisæos, & Scribas, dicendo Christum, non vera, sed apparentia tantum miracula patrasse. Et consequenter ad hoc asserebant quoque, nulla vera miracula fieri in Ecclesia. Testatur Guida Carmelita lib. contra hæreses cap. 25. Attamen Aeneas Silvius lib. de Orig. Bohemorum cap. 35. Vvaldensium errores enumerans, hæresis, de qua loquimur, nullam mentionem facit.

Quarto, Alii tribuerunt Christi miracula optimo ejusdem temperamento, quod vocabant temperamentum justitiæ, sive ad pondus; quia in ipso erant Elementorum qualitates in eodem gradu, in quo sunt in ipsis Elementis, adeoque poterat

sine

sine ullo periculo sese constituere in aqua, in igne, & in aliis Elementis. Testatur Medina lib. 1. de recta in Deum fide; & refert Hennus.

Dicimus I. Christum fecisse vere miracula, quorum, ut Deus fuit causa principalis, ut homo tamen non fuit principalis, sed instrumentalis causa.

I. Probatur ex Scripturis. Matth. 4. *Circuibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.* Quod prædixerat Isaias cap. 35. *Deus ipse veniet, & salvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Item, Matth. 11. Christus dicebat discipulis Joannis: *Euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis; Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Joannes 5. *Opera, quæ dedit mihi Pater ut faciam, ipsa sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Et cap. 10. *Si mihi non vultis credere operibus credite.* Et cap. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum.*

II. Probatur ex Patribus. Tertullianus in Apologet. cap. 5. *Tiberius annuntiata sibi ex Syriæ Palæstina, quæ veritatem ejus divinitatis revelaverant, detulit ad Senatum cum prærogativa suffragii sui:* ubi loquitur absque dubio de miraculis, quæ Christus Dominus operatus est. Hieronymus in cap. 21. Matth. *Plerique arbitrantur, maximum esse Signorum, quod Lazarus suscitatus est, quod cæcus ex utero lumen accepit, quod ad Jordanem vox audita sit Patris, quod transfiguratus in monte, gloriam ostenderit triumphantis, mihi inter omnia signa, quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quod unus homo, & eo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis, & Pharisæis contra se sævientibus, & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensasque subvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum quiddam, ac sydereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas lucebat in facie.* Eusebius Cæsariensis lib. 2. Hist. Eccles. cap. 2. *Cum per omnem jam locum de Resurrectione, & mirabilibus Domini Jesu Christi, & de Ascensione ejus ad cælum, felix fama loquaretur; ac per omnium aures, lieati hujus rumoris volveretur opinio: quoniam antiqui moris erat apud Romanos, & Provinciarum Judices, si quid forte novi in his, quæ regebant, Provinciis accidisset, vel Principi, vel Senatui nunciarent; ut ea, quæ gerebantur, ignorare aliquid viderentur: de Resurrectione a mortuis, & Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ jam in omnem locum fuerat promulgata, Pilatus Tiberio Principi refert. Sed & de cæteris mirabilibus ejus; & ut post mortem cum resurrexisset, a quamplurimis jam Deus esse crederetur, Tiberius quæ compererat, retulit ad Senatum. Senatus autem sprevisse dicitur, pro eo quod non sibi prius hujus rei judicium fuerit delatum: sed auctoritatem suam prævenit vulgi sententia; lex etenim erat antiquitus designata, ne quis apud Romanos Deus haberetur, nisi Senatus sententia, atque decreto confirmatus. Porro autem pro vero hoc erat, quod gerebatur, ne divina virtus humanis patrocinii assertionibus indigere. Cumque secundum ea, quæ supra diximus, renuisset Senatus, Tiberius tamen tenuit sententiam suam, ut ne quid adversus doctrinam Christi contrarium moliretur.*

III. Probatur ex exteris Scriptoribus, Josephus Hebræus lib. 18. antiquitat. cap. 4. *Fuit hoc tempore Jesus vir sapiens: Si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus; cumque eum a primioribus gentis suæ accusatum, Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstiterunt, qui primum cœperant. Nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit: cum divini vates hæc, aliaque quamplurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus.* Quod quidem testimonium SS. Patres confirmant, & præcipue Chrysostomus homil. 5. in acta Apostol. dicens, quod si Josephus Christianus fuisset, *esset fortassis sermo suspectus.* Quia autem Judæus, & æmulator, qui post Evangelium floruit, quomodo non omnibus manifesta sunt quæ facta. Scimus, quod Tanaquillus faber, in Protestantium Schola Professor Salmuriensis, hoc Josephi testimonium,

ge-

genuinum esse, negat; sed præclare confutatur a clarissimis Viris, Natali Alexandro, Ignatio Hyacintho Amat de Graveson, aliisque de re critica benemeritis, ad quos legentes remittimus. Adsunt quoque, quæ scripsit Pilatus de rebus a Christo præclare gestis ad Tiberium Cæsarem; & de quibus loquuti sunt etiam Patres, nimirum Tertullianus in Apologet. cap. 5. & cap. 21., Justinus martyr in Apolog. 2. ad Antoninum Imperatorem, Eusebius Cæsariensis libro 2. Histor. Eccles. cap. 2., Chrysostomus homil. 26. in epist. 2. ad Corinth. Egesippus, non ille, qui floruit temporibus Aniceti, & Eleutherii, Romanorum Pontificum, sed alter, qui vixit labente Seculo quarto, post Constantini tempora, Paulus Orosius lib. 7. Histor. cap. 4., Gregorius Turonensis lib. 1. Hist. cap. 25., Nicephorus Callixtus lib. 2. Hist. cap. 8., ubi hæc habet: *Consuetudo jam inde a plurimis annis obtinuerat, ut qui Præfecturas, ac Provincias sortiti essent, res novas, quæ sub eis accidissent, singulas summum imperium habenti Cæsari significarent, ut illum nihil prorsus rerum lateret. Itaque de Resurrectione ex mortuis, aliisque prodigiis Jesu Christi Tiberio Cæsari scribens Pilatus, tum res ejus plerasque; tum quod ex mortuis redivivus, sibique ipsi superstes, Deus jam a multis, & quidem præcipuus esse crederetur, renunciavit. Quam rem Tiberius ad Senatum retulit. Senatus autem, non esse deliberandum de ea, censuit, sub illo quidem prætextu, quod ille non prius veteri more, ipsius Senatus sententia in Deos esset relatus: re autem ipsa, quod divina doctrinæ disciplina humano prorsus non indigeret auxilio. Sed enim etiamsi Senatus ad eum modum verbum de Servatore rejecisset, Cæsar tamen in sententia sua perstitit, salutarique prædicationi impedimento non fuit.* Epistola autem Pilati ad Tiberium hæc est: „ Pilatus Tiberio Cæsari „ salutem. De Jesu Christo, quem tibi „ plane postremis meis declaraveram, nutu tandem populi, acerbum, me quasi „ invito, & subticente, supplicium sumptum est. Verum hercle ita pium, ac „ sincerum nulla unquam ætas habuit, nec „ habitura est. Sed mirus extitit populi „ conatus, omniumque Scribarum, & Seniorum populi consensus, suis Prophetis, „ & more nostro Sybillis præmonentibus, „ hunc veritatis Legatum crucifixere; signis etiam super naturam apparentibus, „ dum penderet, & Orbi universo Philosophorum judicio lapsum minantibus. „ Vigent illius Discipuli opere, & vitæ „ continentia Magistrum non mentientes, imo ejus nomine beneficentissimi. „ Nisi ergo seditionem populi prope extuantem pertimuissem, fortasse adhuc „ nobis ille vir viveret. Et si tuæ magis „ dignitatis fide compulsus, quam voluntate mea adductus pro viribus non restiterim. Sanguinem justum totius accusationis immunem, verum hominum malignitate inique in eorum famen, ut „ Scripturæ interpretantur, exitium pati, „ & verecundari. Vale. Quarto nonas „ Aprilis. „ Idem Tanaquillus faber ex Protestantium Secta hanc Epistolam, ut suppositititiam respuit; sed invicte impugnatur a Jacobo Hyacintho Serry exercitat. 64. Mahumetus in Alchorano cap. Elbachera, Deum sic loqui facit: *Dedimus Jesum Filium Mariæ, ut faceret miracula, & prodigia manifesta, & fecimus eum per Spiritum Sanctum, & insufflavimus in Mariam de Spiritu Sancto, & conceptus est Christus ex virtute Dei de matre Sanctissima, & purissima super omnes mulieres.*

IV. probatur rationibus I. Vera miracula fieri non possunt, nisi sola virtute divina; Sed Christus vera miracula effecit: ergo virtute divina effecit. Major est certa; quia solus Deus naturæ ordine immutare potest: Minor ex dictis patet; quia Christus mortuos suscitavit, cæcorum oculos, surdorum aures, mutorum ora, aperuit, quæ sunt vera miracula. II. Si Christus vera miracula virtute divina non operatus fuisset, non potuisset mundum ad se trahere, Gentiles populos, & Judaicam gentem, ad fidem suam perducere; maxime quum ejus religio, aspera sensui, & pene incredibilis menti videatur: Si ergo hoc totum effecit, & per media incongrua effecit, opus est dicere, ut per miracula perfecerit. III. Quia nulla creatura, sed solus Deus virtutem habet supra naturam, & supra ordinem naturæ, oportet dicere, miracula a Deo procedere, tanquam a causa principali; & si aliquando Christus, ut homo, seu secundum humanitatem dicitur causa principalis, intelligendum est de causa meritoria, non efficiente, in quantum scilicet meruit, ut ejus humanitas in ordine ad patranda miracula, tanquam instrumentum, & organum Divinitatis assumeretur. IV. Christus, ut homo fuit vera Creatura; sed nulla creatura potest principaliter influere in effectum supernaturalem, adeoque

Digitized by Google

que miraculum principaliter facere: ergo Christus ut homo non fuit causa principalis, sed instrumentalis tantum miraculorum ab ipso factorum.

Dicimus II. Christum secundum humanitatem non fuisse causam instrumentalem physicam miraculorum, sed moralem. Est communis inter scholasticos, qui tenent cum Scoto, Sacramenta producere gratiam moraliter, & non physice; idem enim dicitur de remissione peccatorum, de influxione gratiæ, & de aliis operibus Christi supernaturalibus.

I. Probatur. Patres tribuunt miracula Christi divinæ virtuti, & volunt humanitatem effeciſſe tantum id, quod erat sibi proprium; nimirum concurriſſe ad prolationem verborum, ad extensionem manus, ad contactum corporis, & similia; sed hoc est concurrere moraliter, & non physice: ergo &c. Probatur major. Athanasius lib. 4. contra Arianos: *Ut Socrum Petri febricitantem excitaret, humano quidem more manum extendit; divinitus autem morbum compescebat . . . . in Lazaro autem vocem quidem ut homo edebat, divinitus tamen ut Deus eundem a mortuis excitabat.* Augustinus tract. 8. in Joannem: *Miraculum autem, quod facturus erat* (nempe in Cana Galileæ) *secundum Divinitatem, facturus erat, non secundum infirmitatem, secundum quod Deus erat, non secundum id, quod infirmus natus erat.* Damascenus lib. 3. de fide cap. 15. *Quando Divinitas tactu carnis sanabat infirmum, alia erat propria actio Divinitatis, altera humanitatis: & finis humanæ actionis in extensione manus, & tactu positus erat; divinæ autem naturæ, in excitatione puellæ. Neque enim vivificat Lazarum humana natura.* Citatur etiam Cyprianus serm. de Cœna Domini, ubi dicit: *Et qui animam Lazari revocaverat ab inferis, & quatriduano mortuo reddiderat vitam, dignoscerent virtute divina, non humana, tantum opus patrasse.* Sed hoc non est genuinum Cypriani opus, immo neque alicujus hominis docti, ut ait Bellarminus, qui putat, ejus Authorem fuisse quidem dictum Cypriani nomine, sed longe diversum fuisse a Cypriano, cujus opera modo habemus, ac legimus.

II. Probatur. Causa, quæ est physica, nec operatur, nec potest operari in distans, vel ubi non est præsens; Sed Christi humanitas in Christi miraculis sæpe fuit operata, ubi non erat præsens: ergo humanitas Christi non fuit causa physica instrumentalis miraculorum Christi, sed moralis. Major est doctrina Philosophorum, & præcipue Thomistarum, quos hic adversarios habemus, secundum quos adeo est necessaria præsentia causæ efficientis, ut nec Deus posset ubique operari, si ubique non esset præsens. Minor patet, & quando Christus puerum Centurionis sanavit, & quando animam Lazari ad proprium corpus revocavit, & quando in aliorum anima gratiam producebat. Neque dicant, quod hoc totum verificatur quidem de causa principali physica, non vero de causa physica instrumentali, quatenus non requiratur, ut hæc attingat immediate effectum, sed sufficiat, si mediate tangat, in quantum scilicet per actionem præviam determinat virtutem, & actionem agentis principalis: ne dicant hoc; quia intelligi non potest, quomodo possit creatura immediate physice attingere, & determinare Dei virturem, & actionem. Et ratio est, quia Dei virtus, & actio, vel est quid intrinsecum Deo, vel extrinsecum; Si intrinsecum: ergo determinando physice illud intrinsecum determinaret physice ipsum Deum; intrinsecum enim ab ipso Deo non distinguitur: si extrinsecum, si non potest humanitas attingere immediate effectum supernaturalem, quia distat, multo minus poterit attingere immediate actionem æqualiter distantem.

III. Probatur. Nec respicit majorem Christi dignitatem, nec conducit ad meliorem incarnationis effectum, ut Christi humanitas sit physicum instrumentum respectu operum supernaturalium Christi; ergo sufficit ut sit morale. Probatur antecedens. Magis dignificatur Christus a virtute morali quam a physica: ergo magis conducit ad dignitatem Christi, ut ejus humanitas sit instrumentum morale non physicum operum supernaturalium Christi. Probatur antecedens; per Adversarios virtus illa physica, quæ esset in humanitate Christi, esset communicabilis non solum hominibus, sed etiam aliis Creaturis, quæ sunt ex sua natura productivæ, quamvis sint insensitivæ, & irrationales; Proinde que dicunt, Deum illam communicasse asinæ Balaam ad loquendum, ligno sterili ad fructus illico producendos, sent, ac fœminæ sterili ad prolem concipiendam: Sed quod sit causa condigne meritoria, & impetratoria omnium prodigiorum, & operum Christi supernaturalium, est dignitas in Christo ita specialis ob infinitum valorem perso-

næ

næ Christi merentis, & imperantis, ut nulli puræ creaturæ sit communicabilis. Insuper finis incarnationis proximus est hominis redemptio & justificatio; sive autem hæc ab humanitate Christi physice, sive moraliter habeatur, semper eadem est.

IV. Probatur. Nulla res creata agere potest ultra proprias vires; sed humanitas Christi est res creata, & habet vires proprias operandi naturaliter, non vero supernaturaliter: ergo non habet virtutem physicam operandi miracula. Consequentia probatur, quia miracula sunt effectus supernaturales, adeoque non possunt physice attingi a Christi humanitate, quæ est pure naturalis. Dicunt Adversarii, per qualitatem supernaturalem Christi humanitatem elevari. At Scotistæ respondent, quæ qualitas est illa, quæ animas ab inferis revocat, tempestates sedat, mortuos vivificat, Dæmones ejicit ab obsessis, &c.? Ulterius, qualitas hæc vel est materialis, vel est Spiritualis; si materialis, quomodo producit effectus spirituales, ut sunt remissio peccatorum, productio gratiæ &c.? Si Spiritualis, quomodo recipitur in subjecto materiali? Dicunt etiam Adversarii, Deum elevare humanitatem per hoc, quod concurrat cum illa per extraordinarium concursum. At Scotistæ respondent, quod quum concursus ille nihil ponat in humanitate, non plus potest humanitas cum illo, quam sine illo.

V. Probatur. Qui ponunt in Christi humanitate causam instrumentalem physicam patrandi miracula, in explicatione non conveniunt, unde unus alium impugnat. Aliqui enim dicunt, humanitatem Christi fuisse ad hoc elevatam per qualitatem superadditam; alii per concursum extraordinarium; alii per virtutem Dei assistricem; alii per impressionem cujusdam motus; alii hanc vim concedunt ad effectus supernaturales, ad effectus positivos, non negativos; alii ad omnes effectus; alii volunt humanitatem concurrere per potentiam obedientialem activam; alii requirunt in humanitate præviam operationem, per quam virtutem divinitus in se receptam deferat usque ad effectum producendum; alii aliter loquuntur; unde concludit Hennus, ut verum sit dicere, quot capita, tot sententiæ, quod satis hujus sententiæ debilitatem demonstrat.

Dicimus III. Christi miracula potuisse quodammodo esse Angelis, & hominibus evidentia, non sic vero hominibus; illa autem fuisse aliquo modo necessaria; primumque Christi miraculum factum fuisse in Cana Galileæ; ubi in nuptiali convivio aquam in vinum mutavit.

Prima Conclusionis pars probatur, quia quæ sunt supernaturalia in productionis modo, non vero in substantia rei productæ ab Angelis, & Dæmonibus, qui res naturales per proprias species intelligunt, possunt evidenter cognosci: unde potuerunt videre animam Lazari fuisse separatam a corpore, & deinde eidem corpori unitam, per modum, qui naturæ vires superaverit; & hoc est evidenter cognoscere miraculum. Homines vero, qui rerum naturas non cognoscunt per species proprias, sed per species alienas, si vident hominem, qui redivivus dicatur, dubitare possunt, vel non fuisse vere mortuum, vel non esse vere resuscitatum, vel esse potius corpus phantasticum; quod comedat, ambulet, loquatur, rideat, dæmonis ope.

Secunda Conclusionis pars probatur etiam; quia Christus prædicans doctrinam supra omnem humanam rationem, per miracula debebat illam confirmare, & credibilem reddere. Unde miracula fuerunt quidem necessaria, non absolute, sed aliquo modo; quia potuit Deus per gratias internas, & per alia media, quam per miracula, mundi illuminationem, & conversionem perficere; quemadmodum etiam alia media adhibuit simul cum miraculis, ut fidem suam propagaret; nimirum Doctoris auctoritas, Magistri innocentia, doctrinæ sanctitas, Prædicatorum constantia, Apostolorum ruditas, verborum efficacia, fidei victoria, contra Tyrannos, Philosophos, atque persequutores omnes.

Tertia Conclusionis pars, quæ est communis inter Theologos contra Suarez, dicentem rem esse incertam. I. probatur ex Scriptura Joannis 2. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galileæ.* Et quanvis dici possit, quod hoc fuerit primum signum publicum; nihil tamen est, quod nos compellat hanc facere distinctionem. II. probatur ex Chrysostomo homil. 3. in Joannem: *Decenter non incipit signa facere in prima ætate: existimassent enim phantasma esse Incarnationem, & ante opportunum tempus cruci eum tradidissent.* III. quia quum fecerit Christus miracula, ut suam doctrinam confirmaret, conveniens erat,

ut ea prope doctrinæ suæ promulgationem ostenderet.

Obstant I. Christus in sua pueritia, atque infantia nulla miracula patravit: ergo illa, quæ in adolescentia, atque virilitate fecit, vera miracula non fuerunt: ergo divina virtute illa non fecit. Probatur antecedens. Chrysostomus homil. 16. in Joannem, explicans illud Joannis cap. 2. *Hoc fecit initium signorum Jesus*; scribit: *Constat signa illa & miracula, quæ in Christi pueritia feruntur, vera non esse. Nam, si a puero miracula facere cœpisset, non sane Joannes eum ignorasset; nec reliqua multitudo indiguisset Magistro, qui ipsum manifestaret. Nunc autem, inquit Joannes, propterea veni, ut manifestetur in Israel.* II. Christus per artem magicam miracula edidit: ergo non per divinam virtutem. Probatur antecedens: In Beelzebub, Dæmoniorum principe, dæmones expulit: ergo per artem magicam &c. III. Narrant Judæi, quod temporibus Helenæ Reginæ, quam dicunt, universæ terræ israeliticæ præfuisse, extabat in templo jerosolimitano lapis, cui Arca olim imponebatur, & in eo lapide descriptum erat Dei nomen propriis elementis expressum; hujus autem nominis tanta erat vis, ut quicunque illud memoriæ mandasset, poterat omnia miracula operari. Timentes autem Judæi, ne hoc eveniret, apposuerunt portæ, uti custodes, canes æreos, qui hanc virtutem habebant, ut latratibus suis faciebant oblivisci Dei nomen cuicunque illud memoriæ mandaverat, Christus igitur Dei nomen in membrana descripsit, quam vulneri, cruri suo facto, inservit; & ab hoc evenit, quod oblitus Dei nomen propter canum latratus, illud denuo a membrana didicit, & illud pronunciando, miracula operatus est. IV. Si Christus per divinam virtutem miracula effecisset, in omni loco potuisset illa patrare; sed non potuit in Patria sua: ergo non per divinam virtutem illa operebatur. Probatur minor. Marci 6. legimus: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere.* V. Christus quando miracula patrabat, orationem præmittebat; sed si divina virtute edidisset, absque oratione, sed solo imperio facere debuisset: ergo &c. VI. Gentiles etiam miracula patrarunt, sed non patrarunt per divinam virtutem; ergo neque Christus miracula per divinam virtutem operabatur. Probatur antecedens. Apollonius Tyanæus multa edidit miracula, ut testantur Philostratus in sua vita, & Hierocles in comparatione inter Jesum, & Apollonium. Imperator etiam Vespesianus per insputationem cæco reddidit visum, & alterius hominis manum calcans, eidem reddidit sanitatem. VII. Mahumetus etiam multa edidit miracula, ut legitur in Alchorano, & tamen non per divinam virtutem illa faciebat. VIII. Matthæi ultimo Christus de seipso dicit: *Data est mihi omnes potestas*; & Lucæ 6. habemus: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*; & cap. 8. Christus ait: *Ego novi virtutem de me exisse*; Et Isaiæ 51. habetur, Christum dici *brachium Domini*; hæc autem omnia testimonia probant, Christi humanitatem fuisse instrumentum physicum in miraculis faciendis: ergo &c. IX. Concilium Ephesinum can. 110 Christi carnem vocat *vivificatricem*; Cyrillus lib. de fide ad Reginas appellat *vivificam*; Sed Sophronius in epistola, quæ legitur in Sexta Synodo, asserit, miracula facta fuisse per Christi carnem, & Christi caro est instrumentum physicum: ergo &c. X. Sancti operabantur miracula physice: ergo etiam Christus. Antecedens est Gregorii magni, qui lib. 2. Dialogorum cap. 30. docet, Sanctos operari miracula dupliciter, orando nimirum, quod importat instrumentum morale, & potestative, quod importat instrumentum physicum. XI. Scriptura docet, Christum fecisse miracula, operatum fuisse, vivificasse, resuscitasse; sed hæc omnia accipienda sunt in proprio sensu & naturali; & in proprio sensu, & naturali importat influxum physicum, & non morale: ergo &c. XII. Si Christi humanitas non concurrebat physice ad miracula, ad quid ergo inserviebant in Christi humanitate, manuum extensio, corporis tactus, sputi effusio, aliaque similia, corporales applicationes? XIII. Legitur antiquus liber, cui titulus de Christi infantia, & in eo plurima Christi infantis miracula referuntur: ergo non fuit primum Christi miraculum, quod fecit in Cana Galileæ. XIV. Christus non poterat probare suam divinitatem per miracula, quæ effecerunt alii, qui erant puri homines, Apostoli nimirum, aliique Sancti in Ecclesia: ergo operatio miraculorum non fuit argumentum Divinitatis in Christum.

Respondemus ad I. cum Angelico Doctore 3. par. qu. 43. art. 3. quod quanvis Christus potuisset a primo suo nativitatis momento miracula facere, quia a primo suo con-

Digitized by Google

conceptionis instanti divina virtute patrandi illa, fuit ornatus, non debuit tamen in sua infantia, vel pueritia illa facere; quum aliter Judæi credidissent, Incarnationem esse phantasma, vel etiam, quia Christum ante tempus a Deo paratum, occidissent,

Ad II. Non poterat Christus virtute dæmonum miracula patrare, qui dæmonum imperium sua prædicatione, & suæ virtutis exemplo, dextruere venerat, & facto ipso dextruebat. Quomodo enim poterat Beelzebub sibi ipsi contrarius esse, Christo virtutem administrans, qua ejus regnum in mundo usurpatum pessundaret, atque ad nihilum pene redigeret? Et revera Christo, rationem hanc suppeditanti, Pharisæi nullatenus respondere potuerunt,

Ad III. Illud est unum ex Rabinorum commentis, quæ credulis inter ipsos venditare consuescunt. Satis enim est illud exposuisse, ut confutasse dicamus. Et sane non aliter quam sibilis, & cachinnis a Scriptoribus confutatur. Verum hæc quoque subdere non omittimus; Josephum, qui omnia, quæ in Hierosolymitano Templo reperiebantur, fideliter descripsit, hujus fabulæ neutiquam meminisse; unde Judæi nullum illius testem adducunt. Ulterius, Helena illa fuit Adiabenorum, non Judæorum Regina; ut adnotat Josephus de Voisin apud Graveson; & eadem sub Claudio Imperatore floruit; ut asserit Josephus lib. 20. antiquit. cap. 2. Insuper, virtus illa, canibus æreis tributa, commentum aperrissime sapit, quod Judæorum ingenio est sane dignum. Denique, cur Judæi cæteri post Christum hac eadem arte non usi sunt, quum illam scirent, ut miracula perpatrarent?

Ad IV. Christus non patrabat miracula in quibusdam locis, nō defectu suæ potentiæ, sed in pœnam pertinaciæ, incredulitatis, & contemptus habitantium in illis locis, quibus se miraculis indignos faciebant; quemadmodum etiam accidit in Herode, in cujus præsentia Christus nullum signum facere voluit. Non est autem novum in Scripturis, vocem *posse* accipi pro *velle*, Genesis enim 19. dicitur: *Non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc*; hoc est, *non faciam*; Et Marci 9. *Si potes credere omnia sunt possibilia credenti*; nimirum *si credis*,

Ad V. Christus præmittebat orationem non propter necessitatem, sed propter exemplum; & ut confunderet Judæos, qui illum dicebant in Principe dæmoniorum dæmonem expellere. Et per hoc Joannis 11. ait Christus Patrem orans: *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me: ego autem sciebam, quia semper me audis; sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti*.

Ad VI. Miracula, quæ dicuntur a Gentilibus facta, vel fuerunt ficta, vel simulata, vel magicis artibus tribuenda, Apollonius Tyanæus fuit magus vaferrimus, quem, ob hanc causam, Domitianus Imperator in carcerem detrudit. Hoc ipsum de Apollonio testantur Lucianus in Pseudomante, Dio Cassius in histor. Rom. lib. 77. Lactantius lib. 5. divinar. Institutionum cap. 5. Videantur Baronius ad annum 78. Episcopus Huetius in demonstrat. evang. propos. 9. ubi hæc habet. „ Multum igitur errant, ut cum „ Augustino loquar, epist. 138. alias 5. ad „ Marcellinum, qui Prophetis Sanctis, miraculorum magnorum nobilitate præstantibus, magos comparant; quanto magis si eos comparent Christo, quem „ Prophetæ illi, quibus Magi quilibet nullo modo sunt comparandi, prænuntiaverunt esse venturum, & secundum carnem, „ quam sumpsit ex Virgine, & secundum „ divinitatem, qua nunquam separatur a „ Patre „. Vespesiani etiam miracula ficta fuerunt; & fictio provenit ex adulatione Ægyptiorum, quam ipsemet Imperator agnovit; unde cœpit illos irridere, & aspernari; quod asserit etiam Cornelius Tacitus. Postea, ut idem Cornelius testatur, vocibus adulantium in spem inductus, ut posset illos sanare; & tunc illi se simularunt infirmos esse, ut idem Cornelius fatetur.

Ad VII. Christus faciebat sua miracula in publico, Mahumetus in abdito; Christus miracula sua ad æternam hominum salutem ordinabat, Mahumetus illa fingebat, & ad malum finem dirigebat; Christi miracula sunt inconcussa etiam adversus hominum sapientium hujus mundi ratiunculas, & sophismata, Mahumeti vero sibilis explodentur.

Ad VIII. Non loquitur ibi Christus de potestate faciendi miracula, sed de illa tantum gubernandi Ecclesiam, Concionatores mittendi, Sacramenta instituendi &c.; ut communiter Expositores interpretantur. Per virtutem non intelligit Scriptura physicum fluxum ab humanitate Christi emanantem, sed ipsumet miraculum, quatenus procedit a Christo ut

Deo, tanquam a causa physica principali, & a Christo ut homine, tanquam ab instrumento morali. Sic psal. 77. dicitur: *Narrantes laudes Domini, & virtutes ejus*; Et Lucæ 10. *Si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes*; in quibus locis nomine virtutum veniunt miracula. Denique Christus dicitur brachium Domini, quia Christi humanitate usus est Deus, ut Dæmonium debellaret, mundum redimeret, nosque omnes a captivitate liberaret; hoc autem potius brachium morale, quam physicum importat,

Ad IX. Concilium Ephesinum volut, Christi carnem non esse puri hominis, ut effutiebat Nestorius, sed Verbi vivificantis; & ob hoc dicit, ipsam carnem *vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi, cuncta vivificare valentis*. Cyrillus loquitur de vivificatione morali, quia Christi carnem appellat *quasi cooperatricem*; si addidit autem *quasi*, non intellexit physice, sed moraliter cooperari. Sophronius tandem afferens, quod Verbum operabatur per Christi carnem, intelligitur, quia quando miracula faciebat, tunc humanitas loquebatur, manum extendebat, corpus tangebat &c., quæ quidem actiones erant physicæ, sed tamen non physice in miracula influebant.

Ad X. Per terminum potestative, non importatur physica potentia, sed imperium, quo Christus & Sancti utebantur, quando miracula faciebant. Quod apparet Joannis 11. *Lazare, veni foras*; Lucæ 7. *Adolescens, tibi dico, surge*; Matthæi 8. *Volo: mundare*. Sic pariter Josue imperavit Soli ne moveretur, Petrus morti tradidit Ananiam & Saffiram, Paulus Corinthium in manus Satanæ consignavit &c. In prædictis autem miraculis Sanctorum S. Thomas 2. 2. qu. 198. docet, Sanctos ipsos fuisse tantum morales causas miraculorum.

Ad XI. Illos omnes terminos posse non solum physice, sed etiam moraliter intelligi, quatenus scilicet important influxum moralem, & non physicum, & in hoc nulla est improprietas; vere enim dicimus, Regem gerere bellum, quanvis physice sui Duces tantum, & milites gerant; Regem solvere stipendia, quanvis sui ministri physice solvant; Regem reos carceribus mancipare, quanvis a lictoribus comprehendantur, & carceribus tradantur.

Ad XII. Illa non fuerunt necessaria, ut miracula fierent; sed fuerunt necessaria, ut videntes non dubitarent a Christo miracula fieri. Si enim nihil physicum, & exterius in Christo advertissent, facile credidissent, miracula non fuisse a Christo facta, sed aliunde, & ab aliis causis provenisse.

Ad XIII. Liber ille de Christi infantia, suppositius, & adulterinus omnino est, quod declaravit Gelasius Papa in cap. *Sancta Romana* dist. 15., & Theophilactus docuit in caput 2. Joannis; unde quæcunque in ipso narrantur de Christo puero inter fabulas Valentinianorum ab Eruditis comprehenduntur.

Ad XIV. Christus probabat suam divinitatem per miracula, quæ efficiebat, quia ipsa patrabat, & simul dicebat, se illa in testimonum suæ divinitatis patrare. Nequit enim miraculum assumi, quo falsitas probetur; si ergo Christus miraculis suam divinitatem probabat, sua divinitas non poterat esse falsa.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CXCVIII.

De cultu, & adoratione Christi. An huic homini, Christo, cultus & adoratio debeatur? Et qualis? An ejus humanitas in abstracto considerata, coli debeat absoluta adoratione Latriæ? An coli possit alia adoratione, quam Latriæ?

PRÆSCIRE oportet primo, differre inter se laudem, honorem, & cultum, seu adorationem. Laus est Excellentiæ testificatio, quæ consistit, tantum in verbis; honor est ejusdem excellentiæ testificatio consistens in factis, & in aliis exterioribus signis; cultus vero, seu adoratio dicit præter testificationem dictam, etiam submissionem quamdam erga illud, quod adoratur, & quidem dicit essentialiter. Unde laus & honor est etiam erga æquales, & aliquando erga inferiores; cultus vero seu adoratio nisi erga superiores non est. Hinc adoratio seu cultus a Damasceno orat. 3. cap. 4. definitur: *Animi cedentis, demissi, & humilis, significatio.* Secundo adoratio ex parte subjecti, seu ex parte actus est duplex, interna nimirum, & externa; ex parte vero objecti est triplex, Latria, Dulia, & Hyperdulia; insuper ex alio respectu est duplex, absoluta nempe, & relativa. Interna consistit solummodo in actibus internis intellectus, & voluntatis, quibus & cognoscimus excellentiam illius, qui adoratur, & erga ipsam affectum submissionis concipimus; externa vero, præter hos actus internos, importat quoque exteriores actus, quibus erga illum, quem adoramus, animi submissionem, & corporis reverentiam protestamur. Latria venit a verbo græco λατρεύω, quod significat obsequium, & servitutem; Unde verbum illud a Græcis, & Latinis Patribus usurpatum est ad significandum cultum divinæ, & supremæ Majestatis Augustinus proinde scribebat lib. 10. de Civit. Dei cap. 1. *Latriam quippe nostri, ubicumque Sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus, servos dominis suis subditos esse debere, alio nomine græce nuncupari solet. Latria vero, secundum consuetudinem, qua loquuti sunt qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut pene semper, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum.* Et lib. 5. cap. 15. *Pietas vera non exhibet servitutem religiosam, quam Latriam Græci vocant nisi uni vero Deo;* Et in lib. 20. contra Faustum cap. 21. *Et vero illo cultu, qui græce Latria dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii; unde Idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo;* ita etiam accipitur a Basilio in caput 1. Isaiæ, & in Concilio generali 7. actione 3., 4., & 6. & in Concil. gener. Trident. sess. 13. cap. 5. *Unde cultus, qui alteri a Deo tribuitur, & soli Deo debetur, qualis est cultus falsorum Deorum, idololatria dicitur;* ut legitur Act. 17. *Videns idololatriæ deditam Civitatem;* Et 1. ad Corinth. 10. *Neque idololatræ efficiamini;* qui sunt falsorum Numinum cultores. Cultus vero ille, qui ob excellentiam, non increatam, sed creatam, alicui exhibetur, Dulia nominatur; qui quidem cultus ex Ecclesiæ consuetudine significat servitutem, & submissionem, non abjectam & vilem, qualem exhibent Mancipia; neque honorariam, & politicam, qualem subditi erga Principes, & inferiores erga Superiores offerunt, sed religiosam, & piam, quæ tribuitur Sanctis ob eorum excellentiam, atque virtutem. Et quia supra omnes Sanctos est Beatissima Virgo Maria, Dei Mater; ideo cultus, vel adoratio, quæ ipsi exhibetur, non Dulia, sed

Hy-

Digitized by Google

Hyperdulia, quæ est super duliam, nominatur. Tertio adoratio obsoluta est, quæ defertur alteri propter seipsum; relativa vero est, quæ defertur alteri propter alterum; seu prima est, qua res aliqua adoratur ob excellentiam propriam, & sibi intrinsecam; secunda vero, qua res adoratur ob excellentiam sibi extrinsecam & existentem in alio. His positis,

Primo adversarios habemus, contra scilicet catholicorum dogma pugnantes, Apollinaristas, qui negantes in Christo fuisse hominem perfectum, ac nobis similem, & dicentes, carnem susceptam a Verbo fuisse de Cœlo delapsam, & Patri esse consubstantialem, docebant etiam, unica Latriæ adoratione colendam esse carnem cum Verbo, quod utrumque dicerent de substantia Dei esse. Testatur Athanasius lib. de incarnat. Verbi. Hinc Catholicos, qui asserebant, veram hominis substantiam in Christo esse colendam, Hominicolas pro convicio apellabant; & Catholici convicium pro convicio reddentes, illos dicebant Carnicolas.

Secundo Nestorius dixit, unica adoratione colendas esse naturam divinam, & humanam, quia putabat, illas morali tantum unitione esse conjunctas. Hoc autem subdole asserebat, quia revera physicam unionem inter utramque naturam non admittebat; ut suo loco dictum est.

Tertio Gilbertus Porretanus exponens verba illa psalmi *Adorate scabellum pedum ejus*; dixit, carnem Christi, & humanitatem ejus non esse adorandam adoratione Latriæ, sed alia quadam inferiore adoratione: *Non illam dico, quæ Latria est, quæ soli Creatori debetur; sed illam, quæ dulia, dignior est: dulia enim adoratio est, quæ etiam creaturæ exhibetur: quæ duas habet species; unam, quæ hominibus indifferenter, alteram, quæ soli humanitati Christi exhibetur*. Testatur Gaufredus, Sancti Bernardi discipulus, in epist. ad Cardinalem Albanensem. Verum asserit Frassen „ in „ Manuscripto membranis exarato commentarii illius Gilberti in psalmos, quod „ asservatur in Bibliotheca monasterii S. „ Victoris juxta Parisios, contrarium omnino iis, quæ refert Gaufredus legere „ licet. „

Dicimus I. Christum, quatenus est Deus homo, adorari debere unica latriæ adoratione; unde ejus humanitatem, pro ut hypostatice unitam Verbo divino adorandam esse eadem latriæ adoratione, qua ejus divinitas, & subsistentia divina adorantur.

I. Probatur ex Scripturis. Matthæi 2. dicitur de Magis, qui Christum venerati sunt: *Et procidentes adoraverunt eum*. Ad Philippens. 2. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur*. Apocalyps. 5. *Viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno .... Viginti quatuor Seniores ceciderunt in facies suas, & adoraverunt viventem in sæcula sæculorum ..... Sedenti in trono, & Agno benedictio, & honor, & gloria*. Neque dicant hæc omnia intelligi de Christo ut Deus est; quia etiam intelliguntur de Christo ut homo est; intelliguntur enim de Christo, ut est Jesus, & ut est Agnus; Sed est Jesus, & Agnus non tantum propter divinitatem, sed multo magis propter humanitatem; quia humanitas vita oblata est, & occisa in nostræ redemptionis pretium: ergo &c. Item Matthæi 28. habemus de mulieribus, quæ ad Christi sepulchrum accesserunt: *Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete: Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum*, Et Joannis 20. de S. Thoma Apostolo dicitur, quod Christum adoravit, ei dicens: *Dominus meus, & Deus meus*. Illi autem actus, & hæc verba, veram important adorationem, quæ exhibebatur Christo, etiam ut homini.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Alexandrinum, cui præfuit S. Cyrillus, in Epistola Synodica ad Nestorium, inter alia capitula, hoc proposuit num. 8., cui Nestorius sub comminatione Excommunicationis subscribere teneretur: *Si quis audeat dicere, assumptum hominem, coadorari cum Deo Verbo, oportere & conglorificari, tanquam alterum cum altero* (nam particula *cum* addita, hoc cogit intelligi,) *& non magis una reverentia veneratur Emanuel, unamque ei glorificationem rependit, juxta quod Verbum cao factum est, anathema sit*. Concilium Calcedonense approbavit actiones, hoc Alexandrinæ Synodi decretum. Concilium Ephesinum can. 8. definivit, Christum hominem-Deum esse unica adoratione adorandum; unde S. Cyrillus, qui etiam huic Concilio uti Apostolicus Legatus præfuit, lib. 1. ad Reginas scripsit: *In Christo non esse unam naturam, quæ adoretur, & alteram, quæ non adoretur; sed utramque simul adorari unica adoratione*, Quinta Synodus collat. 8. can. 9. *Si quis duas adorationes introducit, & non una adoratione Verbum incarnatum cum propria carne adorat, anathema sit*. Concilium Generale Lateranense sub

Mar-

Martino V. *Si quis, adorari in duabus naturis, dicit, Christum, ex quo duas adorationes introducunt semotim Deo-Verbo, & semotim homini; aut si quis ad peremptionem carnis, aut ad confusionem Deitatis, & humanitatis, unam naturam sive essentiam convenientium protense dicens, sic adorat Christum, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum, cum ejus carne adoravit, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit.* Concilium Generale Tridentinum sess. 13. cap. 5. & can. 6., in quo definiens latriæ cultum, qui vero Deo convenit, Eucharistico Sacramento etiam deberi, subdit: *Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuit a Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eundem Deum, præsentem in eo adesse, credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit, ut adorent eum omnes Angeli Dei &c.*

III. Probatur ex Patribus. Athanasius in epist. ad Adelphium Episcopum: *Nos creaturam non adoramus, absit; Gentilium enim, & Arianorum ejusmodi est error. Sed Dominum creaturæ incarnatum Deum Verbum adoramus. Quanvis enim caro ipsa per sese pars est creaturarum; tamen Dei corpus est facta. Ac neque corpus ejusmodi per se dividentes, per Verbum adoramus: neque Verbum adorare volentes, ipsum longe a carne disjungimus. Verum istud scientes, ut jam diximus, Verbum caro factum est, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat, Recede a corpore, ut te adorem? Ubinam vero omnino impii isti separatim, ac per se carnem invenient cum Salvator suscepit, ut dicere audeant; Adoramus nos Dominum cum carne, sed dividimus corpus, & illi soli latriæ cultu servimus.* Epiphanius in Anchorato: *Adoras Salvatorem incorporatum, aut non adoras. Quomodo vero non adoravero? Si enim non adoravero non habeo vitam. Ecce igitur creaturam adoras, ipsum corpus. Ingens autem est vesania eorum, qui talia dicunt: nam Rex purpura indutus, ab omnibus adoratur. Nunquid ergo purpura adoratur, aut Rex? Manifestum est, quod Rex: coadoratur autem cum ipso etiam purpura, quam gestat, ubi autem Rex hanc exuit, & in locum reposuit, non amplius vestis purpura adoratur.* S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 12. explicans verba psalm. 98. *Adorate scabellum pedum ejus*; pro scabello intelligit Christi carnem, dicens: *Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt: neque enim divisus Christus, sed unus: neque cum adoraretur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine negabatur. Cum igitur incarnationis adorandum sit Sacramentum; incarnatio autem opus Spiritus sit; sicut scriptum est: Spiritus Sanctus superveniet in te, &c. haud dubie etiam Spiritus Sanctus adorandus est; quando adoratur ille, qui secundum carnem natus ex Spiritu est.* Augustinus in eundem psalmum 98. & in eadem verba: *Anceps factus sum: timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cælum, & terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit: Adorate scabellum pedum ejus. Quæro quid sit scabellum pedum ejus, & dicit mihi Scriptura; Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converte me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & invenio quomodo sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra Terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit: & quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam, ad salutem dedit. Nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit. Inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Damascenus lib. 3. de fide cap. 8. *Unus igitur Christus est, Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre, ac Spiritu unica adoratione, cum ejus immaculata carne, nequaquam carni ipsius adorationem denegantes. Adoratur enim in una Verbi hypostasi. Quæ hypostasis ei facta est, neque tamen hoc agentes, creaturæ servimus, non enim velut nudam carnem adoramus, sed ut divinitati conjunctam, & quatenus in unam personam, unamque hypostasim Dei Verbi duæ illius naturæ reducuntur. Timeo carbonem tangere propter ignem, qui cum ligno conjunctus est. Adoro utrumque, quod est Christi propter Divinitatem carni copulatam.* Et lib. de duabus Christi voluntatibus: *Adoro Regem cum purpura, & propter Regem honoro purpuram. Atqui in Rege, & purpura non est unitio secundum hypostasim, neque individua, nec sempiterna; at in Christo nostro secundum hypostasim individua unitio est, & sempiterna. Ideo tanquam unum de Trinitate sacrosancta coadoro Patri, & Sancto Spiritu, Christum incarnatum Dei filium, ac Deum.*

IV. Probatur rationibus. I. Ad hoc ut aliquod

quod totum, quod sit unum per se, recte adoretur, sufficit, ut in aliqua ejus parte sit aliquid adoratione dignum, & non requiritur ut sit in singulis ejus partibus; sed Christus est totum & unum per se, & natura divina, quæ est ejus quodammodo pars, est vere digna adoratione latriæ: ergo totus Christus est eadem adoratione latriæ vere dignus. Probatur major. Si homini deferrur honor propter scientiam, totus homo honoratur, & tamen scientia est in solo intellectu: ergo vera est major. II. Humanitas unita cum Verbo non facit diversam materiam adorandam a Verbo, sed est una, & eadem materia adoranda cum Verbo, & est unum & idem objectum terminativum talis adorationis; sed Verbo debetur adoratio Latriæ: ergo etiam humanitati, quæ est physice unita Verbo eadem Latriæ adoratio adscribenda est. Major est de fide contra Nestorium; minor est de fide contra Arianos; consequentia sequitur. III. Humanitas ut Verbo conjuncta, sanctificatur una & eadem sanctitate substantiali, qua Verbum est sanctum: ergo debetur eidem una & eadem adoratio, quæ Verbo datur. Antecedens supponimus probatum ex dictis; consequentia probatur, Sanctitas substantialis increata potest esse objectum formale adorationis latriæ; sed non minus est propria Dei, quam adorabilitas latreutica: ergo sicut sanctitas substantialis increata, ita proportionaliter adorabilitas latreutica, & quidem perfecta, ac per se talis, potest convenire Christo ut homini, seu humanitati, ut Verbo conjunctæ. IV. Humanitas ut Verbo unita, seu Christus ut homo, habet rationem Filii Dei una & eadem naturali filiatione, qua Verbum est Filius: ergo Christo ut homini, seu humanitati ejus ut Verbo unitæ, tribuenda est una & eadem adoratio, quæ Verbo debetur. Probatur consequentia, quia naturalis filiatio Dei potest ex una parte esse objectum formale adorationis latriæ, & ex altera naturalis filiatio divina non minus est propria Dei, quam lautretica adorabilitas: ergo sicut illa potest convenire Christo ut homini, seu humanitati ut Verbo conjunctæ, ita etiam convenire potest eidem latreutica adorabilitas.

Arguunt I. Humanitas, adhuc ut Verbo conjuncta, licet sit sancta, sanctitate Dei, non tamen per hoc est Deus, nec est aliquid substantialiter divinum; sed latria debetur soli Deo: ergo non debetur humanitati, etiam ut Verbo unitæ. II. Humanitas etiam sanctificata sanctitate substantiali Dei, non est tamen ita sancta, ut sanctus est Deus: ergo etiam non est ita adoranda, ut adorandus est Deus: ergo non est adoranda adoratione latriæ. III. Christus ut homo, minor est Patre: ergo non est adorandus eadem adoratione, qua adoratur Pater; Sed Pater adoratur adoratione latriæ: ergo &c. IV. Inconveniens est adorari adoratione latriæ illum, qui adorat; sed Christus ut homo adorat divinitatem, & Trinitatem: ergo inconveniens est, ut Christus ut homo adoretur adoratione latriæ. Probatur minor; quia illius est adorare, cujus est orare; Sed Christus ut homo pluries Deum oravit: ergo adoravit. V. Christus ut homo coli non debet per sacrificium: ergo adorari non potest adoratione latriæ. Consequentia sequitur, quia sacrificium est latriæ cultus præstantius signum. Antecedens probatur ex Augustino, qui voluit, Christo non esse sacrificandum; ait enim lib. 8. de Civit. Dei cap. 20. *Christus maluit sacrificium esse, quam sumere.* VI. Damascenus orat. 1. de imaginibus, loquens de Christi humanitate ait: *Non materiam, sed materiæ Authorem adoro, qui propter me materia factus, & in materia voluit habitare, ut per materiam mihi salutem præberet: materiam vero, per quam mihi salus parta est, colere non desino, non tamen ut Deus: Absit:* ergo ex Damasceno caro, vel humanitas Christi, quam nominat materiam, non est adoranda eadem adoratione, qua Divinitas, & persona Verbi adoratur. VII. Glossa ordinaria ad verba illa psalmi 98. *Adorate Scabellum pedum ejus;* scribit: *Carnem a Verbo assumptam sine impietate adorari a nobis, sed non illa adoratione, qua latria est, quæque soli Creatori debetur.* VIII. Angelus adorans Verbum ante incarnationem, si post incarnationem continuaret adorationem eandem, vel adoraret Christum, ut Deum & hominem, vel non; Non primum; quia aliter adoratio præcedens incarnationem terminata fuisset ad humanitatem, quæ non erat: Si secundum: ergo adoratio Christi, qua Deus non terminatur in ipsum, ut homo est; Et per consequens humanitas ejus non est colenda eadem adoratione, qua colenda est ejus divinitas.

Respondemus ad I. dicendo, cultum latriæ deberi soli Deo, tanquam objecto termi-

Digitized by Google

nativo simul & motivo, vel tanquam objecto terminativo primario, quia tanquam objecto terminativo secundario non debetur soli Deo, sed alteri etiam a Deo. Unde ad argumentum plures responsiones faciunt per instantiam; dicunt enim: Sicut latria debetur soli Deo, ita dulia, & hyperdulia debentur soli personæ, seu soli naturæ rationali; & sicut humanitas, etiam ut conjuncta Verbo, non est Deus, ita corpus, etiam ut informatum anima, non est anima, nec natura rationalis: ergo sicut ex hoc non infertur bene Sanctorum corpora, etiam ut informata propriis animabus, non esse adoranda cultu duliæ, aut hyperduliæ, & quidem perfecte, absolute ac per se talis, loquentes de cultu, qui respicit corpora, ut objecta terminativa secundaria; ita dicendum est pariter in casu nostro.

Ad II. Eadem est responsio; sicut enim discurrimus de sanctitate, ita etiam loqui debemus de filiatione Dei; & sicut paritas adorationis deducitur ex una, ita quoque ex altera infertur; ut consideranti est manifestum. Cæterum humanitas non est ita adoranda, ut adorandus est Deus, quo ad adorationis modum, conceditur; quo ad adorationis substantiam seu speciem, negatur. Verum enim est, quod qui adoratur ex intentione secundaria, & tanquam objectum terminativum secundarium, non tam adoratur, quam qui adoratur ex intentione primaria, tanquam objectum motivum, & terminativum simul, aut tanquam objectum terminativum primarium: at hæc, inquit Cacheranus, spectant ad sanctificationis, & adorationis modum; cum diversitate tamen modi potest stare æque perfecta, & ejusdem rationis latria quo ad substantiam respectu utriusque.

Ad III. Per instantiam dici potest, quod Christus ut Deus est æqualis Patri, adeoque adoratur eadem adoratione, ac adoratur Pater; Sed Christus ut Deus est Christus ut homo: ergo Christus ut homo adoratur eadem adoratione, ac adoratur Pater. Directe tamen dicitur, quod propositio illa est vera, quando plures sunt personæ, non quando una est persona; & cum in Christo una sit persona, cui summa reverentia debetur, ut ait Scotus „ Sicut honor debetur Regi, quacunque veste sit indutus, honor enim „ naturam respicit digniorem, & per consequens illud, quod est annexum ei: sic „ caro Viri sancti honorari debet secundum dignitatem animæ, non secundum „ ignobilitatem propriæ naturæ „.

Ad IV. Humanitas adoratur secundum operationes, & statum humanitatis, qua minor est Patre; adoratur autem secundum dignitatem divinitatis, & personæ, secundum quas æqualis est Patri. Adorantes vero illam, seu Christum, ut hominem, non debent attendere ad inferioritatem humanitatis, sed ad dignitatem personæ, & divinitatis.

Ad V. Quanvis humanitati Christi, secundum se consideratæ, sacrificium non debeatur, debetur tamen pro ut est divinitati conjuncta; quum sit enim totus Christus revera Deus, toti Christo vere potest sacrificium offerri. Augustinus non negat, quod Christo sacrificari debeamus, sed docet, id in praxi faciendum non esse, ad errores evitandos; posset enim quis suspicari impendi creaturæ honorem, qui Supremo Numini debetur.

Ad VI. Damascenus non negat, humanitatem Christi latriæ cultu esse adorandam, sed docet, humanitatem Christi non esse adorandam ut Deus; nimirum, quod non deferatur ei cultus latriæ primario, & ratione suæ excellentiæ, nec consideretur ipsa ut objectum motivum, & terminativum primarium hujusmodi adorationis, sed ut terminativum secundarium.

Ad VII. Glossa intelligitur de humanitate Verbi prout in se, & secundum suam propriam excellentiam, non vero prout est unita Verbo, & sic intelligit S. Bonaventura. Uterius Glossa illa desumpta est ex verbis S. Augustini; verba autem Augustini, quæ supra retulimus, aliter sonant, ut consideranti illa verba innotescit. Denique in Glossa inveniuntur verba aliqua, quæ in Augustino non leguntur; unde patet cuique infidelitas Transcriptoris.

Ad VIII. Utroque modo potest dici, & nihil sequitur contra conclusionem nostram. Conceditur namque, Angelum adorare Verbum ut hominem eadem adoratione, qua prius dumtaxat Verbum adorabat. Ratio est, quia eo ipso, quo tendit in personam Verbi, eadem adoratione, absque ulla physica mutatione, tendit in omne id, quod per intellectum proponitur ei, ut Verbo conjunctum, sicque intellectus suppleret anterioritate temporis. Dicitur etiam secundum, quia

Angelus diversa adoratione adorando Christum, ut hominem, se eidem ut homini subjiceret, & in hoc sensu esset distincta adoratio illa post incarnationem ab illa ante incarnationem, quia prosequeretur Christum alio affectu, & alio cultu, quam antea.

Pro Secunda Dissertationis parte. Primo. Vvicleſus asseruit, Christi humanitatem dimissam a Verbo, in propria persona adorandam esse adoratione latriæ, & diligendam ut Redemptorem. Refert Thomas Vvaldensis lib. 1. doctrinalis fidei art. 3. cap. 99. n. 1.

Secundo. Plures Theologi de Schola, nimirum Henricus, Rubio, Bacconis, Alensis, Corduba, Paludanus docent, humanitati Christi, ut abstractæ a Verbo, cui est unita, deberi adorationem non latriæ, sed hyperduliæ.

Tertio. Alii Theologi de Schola, scilicet Cajetanus, & plures cum ipso docent, quod humanitas Christi, quanvis realiter unita Verbo coli debeat adoratione latriæ, coli tamen possit etiam adoratione hyperduliæ, ratione specialis excellentiæ, quam ex gratia habituali habet, & propter alia dona, quæ distinguntur a persona Verbi, tanquam effectus a causa.

Dicimus II. Humanitatem Christi, si dimitteretur a Verbo, non esse adorandam adoratione latriæ, etiam respectiva; abstractam vero a Verbo esse adorandam absoluta adoratione latriæ, & sola latriæ, nullo vero modo colendam esse adoratione hyperduliæ.

Prima Conclusionis pars probatur I. ex Augustino serm. 58. de verbis Domini, dicente: *Ego dominicam carnem, imo perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quod a Divinitate susceptа, atque Deitati unita est. Denique si hominem separaveris a Deo, ut Photinus, vel Paulus Samosatenus, illi ego nunquam credo, nec servio; velut si quis vestrum aut purpuram, aut diadema regale jacens inveniat, nunquid conatur ea adorare? Cum vero Rex ea fuerit indutus, periculum mortis incurrit si ea simul cum Rege quis contempserit*: ergo ex Augustino humanitas Christi, dimissa physice a Verbo, si possibile esset, non esset adoranda adoratione latriæ.

II. Probatur. Cultus latriæ non debetur nisi propter summam excellentiam & increatam; sed humanitas Christi dimissa a Verbo nec habet summam, nec increatam excellentiam: ergo illi in tali statu non deberetur latriæ cultus. Probatur minor; in tali statu non haberet formaliter perfectiones infinitas, quia esset finita; nec haberet ratione unionis hypostaticæ, quia supponeretur dimissa a Verbo: ergo nullo modo haberet in tali statu summam & increatam excellentiam.

III. Probatur. Si humanitas sic dimissa, posset adorari adoratione latriæ, vel adoraretur adoratione absoluta vel relativa; sed neutrum dici potest: ergo &c. Probatur minor. Non adoratione absoluta, quia non haberet excellentiam infinitam, ut dictum est: neque adoratione relativa; quia relatio hæc vel esset ratione gratiæ sanctificantis, vel ratione gratiæ capitis, vel ratione ministerii redemptionis; sed nulla ex his relationibus humanitatis ad Deum est sufficiens motivum, ut illi impendatur suprema latriæ adoratio; ut per se patet: ergo &c.

Secunda Conclusionis pars probatur I. ex Apostolo epist. ad Hebræos cap. 1. *Et cum iterum introduxit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*; ex quibus verbis sic efformatur argumentum: Deus voluit adorari ab Angelis illum, quem introduxit in mundum; sed ille, quem introduxit in mundum est homo, seu humanitas physice conjuncta Verbo: ergo ut abstracta a Verbo etiam est adoranda adoratione latriæ. Unde Chrysostomus hom. 3. in epist. ad Hebræos intelligens præfatum textum de Christo, non prout Verbum est, sed prout est homo, ac proinde de illius humanitate, quæ est realiter distincta a natura, & persona Verbi, hæc scribit: *Non aliter introductus in Mundum Dei Filius dicitur, quam in carne, quum in mundo jam esset, ut ait Joannes, & Mundus per ipsum factus sit*.

II. Probatur ex Athanasio in epist. ad Adelphium, in qua expresse negat, adorationem carnis in Christo separari debere ab adoratione Verbi; & per consequens contra docet, duas in Christo naturas eadem adoratione colendas esse: *neque corpus ejusmodi per se dividentes per Verbum adoramus; neque Verbum adorare volentes, ipsum longe a carne disjungimus*. Unde fit argumentum. Qui Christum adorans non dividit humanitatem a Verbo, eandem adorationem humanitati defert, quam defert Verbo; alias divideret humanitatem a Verbo, saltem in sua mente; sed hanc divisionem Athanasius prohibet: ergo vult, ut humanitas adoretur

eadem

Digitized by Google

eadem adoratione latriæ, qua Verbum adoratur.

Tertia Conclusionis pars probatur I. Si posset adoratione hyperduliæ adorari humanitas Christi ratione excellentiæ sibi propriæ, immerita esset damnatio Nestorii, a Cyrillo facta in Alexandrino Concilio: *Adoro visibilem propter invisibilem, & hominem, quem induit, propter eum, qui ipsum induit*; Sed hoc dici non potest: ergo &c. Probatur major; quia illa adoratio hyperduliæ licet proxime terminaretur ad humanitatem, referretur tamen ultimo ad ipsum Verbum; non est autem dicendum, quod ad Verbum terminetur quocunque modo alia adoratio, quam latriæ.

II. Probatur. Humanitas in suppositione illa, vel concipitur a nobis sine unione ad Verbum, vel cum unione cum Verbo: si primum, non est humanitas Christi, quia humanitas Christi est humanitas unita Verbo; si secundum, debita est illi adoratio latriæ; & si exigit adorationem latriæ, non est loquendum de adoratione hyperduliæ, quia major adoratio minorem excludit.

Opponunt I. Christus ut Redemptor generis humani, dignus est adoratione latriæ; sed esset Redemptor generis humani, etiamsi humanitas a Verbo dimitteretur: ergo in tali statu etiam ei deberetur adoratio latriæ. Probatur major. Christus ut Redemptor generis humani colendus est majori cultu, quam solo cultu hyperduliæ; sed cultus major hyperdulia est latria: ergo &c. II. Synodus Alexandrina tantum damnat divisionem adorationis in sensu Nestorii, dividentis personas in Christo: ergo non damnat in sensu, qui fit Nestorio oppositus; sed sensus nostræ conclusioni oppositus, est etiam oppositus Nestorio: ergo &c. III. Adoratio latriæ soli Deo est debita: ergo non potest tribui humanitati Christi, quæ non est Deus. IV. Humanitas Christi si adoratur adoratione latriæ, vel adoratur per se, vel per accidens; non per se, quia aliter esset Deus; neque per accidens, quia omnes Theologi hunc loquendi modum Durando improbant. V. Epiphanius docet in Anchorato, adorandam esse Christi carnem, sicut adoratur purpura Regis; sed purpura Regis non adoratur eadem adoratione, qua Rex adoratur: ergo &c. VI. Humanitas apprehensa sine Verbo, non est adoranda adoratione latriæ, quæ convenit tantum Verbo; ergo est adoranda adoratione minori a latria: ergo est adoranda adoratione hyperduliæ. VII. Natura, quæ habet excellentiam propriam, distinctam ab excellentia suppositi, adoranda est cultu distincto ab illo, quo suppositum adoratur; sed humanitas Christi habet excellentiam propriam, quæ est distincta ab excellentia suppositi, quod est Verbum; ergo humanitas Christi adoranda est cultu distincto ab illo, quo Verbum adoratur; sed Verbum adoratur adoratione latriæ: ergo humanitas Christi adoratur adoratione hyperduliæ. VIII. S. Thomas 3.par. qu. 35. art. 2. in corpore docet: *Adoratio igitur humanitatis Christi dupliciter potest intelligi. Uno modo, ut sit ejus, sicut rei adoratæ: & sic adorare carnem Christi, nihil est aliud, quam adorare Verbum Dei incarnatum; sicut adorare vestem Regis, nihil est aliud, quam adorare vestitum. Et secundum hoc adoratio humanitatis Christi, est adoratio latriæ. Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi, quæ fit ratione humanitatis Christi perfectæ omni munere gratiarum; & sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latriæ, sed adoratio duliæ. Ita scilicet quod una & eadem persona Christi adoretur adoratione latriæ propter suam divinitatem, & adoratione duliæ propter perfectionem humanitatis*: Ergo ex S. Thoma duplex est adoratio humanitatis Christi.

Respondemus ad I. negando majorem; ad cujus probationem distinguitur major; debetur major cultus intra eundem ordinem, & secundum diversum gradum, conceditur; debetur major cultus alterius ordinis, negatur. Hyperdulia habet diversos gradus, qui respiciunt majorem, vel minorem excellentiam illius, cui defertur; sicut etiam dulia habet diversos gradus, respondentes majori, vel minori excellentiæ Sanctorum, quibus tribuitur. Et quemadmodum ob majorem excellentiam alicujus Sancti, illi non defertur hyperdulia, quæ est alterius ordinis, sed dulia tantum, licet in gradu superiori, ita etiam humanitati Christi in illa hypotesi deferretur majus cultus hyperduliæ, sed nunquam latriæ, quæ est alterius ordinis.

Ad II. Nestorius duo asserebat; scilicet, in Christo esse duas personas, & postea Christo deberi duas adorationes. Synodus Alexandrina damnavit primum capitulis antecedentibus octavum; damnavit vero secundum capitulo, seu anathe-

Digitized by Google

matismo octavo. Quod idem est ac dicere, postquam damnavit errorem Nestorii, proscripsit quoque ejusdem Nestorii loquendi morem; & definivit, humanitatem non coadorari cum Verbo, quasi sint duæ adorationes, sed una simul & eadem adoratione colendas esse.

Ad III. Distinguitur antecedens; adoratio latriæ soli Deo est debita, primo, & per se, conceditur; secundo, & ex consequenti; negatur. Eodem modo distinguitur consequens; adoratio latriæ non potest deferri humanitati Christi, primo, & per se, conceditur; secundo, & ex consequenti, negatur. Etenim adoratio latriæ si accipiatur pro interno affectu adorantis, primo, & per se respicit objectum, quod est motivum, & terminativum primario talis adorationis; secundo vero, & ex consequenti respicit objectum, quod est unitum physice cum illo, non quidem ut motivum formaliter, neque ut terminativum primario, sed ut terminativum secundario; ut dictum est. In persona Christi divinitas est ratio formalis, adeoque objectum motivum formaliter ad colendum Christum adoratione latriæ; humanitas vero primo, & per se non adoratur in Christo, sed tantum secundo, & ex consequenti, quia est objectum terminativum secundario.

Ad IV. Possumus dicere, humanitatem Christi adorari tantum per accidens in hoc sensu, quod non seorsim, sed cum alio adoratur; non adorari autem per accidens si intelligatur, quod adoratio proveniat ex unione accidentali. Theologi impugnant Durandum, quia credunt, ipsum favere Nestorio, qui inter Verbum & humanitatem admisit tantum unionem per accidens, hoc est per affectum. Nos hoc non dicimus; sed tantum asserimus, quod quæ cum alio vel patiuntur, vel agunt, quamvis substantialiter sint unita, ut anima, & corpus, dicuntur tamen pati, vel agere secundo, & ex consequenti.

Ad V. Epiphanius non accipit similitudinem in rigore si illud scripsit; non enim purpura Regis habet idem suppositum, quod habet natura Regis; sicut in casu humanitas Christi habet eandem personam, quam habet Divinitas; unde non mirum, si adoratur eadem adoratione, qua adoratur Divinitas. Unde intelligendus est, sicut intelligitur Damascenus lib. de duabus Christi voluntatibus: *Adoro carnem, non propter naturam carnis, sed propter Deum ipsum, ipsi copulatum.*

Ad VI. Negatur antecedens; quia humanitas illa non est humanitas ut sic, ut ex se patet; non est humanitas alterius a Christo, ut etiam est manifestum: ergo semper est humanitas Christi: ergo semper est colenda adoratione, qua colitur Christus. Quod autem sit abstracta, non est capax adorationis, quæ tantum tribuitur alicui in concreto, non vero in abstracto. Actus enim adorationis est actus physicus, qui dirigitur ad objectum physicum, & reale, non vero ad objectum, mente præcisum, & abstractum.

Ad VII. Distinguitur major; si excellentia illa propria non sit conjuncta cum excellentia, quæ majorem exigat cultum, conceditur; si sit conjuncta, negatur. Adducunt exemplum, quod valeat, quantum valere potest. Sit homo, qui simul sit Rex, & Comes; homo iste non potest honorari ut Comes, sed semper honorandus est ut Rex, quia major est Regis dignitas, quam sit illa Comitis; & tamen utraque in una eademque persona conjuncta invenitur. Sic proportionaliter in casu: humanitas Christi propter excellentiam propriam est adoratione digna, at minori adoratione, qua digna est divinitas; quia tamen cum divinitate hypostatice reperitur unita, inde est, quod non est colenda adoratione, quæ esset propria humanitatis, & quæ est minor, sed adoratione, quæ est propria Divinitatis, & quæ est major.

Ad VIII. Dicunt, quod S. Thomas admittit hypothetice duas adorationes exhibendas esse Christo; in hypothesi nimirum, si humanitas concipiatur in statu, in quo nec fuit, nec est, nec erit: scilicet si intelligatur non solum distincta, sed etiam separata a Verbo. Et quum hic humanitatis status sit fictitius non realis, sequitur, quod physice, realiter, & in praxi, non sint exhibendæ Christo duæ adorationes, sed una tantum, & illa suprema, quæ dicitur latria.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CXCIX.

De Mariæ, Deiparæ, cultu, & veneratione. An religioso ac sacro cultu sit adoranda? Qua adoratione colenda? An ob gestationem Christi in utero sit etiam latriæ cultu adoranda?

PRimo circa Mariæ, Deiparæ, cultum errarunt Mulierculæ quædam, quæ ipsam uti Deam venerabantur; eo quod crederent in illa divinitatem quandam; cui propterea sacrificia offerebant. Refert S. Epiphanius hæres. 78. & 79.

Secundo errarunt Messaliani, qui, ut narrat Harmenopulus de Sectis, nullo Beatam Virginem dignabantur honore; quod insane putarent, illam a cæteris mulieribus in nihilo distare.

Tertio impie erravit Constantinus Copronymus, qui, testibus Theostericto orat. in S. Niceram, Suida in eodem Constantino, Glyca par. 4. annalium, „ acceptis „ in manu auro refertis loculis, iisque „ multitudini ostensis, quanti eas æstimaret, interrogavit: atque ubi illa plurimi dixisset; ex iisdem loculis effuso auro, rursus quanti illas faceret, quæsivit; & postquam populus nihili subintulisset: Ad eundem, inquit, modum Maria; quoad usque Christum gestavit in utero, honore digna fuit; cum porro ubi est enixa, nihil feminis aliis dignitate præstitit.„

Quarto Lutherus Catholicos criminatur, quod Mariam faciant Deam, illam cultu eodem, quo Christum colunt, adorando. Unde ad cap. 4. Epistolæ ad Galatas scripsit: *Paulus, ut apparet, quasi per contumeliam Matrem Filii Dei mulierem tantum appellat.* Et in Postilla majori ad Evangelium in Nativitate Mariæ, inquit: *Ferre nequeo, ut Maria dicatur spes & vita mea.*

Quinto Philippus Melancthon in Apologia Confessionis, impio suo Magistro adhærens, scriptitavit: *Clarum esse apud Papistas, Mariam successisse in locum Christi; plus fiduciæ ponunt in illa, quam in Christo, & plus illam, quam Christum orant; quasi Christus esset solum Judex, & non Propitiator.*

Sexto Calvinus in harmonia in cap. 2. Joannis, iisdem suscribens, asserere non erubuit: *Nos oneravisse Mariam spoliis Christi, & non putare, illam satis honorari, nisi Dea fiat.*

Septimo Joannes Oecolampadius, in Concione de omnibus Sanctis, publice & inverecunde prædicare non timuit, *Mariæ venerationem cultum Idolorum esse dicendam.*

Octavo refert Petrus Canisius Præfat. in Opus Mariale, *Lucam Sternbergium tanto Mariæ odio flagrasse, ut eam virginitatis gloria, omnique honore spoliandam putaret, utpote quam ex Josepho conjuge multos filios pepererit, & a reliquis non differre fœminis finxerit.*

Nono testatur Coccius, *Matthiam Reidt, Lindavienſem Ministrum, ut suum populum a cultu Mariæ magis ac magis abalienaret, solemne Canticum,* Salve Regina, *integro ac virulento scripto oppugnandum suscepisse.*

Decimo Guilhelmus Bidenbachius ad assertiones Torrensis scripsit: *Ut Maria spes nostra dicatur, quemadmodum eam in impio, & insalutari,* Salve Regina, *salutant, horret animus cogitare, nedum lingua eloqui. Spem enim nostram dicere non possumus, nisi simul etiam Deum nostrum dicamus.*

Dicimus I. Mariam, Deiparam, sacro, ac religioso cultu esse adorandam.

I. Probatur ex Scripturis. Lucæ 1. 41. *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino.* Et numero 48. *Beatam me dicent omnes Generationes.* Lucæ 11. 27. *Factum est autem, cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Quibus verbis quum pluries Maria dicatur beata,

Digitized by Google

ta, religiosus; quidem, & sacer cultus eidem tribuendus decernitur: quia excellentia illa, quæ facit, eam esse, & dici beatam, efficit quoque, ut sit colenda, & adoranda dicatur.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Gregorius VII. lib. 1. epist. 47. *De Matre Domini, cui te principaliter commisi, & committo, & nunquam committere, quousque illam videamus, ut cupimus, omittam, quid tibi dicam? Quam cœlum & terra laudare, licet, ut meretur, nequeant, non cessant. Hoc tamen proculdubio teneas, quia quanto altior, & melior, ac sanctior est omni matre, tanto clementior, & dulcior circa conversos peccatores, & peccatrices. Pone itaque finem in voluntate peccandi, & prostrata coram illa ex corde contrito, & humiliato, lacrymas effunde: Invenies illam (indubitanter promitto) promptiorem carnali matre, ac mitiorem in tui dilectione.* Et epist. 22. *Scribe in corde tuo, quia summa Regina Cœli, quæ super omnes choros Angelorum exaltata esse creditur, quæ est decus, & gloria omnium mulierum, imo salus, & nobilitas omnium electorum: quia illa sola meruit Virgo & mater edere naturaliter Deum & hominem, caput, & vita omnium bonorum, in terris non dedignata est pauperem vitam gerere, & in omni sancta humilitate se custodire.* Innocentius III. sermone 2. de Assumpt. B. Mariæ: *Cum aurora sit finis noctis, & origo diei, merito per auroram designatur Virgo Maria, quæ finis damnationis, & origo salutis fuit; finis vitiorum, & origo virtutum. Oportebat enim, ut sicut per fœminam mors intravit in Orbem, ita per fœminam vita rediret in Orbem. Et ideo quod damnavit Eva, salvavit Maria; ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret.* Et in hymno ad Mariam:

Ave mundi spes Maria,
Ave mitis, ave pia,
Ave charitate plena,
Virgo dulcis, & serena
Sancta Parens Jesu Christi;
Electa sola fuisti
Esse mater sine viro,
Et lactare modo miro,
Angelorum Imperatrix,
Peccatorum Consolatrix, &c.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Chalcedonense act. 5. docet: *Sancta Maria Theotocos est: qui non sic sapit, hæreticus est.* Quibus verbis adjungi merito potest, quod qui sic eam non colit, hæreticus est; quis enim præfrictæ mentis homo potest, eam Dei Matrem credere, & ut Dei matrem non adorare? Septima Synodus Generalis act. 4. probat, Epistolam Germani Constantinopolitani Patriarchæ ad Joannem, Episcopum Synadensem, in qua hæc leguntur: *Ipsam proprie, vereque Matrem veri Dei colimus, & magnificamus, & universa visibili, & invisibili creatura Superiorem arbitramur.* Eadem Septima Synodus act. 3. probat epistolam synodicam Theodori Hierosolymitani Patriarchæ, quæ hæc habet: *Quæ revera Dei mater est, & tam ante, quam post partum, Virgo permansit, atque omni, tam intelligibili, quam sensibili, natura facta est gloria, & splendore præstantior.*

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Sanctus Ephrem oratione de laudibus Sanctissimæ Dei matris: *Intemerata, prorsusque pura Virgo Deipara, regina omnium, spes desperantium, domina mea gloriosissima, eademque optima, sublimior Cœlicolis, purior solis radiis, & splendoribus, honoratior Cherubim, & polyomatis, idest multoculis spiritibus, sanctior Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus glorioſior, spes Patrum, gloria Prophetarum, Apostolarum præconium, & honor Martyrum, Sanctorum lætitia, & lumen studiosorum Abraham, Isaac, & Jacob, decus Aaron, Mosis splendor, & Gedeonis vellus, Hierarcharum cœtus, & omnium Sanctorum, ac Virginum, corona, ob fulgorem inaccessa.* Epiphanius hæresi 78. *Sive mortua est Sancta Virgo, & sepulta, in honore ipsius dormitio, & in castitate mors, & in virginitate corona: sive sublata est, veluti scriptum est: animam ipsius pertransibit gladius, inter Martyres est ipsius gloria, & in laudibus sanctum ipsius corpus, per quam lux exorta est mundo.* Procopius Cæsariensis de Ædificiis Justiniani orat. prima: *Dei Genitrici passim per Romanum imperium multas ades Justinianus consecravit, adeo plane magnificas, & præstantes, tanquam ingenti pecuniarum acervo constructas, ut si quis unam dumtaxat ædem conspexerit, hoc solum opus, ab ipso elaboratum existimabit, & in eo perficiendo omne regni sui tempus confecisse.* Hesychius Hierosolymitanus orat. 1. de S. Maria Deipara: *Hic dies festus, qui nunc agitur; omnem gloriam superat, utpote qui contineat solemnitatem Virginis, quæ usqueadeo omnibus antecellit, ut ipsum Deum Verbum volentem susceperit, quem illa citra ullam loci angustiam comprehendit.*

V. Pro-

V. Probatur ex Patribus Latinis. Augustinus serm. 18. de Sanctis: *Adest nobis, dilectissimi, optatus dies beatæ, ac venerabilis semper Virginis Mariæ: ideo cum summa exultatione gaudeat terra nostra, tantæ Virginis illustrata die solemni. Hæc enim est flos campi, de quo ortum est pretiosum lilium convallium, per cujus partum mutatur natura protoplastorum, deletur & culpa. Præcisum est in ea illud Evæ infelicitatis elogium, quo dicitur: In dolore paries filios tuos: quia ista in lætitia Dominum peperit. Eva enim luxit, ista exultavit. Eva lacrymas, Maria gaudium in ventre portavit, &c. Impleta est Mariæ gratia, & Eva vacuata est culpa. Maledictio Evæ in benedictionem mutatur Mariæ: Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum. Tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio. Benedicta tu, inquit, in mulieribus, quæ vitam viris, & mulieribus peperisti. Mater generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit. Illa percussit, ista sanavit, &c. O beata Maria, seculum omne captivum tuum deprecatur assensum, te apud Deum Mundus fidei suæ obsidem fecit, &c. Efficitur subito prægnans beata Dei Genitrix, & cuncta per secula prædicatur felix.* Ambrosius ad cap. 1. Lucæ: *Maria benedictionis novam formulam mirabatur, quæ nusquam lecta est, nusquam ante comperta. Soli Mariæ hæc salutatio servabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiæ repleretur auctore, &c. Et meruit audire: Beata quæ credidisti. Et vere beata, quæ Sacerdote præstantior, cum negasset Sacerdos, virgo correxit errorem, &c. Nec mirum, si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoavit a matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. Angelus cum abscondita nuntiaret, ut fidem astrueret exemplo, senioris fœminæ, sterilisque conceptum, Virgini Mariæ nuntiavit, ut possibile Deo omne, quod ei placuerit, assereret. Ubi audivit hoc Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo; sed quasi lata pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio, in montana perrexit. Quò enim jam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, &c. Superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur: Maria ad Elisabeth, Christus ad Joannem.* Petrus Chrysologus serm. 143. *Vere benedicta Virgo, quæ & virginitatis possidet decus, matris & pertulit dignitatem. Vere benedicta, quæ & superni conceptus meruit gratiam, & sustulit integritatis coronam. Vere benedicta, quæ & divini germinis suscepit gloriam, & regina totius extitit castitatis. Vere benedicta, quæ fuit major Cœlo, fortior terra, orbe latior: nam Deum, quem mundus non capit, sola cæpit. Portavit eum, qui portat Orbem: genuit genitorem suum, nutrivit omnium viventium nutritorem.* Euchetius Lugdunensis in Evangelium feriæ sextæ Dominicæ quartæ Adventus: *Beatam me dicent omnes generationes. Vera est prophetia, quam veritatis mater de seipsa prophetavit. Nulla enim ex eo tempore generatio fuit, quæ ejus beatitudinem non prædicavit: semper ejus beatitudinem Ecclesia concinit, in qua simul omnes generationes continentur, &c. Ex Maria ille, qui potens est, carnem suscepit; cæli, terræque Dominam, & Reginam eam constituit.* Beda ad cap. 1. Lucæ: *Christus solus veraciter Sanctus est, qui, ut ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commistione carnalis copulæ conceptus non est: Sanctum, inquit, vocabitur filius Dei. Quid hic dicis Nestoriane, qui Beatam Mariam Dei negans esse Genitricem, apertam niteris impugnare veritatem? Ecce Deum, dixit superventurum, Dei filium nasciturum. Quomodo ergo, dum Dei Filius Deus non est, aut quæ Deum edidit, quomodo Θεοτόκος, ideſt, Dei genitrix esse non potest? &c. Et exclamavit voce magna Elisabeth, & dixit: Benedicta tu inter mulieres. Intuendum est, quod eadem voce Maria ab Elisabeth, qua a Gabriele benedicitur, quatenus & Angelis, & hominibus veneranda, & cunctis merito fœminis præferenda monstretur.*

VI. Probatur rationibus I. Creatura rationalis est, secundum seipsam, capax venerationis; sed super omnes creaturas rationales eminentior est Maria: ergo non solum est capax venerationis, verum quoque super omnes alias creaturas rationales est capax. Argumentum est S. Thomæ 3. par. qu. 26. art. 3. *Latria, quia soli Deo debetur, nulli Creaturæ debetur, prout Creaturam secundum se veneramur. Licet autem creaturæ insensibiles non sunt capaces venerationis secundum seipsas,*

ipsas, creatura tamen rationalis est capax venerationis secundum seipsam: & ideo nulli puræ creaturæ rationali debetur cultus latriæ. Cum igitur B. Maria sit pure creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ, sed solum veneratio duliæ: eminentius tamen, quam cæteris creaturis, in quantum est ipsa Mater Dei: Et ideo dicitur, quod debetur ei, non qualiscunque dulia, sed hyperdulia. II. Illi debetur veneratio religiosa, & sacra, cujus est dignitas summa, & beneficentia singularis; sed nulla creatura rationalis tantam habet dignitatem, quantam habet Maria, & a nulla alia tam grandem nos experimur beneficentiam, quam a Maria: ergo supra omnes alias Creaturas rationales nos venerari debemus, colere, & adorare, Mariam. Argumentum est S. Dionysii Carthusiani lib. 1. de laudibus Virginis art. 3. *Tortis viribus laudemus, veneremur, diligamus, ac vereamur præstantissimam Dei matrem; cumque hoc ipsum egerimus, recognoscamus nos nihil egisse condignum, nec beneficiis ejus posse idoneam rependere vicem, cum S. Augustino dicentes: Quid nos tantilli, quid actione pusilli in ejus laudibus referemus? Cum etiamsi omnium nostrum ora verterentur in linguas, eam tamen laudare, nullus sufficeret.* III. Debetur adoratio Creaturæ illi rationali, quæ illuminat adorantes, ipsis præbet exempla virtutum, iisdem obtinet ad virtutes auxilia, atque subsidia; sed Maria Virgo est nostrum omnium illuminatrix, nobis virtutum omnium exhibet exempla, & ad virtutes omnes auxilia, & subsidia nobis etiam a Deo impetratur: ergo a nobis Mariæ debetur veneratio, atque adoratio. Argumentum est S. Bonaventuræ in Speculo Beatæ Mariæ: *Maria est illuminatrix plurimorum, per exempla lucidissima vitæ suæ: ipsa est, cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo: ipsa est lucerna Ecclesiæ, ad hoc illuminata a Deo, ut per ipsam contra tenebras mundus illuminaretur.* IV. Angeli, & homines a Maria recognoscunt Restauratorem, & Redemptorem Dominum nostrum Jesum Christum, quem colunt, venerantur, & latriæ cultu adorant: ergo debent pariter cultu sacro, & religioso, licet inferiori, venerari, & adorare Mariam, a qua bonum tantum recognoscunt. Argumentum est S. Antonini, Archiepiscopi Florentini, in summa par. 4. tit. 15. cap. 23. *Mariam non solum in mulieribus, sed & super omnes creaturas, ab omnibus generationibus benedici, atque collaudari, oportet: nimirum ab hominibus, & ab Angelis, quia & mundi redemptorem, & Angelorum restauratorem, procreaverit.*

Dicimus II. Virginem Deiperam hyperduliæ cultu venerandam esse, atque adorandam.

I. Probatur. Hyperduliæ cultus supponit dignitatem, ac sanctitatem, quæ sit divina inferior, & quæ pariter sit quacunque creata eminentior; sed talis fuit dignitas, & sanctitas Mariæ Deiparæ: ergo ipsa est hyperduliæ cultu veneranda, atque adoranda. Major ex ipsius hyperduliæ cultus notione innotescit; minor est S. Anselmi de laudibus Mariæ cap. 9. ubi hæc habet: *Pura enim sanctitas, & sanctissima puritas piissimi pectoris ejus omnem omnis creaturæ puritatem, sive sanctitatem transcendens, incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut Reparatrix perditoribus benignissime fieret.*

II. Probatur. Maria solo Deo est inferior, cæteris autem creaturis omnibus supereminet: ergo quemadmodum ei debetur cultus inferior illo, qui sit Deo debitus, ita pariter debetur cultus, qui sit superior illo, qui creaturis aliis exhibetur; Sed hic alius non est, quam cultus hyperduliæ: ergo vere debetur Mariæ hyperduliæ cultus. Antecedens probatur verbis S. Basilii Seleucienfis orat. 33. in qua scribit: *Si de aliis Sanctis Paulus dixit, quibus dignus non erat mundus, quid de Dei Genitrice dicemus, quæ tanto splendidius Martyribus coruscat, quanto Sol stellas omnes fulgore vincit?*

III. Probatur. Cantum est sub anathematis pœna, Mariæ cultum, honorem, & adorationem, offerre; sed non illam, quæ dicitur Latriæ, quæ soli Deo debetur; neque illam, quæ vocatur duliæ, quæ exhibetur creaturis rationalibus, quæ sunt Maria in dignitate, & sanctitate inferiores: ergo debetur illa, quæ appellatur hyperduliæ, & quæ inter latriam, & duliam est media, illa scilicet inferior, hac vero superior. Major continetur in professione quadam, quæ legitur in Collectaneis Anastasii Bibliothecarii pag. 73. *Quisquis beatæ super omnem creaturam, & naturam humanam, absque eo, qui genitus est ex ea, venerabilem, semperque Virginem, Matrem scilicet Domini nostri non honorat, atque adorat, anathema sit.*

Dicimus III. Mariam Virginem, ob gestationem Christi in utero, non esse latriæ cul-

Digitized by Google

cultu adorandam.

I. Probatur. Si Maria, ob gestationem Christi in utero, latriæ cultu adoraretur, possent omnes suspicari, quod propter excellentiam propriam latriæ cultu adoraretur; atqui hoc est omnino impediendum, & non permittendum: ergo nequit Maria latriæ cultu adorari, nec etiam propter Christi in utero gestationem. Probatur major. Si latriæ cultus daretur Mariæ, daretur Creaturæ rationali, sed creaturæ rationali daretur ob excellentiam propriam: ergo daretur Mariæ ob excellentiam propriam. Hæc ratio clarior fiet ex subsequenti ratione.

II. Probatur. Hæc est differentia inter Crucem, in qua Christus Dominus pependit, & uterum Mariæ Virginis, in quo per novem menses mansit; quod crux est creatura irrationalis, & adoratio latriæ, quæ ipsi defertur, ob contactum Christi Domini, non respicit excellentiam propriam, quam non habet, utpote creatura irrationalis, sed excellentiam Christi Domini, a cujus corporis contactu excellentiam ac dignitatem accepit. Maria vero quum excellentiam habeat propriam, si latriæ cultu adoraretur, etiam ob gestationem Christi Domini in utero, cultus ille non tribueretur excellentiæ, & dignitati Christi, sed excellentiæ, & dignitati Mariæ, quod non est dicendum.

III. Probatur. Maria colitur, & adoratur per Christum, cujus est mater: ergo absonum est, adorari eadem adoratione latriæ, qua colitur Christus, & adoratur. Et quanvis Sancti, qui adorantur adoratione duliæ, deprecentur Christum per Mariam, & Christus deprecetur Patrem; attamen Christus adoratur eadem adoratione latriæ, qua adoratur Pater, quia ob unionem hypostaticam est in Christo eadem natura divina, quæ est in Patre, non sic autem in Maria, respectu Christi. Deprecantur autem Sancti Christum per Mariam, ut superexcellentem Mariæ dignitatem ostendant; Superexcellens vero Mariæ dignitas, quæcunque sit, semper est creata, ac proinde divina inferior. Et hoc pacto intelligendi sunt S. Bonaventura in Speculo Mariæ cap. 8. *Quia Dominus potentissimus tecum est, ideo & tu es potentissima secum; potentissima es per ipsum; potentissima apud ipsum.* S. Petrus Damianus serm. de Annuntiatione: *Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ supervola dignitatem, & videbis quidquid majus est, minus esse Virgine, solumque opificem opus istud supergredi.* Et serm. 2. de Nativit. Mariæ: *Fecit tibi magna qui potens est, & data est tibi omnis potestas in cælo, & in terra, & nihil tibi impossibile; cui possibile est, desperatos in spem beatitudinis relevare; quomodo enim ulla potestas potentiæ tuæ potuit obviare? &c..... Accedis enim ad illud aureum reconciliationis altare, non solum rogans, sed etiam imperans, Domina, non ancilla.* S. Bernardus serm. de nativit. Mariæ: *Ad Patrem verebaris accedere, ille tibi dedit Mediatorem, scilicet Christum: sed forsitan & in ipso majestatem vereare divinam, advocatum vis habere ad ipsum? Ad Mariam recurre, &c.*

Arguunt I. illi convenit adoratio latriæ, cui a Patribus tribuitur Omnipotentiæ attributum; sed B. Mariæ Virgini a Patribus tribuitur Omnipotentiæ attributum: ergo illi debetur latriæ cultus. Major est certa; quia omnipotentia est propria divinitatis; & quemadmodum divinitati tribuitur latriæ cultus, ita etiam Omnipotentiæ tribuendus est. Minor est S. Anselmi, qui lib. de laudibus Virginis cap. 12. scribit: *Te sic Deus exaltavit, ut omnia secum possibilia donaverit.* Et post pauca Virginem alloquens, subdit: *Tu velis, & nequaquam fieri non poterit.* II. Ex Epiphanio, soli Deo debetur adoratio, Matri vero ejus Mariæ solum debitus est honor, quod docet hæresi 79. *Sit in honore Maria; Pater, & Filius & Spiritus Sanctus adoretur*; quæ verba etiam in probationibus retulimus: ergo Maria non est adoranda, neque etiam hyperduliæ cultu, sed solummodo honoranda. III. Quum esset Maria in humanis, Sancti viri eam tantummodo videre cupiebant, non autem audebant adorare: ergo signum est, quod iisdem fas non erat, eandem religioso, ac sacro cultu venerari. Antecedens patet ex verbis S. Ignatii Martyris in Epist. ad Joannem: *Et hæc talia excitaverunt viscera nostra, & cogunt valde desiderare aspectum hujus (si fas sit fari) cælestis prodigii, & sacratissimi spectaculi. Tu autem diligenti modo disponas super desiderio nostro, & valeas. Amen.* IV. Antiqui Patres docent, salutationem deberi Mariæ, non autem adorationem: ergo non est cultu hyperduliæ adoranda. Probatur antecedens. Anatolius in Canticо de Mariæ nativitate, hæc habet: *Quæ ab æterno prædestinata fuerat, ut Dei*

domicilium, divinumque sempiternæ naturæ templum foret, hæc universorum Reginæ jure salutatur. V. Apud Patres, adorare Virginem Mariam aliud non importat, quam eam magnificare, & quavis creatura superiorem reputare; sed hoc non est eam hyperduliæ cultu adorare: ergo non est hyperduliæ cultu adoranda. Major probatur ex verbis Germani, Constantinopolitani Patriarchæ, in epistola ad Joannem, Episcopum Synadon: *Vere ac proprie Dei Matrem veneramur, & magnificimus, & quavis visibili & invisibili creatura Superiorem reputamus.* VI. Fatetur ingenue Jonas Aurelianensis de cultu Imaginum lib. 2. Catholicos non adorare Mariam, sed honorare tantum; hoc est pio amore colere, ac honore debito venerari. En ejus verba: *Virginem, quæ peperit Christum, non adoramus, sed sanctam Dei Genitricem congruo honore veneramur, ejusque intercessionem apud divinam Majestatem humiliter flagitamus. Nec immerito: quippe, quoniam per eam auctorem vitæ suscipere meruimus, & pro eo quod eadem sancta, & intemerata Virgo Maria utique Deum, & hominem nobis edidit, Dominum videlicet Jesum, a cunctis fidelibus pio colitur amore, & debito veneratur honore.* VII. Christus Dominus Lucæ 11. Mulieri de Turba, quæ dixerat ipsi: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti;* non respondit approbando ejus verba, sed potius reprobando; subdit enim: *Quinimmo, beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud:* ergo Christus Dominus non approbavit cultum, qui dabatur matri suæ. VIII. Christi carni, quia unita est Verbo divino, debetur latriæ cultus: sed Christi caro fuit unita carni Virginis: ergo propter eandem rationem latriæ cultus est debitus Virginis carni. IX. Ecclesia tribuit Mariæ Virgini plurima, quæ in sacris scripturis incarnatæ Sapientiæ tribuuntur: ergo pariter eodem modo potest tribui Mariæ ille idem cultus, qui incarnatæ Sapientiæ tribuitur; atqui hic est cultus latriæ: ergo &c. X. Quanvis Crux Christi Domini habuerit contactum cum illo, non tamen habuit aliquid ipsius: sed B. Virgo habuit contactum, & aliquid ipsius Christo donavit: ergo a fortiori adoranda est B. Virgo cultu latriæ, si hoc eodem cultu crux Christi Domini adoratur.

Respondemus ad I. Verba illa Anselmi accipienda esse per sensum accommodationis; nimirum, ut ait Frassen, quod dicatur B. Virgo omnipotens secundum quid, seu per quandam assistentiam divinam, qua creatura potest aliqua operari propter peculiarem assistentiam, & concursum Dei operantis, & producentis ea, quæ ab ipsa creatura postulantur, & exorantur. Sic Frassen. Et revera ex ipsis verbis Anselmi non eruitur, quod Adversarii intendunt, sed potius oppositum, quod nos probamus. Ait enim, Deum exaltasse Virginem, & ei donasse omnia secum; non est ergo omnipotentia independens, & perfectissima, quæ est divina, sed dependens, & participata, quæ non est divina: Unde non mirum si ei non debeatur ille idem cultus, qui omnipotentiæ divinæ debetur.

Ad II. Et Deo debetur adoratio, & Deo debetur honor; Adoratio autem est latriæ, quæ etiam importat honorem. Beatæ Virgini quoque debetur honor, & debetur adoratio, quæ est hyperduliæ. Igitur honor omnem complectitur adorationem; dicitur nanque: *Soli Deo honor, & gloria:* En quomodo adoratio latriæ Deo debita est etiam honor. Verba vero Epiphanii intelligenda sunt, quod soli Deo debeatur adoratio, quæ est latriæ, & Virgini debeatur honor, non quidem ille, qui complectitur Latriam, sed ille tantum, qui in hyperdulia continetur.

Ad III. Pastores venientes in Bethlehemiticum antrum viderunt, & adoraverunt puerulum Jesum; Magi etiam Reges viderunt, & adoraverunt. Igitur per videre, non excluditur adorare. Videre quidem cupiebant, ut adorarent. Non enim videre cupiebant curiositatis, sed devotionis ergo; Nec ut viderent aliquid vanum humanum, atque mundanum, sed aliquid sacrum, religiosum, pium, ac prope divinum; Matrem scilicet Domini Redemptoris nostri. Et hoc profecto fieri sine adoratione non poterat. Cæterum epistola Ignatii ad Joannem inter suppositiias, & adulterinas ab eruditis Criticis, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis tractant, adnumeratur. Videantur Bellarminus, Cave, Dupinus, alique.

Ad IV. Salutare est etiam adorare, ut apud latinam linguam callentes, est in comperto. Maxime autem quando salutatio refertur ad personam sacram, & sanctam, cujusmodi est Maria. Igitur non per hoc, quod voluerint eam antiqui Patres salutare, & quod de facto salutaverint, infertur, eam quoque non adoraſſe. Audiatur Beda venerabilis quid afferat de

Ga-

Digitized by Google

Gabriele Archangelo, & de Elisabetha, Deiparam salutantibus, & benedicentibus. Ad cap. 1. Lucæ hæc scribit: *Christus solus veraciter sanctus est, qui ut ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est: Sanctum, inquit, vocabitur filius Dei. Quid hìc dicis Nestoriane, qui B. Mariam Dei negans esse Genitricem, apertam vis impugnare veritatem? Ecce Deum, dixit, superventurum, Dei Filium nascituram. Quomodo ergo aut Dei Filius Deus non est, aut quæ Deum edidit, quomodo* Θεοτοκος *ideſt, Dei genitrix esse non potest &c.? Et clamavit voce magna Elisabeth, & dixit: Benedicta tu inter mulieres. Intuendum est quod eadem voce Maria ab Elisabeth, qua a Gabriele benedicitur, quatenus & Angelis, & hominibus veneranda, & cunctis merito fœminis præferenda monstretur.*

Ad V. In argumento est contradictio manifesta; dicit enim, esse Mariam super omnem creaturam dignitate, ac sanctitate excellentem; & deinde asserit, non esse hyperduliæ cultu adorandam. Sane hyperduliæ cultus hoc ipsum necessario supponit, quod argumentum fatetur; quatenus est adoratio, quæ exhibetur propter excellentiam creatam supernaturalem, sed eximiam, & uni subjecto singularem. Hanc autem soli Mariæ convenire, testatur Ambrosius lib. 2. de Virginibus: *Quid nobilius Dei Matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit?* Magnificare autem, vel est idem ac adorare, vel est laudare; quod vel præsupponitur ad adorationem, vel eam consequitur. Sane Deum quoque laudamus, ac magnificamus; at non inde sequitur, quòd eum etiam non adoremus.

Ad VI. Fatetur Jonas, Catholicos non adorare Virginem Deiparam, hoc est, non adorare latriæ cultu; sed venerari eandem, hoc est, adorare cultu hyperduliæ. Hoc vero importari per verbum hoc *veneramur*, aperte indicant verba, quæ sequuntur. Quomodo enim possemus Virginis intercessionem apud divinam majestatem humiliter flagitare, si eam religioso, ac sacro cultu non adoraremus? Si autem per venerationem intelligitur adoratio, non ea est adoratio, quæ latriæ vocatur, ut per se patet; nec quæ duliæ dicitur, ob eminentem ejus dignitatem, ac excellentiam: ergo ob hanc eandem erit adoratio, quæ dicitur hyperduliæ.

Ad VII. Maria Virgo fuit, & mater Christi secundum corpus, & mater, & soror secundum Spiritum; non solum enim eum corporaliter genuit, sed fecit quoque voluntatem Patris omni tempore. Audiatur Augustinus lib. de sancta Virginitate cap. 6. *Maria faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo mater est, spiritualiter autem, & soror, & mater. Ac per hoc una illa fœmina non solum spiritu, verum etiam corpore, & mater est & Virgo. Et mater quidem spiritu, non capitis nostri, quod est ipse Salvator, ex quo illa magis spiritaliter nota est; quia omnes, qui in eum crediderint, in quibus & ipsa est, recte filii sponsi appellantur: sed plane mater membrorum ejus, quod nos sumus, quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius corporis membra sunt; corpore vero mater ipsius capitis.* Verum per verba illa, quæ subdit Christus, non excluditur beatitudo Mariæ, ut Dei mater est; sed sensus verborum illorum hic est, esse utique beatum ventrem, qui Christum portavit, esse quoque beata ubera, quæ Christum lactaverunt; ut dicebat Sancta Marcella pedissequa Magdalenæ, & Marthæ, quæ fuit mulier illa de turba: at pariter esse beatos illos, qui faciunt voluntatem Dei; quod quidem exactissimè præstitit, & super omnes alios, Virgo Dei Parens, ut dicebat Augustinus, modo allatus.

Ad VIII. Carni Christi debetur latriæ cultus, quia unita est verbo unione hypostatica & personali; Hac autem unione nunquam caro B. V. unita fuit Deo, licet eidem carnis materiam subministraret. Et per hoc non Virginis Mariæ, sed Christi carni latriæ cultus debetur.

Ad IX. Tribuit quidem Ecclesia Mariæ plurima, quæ Deo in Sacris Bibliis tribuuntur, sed quæ non conveniant soli Deo, & quæ Creaturis sint incommunicabilia. At latriæ cultus quum sit proprius Dei; est enim adoratio, quæ exhibetur ob excellentiam divinam, seu increatam; soli Deo convenit, ac proinde Creaturæ, quantumvis excellenti incommunicabilis; semper enim Creatura est. Utique quæ dicuntur de Sapientia increata in sacris literis Ecclesia tribuit Mariæ, quatenus sapientia est, licet sit creata, non increata. At hæc præcisio nequit fieri in adoratione latriæ, quæ semper importat increatam excellentiam, quæ divinitas est.

Ad X. Quod Christus Dominus habuit de Virgine, non erat amplius Virginis, quamvis fuerat, sed Christi; & adoratio,

quæ ipsi tribuebatur, ad Christum ferebatur, non ad Mariam. Differentia autem inter Crucem, & Virginem jam superius in probationibus allata est. Cæterum Hæretici quoque modo fatentur, totam Ecclesiam, & in Oriente, & in Occidente, quarto sæculo, Mariam coluisse, & adorasse præ cunctis aliis Sanctis; quod quidem nobis argumento est, tribus quoque præcedentibus sæculis non diversimode fuisse factum, juxta regulam Augustini: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est non nisi authoritate apostolica traditum, rectissime creditur.*

Denique ut Dissertationi nostræ finem imponamus, afferimus Heterodoxos quosdã, qui quod nos probavimus usque modo, manifeste fatentur. Henricus Bullingerus serm. de B. Maria Virgine: *Si Maria Benedicta est inter omnes mulieres, & beata ab omnibus prædicanda nationibus, infelices certe sunt Judæi, qui ipsam nunquam convitiis incessere desinunt: infelices sunt Pseudo Christiani, qui Judæis nihilo meliores, ipsam laude sua spoliant &c. Excellentissima sunt in Maria omnia, & hoc splendidiora, quo proficiscebantur ex fide sinceriore, & flagrantiore Dei dilectione. Oportuit singulari, & perpetua virginitate, & puritate omnium selectissima, illustrem & esse, & permanere, quæ singulariter electa a Deo in sacrosanctum Filii sui thalamum, & templum, mater erat omnium sanctissimi partus, Filii utique Dei æterni futura.*

Joannes Oecolampadius, serm. de laudando in Maria Deo: „ Nollem ex cultu Mariæ aliquid diminui, modo cultui divino vero illi, quo colitur in spiritu, & veritate, decedat nihil. Nunquam deme, ut in Domino confido, audietur, quasi averser eam, erga quam minus bene affici reprobatæ mentis certum existimem indicium. Et quomodo non amarem? Et quis est, qui non rapiatur in ejus amorem, quam Deus ipse deamat, quam venerantur Angeli, & Archangeli, quæ peperit Salvatorem mundi, quæ humani generis est advocata, quæ Regina appellatur misericordiæ? Ejus, hortor iterum, atque iterum, ut summis viribus per eam Deum laudemus &c. Dignissima, quæ super omnes creaturas laudetur, imo per eam Deus glorificetur, in qua tanta Dei munera tam eminenter sunt conspicua. O divinam clementiam, o immensam pietatem Dei, qui & filio suo tam sanctam præparavit matrem, & nobis tam propitiam in omnibus constituit advocatam„ Joannes Brentius ad cap. 1. Lucæ„ Si absit superstitio, & impia opinio, non solum licebit, verum etiam valde utile est, hanc Mariam salutandi formulam sæpe recensere &c. Quia Angelus ornat Mariam in salutatione sua magnis laudibus, commemoremus salutationem, non ad superstitionem, sed ad pietatem. „

DISSERTATIO CC.

De Cultu Sanctorum. Utrum Sancti sint adorandi? Qua adoratione? An pertineat ad adorationem ipsorum festa instituere, Ecclesias dedicare, Vota emittere, in eorum honorem?

PRIMO contra Sanctorum adorationem adnumeramus Gentiles, qui Eusebio testet lib. 4. hist. eccles. cap. 15., & lib. 8. cap. 6. *Martyrum corpora projiciebant in mare, dicentes: Ne forte efficiantur Dii Christianorum, & illi, qui Deos nostros adorare nolunt, servos nostros incipiant adorare.* Ex quo patet Ethnicos insane putasse, Christianos Martyribus, cæterisque Sanctis, latriæ cultum deferre, quod putidum, & apertissimum est mendacium.

Secundo Julianus Imperator, turpissimus christianæ religionis desertor, ut testatur Clemens Alexandrinus lib. 6. contra Julianum, *reprehendit Christianos, quod, relictis Diis, sanctos colerent.* Nullam proinde & ipse impius apostata differentiam agnoscebat inter cultum, quem

nos

Digitized by Google

nos Sanctis deferimus, & inter illum, quem Gentes Numinibus ſuis falſis deferebant.

Tertio Euſtathius, ut eum Bellarminus appellat, vel Euſtachius, ut eum vocat Alphonſus a Caſtro, Sanctorum æque adorationem, ac invocationem negavit. Putat idem Alphonſus, fuiſſe propter hunc errorem in Concilio Vanglenſi damnatum; quidquid aliter aſſerat præfatus Bellarminus, uti Nos ipſi in Diſſert. 68. obſervavimus.

Quarto Vigilantius, Gallus, Eccleſiæ Barchinonenſis Presbyter, eundem docuit errorem, & contra ipſum ſcripſit invicte Hieronymus, ut in libris ejus contra Vigilantium, quem aliquando Dormitantium vocat, videre eſt. Referunt Alphonſus a Caſtro, Bellarminus, Jueninus, Coccius, & nos in citata Differt. de Sanctorum invocatione tractantes, innuimus.

Quinto Fauſtus Manichæus, contra quem ſcribit S. Auguſtinus, Chriſtianos etiam reprehendebat, quod Sanctos colerent, exprobans eis: *Idola vertiſtis, in Martyres quos votis ſimilibus colitis.* Legatur Auguſtinus contra Fauſtum lib. 20. cap. 4. Hujus Fauſti non meminit Alphonſus a Caſtro; meminerunt tamen Coccius, Jueninus, aliique Scriptores.

Sexto Mahometus in Alcorano omnem Sanctorum cultum abrogat; ut ſcribit Coccius verbis iiſdem, aliique paſſim Scriptores referunt.

Septimo Conſtantinus Copronymus, ut aſſerit Theoſterictus, oratione funebri in S. Nicetam, apud citatum Coccium, *Sanctos Martyres onore privavit, cum præcepit, illos non eſſe Sanctos appellandos, ſed ſimpliciter nominari debere Apoſtolos, Quadraginta Martyres, Theodorum, Georgium, & alios ſimiliter.*

Octavo Claudius, Taurinenſis Epiſcopus, librum ſcripſit contra Sanctorum venerationem. Teſtis eſt Jonas Aurelianenſis lib. de cultu Imaginum.

Nono Vvaldenſes hoc ipſum impium dogma docuerunt, conantes omnium Sanctorum feſtivitates ab Eccleſia auferre; quod aſſerit Alphonſus a Caſtro, & poſt ipſum Fraſſen; aſſerit etiam Bellarminus poſt Sanctum Antoninum 4. par. tit. 11. cap. 7., & nos in cit. Differt. meminimus.

Decimo Vvicleſus, Vvaldenſium errores propugnans, hunc etiam docuit, Sanctorum veneration ſe opponens. Teſtantur Thomas Vvaldenſis tom. 3. tit. 13, Alphonſus a Caſtro, Coccius, & nos pariter in præfata Diſſertatione retulimus.

Undecimo Joannes Huſs Vvicleſi errorem tutatus eſt; ut legitur apud laudatum Alphonſum a Caſtro.

Duodecimo Bohæmi, Joannis Huſs deliria amplectentes, hoc etiam ſunt amplexati. Refert pariter Alphonſus a Caſtro.

Decimotertio Martinus Lutherus ad Evangelium Dominicæ 23. poſt Trinitatem, hæc impia verba exaravit: *E tali falſa, & impia confidentia, in homines collocata, damnum quoque illud in Chriſtianiſmum irrepſit, Sanctorum nempe cultus, & veneratio. Unde Chriſtiana Eccleſia maximum ſane damnum, & tantum non incomparabilem ruinam perpeſſa eſt. Quid enim Sanctorum cultus, & veneratio aliud fuit, niſi diabolica res?* Et epiſtola ad Erphordienſes: *Non neceſſarium eſt, Sanctos colere, ſed ſufficit Chriſtianos noſſe, ſolum Chriſtum eſſe colendum. Quanquam ſit ſupervacaneum Sanctos colere, non tamen eos putarim reſpuendos, qui Sanctos adhuc colunt.*

Decimoquarto Joannes Calvinus lib. 1. Inſtitut. §. 11. & cap. 12. §. 1. & 2. omnino negat *ullum cultum exhiberi Sanctis, vel Angelis, vel hominibus defunctis, neo magnum, nec parvum.* Aſſerunt Coccius, Jueninus, Fraſſen, aliique paſſim.

Decimoquinto Oecolampadius inculcavit etiam hunc errorem ſæpiſſime in expoſitione, quam edidit ſuper Iſaiam Prophetam. Refert Alphonſus a Caſtro adverſus hæreſes lib. 13. verbo *Sancti*.

Dicimus I. Sanctis cum Chriſto in Cœlo regnantibus, deberi cultum religioſum, ac ſacrum.

I. Probatur ex Scripturis veteris Teſtamenti. Pſal. 138. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus*; ſed amici Dei ſunt Sancti. Joannis 12. *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos*: ergo Sancti honorandi ſunt a Nobis, & adorandi. Eccl. 44. *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua . . . Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus.* 1. Regum 2. *Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum.* Geneſ. 19. Angelos Sodomam advenientes Loth *adoravit pronus in terram*; & Abrahamus *cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adoravit in terram.* Joſue 5. *Alteri Angelo dixit Joſue: Noſter es, an adverſariorum? Qui reſpondit, Nequaquam; ſed ſum Princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Joſue pronus in terram,*

Digitized by Google

ram, & adorans, ait: 3. Regum 18. *Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei, qui cum agnovisset eum, cecidit super faciem suam*. 4. Regum 2. Filii Prophetarum adoraverunt Eliseum; dicitur enim ibi: *Venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram*. Judicum 13. dicitur pariter, Patrem ac matrem Samsonis adorasse Angelum: atqui horum omnium adoratio, non fuit civilis, illorum enim omnium dignitas, ac potestas non erat civilis & politica, sed vel sacra ob virtutem, vel ob potentiam a Deo acceptam, vel ob naturam, ut erant Angeli: ergo fuit adoratio religiosa, & sacra. Insuper; aliqui ex illis adoratis erant adhuc viventes, & tamen religiose colebantur: ergo multo magis mortui, qui cum Christo vivunt, & cum Christo regnant.

II. Probatur ex Scripturis novi Testamenti. Joan. 12. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui in cœlis est*: Convenit ergo, ut nos honoremus illos in terris, quos Deus Pater honorat in Cœlis; & hoc eo magis, quia honorem, quem Sanctis exhibemus, Deo damus, qui in Sanctis suis, & in ipsorum honore, glorificatur; dicitur enim psalm. 67. *Gloriosus Deus in Sanctis suis*. Quamvis diversus sit honor, quem nos exhibemus Sanctis, ab illo, quem iisdem tribuit Deus; Deus enim honorat illos laudando, admittendo in gloriam suam, dando iisdem præmium, &c. Nos autem colendo, venerando, adorando, &c. Ad Rom. 2. *Gloria, & honor omni operanti bonum*; Sed Sancti operati sunt bonum: ergo illis debetur honor, & gloria. Lucæ 10. Salvator docet, homines Sanctos esse æquales in gloria Angelis Dei; Sed Angelis Dei præstatur cultus religiosus, & sacer, ut dictum est nuper; ergo pariter Sanctis hominibus.

III. Probatur ex Romanis Pontificibus: Leo Magnus serm. de S. Vincentio cap. 1. *Cunctorum licet gloriosas Martyrum passiones, quos distincta regionibus loca meruerunt, una fides faciat omnibus indiscreta honore venerabiles: propriam tamen sibi in hoc venerationis obsequio illi vindicant dignitatem, qui Ecclesiam Dei, & documentis præ cæteris erexerunt, & patrociniis adjuverunt: inter quos juste beatum Levitam Vincentium celebramus*. Gelasius decreto de Apocryphis Scripturis: *Nos cum prædicta Ecclesia omnes Martyres, & eorum glorioſos agones, qui Deo magis, quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur*. Gregorius Magnus lib. 3. Dialogorum cap. 24. *Qua in re quid Beatus Apostolus Petrus servientibus sibi voluit, nisi præsentia sui respectus ostendere, quia quidquid pro ejus veneratione agerent, ipse hoc pro mercede retributionis sine intermissione semper videret?* Hadrianus I. epist. ad Constantium, & Irenem AA. *Omnes Principes, etiamsi pessimi sint peccatores, adoramus, & libenter salutamus: quid vetat igitur quominus non liceat, & Sanctos Dei ministros venerari, & in memoriam eorum imagines statuere, & erigere, ne in oblivionem perpetuam veniant?* Innocentius III. serm. 3. in dedicatione templi: *Sacra Scriptura duas species adorationis distinguit, latriam videlicet, & duliam. Latriam Creatori debemus impendere; duliam vero quibusdam creaturis possumus exhibere*.

IV. Probatur ex Conciliis. Concilium Gangrense can. 20. *Si quis per superbiam, tanquam perfectum se existimans, conventus, qui per loca, & Basilicas Martyrum fiunt, accusaverit, anathema sit*. Concilium Nicænum Generale II. Act. 6. *A temporibus Constantini Magni Christianorum cœtus templa construxerunt, partim Christi nominis gratia, partim Sanctorum Martyrum causa*. Concilium Carthaginense I. cap. 2. *Martyrum dignitatem nemo profanus infamet. At si quis ad injuriam Martyrum, claritati eorum adjungat infamiam, placet, eos, si laici sint, ad pœnitentiam redigi; si autem sunt clerici, post commonitionem, & post cognitionem, honore privari*. Concilium Calcedonense Generale act. 11., Patres sic loquebantur: *Flavianus post mortem vivit martyr, pro nobis oret*. Concilium Generale VII. act. 6. *Cum timore omnia agamus, postulantes intercessionem incontaminatæ Deiparæ, & Sanctorum Angelorum, omniumque Sanctorum*. Litaniarum usus in Ecclesia commemoratur, & commendatur in pluribus Conciliis; sed hic importat Sanctorum invocationem, & adorationem: ergo, &c. & sunt quidem Concilium Aurelianense I. cap. 23. in quo sic legitur: *Rogationes, idest litanias, ante Ascensionem Domini placuit celebrari, itaut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ passionis solemnitate solvatur: per quod triduum servi, & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat: qua triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utantur*. Concilium Gerundense

dienſe cap. 3.; Toletanum V. cap. 1., Toletanum VI. cap. 2., Bracarenſe II. cap. 9., Moguntinum cap. 33.

V. Probatur ex Patribus Græcis. Juſtinus martyr apolog. 2. *Sed & Deum Patrem, & ejus Filium, qui venit, noſque hæc docuit, & aliorum ſequentium, ſimiliumque bonorum Angelorum exercitum, & Spiritum propheticum colimus, atque adoramus, verboque, & re, ſeu veritate veneramur, idque omnibus, qui diſcere volunt, ut docti, inſtitutique ſumus, copioſe tradimus.* Irenæus lib. 3. cap. 20. *Et cum hæc ita ſe habeant, ad tantam temeritatem progreſſi ſunt quidam, ut etiam Martyres ſpernant, & vituperent eos, qui propter Domini confeſſionem occiduntur, & ſubſtent omnia a Domino prædicta, & ſecundum hoc conantur veſtigia ſequi paſſionis Domini, paſſibiles Martyres facti, quos & concedimus ipſis Martyribus. Cum enim inquiretur ſanguis eorum, & gloriam conſequentur, tunc a Chriſto confundentur omnes, qui inhonoraverunt eorum martyrium.* Euſebius Cæſarienſis de præparat. evangel. lib. 13. cap. 7. *Nos quotidie id factitamus. Nam veræ pietatis milites, ut Dei amiciſſimos honoramus.* Baſilius Magnus orat. in quadraginta Martyres: *Quis modus, aut quæ ſatietas Martyrum memoriam proſequendi erit, illi præſertim, qui eorum amore, ac charitate magnopere tenetur? Nam honor in bonos a conſervis collatus, benevolentiæ ſignificationem apud communem Dominum habet. Palam enim eſt, quemadmodum is, qui generoſos homines, ac fortes cum honore exceperit, in ſimili, ſi forte contingat, occaſione, imitari non dedignabitur. Veneraré igitur legitime Martyres, ut egregiæ voluntatis tuæ te teſtem adducas, ac demum ſine perſecutione, ſine igne, ſine verberibus, ac plagis, eodem cum illis præmio dignus habearis. Nobis hodierna die non unum propoſitum eſt celebrare, neque duos, neque decem, ſed quadraginta, &c. Quæ digna laus, quæ ſermonis copia poterit his adhiberi? Non enim linguæ quadraginta, ad proſequendum talium virorum virtutem, ſat fuerint.* Gregorius Nyſſenus orat. in S. Theodorum Martyrem: *Cui regum talis honor habetur? Quis ex iis, qui ſupra modum inter homines excellere viſi ſunt, tali memoria celebratur? Quis Imperatorum adeo decantatus, & fama celebratus eſt, ut hic miles pauper, modo conſcriptus, & tyro; quem Paulus armavit, quem Angeli unxerunt; quem Chriſtus coronavit? &c. Ut ſervus fidelis Deum adoras, ad nos, qui te colimus, & honoramus, accede.* Gregorius Nazianzenus orat. 3. quæ eſt invectiva prior in Julianum: *Jam ſumptuoſiſſimis quoque Martyrum monumentis, & votivorum donorum munificentiis, omnibuſque aliis rebus, quibus divinus timor inſignitur, ſapientiæ ſtudium, Chriſtique amorem declarabant, &c. Julianus, ut alia, ita eum quoque, quo Martyres aſſici ſolent, honorem athletis invidebat.* Orat. 6. quæ eſt ad Gregorium Nyſſenum, quum poſtridie illius diei, quo Epiſcopus creatus fuerat, veniſſet: *Si ad hunc modum coimus, aut confluimus, re vera feſtum hunc diem, ut Chriſto gratum eſt, celebramus: re vera Martyres honore afficimus, aut afficiemus: re vera triumphalem choream agimus.* Orat. 18., quæ eſt oratio in laudem Cypriani Martyris: *Cyprianus fere nos effugit, (o ingens damnum!) idque vos paſſi eſtis, qui eum omnium maxime ſuſpicitis, annuiſque honoribus, feſtiſque celebratis, &c. Martyrum honoribus oblector, pugilum cruoribus exulto, atque aliorum quidem certamina, & victoriæ ſunt, coronæ autem meæ. Atque omnium quidem Martyrum memoria celebranda eſt, omnibus, & linguæ, & aures, & mentes promptæ aperiendæ, ut de eorum laudibus libenter aliquid dicamus, & audiamus, omniaque alia eorum certaminibus inferiora eſſe, cenſeamus.* Cyrillus Alexandrinus lib. 6. contra Julianum: *Sanctos Martyres, neque Deos eſſe, dicimus, neque adorare conſuevimus: laudamus autem eos potius ſummis honoribus, quod pro veritate ſtrenue certarunt, & fidei ſinceritatem ſervarunt, itaut, & ſuam animam contempſerint, & mortis terroribus valedicentes, prævaluerint in ſummis periculis, tantæque fuerint fortitudinis, quaſi ſtatuas ſibi ſuæ vitæ excitaturi. Proinde non eſt indignum, imo etiam neceſſarium, eos, qui tam claris operibus glorioſi ſunt, perpetuis honorari laudibus.*

VI. Probatur ex Patribus Latinis. Cyprianus epiſt. 34. *Laurentius, & Ignatius palmas a Domino, & coronas illuſtri paſſione meruerunt: ſacrificia pro iis ſemper, ut meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones, & dies, anniverſaria commemoratione celebramus.* Ambroſius ſerm. 6. *Igitur, Fratres, quotieſcunque Martyrum memoriam celebramus, prætermiſſis omnibus ſeculi actibus, ſine aliqua dubitatione concurrere debemus, & reddere illis honorificentiam, qui nobis ſalutem, profuſione ſanguinis ſui, peperetunt: qui tam ſacratæ hoſtiæ, pro noſtra propitiatione, Domino*

ſunt

sunt oblati; præsertim, cum dicat ad Sanctos suos Omnipotens Deus: Qui vos honorat, me honorat: qui vos spernit, me spernit. Quisquis ergo honorat Martyres, honorat Christum; & qui spernit Martyres, spernit & Dominum. Serm. 93. de Nazario, & Celso: *Honoro in carne Martyris exceptas in Christi nomine cicatrices: honoro virtutis memoriam perennitate virtutis: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere; quod me, propter Dominum, docuit, mortem non timere.* Hieronymus epist. 53. ad Riparium: *Honoramus Martyrum reliquias, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus; honoramus Servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit.* Ad cap. 3. Sophoniæ: *Quos alios possumus intelligere filios Ecclesiæ nominatos, nisi Apostolos? Vide mihi Petrum, & Paulum, & Matthæum, & Joannem, & considera hoc, quod ad Abraham repromissum est: Magnificabo nomen tuum in opere perpetratum. Quotidie nominatur in Ecclesia; quotidie magnificatur nomen eorum; non quod ipsis prosit, a nobis in Ecclesia nominari, sed quia nos magnificantes nomen eorum, & quæ scripserunt lectitantes, consequamur salutem.* Augustinus lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. 21. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamvis in memorias Martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum, in locis Sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi, Petre, aut, Paule, aut, Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit. Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & societatis, quo & in hac vita coluntur Sancti homines Dei, quorum cor ad talem, pro evangelica veritate, passionem paratum esse, sentimus. Sed illos tanto devotius, quanto securius post certamina superata, quanto etiam sedentiore laude prædicamus, jam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes. At vero illo cultu, quæ græce Latria dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam propriæ Divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.* Epist. 44. *Ostendatur mihi Romæ, in honore tanto, templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri: in Petro, quis honoratur, nisi Christus defunctus pro omnibus?* De civit. Dei lib. 8. cap. 27. *Honoramus sane memoriam Martyrum, Sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum, pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis religionibus, fictisque, convictis. Quis autem audivit aliquando Fidelium, stantem ad altare, etiam super Sanctum corpus Martyris, ad Dei honorem, cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi Sacrificium, Petre, vel, Paule, vel, Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines, & Martyres fecit, & Sanctis suis Angelis cœlesti honore sociavit: ut ea celebritate, & Deo vero, de illorum victoriis, gratias agamus; & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione, adhortemur?* Maximus Taurinensis in natali Petri, & Pauli: *Glorioſissimos Christianæ Fidei Principes annuis solemnitatibus honorantes, ipsum Dominum, ac Deum nostrum, qui hujus auctor est Fidei, debita religione veneramur: Apostoli namque latino sermone dicuntur missi. Qui ergo honorant Missos, manifestum est, eos honorare mittentem. Quoniam dignitas, quæ defertur ministris, illi sine dubio, cujus ministri sunt, exhibetur, ut ait ipse Salvator ad Discipulos suos: Qui vos audit, me audit: qui vos recipit, me recipit.* In natali SS. Octavii, Adventitii, & Solutoris, Martyrum: *Cuncti Martyres devotissime percolendi sunt, sed specialiter ij venerandi sunt a nobis, quorum reliquias possidemus.*

VII. Probatur rationibus I. Sanctis debetur aliquis cultus; sed non politicus, & civilis: ergo religiosus, & sacer. Major est certa: iis enim, qui cum Deo in Cœlis regnant, & ad Deum aditum habent intercedendi, & deprecandi pro nobis, ut alibi probatum supponimus, non denegandus est cultus, qui illis exhibetur, qui in Principum aulis Principibus sunt chari, & apud Principes sunt efficaces. Minor probatur. Cultus politicus, & civilis debetur iis, vel qui potestatem habent in terris, vel qui magistratum exercent, vel qui præfecturam, vel qui aliam quamcunque dignitatem obtinent, sive politicam, sive civilem, sive militarem, vel ob doctrinæ, & sapientiæ laudem; cultus vero religiosus, & sacer debetur iis, qui propter Deum honorantur, quatenus

Digitized by Google

tenus Deo per amorem, & amicitiam finiuntur, vel ob virtutes sunt chari, & maxime ob impeccabilitatem, quam in cœlo consequuntur; sed sic sunt Sancti in cœlo cum Deo regnantes: ergo &c. II. Amicis Principum, qui apud ipsos prævalent, exhibetur honor, qui etiam principaliter ad ipsos Principes refertur: ergo pariter Sanctis debetur cultus, quia illos Deus amicos vocat, & ob virtutes suas, & gloriam, quam in cœlo obtinent, Deo sunt charissimi; maxime etiam quod cultus, iisdem exhibitus, ad Deum ipsum refertur. III. Vult Deus, ut Sancti in terra degentes ab hominibus honorentur, & aliquando illos punit, qui eosdem non honorant; ut aperte constat ex allatis Scripturarum textibus, & testimoniis: ergo multo magis vult ut honorentur ab hominibus Sancti, qui cum eo regnant. Consequentia sequitur; tum quia intimior est unio, quam cum Deo habent Sancti in cœlis, illa, quam habent in terris; tum etiam, quia Sancti in cœlo intuitiva Dei visione fruuntur, qua destituuntur in terra; tum quoque propter impeccabilitatis donum, quod ex eadem visione participant, & quod in terris non possident. IV. Ex Patrum testimoniis habemus, in Ecclesia fuisse semper probatum cultum Sanctorum, religiosum quidem & sacrum: ergo signum est, eodem cultu Sanctos vere esse colendos; quod enim omni tempore Ecclesia in usu posuit, & authoritate probavit, non est a privatis hominibus rejiciendum, quia Ecclesia magistra est veritatis. V. Si Sanctis non deberetur cultus, ideo esset, quia Deo inferretur injuria, quatenus cultus, & adoratio Deo tantum debentur; sed hæc ratio nulla est: ergo &c. Minor probatur ab Alexandro de Ales par. 3. qu. 30. m. 3. ar. 2. §. 4. *Duplex est servitus. Est enim servitus obnoxietatis: & hæc debetur Deo, eo quod est principium nostri esse. Est etiam servitus reverentiæ: & hæc debetur Sanctis, quia ipsi sunt nostri ductores, vel per doctrinam sicut prælati, vel per intercessionem, vel per administrationem.* VI. Adoratio, quæ exhibetur Sanctis, exhibetur propter Deum, & ad Deum ipsum refertur: ergo per illam adorationem, gloria Dei exaltatur, non diminuitur; Sed quod Dei gloriam auget, & exaltat, licitum est, & commendabile: ergo adoratio quæ exhibetur Sanctis, licita est, & commendabilis. Antecedens est S. Bonaventuræ de præparat. ad Missam cap. 10. *Aliis quoque Sanctis exhibetur honor, & devotio, quæ dicitur dulia, quæ non est cultus, nec adoratio, sed subrogatio, & invocatio, ut sint apud Deum advocati pro nobis: & omnis reverentia, quæ eis impenditur, propter Deum, cui conjuncti sunt, exhibetur. Deus autem debet a nobis in immensum timeri, & honorari, & amari.* VII. Honorandi sunt illi, qui nobis prosunt apud Reges: ergo multo magis honorandi sunt illi, qui nobis prosunt apud Deum. Antecedens nemo negabit, nisi qui ingratitudinis vitio fœdatur. Consequentiam probat Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 16. *An non honorandi, qui totius humani generis patronos se profitentur, ac Deo, nostri causa supplicant: honorandi certe, & quidem ita, ut in eorum nomine templa Deo extruamus.* VIII. Si a Sanctorum adoratione removemus quæcunque nobis falso opponunt christiani nominis hostes, jam Sanctorum adoratio commendabilis est, sancta, ac Deo placens; Sed hæc omnia optime removentur: ergo, &c. Minor probatur a Theodoreto lib. 8. Græcarum affectionum: *Quid igitur, viri græci, qui defunctos tot numero homines appellatis Deos, adversus nos indignationem concipitis, cum nullos quidem nostrorum hominum referamus in Deos: quanquam debitos honores Martyribus persolvamus, ut Dei testibus, servisque amantissimis? &c. Atqui nos, o græci homines, nec hostias Martyribus, nec libamina ulla deferimus, sed ut Sanctos homines, Deique amicissimos honoramus. Tanto enim amore Creatorem Deum, generisque humani vindicem prosecuti sunt, ut amabile illis fuerit pro accepta semel religione, jugulum percussori porrigere.*

Dicimus II. Cultum, qui Sanctis exhibendus est, etsi sit religiosus, ac sacer, non esse tamen latriæ, sed duliæ tantum.

I. Probatur. Ille cultus non est exhibendus Sanctis, quem nobis Hæretici opponebant, & antiqui Patres negabant; & ille est exhibendus, quem Hæretici dissimulabant, & antiqui Patres fatebantur; sed Hæretici opponebant nobis cultum latriæ, quem Patres negabant, a nobis exhiberi sanctis; & dissimulabant cultum duliæ, quem Sanctis præstari, Patres fatebantur: ergo cultus latriæ non est exhibendus Sanctis, sed tantum cultus duliæ. Major probatione non indiget, ex terminis enim est manifesta. Minor probatur. Vigilantius quarto seculo op-

Digitized by Google

ponebat nobis quod dicebamus, negabat vero Hieronymus libro, quem scripsit contra eundem, dicens: *Quis enim, o insanum caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Insuper Faustus Manichæus illud idem nobis objiciebat, ut asserit Augustinus lib. 20. contra eundem Faustum cap. 21. *Nobis calumniatur Faustus, quod Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens, nos idola convertisse.* Hoc vero Augustinus negabat, subdens: *Populus autem christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat .... ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, sacrificemus, quanvis memorias Martyrum constituamus altaria.... Quis autem Antistitum in loco Sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit.*

II. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 25. tit. de Invocat., venerat., & reliquiis Sanctorum, & Sacris Imaginibus; ubi eandem calumniam, quam Lutherus, & Calvinus nobis impingebant, depellens, ait: *Illos vero, qui negant, Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes, invocandos esse .... invocationem esse idololatriam; vel pugnare cum Dei Verbo; jampridem damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.* Quibus verbis Concilium primo testatur, veteres, & recentiores Heterodoxos opposuisse Catholicis, quod Sanctos latriæ cultu venerarentur; secundo hoc aperte negavit; & tertio asseruit, Catholicos vere colere Sanctos, at non latriæ cultu, qui soli Deo debetur; bene autem cultu, qui sit latria inferior, superior vero quocunque cultu politico, ac civili; qui quidem alius non est, quam duliæ cultus.

III. Probatur verbis Cyrilli Alexandrini lib. 6. contra Julianum: *Sanctas Martyres, neque Deos esse, dicimus, neque adorare consuevimus: laudamus autem eos potius summis honoribus, quod pro veritate strenue certarunt, & fidei sinceritatem servarunt, itaut & suam animam contempserint, & mortis terroribus valedicentes, prævaluerint in summis periculis, tantæque fuerint fortitudinis, quasi statuas sibi suæ vitæ excitaturi. Proinde non est indignum, imo etiam necessarium, eos, qui tam claris operibus glorioſi sunt, perpetuis honorari laudibus.*

Pro tertia Dissertationis parte pertractanda, Primo habemus Vvaldenses asserentes, festa Sanctorum non esse celebranda; ac proinde diebus festis Sanctorum manibus operabantur. Asserit Guido Carmelita de Vvaldensibus cap. 17., testatur quoque Æneas Silvius historiæ Bohæmicæ cap. 35.

Secundo Joannes Vviclephus trialog. 3. habet hæc: *Non valet solemnizatio, vel festivitas talis Sancti, nisi de quanto ad magnificandum Christum præparat. Unde si aliquæ sunt solemnizationes Sanctorum, quæ exorbitant ab hoc fine, non dubium quin cupiditas, vel peccatum aliud sit in causa. Ideo multi putant prodesse Ecclesiæ, quod cessantibus omnibus istis festivitatibus Sanctorum, solum Christi festivitas observetur; quia, ut inquiunt, Christi tunc memoria recentius haberetur, & plebis devotio non sic in membra Christi indebite spargeretur.* Iisdem accedebant Thaboritæ, qui festum diem, præter Dominicum, & paschalem, non agebant. Testis est Æneas Silvius epist. 130., seu dialog. contra Bohæmos, & Thaboritas: accedebant etiam Pichardi, qui festa Apostolorum, & reliquorum Sanctorum inventa esse otiosorum, affirmabant. Refert Joannes Schechtoca epist. ad Erasmum.

Tertio Lutherus libello de formula missæ, ait: *Omnium Sanctorum festa prorsus abroganda, putamus:* & de cæremoniis Ecclesiæ servandis: *Festa Sanctorum in Universum aboleantur.* Et lib. contra Ambrosium Catharinum: *Duodecima facies Antichristi est festorum dierum observatio: cum omnes dies liberi sint, & ad feriandum, & ad laborandum. In hac autem facie insignius lucent magni illi festi dies: Visitationis, Corporis Christi, Apostolorum, Conceptionis, & similium: & necesse est, peccare, & perire animas, si quæ non servant, vel invite servant hæc stulta, inutilia, & vana præcepta.* Eidem accesserunt Ministri Tigurini confessionis cap. 24. dicentes: *Festa hominibus, aut Divis instituta, non probamus.*

Quarto Eustachius, seu Eustathius, de quo supra loquuti fuimus, Martyrum Basilicas contemnens, in Ædibus privatis conventus agebat. Testatur Concilium Gangrense cap. 5. 6. 20., & referunt Socrates lib. 2. cap. 25. & Sozomenus lib. 3. cap. 13.

Quinto Eunomiani non ingrediebantur basilicas Apostolorum, & Martyrum. Asserit Hieronymus contra Vigilantium cap. 3., & Gennadius Massilienſis cap. 73.

Sexto

Digitized by Google

Sexto Constantinus Copronymus Sanctorum templa solo æquavit. Testis est Suidas in eodem Constantino cap. 7.

Septimo Lutherus ad Evangelium Dominicæ primæ Adventus scribit: *Bona opera appellant, quæ haudquaquam Deus præcepit, ut sunt peregrinari ad excelsa illa Divorum, jejunare, in honorem Sanctorum extruere, & ornare templa &c. Ecquis enumeret abominandas illas abominationes, & spurcissimas, atque perniciosissimas impostoras?* Ad Evangelium in die Nativitatis Mariæ: *Hic honor è medio sublatus est, & in ejus loco insani boatus & Sanctorum, qui in cœlum subvecti sunt, veneratio inducta est: hinc tot templa, & altaria substructa sunt. Hic Petro, hic Paulo, ades erecta est, ut omnes fere anguli Divorum phanis pleni sint. At cui usui ipsis illa? His sumptibus indotatis Virginibus consuli poterat, & alia majoris momenti opera patrari, &c.*

Dicimus III., pium, & christianum esse, festa instituere, templa erigere, ac dedicare, vota emittere, ac offerre Deo in honorem Sanctorum.

I. Probatur ex Romanis Pontificibus. Felix I. epist. 2. apud Coccium. *Tales perturbatores Ecclesiæ non solum prædicta agunt mala, sed & memorias Martyrum execrantur. Quapropter & in præsenti constituimus Synodo, vobisque, & omnibus Ecclesiis tenendum, & agendum mandamus, ut super memorias Martyrum missæ celebrentur, ne memoriæ eorum extingui a talibus, aut veneratio eorum possit prohiberi.* Leo Magnus sermone I. in natali Apostolorum Petri, & Pauli cap. 1. *Omnium quidem sanctarum solemnitatum totus mundus est particeps, & unius fidei pietas exigit, ut quidquid pro salute universorum gestum recolitur, communibus ubique gaudis celebretur. Veruntamen hodierna festivitas, præter illam reverentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, speciali, & propria nostræ urbis exultatione veneranda est; ut ubi præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum, sit lætitiæ principatus.* Serm. in Nativit. Sanctorum septem fratrum martyrum Machabæorum cap. 1. *Gratias, dilectissimi, agamus Domino Deo nostro, quod quanta sit hujus diei solemnitas, etiamsi ego taceam, conventus vester ostendit. Tam enim conspiranti studio, & devoto animo convenistis, ut festivitatis magnificentiam, etsi sermo non indicet, congregatio tamen ipsa testetur.* Vigilius Papa Epist. 1. cap. 5. *Quoties Sanctorum Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta conjungimus, quibus commemorationem eorum, quorum natalitia celebramus, prosequimur.* Innocentius III. Mysteriorum Missæ lib. 2. cap. 52. *Licet in nativitate S. Joannis Baptistæ, & festivitate S. Laurentii Symbolum non cantetur, in Octavis tamen eorum cantatur: eo quod infra octavas Apostolorum, & Assumptionis adveniant. Et ob hoc in Octavis S. Joannis Præfatio de Apostolis, & in octavis S. Laurentii Præfatio de Assumptione cantatur.* Et Dominica 2. post Pascha serm. 1. *Oves suas pascendas Dominus Petro commisit, vocabulo tertio repetito, quem pastorem sibi substituit, & ob hoc hodierna statio in ejus Ecclesia celebratur.*

II. Probatur ex Concilliis. Concilium Gangrense can. 20. *Si quis per superbiam, tanquam perfectum se existimans, conventus, qui per loca, & Basilicas Martyrum fiunt, accusaverit, anathema sit.* Concilium Laodicenum can. 51. *Non oportet in quadragesima Martyrum natalitia celebrari, sed eorum in Sabbato tantum, & Dominica memoriam fieri.* Concilium Carthaginense III. *Liceat etiam legi passiones martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur.* Concilium Carthaginense V. cap. 14. *Nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ Reliquiæ sint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis, fidelissima origine traditur.* Concilium Moguntinum cap. 36. *Celebrari mandamus in Natali Apostolorum Petri, & Pauli, unum diem &c.* Concilium Triburiense cap. 35. *Diebus Dominicis, & Sanctorum festis, vigiliis, & orationibus insistendum, & ad missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum, & tantummodo Deo vacandum.* Concilium Salegunstadiense cap. 1. *Quatuordecim dies Christiani ante festivitatem S. Joannis Baptistæ in abstinentia sint carnis, & sanguinis, nisi infirmitate impediente, aut alicujus festi solemnitate, quæ in illo Episcopio celebris habetur, intercedente; & ante Nativitatem Domini, & in Vigilia Epiphaniæ, & in omnibus Vigiliis Apostolorum, & in Vigilia Assumptionis S. Mariæ, & in Vigilia S. Laurentii, necnon etiam in Vigilia omnium Sanctorum.*

III. Probatur ex Patribus. Gregorius Nazianzenus orat. 3. quæ est invectiva prima in Julianum: *Non victimas pro Christo cæsas veritus es? Nec magnos pugiles*

extimuisti Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam &c. quibus præclari honores, & festa sunt constituta, a quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur. Joannes Chrysostomus homilia 66. ad populum Antiochenum: Quid de Christo loquar, cum & discipulos suos, postquam obierunt, effulgere fecit? Quid dico discipulos? Nam & eorum loca, & sepulchra, & tempora perenni memoria celebrari, curavit. Tu vero mihi, & sepulchrum ostendas Alexandri, & profer diem, quo vitam finivit: sed nihil horum insigne, sed omnia destructa sunt, & exterminata. Christi vero servorum, & sepulchra clara sunt, regiam assecuta civitatem, & dies notissimi, mundo festam afferentes lætitiam. Ambrosius lib. 3. de Virgin. Dies factus est Petrus, dies Paulus. Ideoque hodie natali ipsorum Spiritus Sanctus increpuit, dicens: Dies diei eructat verbum, hoc est, ex intimo thesauro cordis fidem prædicant Christi. Et bonus uterque dies, qui nobis fidem evomuit. Hieronymus epist. 19. ad Eustochium: Festus est dies, & natalis B. Petri festivius est solito condiendus, ita tamen, ut Scripturarum cardinem jocularis sermo non fugiat, &c. Unde nobis solicitius providendum est, ut solemnem diem, non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus. Quia valde absurdum est, nimia saturitate velle honorare Martyrem, quem scimus Deo placuisse jejuniis. Augustinus lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. 21. Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen, ut nulli Martyrum; sed ipsi Deo Martyrum, quanvis in memorias Martyrum constituamus altaria. In psalm. 63. Passionis Sanctorum Martyrum diem hodie festum habentes, in eorum recordatione gaudamus, recolentes quid patiebantur, & intelligentes quid intuebantur. Nunquam enim tantas tribulationes carne tolerarent, nisi magnam quietem mente conciperent. Hunc itaque psalmum pro ista solemnitate percurramus. Hesterno enim die multa audivit charitas vestra, nec hodie tamen huic festivitati negare potuimus nostram servitutem. Chrysostomus hom. 28. ad Populum Antiochenum: Ad veras, & regias Ecclesias dico, & Oratoria, Ædes, & Martyrum templa. Ambrosius lib. 1. epist. 5. ad Felicem Episcopum Comensem: Ortus est sermo de Basilica, quam condidit, Apostolorum nomine dedicando. Augustinus lib. 12. de Civit. Dei cap. 10. Nos autem Martyribus nostris non templa, sicut Diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus, fabricamus. Et lib. 12. de Civit. Dei cap. 10. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus; sed uni Deo, & Martyrum, & nostro, sacrificium immolamus: ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco, & ordine nominantur: non tamen a Sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippe non ipsis sacrificat, quanvis in memoria sacrificet eorum quia Dei Sacerdos est, non illorum. Ipsum, vero sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hæ sunt, & ipsi.

IV. Probatur ex veteribus Scriptoribus ecclesiasticis. Eusebius in vita Constantini lib. 4. cap. 58. Ubi jam hæc peracta fuerunt omnia, Apostolorum templum in urbe sui cognomine, ad perpetuam illorum memoriam conservandam, ædificare cæpit. Et cap. 60. Atque hæc longo ante tempore, cogitatione cum depinxisset, Ecclesiam Apostolis dedicavit, quamplurimum utilitatis, illorum memoriam animæ suæ conciliaturam existimans. Et lib. 4. cap. 23. Etiam ad ipsos gentium Præfectos, Imperatoris nutu, & voluntate, edictum perlatum est, ut illi perinde Dominicum diem venerarentur. Iidem consecratos Martyribus dies honore prosequebantur; & festorum solemnitates in Ecclesiis celebrabant; quæ omnia secundum Imperatoris voluntatem gerebantur. Sozomenus lib. 5. cap. 18. Ubi vero Gallus, frater Juliani, Cæsar a Constantio designatus, Antiochiæ ætatem degit, quoniam Christianus erat, in primis eos, qui pro religione christiana martyrium obierant, colebat. Evagrius lib. 1. cap. 16. Deus Optimus Maximus animum Theodosii impulit, ut divinum Martyrem Ignatium majoribus afficeret honoribus, & templum jam olim Dæmonibus dedicatum, Ignatio victori, & Martyri consecraret. Theodoretus lib. 8. Græcarum affectionum: Martyrum templa conspicua cernuntur, magnitudineque, præstantia, omni præterea ornatus genere variata, splendoremque quodammodo pulchritudinis suæ late fundentia. Neque vero hæc per annum semel, aut bis, aut quinquies adventamus, sed in iis sæpe numerò dies festos pervagimus, sæpe diebus singulis eorum Martyrum Domino laudes, hymnosque cantamus. Ruffinus Ecclesiast. histor. lib. 1. cap. 14. Tempore, quo apud Alexandriam, Petri Martyris diem, Alexan-

Digitized by Google

xander Episcopus agebat, cum post expleta solemnia conventuros ad convivium suum Clericos expectaret, in loco, mari vicino videt eminus, &c.

V. Probatur rationibus. I. Laudabilis est, ac observanda dierum determinatio, quibus Sancti peculiari honore colantur, & nos ad ipsorum venerationem præfixa statione excitemur; sed hoc, & non aliud importat festorum institutio in Sanctorum honorem: ergo &c. Minor constat ex terminis; major probatur. Hujuscemodi determinatio nihil continet irreligiosum, nihil superstitiosum: ergo laudabilis est & observanda. Probatur antecedens. Si quæ esset superstitio, maxime esset ratione prefixionis dierum; sed hæc præfixio quum aptetur, vel Sanctorum natali, vel Sanctorum apparitionibus, vel cuicunque alteri Sanctorum memoriæ, est potius pia applicatio, quam vana superstitio: ergo &c. II. Festorum institutio adeo est antiqua, ut originē suam, vel ab Apostolis, vel ab hominibus apostolicis, vindicet: ergo est in Ecclesia retinenda. Probatur antecedens testimonio Patrum, tum latinorum, tum græcorum, & præcipue Cypriani lib. 4. epist. 5., & lib. 3. epist. 6. & libro 5. epist. 6., Hieronymi in Epitaph. Paulæ, & in Hilarionis vita, aliorumque. III. Si a primordiis Ecclesiæ, Deo in honorem Sanctorum templa erigebantur, jam templorum erectio, & dedicatio, execrabilis dici non debet; sed ex dictis Patrum, & ex veterum Ecclesiasticorum Scriptorum testimoniis jam firmavimus, templorum erectionem, & dedicationem ab antiquis temporibus in Sanctorum honorem fuisse in usu positam: ergo &c. IV. In sacris paginis, in Pontificum Sanctionibus, in Conciliorum decretis, in Patrum Scriptis, nullam invenimus templorum, vel sacrarum Ædium, vel Basilicatum, vel Oratoriorum, vel Ecclesiarum, prohibitionem: ergo non est ratio, cur modo ab hæreticis hominibus impie simul, ac insulse damnentur. Antecedens argumentorum solutione constabit.

Opponunt I. Actorum 10. Petrus prohibet Cornelio ne seipsum adoret: *Cornelius accedens ad ejus pedes, adoravit. Petrus vero erexit eum, dicens: surge, & ipse homo sum.* Quibus verbis prohibuit Petrus Cornelio cultum, quem Cornelius sibi ipsi deferebat; sed Cornelius deferebat cultum duliæ, non latriæ: ergo cultus duliæ est prohibitus. II. Actor. 14. Paulus, & Barnabas in Licaonia veritum dixerunt religiosum cultum, qui illic ipsis exhibebatur: Dicitur enim: *Quod cum audissent Apostoli Barnabas, & Paulus, disruptis palliis suis, insiluerunt in turbam, clamantes, ac dicentes: Viri, cur ista facitis? Nos quoque sumus homines, iisdem, quibus vos affectionibus, obnoxii.* III. Apocal. 19. Eandem prohibitionem Joanni Evangelistæ fecit Angelus, qui ei apparverat: Fatetur enim Joannes: *Procidi ad pedes ejus; sed dixit mihi: Vide ne feceris: Conservus tuus sum, & fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu, Deum adora:* ergo quæcunque adoratio, quæ sit sacra, hominibus delata, est prohibita. IV. Patres non aliam adorationem agnoverunt, quam latriæ; sed adoratio latriæ nullo modo debetur creaturæ, at Creatori tantum: ergo nulla adoratio creaturis debetur. Probatur major testimonio Hieronymi lib. contra Vigilantium cap. 3. ubi asserit, quod Licaoni Paulo, & Barnabæ, & Cornelius Petro, adorationem latriæ deferre intendebant; & Augustinus lib. de vera religione cap. 55. testatur quoque, Joannem Angelo latriæ cultum exhibere voluisse. V. In primo Decalogi præcepto dicitur, quod habetur Deuteronomii 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*: ergo quæcunque adoratio soli Deo debetur. VI. Ex Augustino lib. 1. contra Maximinum Arianum: Non licet templum creaturis dedicare: ait enim: *Si Angelo faceremus templum, anathematizaremur a veritate Christi, & Ecclesiæ Dei*: ergo templorum erectio Sanctis est prohibita. VII. Mos erigendi templa hominibus, & festa instituendi pro iisdem, originem habet a Gentilitate, non vero a Judæorum gente, quum nullum hujuscemodi rituum in sacro textu vestigium reperiatur: ergo immerito a christiano populo in usu, & frequentatione ponuntur. VIII. Latriæ cultus est votorum nuncupatio: ergo male vota nuncupantur Sanctis, sed soli Deo tantum debent offerri.

Respondemus ad I. Cornelium exhibere voluisse Petro non latriæ, sed duliæ cultum, & Petrum cultum illum non recusasse, seu non improbasse. Et quod Petrus illum noluerit, modestiam, & humilitatem ipsius Petri ostendit, non autem cultus injustitiam, vel improprietatem. Responsionem confirmat Chrisosto-

Romus hom. 28. in cap. 10. actor. *Hoc faciens humilitatem suam ostendit, & alios docuit, Deoque gratias agit, ac declarat, quod licet jussus sit, tamen & per se multam habeat promptitudinem. Quid igitur Petrus? Surge, nam & ego homo sum. Vide quomodo præ aliis illos doceat, nihil de se magnum sentire.* Eadem habet Gregorius Magnus lib. 21. moral. cap. 10.

Ad II. Joannes etiam voluit duliæ cultum offerre Angelo, quem Angelus non improbavit, tanquam injustum, & indebitum, sed recusavit; uti videmus etiam Reges aliquando in mundo, qui politicum, & civilem cultum, ob modestiam, & humilitatem, respuere demonstrant. Quod Augustinus lib. de vera relig. cap. 55. explicat, dicens: *Recte itaque scribitur, hominem ab Angelo prohibitum, ne se adoraret, sed unum Deum, sub quo ei esset & ille conservus.*

Ad III. dicimus, Licaonicos voluisse adorare Paulum, & Barnabam latriæ cultu; & hinc fuit, quod hujuscemodi cultum Barnabas, & Paulus non solum respuerunt, verum quoque improbarunt. Et hujus dicti ratio est, quia quum Licaonici essent assueti adorare Deos gentium latriæ cultu, idcirco propter miracula, quæ fieri videbant a Paulo, & Barnaba, illos eodem cultu ceu numina, adorare intendebant. Hinc docet Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. *Apparuit hoc in Paulo, & Barnaba, cum commoti miraculis, quæ per eos facta sunt, Licaonici, tanquam Diis, immolare voluerunt.*

Ad IV. dicitur, jam nos concessisse, Licaonicos latriæ cultum Paulo, & Barnabæ exhibere voluisse; Unde Hieronymi verba non contra nos, sed potius pro nobis faciunt. Negatur autem ex verbis, Augustini, quæ nuper retulimus, inferri, Joannem voluisse latriæ cultum Angelo offerre; ut explicavimus. Si autem Adversarii dicant Augustinum, & Hieronymum non alium cultum agnovisse quam latriæ; facile falsitatis convincuntur, quia paulo ante attulimus Hieronymum, & Augustinum docentes, Angelos, & Sanctos esse adorandos; sed non cultu latriæ: ergo duliæ: ergo Augustinus, & Hieronymus præter latriæ cultum duliæ etiam cultum agnoverunt.

Ad V. per illa verba Deuteronomii non prohibetur quicunque cultus, aliter prohiberetur etiam cultus politicus, & civilis, quod Adversarii non concedent. Prohibetur igitur solus cultus latriæ, qui importat omnimodam servitutem in adorante, non vero cultum duliæ, qui supponit quidem aliquam servitutem, sed minorem illa, quæ dicitur servitus latriæ, & quæ a cultu latriæ importatur. Audiatur Augustinus epist. 66. *Docere non differas, unum scilicet Deum esse solum, cui servitus illa debetur, quæ latria græco vocabulo nuncupatur? ipsum enim verbum est in lege, ubi scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies; quem si Deum Patrem tantummodo dixerimus, respondebitur: ergo latria Filio non debetur, quod nefas est dicere. Si autem debetur, quomodo ergo uni tantum debetur Deo, si & Patri, & Filio debetur, nisi quia unus Deus, uni soli per latriam servire possumus? Ita dicitur solus, ut & Pater intelligatur, & Filius, imo vero etiam Spiritus Sanctus.* Et lib. 1. de Trinitate cap. 6. *Idololatræ dicuntur, qui simulacris eam servitutem exhibent, quæ debetur Deo: secundum enim hanc servitutem dictum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

Ad VI. Nos templa dedicamus Deo in Sanctorum honorem, non vero Sanctis: Vel si Sanctis erigimus, non erigimus in ordine ad sacrificium, quia uni Deo tantum sacrificium debetur, sed in ordine ad alia, quæ a sacrificio distinguuntur. Et in hoc sensu Augustinus dixit lib. 8. de Civit. Dei cap. 26. *Sed hoc videtur dolere, quod memoriæ Martyrum nostrorum templis eorum, delubrisque succederent.* Si autem vim facient in verbo *templum*, dicimus, apud Basilium in psalm. 114. Nyssenum orat. in Theodorum, Chrisostomum homil. 18. ad populum, Theodoretum lib. 8. ad Græcos, Eusebium lib. 4. de vita Constantini cap. 58., priorum Christianorum Ecclesias indiscriminatim vocari Ædes, Oratoria, Memorias, Basilicas, templa, &c. Latini vero, verum est, quod docebant, templa esse Deo consacranda, basilicas vero Sanctis, sed aliquando etiam basilicas pro templis, & templa pro basilicis usurparunt.

Ad VII. Hæbrei nec falsa Gentilium Numina adorabant, nec Sanctorum hominum animas, quæ in limbo quiescebant, & cum Deo non regnabant; & inde est, quod nec templa in Sanctorum honorem erigebant, nec festa celebrabant, ut nos facimus christiani, qui Sanctos nostros, cum Christo in Cœlo regnantes, colimus.

Ad VIII. Vota stricte ac proprie accepta, nun-

Digitized by Google

nuncupari non possunt Sanctis, nec Sanctorum Reginæ, Virgini Deiparæ, at tantum improprie, & large. Ratio est, quia votum proprie, & stricte acceptum est promissio facta Deo, tanquam primo principio, & authori omnium bonorum; & in hoc sensu est latriæ cultus, qui soli Deo debetur. Improprie vero est promissio facta de aliquo bono, in signum gratitudinis, ob beneficium acceptum, vel accipiendum; & in hoc sensu est cultus duliæ, qui Sanctis etiam exhibetur. Cæterum antiqui Patres, & Scriptores Ecclesiastici non semel meminerunt votorum, quæ Sanctis Martyribus nuncupari solebant. Videantur Eusebius lib. 13. præparat. evangel. cap. 7. Theodoretus lib. 8. ad Græcos, Gregorius Turonensis lib. 2. histor. Francorum, aliique passim.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
VERBORUM, ET RERUM.

A

Abailardus, Petrus, errando dixit, Christi incarnationem nihil nobis profuisse ad redemptionem, sed ad doctrinam tantum, & exemplum. 59.

Ejus errores alii contra Christum Redemptorem. 357.

Abominatio desolationis, quænam fuerit in Scripturis? 36.

Abrahami posteri ante Christum natum, & nulli alii habuerunt veram, & puram religionem. 387.

Acacius, Constantinopolitanus Episcopus, fautor Eutychetis. 123.

Acœmetæ, Monachi, qui fuerint? 505.

Acephali, hæretici, qui fuerint? 124.

Adoptiva filiatio a quibus admittitur in Christo, & a quibus non admittitur. 302.

Ado Viennensis, & ejus testimonium de Synodo Francofordiensi. 304.

Agnoitæ, hæretici, qui fuerint? 124.

Dicebant, Christum Judicii diem ignorasse. 244.

Adam si non peccasset, an Christus venisset? 57.

Albanenses dixerunt, Judicium Universale jam esse factum, & nullum aliud amplius esse futurum. 335.

Qui fuerint alii ipsorum errores? 183.

Alexander, hæreticus, negavit per Filium nos salvari. 357.

Alexandrinum Concilium habitum anno 430. a Cyrillo in caussa Nestorii. 105.

Alius, & alius adjective important diversa supposita; aliud, & aliud substantivè important diversas naturas. 87.

Almainus, & ejus opinio circa regiam Christi dignitatem. 329.

Amor purus non respicit amantem, sed amatum. 10.

Anabaptistæ hæretici, & ipsorum errores. 183.

Anastasius, presbyter Antiochenus, concionem Constantinopoli habens, prima semina hæresis Nestoriani sparsit. 103.

Andreas Samosatensis, Sectator Nestorii. 106.

Angelica natura potuisset assumi a Verbo. 82.

Quare illam de facto non assumpserit? 82.

Anima, quam Verbum assumpsit, fuit mente prædita. 215.

Anima Christi, ab ejus corpore separata, ad inferos descendit, ut Sanctos Patres liberaret. 219.

S. Anselmus, quid senserit de necessitate incarnationis? 17.

Ansbertus posuit in Christi humanitate meritum unionis suæ hypostaticæ, confutatur. 48.

Antiochenum Concilium coactum anno 432. in caussa Nestorii. 105.

Apelles, hæresiarcha, & ejus errores circa Christum incarnatum. 59.

Apollinaris, qui fuerit? 172.

Ejus errores circa Christum incarnatum. 79.

Erravit dicens, Christum suscepisse corpus sine anima. 213.

Apollinaristæ, & ipsorum errores circa Christi adorationem. 398.

Antidicomariani, eorumque errores contra Christum, & Mariam. 199.

Antichristiani dixerunt Christum de facto peccasse. 245.

S. Antoninus, & ejus sententia, circa regiam Christi dignitatem. 329.

Aphthardocitæ hæretici dixerunt, corpus Christi ab ipsa conceptione nulli fuisse obnoxium internecioni, nec fuisse particeps illarum affectionum, quæ naturaliter absque ulla reprehensione nobis sunt insitæ. 243.

Archadius Episcopus, fuit legatus Cœlestini, in Concilio Ephesino. 104.

Arelatense Concilium Nestorii errorem damnavit. 113.

Euthychianam hæresim confodit. 130.

Ariani negabant Christum omnia novisse. 244.

Ipsorum error circa Sacerdotium Christi. 340.

Ut probarent Verbum inferius esse Patre, dicebant, Christum orasse ut Verbum, & non ut hominem. 349.

Ipsorum errores contra Christum Mediatorem. 372.

Dicebant Christum assumpsisse corpus sine anima. 83.

Arius, cum suis, erravit dicens in Christo vices animæ implevisse Verbum. 213.

Armacanus, & ejus opinio circa regiam Christi dignitatem. 329.

Armeni, & ipsorum errores contra Christi corpus. 183.

Armenience Concilium coactum anno 435. in caussa Nestorii. 105.

Artaxerses Longimanus, filius Xersis, anno 3531.

regnavit in Perſia. 34.
Aſſamonæi, an ex parte materna originem traxerint ex tribu Juda? 29.
Aſſumptio quid ſignificet apud Patres, dum de incarnatione agunt. 1.
S. Athanaſius explicatur, dicens Naturam Divinam incarnatam. 74.
Attemperatio quid ſignificet apud Patres, dum de incarnatione agunt. 1.
Auguſtinus ob magnam ejus ſapientiæ famam vocatus fuit peculiari modo a Theodoſio Imperatore ad Concilium Epheſinum; ſed morte præventus ire non potuit. 104.
An crediderit Symbolum Athanaſii, eſſe Athanaſii. 141.
Auguſtinus de Roma, & ejus propoſitiones in Concilio Baſileenſe damnatæ. 245.
Auguſtodunenſis, an crediderit Symbolum Athanaſii eſſe Athanaſii. 142.

B

Balahami prophetia de adventu Meſſiæ verificata. 40.
Baſſus erravit dicens, non ſperari ſalutem, neque in Chriſti majeſtate, neque in ejus præſentia corporali. 357.
Baſylides qui fuerit? 183.
Bellarminus Cardinalis explicat communicationem idiomatum ſecundum mentem Catholicorum, & hæreticorum errores confutat. 151.
Benedictus Aretius, & ejus error contra Chriſtum Redemptorem. 358.
Negavit deſcenſum Chriſti ad inferos. 219.
Beuetellus, Aloyſius-Maria, Ordinis Minimorum, doctus linguæ ſanctæ profeſſor plurimis in locis laudatur.
Bernardus de Montfaucon Symbolum Athanaſio abjudicavit. 137.
Berninus, Dominicus, confutat Zuinglium tribuentem Catholicis Ubiquiſtarum errorem. 159.
Beza, Theodorus, poſuit in Chriſto duas perſonas. 85.
Communicationem idiomatum dixit eſſe verbalem. 151.
Ejus errores contra Chriſtum, & Mariam. 199.
Negavit deſcenſum Chriſti ad inferos. 219.
Brachmanes, Guilelmus, Mariæ cultum damnat. 405.
Blandrata, Franciſcus, & ejus error contra meritum Chriſti. 269.
Ejus error contra Chriſtum Redemptorem. 358.
Bogomili, & ipſorum errores circa Chriſtum incarnatum. 79.
Ipſorum errores contra Chriſtum. 188.
Bohemi Sanctorum adorationem negabant. 413.
Bona, Cardinalis, de Symbolo, quod dicitur Athanaſii, dubitavit. 137.
Breutius hæreſi Neſtorii favit. 107.
Voluit communicationē idiomatum eſſe ipſammet ſpecialem Divinitatis, cum humanitate unionem, accidentalem tamen. 150.
Fuit Svevus patria, Sacerdos, & Canonicus Vuitthembergenſis, deinde Lutheranus, & Ubiquiſtarum Author. 158.
Negavit deſcenſum Chriſti ad inferos. 218.
Brachmanes non fuerunt populi, ſed philoſophi. 389.
Borboriani hæretici qui fuerint? 335.
Bucerus, Apoſtata, negavit deſcenſum Chriſti ad inferos, 218.
Poſuit ignorantiam in Chriſto. 244.
Bullingerus, Henricus, negavit deſcenſum Chriſti ad inferos, 218.
Mariæ cultum fatetur. 413.

C

Calvinus poſuit in Chriſto duas perſonas. 85.
Hæreſi Neſtorii favit. 106.
Ejus errores contra Chriſtum, & Mariam. 199.
Negavit deſcenſum Chriſti ad inferos. 218.
Poſuit ignorantiam in Chriſto. 244.
Ejus error contra meritum Chriſti. 269.
Sanctorum adorationem negavit. 413.
Cambyſes, Cyri filius major, regnavit in Perſia anno 3475. 34.
Candidianus comes, fautor Neſtorii. 105.
Caput Eccleſiæ eſt Chriſtus. 319.
Eſt caput hominum, & Angelorum. 322.
Eſt caput hominum exiſtentium in Paradiſo, & Purgatorio, & hominum Viatorum fidem habentium; non vero hominum exiſtentium in Inferno, nec hominum viatorum fidem non habentium, ſicut nec malorum Angelorum. 324.
Fuit caput primorum Parentum, etiam prout exiſtentium in ſtatu innocentiæ, vel prout in eo ſtatu, & ante lapſum præviſorum. 324.
Eſt etiam caput Eccleſiæ quatenus eſt homo ſubſiſtens in perſona Verbi. 323.
Cajetanus, & quidam alii Theologi de Schola, dixerunt, quod humanitas Chriſti, quamvis realiter unita Verbo, coli debeat adoratione latriæ, coli tamen poſſit etiam adoratione hyperduliæ. 402.
Carpocrates, ejuſque errores contra Chriſtum. 198.
Cerdon hæreſiarcha qui fuerit? 183.
Ejus errores circa Chriſtum incarnatum. 79.

Caro-

Caroli Magni temporibus fuerunt damnati in Francofordiense Concilio Felix, & Elipandus. 301.
Calcedonense Concilium generale IV. Nestorii errores damnavit. 113.
Eutychetem pariter damnat. 122.
Chaldæi, an dominium habuerint supra Judæos, & quale? 31.
Nullum jus habuerunt ad illos. ibid.
Cerinthus qui fuerit? 171.
Celsus posuit ignorantiam in Christo. 244.
Christus Templi destructionem bis prædixit. 39.
Fuit exemplar prædestinatorum, & quare? 62.
An possit dici bonum conditionatum, ut loquuntur Scholastici. 65.
De facto venit ut passibilis, ad delenda omnia peccata; principalius autem propter originale, quam propter actualia. 69.
An possit dici, quod sit mortuus pro Angelis, & in quo sensu? 82.
Quod sit verus Deus contra Gentiles, & Mahumetanos probatur. 163.
Probatur quoque contra Judæos. 167.
Probatur pariter contra Hæreticos, 173.
Habuit verum, & reale corpus, non phantasticum. 183.
Corpus ejus non fuit Cœleste, sed terrenum, & è Maria desumptum. 188.
Ante resurrectionem fuit corruptibile. 191.
Christus fuit genitus, & natus ex Puella, quæ fuit Virgo ante partum, in partu, & post partum. 199.
Corpus ejus fuit conceptum in Virginis utero, non in Virginis corde. 204.
Quod habuerit vilem formam, & illiberalem dixerunt aliqui Patres. 207.
Alii vero dixerunt fuisse præditum venusta vultus, & speciosa corporis forma. 208.
Augustinus dixit hoc esse incertum, ibid.
Alii voluerunt, quod nec deformitate, abalienaverit, nec pulcritudine illexerit hominum oculos. ibid.
Nec præcellenti pulcritudine corporis præluxit, nec notabili deformitate fuit dehonestatus. ibid.
Non habuit unicam voluntatem, nec operationem, sed duas; unam scilicet ex parte Naturæ Divinæ, & aliam ex parte Naturæ Humanæ. 138.
Quare non potuit peccare, & potuit mereri? 272.
A primo suæ Conceptionis instanti, usque ad ultimum mortis suæ meruit. 272.
Meruit per solas actiones, quæ humanitatis sunt propriæ, & non per illas, quæ fuerunt propriæ solius Divinitatis. 273.
Non meruit sibi primam gratiam, nec gratiam habitualem, nec visionem beatificam; bene tamen meruit corporis gloriam, & nominis exaltationem. 274.
Meruit hominibus salutem, & quidquid dicit ordinem ad salutem. ibid.
Meruit Adamo in statu innocentiæ gratiam, meruit Angelis bonis gratiam, & gloriam. ibid.
Etiam secundum humanitatem, seu ut homo, non est filius Dei adoptivus, sed naturalis. 305.
Etiam prout est homo nec est, nec dici potest, aut debet, Patris servus. 313.
Fuit prædestinatus tum ut homo, tum sine addito. ibid.
Fuit prædestinatus ut homo ad filiationem Dei naturalem, ut ad terminum principalem, & primarium; ut vero ad terminum secundarium, & minus principalem fuit prædestinatus ad gratiam habitualem, ad gloriam animæ, ad beatitudinem corporis, & ad alia dona supernaturalia, quæ consequuntur gratiam unionis. 344.
Quatenus est Deus Homo, adorari debet unica adoratione latriæ. 398.
Christi caro non fuit in similitudinem carnis peccati, ratione culpæ, sed ratione pœnæ. 14.
Christolytæ quid senserint de descensu Christi ad inferos, & de ascensu in Cœlum? 117.
Clemens VI., Romanus Pontifex, anathematizavit Nestorianos, eorumque errores. 113.
Clericus quidam temporibus Sancti Anselmi suscitavit Noeti errorem. 71.
Commixtio quid significet apud Patres, dum de incarnatione loquuntur? 1.
Cœlestinus, Romanus Pontifex, in Romana Sy odo Nestorium, & ejus hæresim damnavit. 103.
Cyrillo Alexandrino mandavit, ut Nestorium excommunicaret, si non obediret, & alterum in ejus Cathedra substitueret. 103.
Concilium Constantinopolitanum sub Flaviano Episcopo, fuit primum contra Eutychetem celebratum, & quæ in eo gesta sint? 120.
Concilia in causa Eutychetis celebrata. 121.
Concilium generale V., & Concilium generale VI. Eutychianam hæresim confodiunt. 129.
Concilium Constantinopolitanum III. generale VI. in quo Monothelitæ damnantur. 237.
Condigna satisfactio quæ requirat? 22.
Concretum aliquando accipitur a Patribus pro abstracto, & in quo sensu. 88.
Constans, Imperator, Monothelismi Author. 230.
Constantinus Copronymus nullo modo B. Virginem adorandam esse effutiebat. 405.
Negavit adorationem Sanctorum. 413.
Claudius, Taurinensis Episcopus, librum scripsit contra venerationem Sanctorum. 413.
Conventio quid significet apud Patres dum de incarnatione loquuntur. 1.

INDEX

Conversio quid significet apud Patres dum de incarnatione agunt. 1.
Convenientia quid significet apud Theologos? 6.
Creaturam puram habere capacitatem satisfaciendi de condigno pro læthali peccato aliqui Scholastici affirmant, alii omnino negant. 20.
Corrupticolæ, hæretici qui fuerint? 124.
Chrysaphius Eunuchus Eutycheti favebat. 121.
Cyrillus, Alexandrinus, explicatur, dum dicit Naturam Divinam incarnatam. 74.
Primus, & acerrimus Nestorii Impugnator. 105.
Fuit legatus Cœlestini romani Pontificis in Concilio Ephesino contra Nestorium. 104.
Cyrus regnavit in Persia anno Mundi 3468. 34.
Cyrus, Patriarcha Alexandrinus inter Monothelitas præcipuus. 228.

D

Damascenus quomodo intelligatur, quando dicit quod humanitas habet extantiam, seu existentiam in Verbo? 92.
Damasus, romanus Pontifex, anathematizavit Nestorianos, eorumque errores. 101.
Daniel in suo vaticinio non loquitur de Sacerdotio, nec de Agrippa juniore, sed de Messia. 34.
Fuit verus propheta. 38.
Etsi Aricus. ibid.
Ejus vaticinium consummatum fuit in Christo Jesu. 36.
Daniel Papebrochius, Symbolum Athanasio abjudicavit. 137.
Darius, filius Hidaspis, regnavit in Persia anno 3483. 34.
Davidis, Franciscus, & ejus error contra meritum Christi. 269.
Decretum Dei, ut sit efficax non debet semper respicere substantiam, & circumstantias pro eodem signo. 69.
Deus non poterat sub humana effigie efformari, & nihilominus carnem assumens sub humana effigie apparuit. 2.
Prius voluit Christum, qui est caput, quam Ecclesiam, quæ est corpus. 62.
Multa potest facere de possibili sine necessitate, quæ de facto sine necessitate non facit. 90.
Defectus Corporis an in Christo fuerint, & qui? 211.
Defectus animæ sunt passiones, quæ sunt affectus voluntatis, & motus appetitus sensitivi. 243.
Differentia inter Christum, & Adamum, quum uterque fuerit caput. 321.
Differentia, quæ intercedit inter laudem, honorem, & cultum, seu adorationem. 397.
Diodorus Tarsensis in Concilio Armeniense damnatus anno 435. 105.
Dioschorus, Alexandriæ Episcopus, Eutychetis Sectator, & fautor. 120.
Dona Spiritus Sancti fuerunt in Christo. 287.
Donec particula, quem sensum habeat in vaticinio Jacobi? 31.
Durandus asseruit hominem non minus effici debitorem Deo ratione peccati commissi, quam ratione beneficii accepti. 24.
Voluit Christum toto infantiæ suæ tempore non meruisse defectu usus rationis propter indispositionem organorum. 272.
Dulia, Adoratio quæ? 297.

E

Ebio, hæresiarcha, qui fuerit? 172.
Ecthesis Heraclii in causa Monothelitarum quid? 226.
Elipandus, Archiepiscopus Toletanus, & ejus error circa filiationem Christi. 201.
Ephesinum Concilium, in quo Nestorius damnatus est, Cœlestinus romanus Pontifex coegit ad preces Theodosii junioris, Cyrilli Alexandrini, & aliorum Antistitum. 104.
Fuit celebratum anno 430. in causa Nestorii. 105.
Non fuit a Theodosio Imperatore, sed a Cœlestino romano Pontifice convocatum. 108.
In eo fuit legatus Apostolicæ Sedis Cyrillus Alexandrinus. 109.
Fuit verè Concilium generale. ibid.
Ephesina Synodus, quæ dicta est prædatoria, Eutycheti favit. 120.
Episcoporum, & Abbatum subscriptiones in Conciliis in quo differant. 121.
Erasmus Roterodamus dubitavit de descensu Christi ad inferos. 217.
Erasmus Sarcerius negavit descensum Christi ad inferos. 218.
Errores hæreticorum posteriorum temporum in explicanda idiomatum communicatione. 130.
Essæni non fuerunt Gentiles. 389.
Eutherius, Episcopus, Tyanensis sectator Nestorii. 105.
Eusebius, Episcopus, Dorylæi in Phrygia, amicus Eutychetis, primò tentavit illum privatis alloquutionibus corrigere, sed incassum; unde ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum rem detulit. 120.
Eusebius Vercellensis a quibusdam dicitur Athanasiani Symboli Author. 143.
Eustathius Sanctorum adorationem, & invocationem negavit. 413.
Eutyches, erravit dicens, Verbum sumpsisse humanam naturam, & quare? 84.
Fuit professione Monachus, ordine presbyter, & di-

Digitized by Google

& dignitate Archimandrita. 119.
Fuit implacabilis Nestorii Adversarius. ibid.
In errorem Nestoriano oppositum incidit. ibid.
A principio ob imperitiam erravit, deinde in obstinatione fuit. 120.
Alios docuit errores post Valentinum, Marcionem, Apollinarem, & Manichæos. ibid.
In Constantinopolitanis Conciliis damnatus ad Leonem Magnum, romanum Pontificem, appellat. 121.
Euthymius putavit Christum propriè non oravisse, scilicet petendo, sed tantum gratias agendo. 349.
Existentiam propriam habet natura humana assumpta a Verbo. 91.
Existere, an tribuatur supposito. 92.
Existere duplex, an possit tribui Christo? 92.
Exparsa, cum aliis Scholasticis docuit, puræ creaturæ provenire incapacitatem ad satisfaciendum de Condigno pro peccato, ex eo quia læthale peccatum sit in supremo ordine offensæ. 24.

F

FAmiliani, & ipsorum error contra meritum Christi. 269.
Faustus, & ejus errores circa Christum incarnatum. 79.
Sanctorum adorationem, & invocationem negavit. 413.
Felix, & ejus errores circa Christum incarnatum. 79.
Felix, Papa III. damnavit Henoticon Zenonis, & Acacium excommunicavit. 123.
Felix, Urgelitanus Episcopus, & ejus error circa filiationem Christi. 301.
Felix, & Elipandus, admittentes filiationem adoptivam, agnoverunt in Christo filiationem Naturalem contra Nestorium eam negantem. 304.
Nec absolutè, & simpliciter dixerunt Christum esse filium Dei adoptivum, sed cum additamento secundum humanitatem, vel prout est homo. ibid.
Fides in Christum Mediatorem quovis tempore fuit necessaria ad salutem necessitate medii. 382.
Fides implicita in Christum Remuneratorem quovis tempore fuit necessaria necessitate medii ad salutem. 384.
Fides explicita in Christum mediatorem post promulgationem Evangelii est necessaria necessitate medii ad salutem. 385.
Festa instituere in honorem Sanctorum pium, & Christianum est. 419.
Filiatio duplex, naturalis, & adoptiva. 301.
Filius, Secunda Trinitatis persona, convenientius incarnatus est, quam Pater, & Spiritus Sanctus. 14.
In divinis est imago substantialis Dei, homo est imago Dei accidentalis. 72.
Filii sola persona humanam Naturam assumpsit. 72.
Finis mortis Christi quinam fuerit? 11.
Flavianus, Episcopus Constantinopolitanus, primus in Concilio Eutychetem damnavit. 120.
Florentius, Prætorio Præfectus, cui Theodosius junior Imperator legem contra hæreticos latam direxit. 103.
Floriani hæretici negarunt Judicium extremum. 335.
Fomes peccati nec in actu secundo, nec in actu primo fuit in Christo. 261.
Fortunatus, Venantius, natione Italus, & Pictaviensis in Gallia Episcopus, fuit Athanasiani in Symboli author. 143.
Fortunatus, & ejus errores circa Christum incarnatum. 79.
Francofordienses Concilii Patres, quomodo sint intelligendi, quando dicunt, Deum semper eligere media, quæ sunt meliora? 18.
Francofordiense Concilium, in quo damnati sunt Felix, & Elipandus. 301.
Francus, Christianus, & ejus errores contra Christum Mediatorem. 372.

G

GAbriel, & ejus mens circa hæresim Eutychianam. 134.
Cum quibusdam aliis Scholasticis negat Christum esse caput Angelorum. 321.
Gajanitæ hæretici, & ipsorum errores. 190.
Gaspar, Olevianus, negavit descensum Christi ad inferos. 219.
Gaspar Svenckeldius, & ejus errores. 183.
Gelasius Episcopus, vel secundum alios, romanus Pontifex, Eutychetis impugnator. 123.
Gennadius damnavit capitula Cyrilli, sed errore facti, non juris. 110.
Gentes, an vocatæ fuissent ad fidem Christi, si Judæi Christum recepissent, & ut Messiam agnovissent? 63.
Gentiles, & Pagani contra Divinitatem Christi Domini pugnarunt. 163.
Contra Christianos dicebant, quod Sanctos adorarent, ut Deos. 412.
Gilbertus Porretanus, & ejus error contra Christi adorationem. 398.
Gnaphæus, Petrus, posuit in Christo duas personas. 85.
Gnostici finxerunt Christum ignorantem, & sub Pedagogi ferula Alphabetum discentem. 244.

Negarunt Judicium extremum. 335.
Godefridus, Hermantius, Symbolum Athanasio abjudicavit. 137.
Granadus posuit in Deo necessitatem moralem ad illud quod est optimum, seu melius ex parte objecti; Censura notatur ab Arriaga. 15.
Gratia Christi, fuit quadruplex, & qualis? 280.
Gratia habitualis fuit in anima Christi. 280.
Fuit a primo suæ Conceptionis instanti. 282.
Fuit ejusdem speciei, & rationis essentialis, ac in Angelis, & hominibus. 282.
Fuit physicè, & moraliter infinita. ibid.
Gratia actualis, & gratia gratis data, fuerunt in Christo. 285.
Gratia capitalis fuit in Christo. 319.
S. Gregorius Magnus, romanus Pontifex, anathematizavit Nestorianos, eorumque errores damnavit. 112.
Gulielmus Cave Symbolum Athanasio abjudicavit. 137.

H

Hadrianus primus, romanus Pontifex, anathematizavit Nestorianos, eorumque errores damnavit. 112.
Hadrianus III., romanus Pontifex, damnavit Felicem, & Elipandum in Francofordiense Concilium. 301.
Hebdomades, de quibus loquitur Daniel, an sint dierum, vel annorum? 33.
A cujus Regis Persarum Imperii anno initium ducant? 35.
Hebræorum error est, ut intelligant mysticè de Messia, quæ intelligenda sunt ad literam, & intelligant ad literam, quæ intelligenda sunt mysticè. 42.
Habitus virtutum infusarum fuerunt in Christo. 283.
Hemicus, & quidam alii Theologi de Schola, dixerunt, humanitati Christi, ut abstractæ a verbo, cui est unita deberi adorationem, non latriæ, sed hyperduliæ. 402.
Helvidiani, eorumque errores contra Christum, & Mariam. 199.
Hæretici quidam dixerunt, Deo fuisse inconvenientem, & indignam incarnationem. 9.
Alii errarunt contra existentiam incarnationis, sed non circa substantiam, ut Judæi, at circa modum. 25.
Illi posteriorum temporum errant in explicatione vocis omnium *in redemptione Christi.* 367.
Ipsorum errores contra Christum Mediatorem. 372.
Heraclius Imperator, Monothelismi fautor. 230.
Henoticon Zenonis quid fuerit? 123.
Hermogenes, a quo Hermogeniani, erravit contra Trinitatem Personarum. 71.
Hermannus, Risuich, dixit Christum damnasse Universum mundum, & neminem salvasse. 358.
Hæretici quidam innominati quid senserint de descensu Christi ad inferos? 217.
Herodes erat alienigena, & tenebat regnum Judeorum jure fiduciario a Romanis. 29.
Heterodoxi priorum temporum, scilicet Ebion, Cerinthus, Paulus Samosatenus, Photinus, Apollinaris, &c. contra Divinitatem Christi pugnarunt. 163.
Heterius, Episcopus Uxumensis, & Beatus, presbyter Asturicensis, impugnarunt hæresim Felicis, & Elipandi. 301.
Hierax, hæreticus Tertii Seculi, effutiebat, Melchisedech fuisse Christum. 344.
S. Hieronymus quomodo intelligatur quando dixit, quod in Christi vultu emicuit quid Syderum, ac Cæleste. 209.
Hincmarus, Rehemensis Episcopus, an crediderit Symbolum Athanasii esse Athanasii? 142.
Hispalense Concilium Nestorii errorem damnavit. 113.
Homo quamvis non indiguisset redemptione, futura tamen fuisset ex intentione Dei primaria ob alios fines incarnatio. 61.
Honorius, romanus Pontifex, nec fuit Monothelita, nec Monothelitarum fautor. 230.
Hormisda, romanus Pontifex, damnavit Monachos Acœmetas. 105.
Defenditur ab aliorum calumniis ob hujusce modi damnationem. 118.
Anathematizavit Nestorianos, eorumque errores. 112.
Humana Salus, an fuerit finis, vel effectus mortis Christi. 11.
Humanitas Christi nullum opus habuit, quod præcesserit incarnationem, & fuerit aliquo modo meritorium ipsius. 46.
Potuisset habere aliquod opus præcedens incarnationem, aut tempore, aut natura, quod esset aliquo modo incarnationis meritorium. 47.
In quo sensu dicatur templum? 87.
Habuit etiam de potentia absoluta impeccabilitatem, immediatè, & formaliter ex unione hypostatica. 259.
Fuit Sanctificata formaliter, & immediatè Sanctitate substantiali, & increata, non vero solum radicaliter, & media sanctitate accidentali. 267.
Si dimitteretur a Verbo non esset adoranda adoratione latriæ, etiam respectiva; abstracta vero a Verbo est adoranda adoratione absoluta latriæ, & sola latriæ, nullo vero modo colenda adoratione hyperduliæ. 402.

Digitized by Google

Hugo, Victorinus, asserere videtur, Christum fuisse usum sola scientia increata. 291.
Hus, Joannes, Sanctorum adorationem negavit. 413.
Hymeneus, haereticus, negavit per Christum nos posse salvari. 357.
Hyperdulia adoratio quid sit? 397.
Hypostasis non consistit in unione Naturarum, sed in earumdem identificatione. 78.

I

Jacob Patriarcha, & ejus vaticinium de Messia. 26.
Vaticinium quod fecit de Messia fuit in Christo Domino perfectè adimpletum. 28.
Jacobus Comes, fautor haeresis Nestorianae. 105.
Jacobitae haeretici qui fuerint? 124.
Jaudunus, & ejus error circa regiam Christi dignitatem. 329.
Ibas damnavit capitula Cyrilli, sed errore facti, non Juris. 110.
Jansenius, Cornelius, Episcopus Iprensis, & ejus explicatio vocis omnium *in redemptione Christi.* 367.
Idiona apud Theologos quid significet? 146.
Idiomatum Communicatio in Christo admittenda est. 146.
Idiomatum Communicatio per Lutheranos, consistit in eo, quod attributa unius naturae in Christo communicentur alteri naturae non solum considerata in concreto, sed etiam in abstracto. 150.
Ignorantia nulla fuit in Christo. 248.
Impeccabilis omnimodè fuit Christus. 256.
Incarnationis quid nominis, & quid rei. 2.
Ejus vox a Patribus usurpata tum Graecis, tum Latinis. ibid.
Ariani, & Apollinaristae diversimodè eam intelligebant. ibid.
Incarnationis possibilitas quid? 3.
Admittitur, ac defenditur contra Gentiles. ibid.
Non est cognoscibilis, praecisa revelatione, est vero cognoscibilis illa suppositâ. 6.
Incarnatio fuit Deo maximè conveniens. 9.
Fuit conveniens Naturae humanae. 11.
Non fuit necessaria necessitate absoluta, nec physica, nec morali. 15.
Non fuit necessaria necessitate conditionata, nec ex suppositione creationis Universi, nec ex suppositione peccati commissi, nec ex suppositione peccati reparandi. 17.
Fuit omnino necessaria, ex suppositione redemptionis hominum, per condignam, & perfectam satisfactionem, non vero ex suppositione redemptionis imperfectae. 20.
Non debebat executioni mandari ab initio Mundi, nec in fine. 44.
Secundum substantiam, & secundum circumstantias, quid? 45.
Quatenus est actio ad extra in quo sensu dicatur communis Trinitati, & in quo sensu dicatur propria Filii? 73.
Incorporatio quid significet apud Patres, dum de incarnatione loquuntur? 1.
Incorruptibilis, haeretici, qui fuerint? 124.
Individuum, qua individuum, opponitur communi, & in quo sensu? 88.
Inhumatio quid significet apud Patres, dum de incarnatione loquuntur? 1.
Innascibilis dicitur Pater Aeternus, ratione aeternae nascientiae, & ad intra, non vero ratione nascientiae temporalis, & ad extra. 76.
Innocentius III., romanus Pontifex, anathematizavit Nestorianos, eorumque errores. 113.
Interpellare Christum pro nobis, veteres quidam dixerunt aliud non esse, quam Seipsum Patri pro nobis offerre. 349.
Joannes Antiochenus, Nestorii Fautor, in Concilio Ephesino damnatur. 104.
Joannes II. Romanus Pontifex damnavit Monachos Acaemetas. 105.
Anathematizavit Nestorianos, eorumque errores. 112.
Joannes Cassianus Nestorii impugnator. 106.
Joannes, Maxentius, Eutychetis impugnator. 123.
Joannes, Mabillonius, Symbolum Athanasio abjudicavit. 137.
Jonas, Aurelianensis Episcopus, Felicem, & Elipandum impugnavit. 304.
Jovinianus, ejusque errores contra Christum. 199.
Joseph Judaeus tribuit Vespasiano Imperatori miracula, sed per assentationem, & impostu-ram. 43.
Irenaeus Comes, defensor Nestorii. 105.
Isidorus damnavit capitula Cyrilli, sed errore facti, non juris. 110.
Judaei contra Divinitatem Christi Domini pugnarunt. 163.
Ipsorum error contra Sacerdotium Christi. 340.
Judas Iscariotes Christi miracula magicae arti tribuebat. 189.
Judex erit Christus non solum ut Deus, sed etiam ut homo. 329.
Judiciaria potestas convenit Christo, principaliter qua Deus est, minus principaliter qua homo. 335.
Julianus Apostata, ejusque errores contra Christum. 199.
Reprehendebat Christianos, quod relictis Diis colerent Sanctos. 412.
Julianus, Halicarnassi Episcopus, erravit dicendo, Christi Corpus ante passionem fuisse incorruptibile. 120.

Digitized by Google

INDEX

Julius, romanus Pontifex, an aliquid scripserit pro Eutychete. 134.
Justinianus Imperator scripsit ad Joannem II. Romanum Pontificem, in caussa Monachorum Acæmetarum. 105.
Ejus errores contra Christi corpus. 190.
Justinus Martyr, quomodo sit intelligendus, quando facit comparationem inter incarnationem, & Eucharistiam. 155.
Judæi errant contra existentiam incarnationis, & errant circa substantiam; hæretici vero errant circa modum. 25.

L

Lateranense Concilium primum, errorem Nestorii damnavit. 114.
Quartum Eutychianam hæresim confodit. 130.
Latriæ adoratio quid sit? 397.
Legati Cœlestini, romani Pontificis ad Concilium Ephesinum, adventarunt Ephesum, & in Concilio apparuerunt. actione 2. 104.
In actione 3. approbarunt, quæ antecedenter fuerant facta, & sua subscriptione firmarunt. ibid.
Leo magnus, romanus Pontifex, & ejus verba, quæ explicantur de Natura humana assumpta a Christo. 94.
Anathematizavit Nestorianos, eorumque errores. 111.
In Concilio Romano Eutychetem, ejusque errores damnavit. 121.
Perpetuus Eutychetis impugnator; contra illum Chalcedonense Concilium indixit, & congregavit. 123.
Leo IX., romanus Pontifex, anathematizavit Nestorianos, eorumque errores damnavit. 112.
Leontius, Byzantinus, Nestorium impugnavit. 106.
Liberalitas, & Prodigalitas in quo differant? 10.
Liber de Christi Infantia suppositius, & adulterinus. 396.
Libertini, & ipsorum errores contra Christum Redemptorem. 358.
Limbus Sanctorum Patrum intelligitur ille, in quem Christus descendit, quando ad inferos descendisse confitemur. 223.
Lollardi, eorumque errores contra Christum, & Mariam. 199.
Lorca, cum quibusdam aliis Scholasticis, affirmat Christum esse caput Angelorum. 321.
Lucas Sternbergius, ejusque errores contra Christum, & Mariam. 199.
Ludovicus Antonius Muratorius laudatur. 137.
Symbolum Athanasio abjudicavit. ibid.
Ludovicus Ellies Dupinus, Symbolum Athanasio abjudicavit. 137.
Lugus, Cardinalis, docuit, quod si homines scirent posse se Deum condigne placare, exponerentur periculo nimis frequenter peccandi. 24.
Lutherus hæresi Nestorii favit. 106.
Insaniit dicens, Christum Dominum in descensu ad inferos damnatorum pœnas sustinuisse. 217.
Posuit ignorantiam in Christo. 244.
Ejus error contra Christum Redemptorem. 358.
Catholicos accusat, quod B. Virginem faciant Deam, & illam colant eodem cultu, quo Christum adorant. 405.
Sanctorum adorationem negavit. 413.

M

Machabæi, asserunt quidam, quod fuerint ex utroque genere de tribu Juda. 31.
Mahumetus non Christum, sed seipsum dixit esse hominum Salvatorem. 357.
Ejus Sectatores, contra Divinitatem Christi Domini pugnant. 163.
In Alcorano omnem Sanctorum cultum abrogavit. 413.
Magnanus, & ejus mens circa sensum quæstionis; an pura creatura possit satisfacere de condigno? 20.
Manes, a quo Manichæi, quis fuerit? 183.
Manichæi, & ipsorum errores circa Christum incarnatum. 79.
Manichæi novi, & ipsorum errores. 183.
Negarunt Judicium extremum. 335.
Marcion quid dixerit de descensu Christi ad inferos. 217.
Ejus errores circa Christum incarnatum, 79.
Quis fuerit? 183.
Marcianus Imperator quomodo se gesserit cum Monachis Palestinæ? 125.
Marcus hæresiarcha, a quo Marcitæ, vel Marcosii, quis fuerit? 183.
Maria Virgo, quas partes fecerit in formatione corporis Christi. 206.
Habuit meritum congruum Maternitatis Dei, quoad exequtionem. 47.
Non vero quoad intentionem, & electionem, nec de condigno, nec de digno. 47.
Sacro, at religioso cultu est adoranda. 405.
Est adoranda cultu hyperduliæ. 408.
Ob gestationem Christi in utero non est adoranda cultu latriæ. 408.
Marius Mercator Nestorii impugnator. 106.
Marloratus, Augustinus, negavit descensum Christi ad inferos. 219.
Martinus primus, romanus Pontifex, Monothelitas damnavit. 229.
Mediator verus inter Deum, & hominem est Christus, 372.
Non est Mediator prout homo a persona Verbi præci-

Digitized by Google

præcisus, neque prout Deus præcisus ab humanitate, sed prout homo, qui sit Verbo conjunctus. 375.
Mediatoris munus exercuit Christus inter Deum, & hominem, non solum orando, sed etiam satisfaciendo. 376.
Menander dixit, seipsum fuisse missum pro hominum salute, non Christum. 357.
Marsilius Patavinus, & ejus error circa regiam Christi dignitatem. 329.
Melanton, Philippus, Catholicos accusat, quod Mariam colant, sicuti Christum adorant. 405.
Meritum, & satisfactio in quibus differant, & in quibus conveniant? 20.
Condignum, & congruum quid sint? 45.
Principium meriti non potest cadere sub meritum illius, cujus est principium. 46.
Mediolanense Concilium, sub Eusebio Episcopo, Eutychetem damnat. 122.
Messaliani insaniendo dicebant B. Virginem nullo modo esse adorandam. 405.
Messias, & quid ejus nomine veniat. 25.
Ejus characteres, & munera describuntur, & enumerantur a Tertulliano. 26.
Meritum Christi asseritur, & probatur. 269.
Fuit infinitum; unde quilibet actus meritorius fuit in Christo infinite meritorius. 277.
Miracula Christi probantur a Christianis iisdem argumentis, quibus a Judæis probantur miracula Moysis. 42.
Miracula verè fecit Christus, quorum, ut Deus fuit causa principalis, ut homo fuit causa instrumentalis. 390.
Non quidem instrumentalis physicè, sed moralis. 392.
Miracula Christi potuerunt quodammodo esse evidentia Angelis, non sic vero hominibus, & fuerunt illa aliquo modo necessaria. 393.
Miraculum primum a Christo factum, fuit illud, quod fecit in nuptiis Canæ Galilææ. 393.
Miracula tributa Vespasiano Imperatori, & Apollonio Tyanæo, fuerunt fictitia. 43.
Missio in personis Divinis non est necessario prærequisita ad incarnationem. 76.
Mixtio apud Patres quomodo intelligatur, quando de incarnatione loquuntur? 135.
Moabitæ significabant gentes Idololatras. 40.
Molinæus, Carolus, scripsit, Christum ab initio non habuisse omnem scientiam. 245.
Ejus error contra meritum Christi. 269.
Monachi, qui in Eutychetis Monasterio habitabant, Eutycheti favebant. 123.
Monophysitæ hæretici, qui fuerint? 124.
Monothelitæ hæretici qui fuerint, & quare sic dicti? 225.
Vasquez ipsorum errorem aliter interpretatur. ibid.
Inter illos posuit etiam Typum. ibid.
Ponebant in Christo tantum Scientiam Divinam, & increatam. 290.
Mortuus est Christus pro salute omnium, & singulorum hominum, nec uno excepto. 368.
Mulierculæ quædam, de quibus loquitur S. Epiphanius, venerabantur B. Virginem Mariam uti Deam. 405.

N

Nabuchi statua, quæ imperia designabat? 40.
Nabuchodonosor non intelligitur per verba illa Geneseos 49. Donec veniat qui mittendus est. 27.
Natura humana convenientius fuit assumpta a Verbo, quam Angelica, & convenientior fuit assumptio ex Adami progenie, quam aliunde formata. 13.
Naturam aliam quamcumque creatam potuisset Verbum assumere. 82.
Natura sine propria subsistentia est manca, sed accidentaliter tantum, non substantialiter. 88.
Natura incarnata apud Cyrillum quomodo intelligatur? 134.
Natura Divina conjuncta relationibus personalibus non potest creatam naturam assumere, non communicando ei aliquam personalem relationem. 73.
Secundum se, prout abstrahit ab omni subsistentia, potuit creatæ naturæ uniri. 88.
Eidem propriè non convenit assumptio humanitatis, sed aliquo modo. 73.
Natalis Alexander Symbolum Athanasio abjudicavit. 137.
Nazianzenus, an crediderit Symbolum esse Athanasii. 141.
Nestorius erravit dicens Christum purum hominem præcessisse, ac promeruisse unionem hominis cum Deo. 48.
Erravit dicens, Verbum sumpsisse non tantum humanam naturam, sed etiam personam. 84.
Ejus præcipua hæresis fuit contra hypostaticam Verbi unionem. 102.
Fuit natione Syrus, professione Monachus, ordine presbyter Antiochenus, dignitate Patriarcha Constantinopolitanus. 102.
In Concilio Ephesino citatus non comparuit; Legatos Apostolicos sprevit, illorum mandata non curavit, & in errore suo obstinatissimum se præbuit. 104.
Fuit excommunicatus, atque depositus, & ejus hæresis damnata. ibid.
Re vera negavit substantialem Verbi, cum humana natura conjunctionem. 109.
In iis, quæ ad Trinitatem spectant, dissentit a Pau-

Digitized by Google

a Paulo Samosateno; in iis, quæ incarnationem respiciunt, ejusdem fuit cum illo erroris. 110.
Agnovit in Christo filium unum, sed unitate morali, non physica. ibid.
Ejus error circa Christi adorationem. 398.
Nestoriani, & ipsorum error contra Christi Sacerdotium. 340.
Nicolaus, Gallasius, insaniens dixit, Christum adeo ignorasse, ut disceret ipse, & more hominum erudiretur. 245.
Noetus, erravit dicendo Patrem esse passum. 71.

O

Obedientialis potentia, & potentia naturalis quid sint, & in quo distinguantur. 90.
Ochus, frater Longimani, dictus Darius Nothus anno 3581. regnavit in Persia. 34.
Ochus, filius Memorieſi, anno 3644. regnavit in Persia. 34.
Oecolampadius, Joannes, Mariæ cultum damnat. 405.
Deinde parum sibi constans, eumdem fatetur, 412.
Sanctorum adorationem negavit. 413.
Oeconomia quid significet apud Patres, dum de incarnatione loquuntur. 1.
Opera Christi subsequentia incarnationem, nec fuerunt, nec esse potuerunt meritoria incarnationis, & unionis hypostaticæ. 50.
Orasse Christum ad Patrem quidam veteres concedebant, quando in terris vivebat; at quod modo minimè hoc agat, dum in Cœlis regnat. 349.
Oratione formali quidam negant Christum orare, & concedunt orare tantum oratione interpretativa. 349.
Orationem Christi, quidam explicant per sanguinis ejus innocentis exclamationem. 249.
Illam non omnem fuisse exauditam, nec modo exaudiri, quidam alii effutierunt. 349.
Eamdem aliqui volunt fuisse pro nobis, sed non pro Seipso. 349.
Oravit Christus verè, & propriè Patrem dum in humanis erat, & modo etiam orat dum in Cœlis est. 349.
Oravit ut homo, & non ut Deus; & non pro nobis tantùm, verum quoque pro Seipso. 351.
Oravit, & modo orat, non solum interpretativa, verum quoque expressiva oratione, & oratio ejus fuit semper a Patre exaudita. 353.
Originale peccatum, est radix, & origo omnium peccatorum. 70.
Origenes asseruit, animam Christi fuisse a mundi exordio creatam, & postmodum, post quædam millia annorum, ex merito dilectionis suæ erga Deum fuisse hypostaticè assumptam; confutatur. 48.
Ejus errores circa Christum incarnatum. 79.
Alii ejus errores contra Christum. 198.
Errando, asseruit Christum fuisse mortuum pro Angelis, & redemisse eos, qui fuerunt in gratia confirmati. 321.
Oropastes Magnus, seu Artaxerses, anno 3482. regnavit in Persia. 34.
Osiander, Andreas, & ejus error contra meritum Christi. 269.
Ejus errores contra Christum Mediatorem. 372.

P

Particula in, an vero particula ex, quoad Naturas Christi sit adhibenda. 135.
Pastor fuit Christus, non solum ovis, quæ perierat, sed etiam ovium, quæ conservabantur in Ovile. 67.
Patres Sancti, Veteris legis, nec de condigno, nec de congruo meruerunt incarnationem quoad substantiam, meruerunt autem de congruo, quoad circumstantias temporis. 51.
Pater, & Spiritus Sanctus potuissent seorsim a Verbo humanam naturam assumere; & potuissent totæ tres Personæ, simul assumere eamdem numero naturam. 75.
Patres quomodo intelligantur, quando loquuntur de incarnationis merito. 55.
Quomodo intelligantur, quando dicunt, nullo modo extitisse humanitatem, antequam Verbo uniretur. 91.
Pauliciani, eorumque errores contra Christum, & Mariam. 199.
Paulinus, Episcopus Aquilejæ, primus damnavit hæresim Felicis, & Elipandi. 303.
Passiones fuerunt in Christo, & quæ? 245.
Paulus Monothelita præcipuus. 227.
Peccatum mortale, & veniale in quo differant, & in quo conveniant? [illegible]3.
Peccatum actuale est intensivè gravius originali, quia magis voluntarium; non vero extensivè, quia solum afficit peculiarem personam, originale vero totum humanum genus. 70.
Peccandi potentiam posuerunt in Christo Ariani, & quotquot hæretici, putarunt illum esse purum hominem. 245.
Peccatum nullum fuit in Christo. 254.
Patripassiani qui fuerint? 71.
Persona una ex Divinis potest assumere plures naturas simul. 77.
Una in Divinis potest simul assumere unam Naturam, & alia aliam. 77.
Persona humana non remansit in Christo post unionem. 86.
Personæ singulæ Divinæ poterant eodem tempore ter-

Digitized by Google

terminare simul naturas creatas. 77.
Persona Christi, an sit persona verè, & propriè composita? 155.
Pelagiani benignè accipiuntur a Nestorianis. 107.
Petrus Gnapheus, seu Fullo, & Petrus Moggus, Eutycheti favebant. 123.
Petrus Martyr, ejusque errores contra Christum, & Mariam. 199.
Petrus Lucensis, Canonicus regularis, asseruit Christi Corpus fuisse conceptum non in Virginis utero, sed in ipsius corde; impugnatur. 204.
S. Petrus Chrysologus, quomodo cum Eutycheti se gesserit. 126.
Pharisæi, & ipsorum error contra Christum Redemptorem. 357.
Putabant Christi miracula fuisse phantastica, & illusoria. 289.
Philippus presbyter, Cœlestini romani Pontificis legatus in Concilio Ephesino. 104.
Philostratus tribuit Apollonio Tyanæo miracula, sed per assentationem, & impostruram. 43.
Photinus erravit dicens, Christum purum hominem præcessisse, ac promeruisse unionem hominis cum Deo. 48.
Qui fuerit? 172.
Praxea, a quo Praxeani hæretici, erravit contra Trinitatem Personarum. 71.
Priscillianistæ, & ipsorum errores circa Christum incarnatum. 79.
Alii eorumdem errores. 183.
Prædestinatio Christi fuit causa prædestinationis hominum; causa scilicet finalis, exemplaris, & moralis, seu meritoria. 217.
Primogenitus in Scripturis qui intelligatur. 44.
Proclus, Episcopus Cyzicenus, Nestorianæ hæresis impugnator. 106.
Proclianitæ, vel Prodianitæ, negarunt Judicium extremum. 335.
Proceres veteris testamenti figurarunt Messiam, sed non omnes eodem modo. 42.
Projectus Episcopus fuit legatus Cœlestini in Concilio Ephesino. 104.
Prophetia Danielis apertè ostendit Messiam in lege promissum jam advenisse. 33.
Prophetiæ omnes de Messia venturo, in Christo sunt adimpletæ. 42.
Pseudo-Apostoli, & ipsorum error contra Christum Redemptorem. 357.
Pyrrus inter principaliores Monothelitas unus. 225.

Q

Quartodecimanos hæreticos Nestorius in sui regiminis primordiis persequebatur. 103.
Quenellius Symbolum Athanasio abjudicavit. 137.
Putavit Vigilium, Episcopum Capsensem in Africa, fuisse Athanasiani Symboli authorem. 142.

R

Rabini fatentur Messiam esse Deum. 177.
Raymundus Lullius putavit, suppositâ creatione Universi, liberè a Deo factâ, incarnationem fuisse necessariam necessitate absoluta. 15.
Censura notatur a Lugo. ibid.
Redemptor verus hominum fuit Christus. 358.
Redimi humanum genus per mortem Christi non fuit simpliciter necessarium, sed necessarium necessitate consequentiæ. 365.
Regna, quæ modo finguntur a Judæis ab ipsis possessa, sunt mera somnia. 32.
Regnum Christi fuit spirituale, & etiam temporale totius Universi; sed quoad actum primum, non quoad actum secundum; hoc est non quoad usum, & exercitium; & speciali titulo non fuit regnum Judæorum. 330.
Regulæ observandæ in componendis propositionibus, quæ juxta idiomatum communicationem fieri possunt. 152.
Reidt, Mathias, Mariæ cultum damnavit. 405.
Resurrectionis tempore Christus reassumpsit totum moraliter sanguinem, non vero totum physicè. 196.
Restitutio, est compensatio, seu satisfactio in rebus. 20.
Rex fuit Christus non solum ut Deus, verum quoque ut homo. 329.
Richardus a Sancto Victore, quid senserit de necessitate incarnationis? 17.
Romanum Concilium habitum a Cœlestino anno 430. in causa Nestorii. 105.
Romanum Concilium habitum a Joanne II. anno 533., vel 534. contra Acæmetas Monachos. 101.
Romani Pontifices, an crediderint Symbolum Athanasii, esse Athanasii. 141.
Romani Pontifices, qui Monothelitas persequuti sunt. 230.
Ruiz, posuit in Deo necessitatem moralem ad illud, quod est optimum, seu melius ex parte objecti. 15.
Censura notatur ab Arriaga. ibid.

S

Sabellius, hæresiarcha, erravit unicam in Deo ponendo personam. 71.
Sacerdos vere, & propriè fuit, & est, ac dici debet, Christus, non quidem prout est Verbum, sed prout est homo hypostaticè unitus Verbo. 240.

Digitized by Google

Non fuit secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. 344.
Sacerdotium Christi fuit superioris ordinis, & excellentior super omnes ordines statuum omnium naturæ humanæ, & est æternum. 144.
Incepit a primo suæ Conceptionis instanti; ipsiusque munus perfecit Christus, & quando incruentum sacrificium obtulit in Cœna, & quando cruentum obtulit in Cruce. 345.
Sanguis in triduo mortis Christi fuit unitus Verbo, quamvis hoc non sit ab Ecclesia definitum. 195.
Sanctitas vera fuit in Christo. 264.
Et quidem substantialis, & accidentalis. 265.
Et utraque fuit in genere suo summa, atque perfecta. ibid.
Sanctitas est moralis, & est physica; illa consistit in actibus meritoriis, hæc in præcisa unione ad aliquod Sanctum, ratione cujus dicitur capax dignitatis, honoris, & cultus. 84.
Samosatenus Paulus, qui fuerit? 172.
Posuit duas in Christo naturas. 85.
Sanctis cum Christo in Cœlo regnantibus debetur cultus religiosus, & sacer, 413.
Non tamen latriæ, nec hyperduliæ, sed dulia, 417.
Satisfactio, est compensatio debiti; & est multiplex, quia multiplex est debitum. 20.
Saturninus, qui fuerit? 182.
Erravit dicens Christum non habuisse animam. 213.
Alii ejus errores circa Christum. 79.
Sceptrum Judæorum fuisse semper in tribu Juda asserunt aliqui Patres, quia hæc erat numerosior, & florentior. 30.
Scientia Christi, quotuplex fuerit. 290.
Creata, & humana fuit in Christo, præter increatam, & Divinam. 291.
Fuit pariter acquisita. 292.
Fuit etiam beata, & infusa a primo suæ Conceptionis instanti. 296.
Scholastici plures, asserunt, Christum ratione humanæ naturæ prædestinatum dici non posse; alii vero dicunt Christum dici non posse prædestinatum, nisi ut homo. 312.
Scholastici alii, & ipsorum opiniones circa Sacerdotium Christi. 344.
Scribæ, & ipsorum error circa Christum Redemptorem, Scripturarum testimonia plura Messiam advenisse convincunt, & hunc fuisse Dominum Jesum Christum. 39.
Secundinus, & ejus errores circa Christum incarnatum. 79.
Secundus, antiquus hæresiarcha, a quo Secundiani. 188.
Sergius Arsenoita inter Monothelitas præcipuus. 225.
Signa, seu instantia, quæ distinguuntur a Theologis in decreto incarnationis Verbi. 58.
Simon Magus, & ejus errores. 132.
Simonius, & ejus error contra Christum Redemptorem. 358.
Servus, an dici possit Christus? 302.
Smidelinus posteriorum temporum hæreticus. 107.
Sociniani volunt Deo fuisse inconvenientem, & indignam incarnationem. 9.
Ipsorum argumenta solvuntur. 10.
Contra Christi Divinitatem pugnant. 163.
Ipsorum error contra Sacerdotium Christi. 340.
Alii eorumdem errores contra Christum Mediatorem. 372.
Socinus quis fuerit? 173.
Ejus error contra Christum Redemptorem, 358.
Sophronius, nomine existentiæ aliquando intelligit subsistentiam. 94.
Sommerus, posteriorum temporum hæreticus, hæresi Nestorii favit. 107.
Sotus, Dominicus, & opinio, quæ ipsi tribuitur circa Christum Mediatorem. 382.
Sternbergius, Lucas, Maria cultum damnat. 405.
Spiritus Sanctus, quas partes egerit informatione Corporis Christi? 206.
Sophronius, Hierosolymitanus Patriarcha, Monothelitas impugnavit. 230.
Stancharus, Franciscus, & ipsius errores contra Christum Mediatorem. 371.
Subjectio, seu servitus, tria dicit, & quæ sint? 302.
Subsistentiam propriam non habuit natura assumpta a Verbo? 85.
Subsistentia, an sufficienter explicetur per aliquod positivum morale, quod importet esse sui juris, ut explicat Pater Magnanus? 90.
Susceptio quid significet apud Patres, dum de incarnatione loquuntur. 1.
Substantia est aliquid per se subsistens in exigentia, non vero in actu, & explicatur. 87.
Sybillæ, secundum Hieronymum, fuerunt a Deo prophetiæ dono donatæ. 8.
Sylvius Valenti Gonzaga, Archimandrita Messanensis, laudatur. 119.
Symbolum Sancti Athanasii dictum, an illius legitimus sit fœtus, cujus nomen ostendit? 136.
Synedrium, quando sublatum? 29.

T

TAlmudistæ recensent Danielem inter Prophetas, cum Jeremia, Aggæo, Zacharia, Malachia, &c. 38.
Templum in quo sensu dicatur humanitas Chri-

Digitized by Google

Christi? 87.
Templa erigere in honorem Sanctorum, pium, ac Christianum est. 419.
Temperamento Christi, quod vocabant temperamentum Justitiæ, sive ad pondus, quidam tribuerunt potentiam faciendi miracula. 389.
Theodosius junior Nestorium ad Patriarchalem Constantinopolis sedem proposuit, eumque eligi curavit. 102.
Legem contra hæreticos tulit, & eam Florentio, qui erat Prætorio Præfectus direxit. 103.
Quamvis aliquando visus fuerit favere factioni Nestorianæ, nunquam tamen favit errori. 106.
Theodoretus damnavit capitula Cyrilli, sed errore facti, non juris. 110.
Fuit Eutychetis impugnator. 123.
Fuit Nestorii Sectator. 106.
Theodorus Mopsuestenus, fuit Magister Nestorii. 102.
Fuit in Concilio Armenienſe damnatus. 105.
Theodotus, Episcopus Ancyranus, Nestorium impugnavit. 106.
Tertullianus describit, & enumerat characteres, & munera Messiæ, 26.
S. Thomas dicens, quod Natura Divina abstracta a personalitate potest concipi ut assumens, explicatur. 74.
An crediderit Symbolum Athanasii esse Athanasii? 141.
Theodoretus dixit ignorantiam non fuisse Verbi Dei, sed formæ servi, quæ tanta per illud tempus sciebat, quanta Deitas inhabitans revelabat. 244.
Theophilactus putavit Christum propriè non oravisse, scilicet petendo, sed tantum gratias agendo. 349.
Thomistæ, & ipsorum explicatio vocis omnium *in redemptione Christi.* 367.
Thomasius, Joseph-Maria, Cardinalis, Symbolum Sancto Athanasio abjudicavit. 137.
Thimotheus Ælurus, Eutycheti favebat. 123.
Titus, Romanorum Imperator, fatebatur, se Deo impellente Hierosolymorum Urbem expugnasse. 37.
Toletanum Concilium primum, quartum, sextum, Nestorii errorem damnarunt. 113.
Eutychianam hæresim pariter damnarunt. 130.
Tribus Juda, an tenuerit semper sceptrum Dominationis in Judæa? 30.
An significasset totam gentem hebræorum? 31.
An regnare cœperit apud Hebræos, quando David electus fuit Rex? 31.
Trinitas, an tota sit in humanitate assumpta, & quo sensu? 73.
Tritheistæ hæretici, qui fuerint? 124.
Typus Constantis Imperatoris in hæresi Monothelitarum quid? 226.

V

Valentinus hæresiarcha, & ejus errores circa Christum. 79.
Alii ejusdem errores. 187.
Vasquez docuit, quod vestri actus contritionis, & dilectionis nunquam sint satisfactorii de condigno, & quare? 24.
Ejus mens circa hæresim Eutychianam, impugnatur. 134.
Vaticinium Jacobi de Messia fuit in Christo Domino adimpletum. 28.
Vaticinii Danielis de Rege Judæ, expositio, quam reddunt Patres. 35.
Verbum incarnatum non delevit peccatum, quantum ad radicem, ex qua nascitur, delevit tamen quantum ad culpam, quæ in eo reperitur. 69.
Assumpsit carnem ob alia quoque motiva ultra peccati remedium. 60.
De facto humanam tantum naturam assumpsit. 80.
Non assumpsit humanam personam. 85.
Potuit assumere humanitatem antecedenter subsistentem in propria persona, amittentem tamen subsistentiam suam per assumptionem. 88.
Potuit etiam assumere humanitatem concomitanter subsistentem in propria persona, retinentem scilicet subsistentiam in ipsa assumptione, materialiter tamen & specificativè. 88.
Immediate hypostatice assumpsit dentes, ungues, capillos, pilos, quæ pertinent ad corporis ornatum; non vero lacrymas, sudorem, salivam, aliaque excrementa. 194.
Assumpsit etiam immediatè sanguinem ad subsistentiam Divinam, ibid.
Suscepit veram hominis carnem, & veram hominis animam, 214.
Verbum caro factum est, quomodo intelligatur. 134.
Victorianus, acerrimus Chalcedonensis Concilii defensor. 105.
Ubiquistarum error unde exortus, & quinam fuerit? 158.
Vega, Andreas, & opinio, quæ eidem tribuitur circa fidem in Christum Mediatorem. 381.
Vigilius, Episcopus, Eutychetis impugnator. 123.
Vincentius Lirinensis, a quibusdam creditur Athanasiani Symboli Author. 143.
Vigilantius Sanctorum adorationem, & invocationem negavit. 413.
Unio Verbi cum natura creata fuit opus liberum

Digitized by Google

berum Dei. 81.
Vnio inhabitationis excogitata a Neſtorio non fuit ſola in Chriſto. 87.
Vnio operationis, quam finxit Neſtorius, non fuit tantum in Chriſto. 87.
Vnio affectus, dignitatis, & excellentiæ non fuit ſolum in Chriſto. 87.
Vnio inter Verbum Divinum, & humanam Naturam non eſt unio Metaphorica, neque moralis, ſed realis, & phyſica. 93.
Vnio hypoſtatica realiter eſt diſtincta a productione humanitatis Chriſti. 93.
Non eſt redatio, neque modalis entitas, aut alia quæcumque diſtincta realiter a perſona aſſumente, ut aſſumente, & a Natura aſſumpta, ut aſſumpta. 95.
Non inhæret Verbo, ſed tantum adhæret. 98.
Non eſt ſola humanitas, nec eſt ſola ſubſiſtentia Verbi ſeorſim accepta, ſed ambæ ſunt conjunctim ſumptæ. ibid.
An ſit Naturalis, eſſentialis, & ſubſtantialis? 99.
Eſt unica, & indiviſibilis, eſt perpetua, & indiſſolubilis, & eſt omnium unionum maxima. 100.
Vnio non importat abolitionem alicujus ex unitis, ſed permanentiam. 132.
Vota emittere, ac Deo offerre, in honorem Sanctorum, pium, ac Chriſtianum eſt. 419.
Vvaldenſes docebant, Chriſtum non vera, ſed apparentia tantum miracula patraſſe. 389.
Sanctorum adorationem negabant. 413.
Vvicleſus erravit dicens, quod Verbum non potuerit aſſumere aliam naturam numero diſtinctam ab aſſumpta. 82.
Dixit, Chriſti humanitatem dimiſſam a Verbo in propria perſona eſſe adorandam adoratione latriæ, & diligendam, ut Redemptricem. 402.
Sanctorum veneration i ſe opponebat. 413.
Ejus diſcipula, & peculiares illius errores contra Chriſtum, & Mariam. 199.
Vvormatienſe Concilium Eutychianam hæreſim damnavit. 130.
Damnavit pariter hæreſim Neſtorianam. 114.
Vvoſſius, Gerardus, Symbolum Athanaſio abjudicavit. 137.

X

Xerſes, filius Atoſſæ, filiæ Cyri, anno 3519. regnavit in Perſia. 34.
Xerſes, filius Longimani, anno 3579. regnavit in Perſia. 34.
Xiphilinus, hiſtoricus Gentilis, narrat Excidium Hieroſolymitanum. 37.

Z

Zaga, Zabo, & confeſſio ejus fidei. 221.
Zanchus, & ejus error contra Chriſtum Redemptorem. 358.
Zeno Imperator Eutychianus occultus, & Catholicus ſimulatus. 123.
Publicavit edictum, & vocavit Henoticon, & quidnam fuerit? 123.
Zuingliani Neſtorianiſmi accuſantur a Luthero. 107.
Zuinglius tribuit Catholicis Vbiquiſtarum errorem. 159.
Dixit Chriſtum omnia cum tempore ſciviſſe. 244.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google